# LAVRENTII VALLAE OPERA, NVNC PRIMO NON MEDIOCRIBVS

uigilijs & iudicio quorundam eruditiss. uirorum in unum uolumen collecta, & exemplaribus uarijs collatis, emendata. Ludimagistris, aut aliàs bonas literas profitentibus, incredibiliter utilia adeoq; necessaria. Quam ob rem rectissimè à doctioribus ferè omnibus iudicantur neque docti neq; uerè studiosi, qui non omnes huius autoris libros habent, idq; præcipuo loco.

*Librorum catalogus in hac pagina uersa sequitur.*



EPITAPHIVM LAVRENTII VALLÆ Romæ in æde Lateranensi.

Laurentio Vallæ harum ædium sacrarum canonico, Alphonsi regis & Pôtificis Maximi secretario, Apostolicoq; scriptori, qui sua ætate omneis eloquentia superauit, Caterina mater filio pientissimo posuit. Vixit annos L. Ob. An. Domini M. CCCC. LXV. Calendis Augusti.

15

BASILEAE APVD HENRICHVM PETRVM.

Tetrasticon in Vallam.

Nunc postq; manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto uerba latina loqui.
Iuppiter hunc cæli dignatus parte, fecisset
Censorem linguæ: sed timet esse suæ.

Disticon.

O se Valla silet, solitus qui parcere nulli est
Si quæris quid agat, nunc quoq; mordet humi

## CATALOGVS LVCVBRATIONUM Laurentij Vallæ.



Epigramma quod Laurentio Vallæ adscribitur de inuentione artis impressoriæ.

Abstulerat Latio multos Germania libros,
Nunc multo plureis reddidit ingenio,
Et quod uix toto quisquam perscriberet anno,
Munere Germano conficit una dies.

# INDEX OMNIVM

EORVM QVAE NOTATV DIGNA VI*sa sunt in hijs operibus, diligentissimus.*

artifici

INDEX.

dic,

† Immanere in inimicitiis. 4.81.

manipu-

oppidum

scala —— 89. 451.

FINIS.

# LAVRENTIVS VALLA IOANNI TORTELLIO ARETINO, cubiculario Apostolico, Theologorum facundissimo S.

Libros de linguæ Latinę elegantia (mi Ioannes unicum amicitiæ specimen, & omnis scientiæ decus) olim iam tibi debitos, totiesq; abs te efflagitatos, & tanquam creditore repetitos, tandem exhibeo: nominiq; tuo dedico, ac uelut æs alienum persoluo, & (ut longioris morę dem pœnas) etiā cū fœnore, eoq; tanto, ut sorti par sit. Nam quū sex essent libri quos tibi (cui omnia debeo) repromiseram, nunc totidem ad illos accedunt, eiusdem germanæq; materiæ, & quasi semissi semis additus, explet assem lucri. Fecisti itaq; tu longā quidem expectationem: uerùm ipsius expectationis non negligentia mea, sed consilium extitit causa. Nolo enim fraudare beneficium meum gratia sua. Siquidem nullam aliam inire rationem poteram, qua libros iniussu meo (ut scis) ęditos, & in plurima exemplaria transcriptos tibi dicarē, nisi & repurgarem diligentius, & (quod maius est) aliorū ueluti reliqui corporis accessione perfectos me emittere testarer, ut nemo nisi ab hoc fonte & eius riuis nostrarum elegantiarum aquas sibi hauriendas existimaret: non solum uberiore gurgite, sed etiam nitidiore. Quo magis & spero, & opto libros hos abs te in summi pontificis bibliotheca repositum iri, teq; curaturum, ut ille, cuius contubernalis es, & studiorum intimus comes, nonnunquam eos euoluat, & quemadmodum de parte iam fecit, totum opus laudet: eximium profectò, ac maximum laboris mei fructum, ac præmium. Nam quis uberior fructus, aut quod magis opimum pręmium generoso animo contingere potest, quàm laudari à laudato uiro? ut ille apud Accium inquit: Gaudeo abs te laudari pater, laudato uiro. Etenim quisnam multis iam seculis laudatior extitit, quiue sit magis iure laudandus, quàm nostrū omnium pater summus pontifex Nicolaus Quintus? Qui non magis prudentissimorū hominum iudicio electus esse, quàm natus ad illam dignitatē uidetur: quem Deus nobis prębens singulari quadam hoc seculū est beneficentia prosecutus: & quo sospite (ut est hominum opinio) res humanę futuræ felices sunt. Adeò nescias an uirtus eius, an dignatio inter homines magis emineat: & inter ipsius uirtutes, quę cui pręstet, si qua modo præstat, & non unaquæq; omnes in se numeros habet, nisi ut quòd quisq; maximè uirtutem aliquam colit, ita maximè adesse huic illam existimat: ueluti tu nonnunquam atq; ego prudentiam, cum cæterarum rerum, tum uero literarum. Quid enim tam arduū, tam difficile, tam profundum, quod non consilij altitudine expediat, cōficiat, transigat? Tot summi pontificatus, quem propè lacerum ac naufragum acceperat, negocia, quibus distringitur, quorum pars quemlibet alium deprimeret, unus omnia curat, omnia suis humeris sustinet, unus omnia obit, & (quod magis nostram admirationem auget) nō fortiter modo, sed etiam libenter. Diuina nimirum est in eo ingenij celeritas, ac uis. Iam uerò de literis quoties nobiscum, aliòue quo erudito, post fluctus occupationum loquitur? Taceo qua pronuntiandi maiestate & gratia, quanta memoria, quanta rerum copia, quanta doctrinarum omniū peritia eluceat, uel humanarum, ut historicę, ut oratoriæ, ut grammaticę, ut philosophicę, ut poëticę, etiam metricę, uel diuinarum, ut theologię, ut omnis iuris, ut eius quam Gręci μεταφυσικὴν uocant. Nihil ita arduum, itaq; abditum, quod eum fallat: nihil ita tenue in literis exiguumq; (unde haud secus miror) quod eum fugiat: eoq; nun

quam minus loqui, magis attendere mihi libet, quàm quum ipsum audio. Pace tamen eius dictum sit, non minus ornat illam dignitatem, quàm ab illa ornetur. Nec ego minus ueneror eius uirtutes apud me, quàm datas à Deo Apostolicas claues, quum presertim scientia sacrarum literarũ clauis uocetur, ab eodẽ Deo tributa, quę aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit. Itaq; utraq; manu claues gestat, sapientię altera, altera potestatis. Quare (ut liberè q̃d sentio dicã) uel magis mihi lætandum atq; gloriandum erit, si à tam integro, tam sancto, tam sapienti uiro, quàm si à summo pontifice laudabor. Summi enim pontifices multi fuerunt, sed qualis hic, uix unus aut alter: quem absit ut emerendi fauoris gratia impensius laudauerim: quippe qui sciam & me improbaturos homines, si mentiar: & illum talem esse, qui nec seipsum ignoret, & testimonia suarum laudum malit in pectoribus esse, quàm in linguis. Neq; uelim te hanc ei epistolam ostendere. In qua etsi laudatur, id tamen non ideo fit, ut has laudes ipse, sed ut cæteri legant: & (quòd ad nos attinet) magna sanè honori tuo ac meo fiet accessio ex hac Nicolai pontificis commemoratione. Etenim si in arcubus triumphalibus, & columnis, cæterisq; id genus operibus in honorem aliquorum extructis, quò sint augustiora, cernimus interdum alicuius dei, aut deo similis imaginẽ superpositam: cur ipse non putem mihi faciundum, ut huic meæ columnę (nõ ausim dicere arcui) duodecim passus altæ, quam ego opifex tibi ob singularem eruditionem, summam beneuolentiam, maxima in me merita dicaui, imaginem Nicolai summi pontificis mea manu scalptam in culmine collocem, ut operis decori quædam etiã ex ipso præside maiestas accedat: ita & nostra in illũ reuerẽtia ac religio, et illius in nos fauor splẽdorq; constabit.

Vale.

# LAVRENTII VAL-
## LAE PATRITII ROMANI, ET DE lingua latina bene meriti, in sex Elegan- tiarũ libros elegans & docta admodũ pręfatio.

QVVM sępe mecum nostrorum maiorũ res gestas, aliorumq́; uel regum, uel populorum considero: uidentur mihi nõ modò ditionis nostri homines, uerumetiã lingue propagatione cęteris omnibus antecelluisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Gręcos, aliosq́; permultos longe, lateq́; rerũ potitos esse: quosdam etiã, ut aliquantò inferius quàm Romanorum fuit, ita multò diuturnius imperium tenuisse constat: nullos tamen ita linguã suam ampliasse, ut nostri fecerunt: qui (ut oram illam Italię, quę magna olim Gręcia dicebatur, ut Siciliam, quę Gręca etiam fuit, ut omnem Italiam taceam) per totum penè Occidentem, per Septentrionis, per Aphricæ non exiguam partem, breui spatio linguam Romanã (quę eadem Latina à Latio, ubi Roma est, dicitur) celebrem, & quasi reginã effecerũt, & quòd ad ipsas prouincias attinet) uelut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem præbuerunt: opus nimirum multò præclarius, multoq́; speciosius, quàm ipsum imperium propagasse. Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affici solent, atq; imperatores nominantur: qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ij non humana, sed diuina potius laude celebrantur. Quippe qui non suę tantum urbis amplitudini, ac glorię consulant, sed publicę quoq; hominũ utilitati, ac saluti. Itaq; nostri maiores rebus bellicis, pluribusq́; laudibus cæteros homines superarunt, linguæ uerò suę ampliatione seipsis superiores fuerunt, tanquam relicto in terris imperio, consortium deorum in cœlo consecuti. An uerò Ceres quòd frumenti, Liber quòd uini, Minerua, quòd olei inuentrix putatur, multiq́; alij ob aliquã huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt: linguam Latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem, & uere diuinã, nec corporis, sed animi cibum? Hæc enim gentes illas populosq́; omnes omnibus artibus, quæ liberales uocãtur, instituit: hęc optimas leges edocuit: hæc uiam ad omnem sapientiã muniuit, hæc deniq; præstitit, ne barbari amplius dici possent. Quare quis æquus rerum æstimator non eos præferat, qui sacra literarũ colentes, ijs, qui bella horrida gerentes clari fuerunt? Illos enim regios homines, hos uerò diuinos iustissimè dixeris, quibus nõ (quemadmodum ab hominibus fit) aucta respublica est, maiestasq́; populi Romani solum, sed (quemadmodũ à dijs) salus quoq; orbis terrarum: eò quidem magis, quòd qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere, & (quod acerbius est) libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuria. Ex sermone autẽ Latino non suum imminui, sed condiri quodammodo intelligebant: ut uinum posterius inuentum, aquę usum non excussit: nec sericum, lanam linumq́;: nec aurum, cætera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. Et sicut gemma aureo inclusa anulo, nõ dedecoramento est, sed ornamento: ita noster sermo accedens, aliorum sermoni uernaculo contulit splendorem, non sustulit. Neque enim armis, aut cruore, aut bellis dominatum adeptus est: sed beneficijs, amore, concordia. Cuius rei (quantum coniectura suspicari licet) hoc, ut ita loquar, seminarium fuit: primùm, quòd ipsi maiores incredibiliter se in omni studiorũ genere excolebant, ita, ut ne in re quidem militari aliquis, nisi idem in literis, præstans esse uideretur, quod erat cęteris ad æmulationem non

exiguum incitamentum: deinde, quòd ipsis literarum professoribus præmia egregia sanè proponebant: postremò, quòd hortabantur prouinciales omnes, ut quum Romæ, tum in prouincia Romanè loqui consuescerent. Ac (ne pluribus agam) de comparatione imperij, sermonisq; Romani, hoc satis est dixisse. Illud pridem, tanquam ingratum onus, gentes, nationesq; abiecerunt: hunc omni nectare suauiorem, omni serico splendidiorem, omni auro, gemmaq; preciosiorem putauerunt, & quasi Deum quendam è cœlo demissum, apud se retinuerunt. Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profectò numen, quod apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes, sanctè ac religiosè per tot secula custoditur, ut non tam dolendum nobis Romanis, quàm gaudendum sit, atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum, tametsi non nostra, sed temporum culpa: ueruntamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multæq; aliæ nationes. Ibi namque Romanum imperium est, ubicunque Romana lingua dominatur, Eant igitur nunc Græci, & linguarum copia se iactent. Plus nostra una efficit, & quidē inops (ut ipsi uolunt) quàm illorum quinque (si eis credimus) locupletissimæ. & multarū gentiū uelut una lex, una est lingua Romana: unius Græciæ (quod pudendum est) non una, sed multæ sunt tanquam in Republica factiones. Atq; exteri nobiscum in loquendo consentiunt, Græci inter se consentire non possunt, nedum alios ad sermonem suum se perducturos sperent. Variè apud eos loquuntur autores, Atticè, Aeolicè, Ionicè, Doricè, κοινῶς: apud nos, id est, apud multas nationes, nemo nisi Romanè, in qua lingua disciplinæ cunctæ libero homine dignæ continentur sicut in sua multiplici apud Græcos: qua uigente quis ignorat studia omnia, disciplinasq; uigere, occidente occidere? Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi Iureconsulti, summi denique scriptores? nempe ij, qui bene loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere uolentem, impedit dolor, & exulcerat, lachrymariq; cogit intuentem quo ex statu, & in quem facultas ista reciderit. Nam quis literarum, quis publici boni amator à lachrymis temperet, cum uideat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta à Gallis? omnia euersa, incensa, diruta, ut uix Capitolina supersit arx. Siquidem multis iam seculis non modo Latinè nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit: non philosophiæ studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei Iureconsultos, non cæteri lectores ueterum libros perceptos habuerunt, aut habent: quasi amisso Romano imperio, non deceat Romanè aut loqui, aut sapere, fulgorem illum Latinitatis situ, ac rubigine passi obsolescere. Et multę quidem sunt prudentium hominum, uariæq; sententię, unde hoc rei acciderit, quarum ipse nullam nec improbo, nec probo, nihil sanè pronunciare ausus: non magis quàm cur illæ artes, quę proximè ad liberales accedunt, pingendi, scalpendi, fingendi, architectandi, aut tandiu tantoq; opere degenerauerint, ac penè cum literis ipsis demortuæ fuerint, aut hoc tempore excitentur, ac reuiuiscant: tantusq; tum bonorum opificum, tum bene literatorum prouentus efflorescat. Verum enimuero quò magis superiora tempora infelicia fuere, quibus homo nemo inuentus est eruditus, eò plus his nostris gratulandum est, in quibus (si paulò amplius adnitamur) confido propediem linguā Romanam uirere plus, quàm urbem, & cum ea disciplinas omneis iri restitutum. Quare pro mea in patriam pietate, imò adeò in omneis homines, & pro rei magnitudine cunctos facundię studiosos, uelut ex superiore loco libet adhortari, euocareq;, & illis (ut aiunt) bellicum canere. Quousque tandem Qui-

rites(literatos appello,& Romanæ linguę cultores, qui & uere, & soli Quirites sunt, cæteri enim potius inquilini)quousq; inquam Quirites urbem uestrã, non dico domicilium imperij, sed parentem literarum à Gallis esse captam patiemini,id est,Latinitatem à barbaris oppressam? Quousq; prophanata omnia duris, & penè impijs oculis aspicietis? An dum fundamentorũ reliquiæ uix appareãt? Alius uestrum scribit historias, istud est Veios habitare. Alius Gręca transfert, istud est Ardeę cõsidere. Alius orationes,alius poëmata componit, istud est Capitolium,arcemq́; defendere. Præclara quidẽ res,& non mediocri laude digna: sed non hoc hostes expellit,non patriam liberat. Camillus nobis, Camillus imitandus est,qui signa (ut inquit Vergilius) in patriam referat,eamq́; restituat:cuius uirtus adeò cęteris præstantior fuit, ut illi qui uel in Capitolio,uel Ardeę,uel Veijs erãt,sine hoc salui esse non possent. Quod hoc quoq; tempore cõtinget, & cæteri scriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid cõposuerint,non parum adiuuabuntur. Equidem (quod ad me attinet)hunc imitabor,hoc mihi proponam exemplum,comparabo(quantulumcũq; uires meæ ferent)exercitũ, quem in hostes quàm primum educam,ibo in aciem,ibo primus,ut uobis animum faciam. Certemus,quæso,honestissimũ hoc pulcherrimumq́; certamen:non modo ut patriam ab hostibus recipiamus,uerumetiam ut in ea recipienda qui maxime Camillum imitabitur,quis appareat. Difficillimum quidem præstare,quod ille præstitit,omniũ imperatorem mea sententia maximus, riteq́; secundus à Romulo conditor urbis appellatus. Ideoq́; plures pro se quisq;,in hanc rem elaboremus,ut saltem multi faciamus,quod unus effecit. Is tamen iure,uereq́; Camillus dici,existimariq́; debebit,qui optimã in hac re operam nauauerit. De me tantum affirmare possum,non quòd sperarem tantæ me rei satisfacturum, difficillimam sumpsisse laboris partem, durissimamq́; prouinciã, sed ut redderem alios ad cætera prosequenda alacriores. Hi enim libri nihil ferè quod ab alijs autoribus (ijs duntaxat qui extant)traditum est,continebunt. Atque hinc principium nostrum auspicemur.

### *De nominibus quorum ablatiui plurales exeunt in abus.* Cap. I.

DEus dea deabus dicimus,diuus diua diuabus nõ dicimus. Item in quibusdam alijs:ut,filius filia filiabus, non priuignus priuigna priuignabus:natus nata natabus,nõ genitus genita genitabus:equus equa equabus, mulus mula mulabus,non asinus asina asinabus,nec iuuencus iuuenca iuuencabus,nec cętera similia,non ceruus cerua ceruabus,nõ lupus lupa lupabus. Item,ut dicimus libertus liberta libertabus,ita non dicimus libertinus libertina libertinabus,non patronus patrona patronabus,non concubinus concubina concubinabus,non pedissequus pedissequa pedissequabus, non seruus serua seruabus,nõ famulus famula famulabus,non dominus domina dominabus,nõ animus anima animabus. Tametsi quidam his posterioribus utuntur. Cicero tamen ad uxorem & filiam scribens,duabus animis suis dixit, non animabus. Et Curtius de matre,& uxore Darij,dominis non dominabus dixit. Quòd si qui per licentiam aliter loquũtur, non est mirandũ:cum quidam ueteres dixerint dextrabus,pro dextris, & eabus pro eis. Sed ego de usu loquendi disputo,non de abusu.

### *De uerbalibus exeuntibus in atio.* Cap. II.

NOmina quæ ueniũt à uerbis primæ coniugationis,positionem supini habentibus in itum,uel in ctum,præter cęterorum uerborũ legem exeunt in atio,& nõ in itio,uel in ctio:ut,Veto uetui uetitũ,inde uetatio,non uetitio. Pręsto præstiti præstitũ,præstatio,non præstitio, Cubo cubui cubitum,cubatio,non

cubitio, Domo domitũ domatio, nõ domitio, Sono sonitũ sonatio, nõ sonitio, Crepo crepitũ crepatio, non crepitio, Tono tonitũ tonatio, non tonitio, licet dicamus sonitus, crepitus, tonitus, non sonatus, crepatus, tonatus. Frico frictũ fricatio, non frictio, & ita in cæteris. Sectio tamen crebrius reperitur quàm secatio. Horum participia dissimilia sunt. Nam ea quæ sunt prҫteriti temporis, exeũt in itus, quæ uero futuri, in aturus: uetitus uetaturus, prҫstitus prҫstaturus. Vnde Lucanus: Constatura fides superûm. Domitus domaturus, & ita in cæteris. Lauo & Poto non habẽt supina, neq; in atum, neq; in itum, neq; in ctum, sed in otum: Ideoq; formant nomina sua lotio, & potio: inde sunt lotor, & potor uerbalia nomina, & lotium pro urina, prima tamen breui non longa. Aliquando reperitur lauatum & potatum, inde sunt lauatio, & potatio, lauatorq; & potator. Iuuo, iuui, iutum nec in hunc, nec in illum modum format suum deriuatiuum. Cæterum ex alio supino iuuatum facit iuuatio, ab illo fit iutor, seu potius adiutor. Ex cæteris autem pauca sunt nomina uerbalia in or, ut domitor, nõ domator, & Sector, qui significat eum accusatorem, qui ex damnatione accusati dimidiũ bonorum expectat illius, aut certe aliquam partem.

lauatum reperitur

### *De hoc nomine Ludicrum.* Cap. III.

LVdicra (inquit Priscian.) & nõ ludicria, ab hoc ludicri dicimus. Verg. in 12. Neque enim leuia, aut ludicra petuntur Præmia. Per quod uult Ludicra tertiæ declinationis, cum contra notum sit secundҫ esse, ut in lege illa frequenter repetita: Qui artem ludicram exercuerit, in quatuordecim ordinibus primis ne sedeat. Ars ludicra, est ars histrionica & scenica, & (ut sentio) quicquid nomine ludicri intelligitur. Nam ludicrum, quod est substantiuum, non modo ludus histrionicus est, & scenicus, sed quodcunque lusorium opus ac ioculare, etiam ludi publici.

### *De hoc nomine Ficus.* Cap. IIII.

ficus

FIcus (idem inquit) etiam uitium corporis quartæ est. Martialis primo epigrammatum:

Cum dixi ficus, rides quasi barbara uerba,
  Et dici ficos Cҫciliane iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
  Dicemus ficus Cæciliane tuos.

Ex quo ostendit & uitium, & fructum quartæ esse declinationis, genere autem differre. Ego uero reperio ancipitem apud Martialem scripturam, & frequẽtius sic, ut & ipse puto scribendum:

Cum dixi ficos, rides quasi barbara uerba,
  Et dici ficus Cæciliane iubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
  Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Ante omnia, cur ille risisset Martialem, quòd diceret ficus? An non reperitur ficus, saltem pro arbore, atq; etiam pro fructu in numero singulari? Non hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quòd genere abuteretur? ne hoc quidem. Quippe cum dico ficus, quo genere utar, nemo intelligit. Certe ridebat, quòd alia declinatione uteretur, quàm ea qua debebat, ut ex secundo uersu, in quo mutata est declinatio, apparet. Quòd si igitur Cæcilianus de declinatione agebat, nõ de genere, debuerat Martialis ad declinationem, non ad genus respondere, ut est putandum: atq; adeò necesse est eum respondisse. Siquidem (ut ostendi) ille reprehẽderat, quòd hic ficos diceret, non ficus. Quæ reprehensio si uera est, ut Prisciano uidetur, qui uult ficus magis esse quartæ, quæ tãdem modestia poëtæ fuisset, eum qui recte admoneat, tam execrabili, etiam uero crimine incessere? ergo con

iunxit

iunxit accusationē imperitiæ cum accusatione flagitij per iocum, & dicacitatē, ut moris sui est, quòd ille adeò stolidus nō solum nequam esset, ut negaret ficos reperiri, quos secum semper, & quidem cum dolore gestaret, quod minime mirum est reperiri, quū pro fructu, ad cuius similitudinem morbus appellatus est, in secūda declinatione & (ut opinor) in genere masculino non modo apud poëtas, sed apud oratores quoqꝫ probatissimos reperiatur, ut Horatius:
Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.
Et Plin. ad Octauiū Ruffum: Quę nunc cum ficis, & boletis certamen nondum habent. Et Cicero de Senect. Ex tantulo grano fici. Quidam grammaticorū recentiū, id est, imperitorū, aiunt, pro fructu quartæ, pro arbore secundæ esse declinationis, quū pro arbore sit sæpius quartæ, ut idē de Oratore: Vxorē suā suspendisse se de ficu. Secundæ autem apud Iuuenalem: Ad quæ
Discutienda ualent sterilis mala robora fici.
Macrobius & ipse in secunda declinatione semper ferè utitur, & plurimos ueterum ostendit usos. Priscianus uero uult pro fructu, & morbo quartę esse, & hoc autoritate Martial. Neqꝫ ego inficior ultimū illū uersum posse sic legi, ut recitat Priscian. Sed id ioco magis, ꝙ serio à poëta accipimus esse dictū: neqꝫ enim seipsum, quòd ficos dixisset, sed illius & nequitiā & imperitiā reprehēdere uoluit: non ignorās ficos & Latinè, & usitate dici. Nec uero Prisciano faciendū fuit, ut unū Martialē sequeretur, & Cęcilianū nescio quē, ut flagitiosum hominē, sic ineruditum in eo præsertim loco, ubi iocabatur poëta, nec suam sententiam aperiebat, & tacitè negabat, quod affirmare uidebatur. Nam nequaquā dixisset ficus quartæ esse declinationis, & generis masculini, quod inauditū est: nec differentiam posuisset generis inter morbū & fructum, quū hoc ab illo dicatur. Quidam ecclesiastici aiunt pro arbore ficulnea, ut ibi. Respicite ficulneā, & cæteras arbores: quod nusquam alibi (si memoria non excidit) mihi repertum est. Sed adiectiuum ficulnus, a, um, pro materiato ex illa arbore, ut à populus populnus, & à corylus colurnus, & ab abies abiegnus, ab ilice ilignus dicitur.

*ficus pro arbore secundæ et quartæ decl. reperitur tandem fœmin.*

*Sui: fo:*

### *De nominibus diminutiuis.* *Cap.* V.

NOmina diminutiua exeuntia in talem uocem, qualis est pisciculos, si ritè formentur, uera sunt diminutiua: ut Pisciculus, Vermiculus, Passerculus, Fraterculus, Securicula, Lucubratiuncula, Virguncula, Sororcula, Munusculum, Corpusculū, Mendaciunculum, Plusculū: Sin minus rite formentur, diminutiua non sunt, Auunculus, Cuniculus, Musculus, quando non est paruus mus, Pediculus, uel (ut alij uolunt) pedunculus: & penultima longa cuculus. Cicercula nomen leguminis. Nouacula culter rasorius. Lenticula uasculi genus: alia masculina, aut fœmina non occurrūt. Seruius tamen super Donatū ait acus acicula. Acus enim dicitur, qua uestes farciuntur: Acicula qua mulieres utuntur ad ornamentū capitis. Adiectiua tria. Anniculus, Ridiculus, Vernaculus: anniculus puer, annicula puella, anniculū iumentū, hoc est, unius anni: sicut Bimus, a, um, id est, duorū annorū. Trimus trima trimū, id est, trium annorum. Quadrimus quadrima quadrimū, id est, quatuor annorū, & nō amplius: nec de animalibus modo, sed de inanimatis: ut anniculū uinū, bimū oleum. De pueris tamē magis loquimur per diminutionē, bimulus, trimulus, quadrimulus, quia intra hos annos adhuc parui sunt. Similiter de his, in quibus hæc ratio habet locū: ut, anniculus equus, bimus aries, trimus porcus, quadrimū uinum, bimulus puer, trimula puella. Dissimiliter in quibus hæc ratio locū nō habet. Ridiculus homo, ridicula res, ridiculū caput, id est, deridendū. Est etiā sæpe neutrum, significatqꝫ plerunqꝫ sermonē risus potius, quam derisus excitantē. Vernaculus, uernacula, uernaculum, quod est domi nostrę, uel in nostra patria natum, ut lingua uernacula,

capella. Puer, puera, puella. Liber, libera, libella. licet multo aliud libra, quàm liber significet. Hęc diminutiua in ellus et ella exeunt. Sunt quędā in illus, illa. Inter ea autē priora Priscianus ponit Ala, uultq; facere diminutiuū ascella. Cic. tamen inter posteriora: duo enim masculina, totidēq; fœminina donat hoc genere terminationis. Palus paxillus. Talus, taxillus. Mala, maxilla. Ala, axilla. Sunt tamen alia in hanc uocem exeuntia.

Illa quoq; diminutiua, quæ finiunt in aster, imitationē potius quàm diminutionē significant: neq; enim ea ratione dicitur Oleaster, Pinaster, Apiastrum, Mentastrū, Siliquastrū, quòd sit parua olea, parua pinus, paruū apiū, parua menta, parua siliqua, sed quòd syluestria, oleam, pinū, apium, mentā, siliquam imitantia: & quo quidā utuntur filiaster pro priuigno, nō paruus filius est, sed imitans filiū, & parasitaster nō paruus parasitus. Aliter enim nō diceretur à comico, parasitaster paruulus, sed imitator parasitorū: ut apud M. Tulliū pro Vareno: Erucius hic noster Antoniaster est. Et ad Atticū lib. XII. Omnino solet esse Fuluiaster, id est, Antonij, Fuluijq; imitator. Et hinc Augustinus appellat philosophastrū, nō (ut puto) paruū philosophū, sed imitatorē philosophorū, nisi dicas imitationē esse diminutionē quandā perfectionis. Tamen aliud est esse diminutiua, aliud imitatiua. Nec quispiā dixerit oleastrum esse minutam oleā, & pinastrū esse minutā pinū, quam Plin. ait esse miræ altitudinis: &, ut quidā nunc solent pusillos homines appellare, Antoniaster, Luciaster, Paulaster, secuti Priscianum, qui præter superiora, hæc addit, esse eiusmodi diminutiua adulationis & maximè puerorū, ut Catulaster, Antoniaster, Patritiolus, Sergiolus. Sed hęc posteriora sunt uere diminutiua, illa (ut ostendi) nō uera, ideoq; nec adulationis, quāquàm omnia diminutiua (nō minus quàm hæc in olus) sunt apta adulationi, & sępe etiam cōtemptui, ut homunculus, homulus, argutulus: sed ad rem reuertamur. Pullastra apud Varronē, quę est parua, adolescensq; gallina, quod nec ipsum diminutionē significat. Nam maiuscula potius pulla, quàm minuscula est, etiam si minor gallina est, non gallinastra dicitur, sed pullastra. Duo tamen nomina sunt, quæ diminutionis regulam seruant, surdaster & recaluaster: quorum alterum significat diminutionem surditatis. Non est planè surdus surdaster, sed (ut sic dicam) surdulus: & Recaluaster, qui fronte caluus est, non toto capite, quasi recaluaculus, quod est diminutiuum, in quem modum nequeunt resolui nomina illa, de quibus suprà disputauimus. Ex his autem quæ retuli exemplis, liquet non modò in aster finiri hæc nomina, sed etiam in astra fœminini generis, ut pullastra, filiastra apud quosdam pro priuigna: siliquastra pro piperite, quod non uideo quid ex siliqua imitetur: & in astrum neutri, ut apiastrum, siliquastrum à siliqua arbore ferente fructum sui nominis, quod Græci κεράτιον uocant: significat etiam siliqua folliculum, ubi grana leguminum includuntur, & si quid leguminibus est simile, ferèq; hæc nomina arborū, herbarumq; diuersum genus habent in primitiuis, à diminutiuis, uel deriuatiuis.

*De nominibus exeuntibus in rius uel rium.* Cap. VI.

TAbularium locus ubi tabulę, id est, instrumenta, & literę reponuntur. Sacrariū repositorium sacrorum. Aerarium repositorium æris, id est, nummorum similiumq; rerum pretiosarum, atq; opum. Armarium ubi reponuntur libri, cæteraq; huiusmodi. Armamentarium ubi reponuntur armamēta & arma. Atramentarium uasculum quod continet atramentum. Calamarium quidam usurpant pro theca calamaria, ubi calami reconduntur: sed quia hoc tempore plerique penna scribunt, potest etiam dici pennarium, nisi malumus appellare thecam pennariam, thecam calamariam, & thecam graphiariam. Penarium ubi reponitur penus, hoc est, edulia & ad uictum pertinentia. Viuarium

ubi continentur uel aues, uel pisces, uel feræ, quæ duntaxat ad uictum spectant. Pomarium, locus pomorum reponendorum, uel locus consitus pomis, ut Ouidius: Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas mœnibus. Quidam hoc pomœrium uocant. Titus autem Liuius pomœrium ait esse locum ad muros intra & extrà, ubi ędificare non licet, quasi post mœnia, ut dicimus pomeridianū, pro eo quod est postmeridianū, unde Lucanus: Longa per extremos pomœria iungere fines. Pomarium igitur aut locus frequens arboribus pomi, siue fructuum pomi repositoriū, aut copia ipsa arborū pomiferarū. Nam horū nominū natura est, significare uel locū ubi illa sunt, uel ipsarū rerum quæ in loco sunt copiā, ut aluearīū, tametsi potest dici locus, ubi sunt aluei apū: tamen potius accipitur pro copia alueorum eodem in loco collocatorum, uel apū mellificantiū. Et rosariū magis copiam fruticum uno loco rosas gignentium, quàm ipsum locum ubi hi frutices sunt, significat: quem locū ne Rosetum quidē appellare possis, cum idē significet quod rosarium, nisi per contentū significetur continens. Plantarium, nō locus plantarū, sed ipsæ plantę, etiāsi euulsæ, aut nō consitę fuerint. Nec me fallit Seruiū separere plantaria à plātis, dicentē: Plantę sunt raptæ de arboribus, plantaria uero quæ ex seminibus nata cū radicibus de terra propria transferuntur: ad quod sentiendum uidetur allexisse eum Verg. uersus: Et uiuā sua plantaria terra. Seminarium non locus, sed semen ipsum, id est, plantulę. Pampinariū nō terra, ubi nascuntur pampini, sed congeries pampinorū, id est, uirentiū ramusculorū uitis: uel (ut ait Plin.) palmes qui è duro exit, materiāq; in proximū annum promittit, pampinarium uocatur, certe in hoc palmite multi sunt pampini. Calcearium, Vestiariumq; pro calceis & uestibus, ut cibaria pro cibis. Fustuariū pro fustigatione. Carnariū nō locus, ubi caro salsa suspenditur, sed caro ipsa, nisi contentū pro continente accipiatur. Donaria nō locus repositorius donorū, sed ipsa dona: licet Seruius dicat, ubi dona oblata sunt, sicut lectisternia dicunt, ubi homines sedere in templo cōsueuerunt. Ita in cęteris adhibenda est in similiū nominū significatione accuratio: & hæc de neutris. Nam masculina, fœminina, et cōmunia, officia hominū, qualitatemq; significāt. Caprarius, saltuarius, camparius, horrearius, classiarius: custos, exercitorue caprarū, saltus, cāpi horrei, classis. Sagarius, lintearius, uestiarius: uenditor sagorū, linteorū, uestiū. Proprietarius, Fructuarius, Vsuarius: cuius est proprietas prædij, cuius fructus, cuius usus: quæ omnia significant actionem, possessionemq;, numero quidem incomprehensibilia. Pauca autem quæ passiuè accipiuntur. Legatarius, Commodatarius, Depositarius, Beneficiarius, Fideicommissarius: qui legatum, commodatum, depositum, beneficium, fideicommissum accepit, & si qua sunt alia. Ex huiusmodi nominibus fiunt etiam nomina quędam rerū, calcaria, sulphuraria, ubi calx coquitur, & sulphur fit. Atq; hęc à nominibus ferè proficiscunt, illa uerò magis à uerbis, uel à uerbalib. in or. Et sunt adiectiua in orius, oria, orium actionem significantia, accusatorius, petitorius, defensorius, fideiussorius, institutorius, exercitorius, tributorius. Nam tributarius uenit à tributum, Tributorius à tributor, sicut depositarius à depositū, Depositorius à depositor. Significat itaq; Tributarius, qui soluendo tributo obnoxius est, ut Stipendiarius q soluēdo stipēdio, et Depositarius q reddēdo deposito, ut Munerarius, qui dat munera populo gladiatorib. in arena exhibēdis. Ideoq; uas escariū dicimus, et uas potoriū, quia hoc à nomine uerbali uenit, illud nō uenit. Prętor, senator, holitor, lictor, nō opinor descēdere à uerbis, sed quia uocē uerbalē obtinēt, sicut censor et quęstor, sic formauerūt sua denominatiua, prętorius, senatorius, holitorius, lictorius, censorius, & quæstorius. Holitor autem, est qui hortum holerum exercet, quem nonnulli hortulanum uocant. Est et holus unaquæque herba.

herba, qua uescimur. Nam sunt & horti nõ holerũ, sed arboribus cõsiti, & uoluptatis gratia comparati, ut horti Sallustiani, Pompeiani, Luculliani, Claudiani. Lictor minister consulis, pro consulis, præsidis, prætoris, qui fascem uirgarum alligatum cum securi portat: suntq; lictores consulis duodeni, aliorum seni. His addere possumus aleator, quod uidetur descendere à uerbo, quod nusquam reperitur. Non enim aleare dicimus, sed alea ludere.

Neutra autem in orium, locum plerunque significant, ubi aliquid fit, ut deambulatorium, locus ubi deambulamus: Dormitorium, locus ubi dormimus: Repositorium, ubi reponitur aliquid: Tentorium, locus ubi tendimus uela, aut si quid instar uelorum habet, uel potius ipsa uela, siue uelamenta contra iniuriam cœli: Auditorium, locus ubi audimus præceptorem aut orantem non in uera causa, aut opus nouum recitantem, aut si quid simile est, uel ipsa turba, atque ipse cœtus auditorum. Tectorium illinimentum est, & quasi pauimentum parietis, atque incrustatio. Amatorium genus ueneni amorem uel insaniam ingerentis. Portorium uectigal portus, uel fluminum, uel lacuum, uel stagnorum. Nam & Portitor ille dicitur, qui traducit homines, ac uehit nauigio, uel ad nauem de littore, uel de naui ad littus, uel ad ulteriorem fluminis, lacus, stagni'ue, seu ripam, seu littus, licet frequentius dicatur littus. Potest etiam accipi pro eo, qui portorium conduxit, id est, qui fructus pecuniarios ex portu conduxit, & à uenientibus illos exigit: quæ ratio in cæteris huiusmodi discernenda est. Hoc etiam loco addam, quod quum dicamus dumetum, spinetum, uepretum, similiaq; : tamen dicimus senticetum, non sentetum.

### *De euentu, iussu, permissu, iugero.*
### *Cap.* VII.

Euentus in singulari generis masculini, & declinationis quartæ est, cuius plurali M. Tullius sæpissime in neutro genere, & declinatione secunda utitur, ut de oratore: Ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis. Idem de diuinatione: Si euenta quærimus, quæ exquiruntur auibus. Et ad Lucceium: Fabulam rerum euentorumq; meorum. Et ad Atticum: Semper enim causæ euentorum magis mouent, quàm ipsa euenta. Quidam planè imperiti euentum aiunt significare principium, ut apud Ouidium:

Exitus acta probat, careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Illud enim, exitus acta probat, uox est accusantiũ Phyllidem argumento, quod dicitur à casu, eosq; Phyllis ipsa execratur, dicens: Careat successibus opto, quisquis à casu, & non à causis alium laudat, aut uituperat. Similia sunt huic iussu, & permissu tuo, quorũ pluralia sunt potius secundæ declinationis, in singulari ferè nunquàm. Neq; enim dicere solemus iussu tuo, sed iussu: non permisso tuo, sed permissu. Horatius tamen, utar permisso, id est, re permissa, non autem permissione, nec dixisset permisso tuo, nec iussibus, permissibusq; tuis, sed iussis permissisq; tuis: nec iussus permissusq; tuos, sed iussa permissaq; tua. Verg. Accipe iussis Carmina cœpta tuis, Et iterum: Ille patris iussa exequitur. Et alibi: Hic haud mollia iussa. E diuerso iugerũ in singulari secundę, & in plurali tertiæ declinationis. Non autẽ (ut ait Priscianus iuger iugeris, cum omnes dicant in singulari iugerum, & in plurali iugeribus, significat autem mensuram ducentorum xl. pedum in longitudinem, dimidij in latitudinẽ, uel (ut aliqui uolunt) quantum par boũ una die arat: quæ duæ significationes in idem recidunt: tantum ferè solet una die par boum arare, quantum dixi.

## De nominibus adiectiuis in tilis, silis, & xilis. Cap. VIII.

NOmina quæ exeunt in tilis, uel in silis, uel in xilis similimam suis participijs unde nascuntur, significationem habent. Vas fictile quod fictum est à figulo, non quod fingi potest. Coctiles lateres qui cocti sunt, & non crudi. Rasiles calathi, quasi rasi: nihil extantis, aut redundantis plenitudinis. Verg. tamē, Et torno rasile buxū, quasi rasibile. Pensilis uua, pensilis lectus, pensiles lychni, pensiles balneę, pensiles horti, quòd suspēsi sunt, et in aëre pendētes. Flexilis ramus, flexiles uites, quòd flexę sunt et lapsu erratico torquent. Tortilis ansa, q̄d retorta, & replicata est. Tornatile poculū, quod tornatū est, & torno factū. Textilis uestis, quæ detexta est. Sutilis baltheus, sutilis cymba, quòd cōsuta est. Sculptile simulachrū, quod sculptū est. Altilis auis, altilis quadrupes, altilis piscis, q̄ sagina altus siue alitus est, atq; saginatus. Structilis basis, structiles colūnę, quæ nō sunt ex uno lapide sed multis. Apertile latus, q̄d apertū est, ut Ouid. de Trist. Aspicis à dextra latus hoc adapertile tauri.
Tinctile uirus, quod tinctū est, aut intinctū spiculo sagittę, ut apud eundē & in eodē opere: Et tinctile uirus. Tonsile buxetū, et tōsiles oleas legimus, quod tonsæ sunt, & in orbē ac comā putatę. Et hęc nomina in participiū passiuum resoluuntur, quę passiuū habent, quæ uerò passiuo carent, in pręsentis participium, qualia sunt neutra, ut anima uolatilis, quasi uolans: & quidā uolatilia uolucres uocāt, quia uolant, ut altilia animalia, quę aluntur. Sessiles lactucę, quasi sedentes, quod licet à participio nō ueniat, tamen eiusdē naturę est, cū in significatione cōsentiat, & à supino nascatur. Vmbratilis uidetur cōuenire cū cæteris, quasi umbratus, ut uita umbratilis, & res umbratiles, id est, uita umbra & opaco marcescens, & res per inuolucra et inanitatē, qualis umbra est, ductę, umbratiles appellantur. Versatilis quoq; scena uidetur significare, quòd uersatur huc & illuc, nō quòd uersata est: & axis uersatilis, & gladius angeli uersatilis, quòd uersat. Quidam autem uersilis scena & ductilis, uersilis quidem, quòd quū tota machinis quibusdam conuertebatur, aliā picturę faciē ostenderet. Ductilis uerò quū tractis tabulatis hac, atq; illac species picturę nudabatur interior. Plicatilis crista upupę, quòd plicat, nō quòd plicata est: & nauis plicatilis, quę plicatur, quū facta est ex corijs. Fissilis arbor, fissile lignū, fissile robur, tum quasi fissum cuneis, tū quia finditur, quasi fissibile, ut Plin. lib. 16. Hęc maximè fissilia, alia frangi celeriora quàm findi. Idē paulò pòst: Nullisq; fissile rimis hoc lignū, id est fissum. Solutilis etiam nauis dicitur (qualis nauis in qua Agrippina à Nerone filio per insidias posita, naufragium fecit) quasi solubilis, quę facile solui posset. Ego uerò malim solutilem dicere solutam, & non fideliter consutam. Et sectile porrum legimus, non tam sectibile (quid enim non est sectibile?) quàm sectum, & sua sponte concisum. Futilis uanus uel inutilis, uel à futio futis, unde effutio effutis, uel à fuo futum, uel per apocopen ab alio supino, quod ab alijs diuinari malo, quàm à me proferri. Aquatilis à nomine uel à uerbo, animal in aqua degens. Saxatilis incola saxorum. Piscis fluuiatilis incola fluuij, nō maris aliarum'ue aquarum piscis. Pluuiatilis aqua à pluo, uel magis à pluuia.

## De adiectiuis in bundus. Cap. IX.

PRiscianus lib. 4. inquit, in bundus desinentia similitudinem habere significāt, ut Vitabundus, similis uitanti, Prædabundus similis prædāti, Moribundus similis moriēti, Errabundus similis errāti, Furibūdus similis furēti. Et paulò pòst, Excipitur alternitatis causa rubicūdus, quod in penultima syllaba pro b, c, habuit, ne sit absonū, si rubibundus dicamus, sed uideamus, an Priscianus rectè sentiat: neq; à me primū hæc quęstio mouetur, sed olim ab Aulo Gellio, atq;

ante hunc à Terentio Scauro Adriani tẽporibus (ut idem Aul. Gell. ait) grammatico uel nobilissimo contra Cesellium in cõmentario lectionum antiquarũ ita scribentem: Ludibundus, errabundus, ridibundus, idem est, quod ludens, errans, ridens. Quod Scaurus reprehendit, dicens Ludibundũ esse, qui ludentẽ, errabundũ, ridibundumq́, qui errantẽ ridentemq́ agit, ac simulat. hoc Aul. Gel. confutat, atq; ita cum Cesellio sentit, ut nõ simulationem per hęc nomina, sed è contrario uehementiã intelligi uelit, his quidẽ uerbis: Sed qua ratione Scaurus adductus sit, ut Ceselliũ in eo reprehẽderet, nõ hercle reperiebamus. Nõ est ẽm dubiũ, quin hæc genere ipso duntaxat idem significent, quòd ea demonstrant, à quibus producuntur. Quid esset autẽ ludentẽ agere, uel imitari? & paulò pòst: Cum reprehensionẽ autem illam Scauri notaremus, in memoriam nobis rediit, quòd Sisenna in quarto historiarum eiusdem figuræ uerbo ita usus est: Populabundus, inquit, agros ad oppidum peruenit. Quod scilicet significat cum agros popularetur, non ut Scaurus in consimilibus uerbis ait, quum populantem ageret, uel cũ imitaretur. Poterat tamen A. Gellius magis propriũ producere exemplum, quale apud Sallustium in Iugurthino. Ipse quasi uitabundus per saltuosa loca & tramites exercitum ductare. Si huiusmodi nomina in bundus significarent similitudinem, quid ita adderet quasi, quod similitudinem imaginemq́ significat? Pergit idẽ A. Gellius dicens: Sed inquirentibus nobis, quęnam ratio, & origo esset huiuscemodi figurę populabundus, & errabundus, multorumq́ aliorũ id genus uerborũ, ἐπιβολως hercle, Apollinaris noster sibi uideri ait, particulam istam postremã, in quam uerba talia exeunt, uim, & cǫpiã, & quasi abundantiã rei, cuius id uerbũ esset, demonstrare: ut lætabundus is dicatur, qui abunde lætus sit, & errabundus, qui longo atq; abundanti errore sit. Cæteraq́ omnia ex ea figura ita dici ostendit, ut productio hęc & extremitas, largam & fluentem uim, & copiam declaret. hæc Aul. Gellius: à quo miror, cur desciuerit Priscianus, & uni Scauro potius, quàm his duobus tribus'ue astipuletur. An quia grammaticus Scaurus, & Prisciano similitudine professionis cõiunctus, Cesellius uerò iurisconsultus, & Aul. Gellius orator, Apollinarisq́ philosophus? puto potius Seruium secutũ, quanquàm ab eo libenter dissentire solet. Ait enim ille tum alibi, tum decimo Aeneidos, moribunda morienti similis. Quod ita esse Sallustius ostendit, qui ait: Quasi uitabundus per tramites & saltuosa loca exercitum ductare. Nullum exemplum Seruius magis contra se proferre potuit, ut modò ostendi. Audi quam subiungit rationem. Nam Iugurtha non uitabat legatum, sed eum uitare simulabat. Ita exposuit, quasi uoluerit uitabundum dici à simulatione, & non à similitudine: non simulabat uitationem legati sed timorem. Præterea si qua foret similitudo, ea similitudo atque simulatio intelligitur per illud quasi, non per illud uitabundus: addit adhuc rationem. Nam quia nomen est, ideo significat similitudinem non passionem, & alia deinceps, ubi nullum robur rationis est. Sed præter rationes illorum, ipse quoq; Priscianus imprudens confessus est, quod negabat. Quæro enim nunquid homo rubicundus (quod ille simile facit cæteris in bundus) similis rubenti est, an uere rubens? profectò uere rubens: ergo idem erit rubicundus & rubens: quæ sententia Cesellij est, quę & breuior est, nec minus fortasse uera quàm illa, siue Aulij Gellij, siue Apollinaris, quum frequentissime sic accipiantur, populabundus populans, errabundus errans. Sed nonnunquam (ut Gellius ait) uehementiam significant, quæ ut breuiter & ipse complectar, idem significant quod participia frequentatiuorum, lusitans, risitans, erratitans, lectitans, populitans, si reperiremus quod quum non sit, ad hęc (ut reor) in bundus terminata decurrimus.

Gel. li. 11. ca. 15.

De

## De nominibus in icus.

### Cap. X.

Magnificus, honorificus, munificus non ex se gignunt comparatiuos, superlatiuosq́, sed ex alijs quæ in usu non sunt, ac ne possunt quidem esse, magnificens, honorificens, munificens. Non enim dicimus magnificior, honorificior, munificior: sed magnificentior, honorificentior, munificentior, & in superlatiuo magnificētissimus, honorificentissimus, munificentissimus. Mirificus tamen etiā mirificissimus facit, ut Terent. Atqui mirificissimū: patruus tuus pater inuentus est. Et M. Cato, teste Prisciano, contra Thermum de Ptolemæo rege optimo atq; beneficissimo: & Accius in secundo didascalicon: Atq; magnificissimo, excellentissimoq́; honore. Omnia ergo à facio sic cōposita & terminata, hanc regulā sequuntur: mirificus, maleficus, beneficus, ueneficus, uulnificus, tabificus, luctificus, pacificus, morbificus, sacrificus, & si qua sunt alia, quæ omnia ascititiū comparatiuū, superlatiuumq́; habent, aliquando etiā suum. Suntne alia nomina & eiusdem naturæ? certe sunt, ea, quæ formantur à dico & à loquor, ut maledicus, maledicentior, maledicentissimus. Benedicus autē non inueni, quia nec benedico inuenitur, licet eo Priscianus utatur, & hoc tempore utamur more Græcorum, quorū autoritate dedimus huic uerbo accusatiuū præter naturam suā, quum postulet datiuū, sicut maledico, quod & ipsum nunc ad imitationem Gręcorū habet etiam aliquando accusatiuum. De benedico unius uocis loquor non duarum. Nam tunc & aliud significat, et aliter regit. Præterea fatidicus, ueridicus: iuridicus uerò rarū est uerbū, causidicus magis substantiuū. À loquor fortasse sunt plura, à sequor fortasse nulla, nisi pedissequus quod substantiuū est. Magniloquus, altiloquus, grādiloquus, uaniloquus, doctiloquus, uersutiloquus, fatiloquus, faciunt comparatiuū magniloquētior, grandiloquentior, & itē cætera. Superlatiuū, magniloquentissimus, grandiloquentissimus & reliqua, sed horū positiua possunt esse tum participia magniloquens, grandiloquens, tum nomina magniloquus, grandiloquus, præter unum suauiloquens, quod nescio an dici possit suauiloquus. Maledicens planè participium est, sed et maledicus dicimus, quod in fatidicus & ueridicus non fit: neq; in illis superioribus, magnificens, honorificens, munificens, quæ participia esse non possunt, quum hæc fuerit futura uera uox, magnifaciens, honorifaciens, munifaciens.

*In Phormio. act. 5. scena 6.*

## De nominibus in ceus, eus, & in uus.

### Cap. XI.

Finita in ceus pauca sunt, materiamq́; significant, ut Herbaceus, Betaceus, Maluaceus: ex materia herbę, maluæ, betæ. Arundinaceus, Ferulaceus, Rosaceus, Triticeus, Hordeaceus, Testaceus, Tophaceus, Arenaceus, Cretaceus, Argillaceus: ex materia arundinis, ferulæ, tritici, hordei, rosę, testę, tophi, arenæ, cretę, argillę. Hoc tamen differunt (si quid differūt à materialibus) quòd illa magis totū significant, hęc partē. Ager enim cretaceus, non idem est quod creteus, nec arundinaceus surculus quod arundinea fistula: unū est natum & positum in creta aut arundine: alterum ex corpore ac materia cretę, & arundinis factum: & panis triticeus, hordeaceus'ue, non ex solo tritico hordeoúe compositus est, sed ex aqua quoq;, licet triticeus utriusq; harum, de quibus loquor, formarū uideri possit, & magis illius, cuius sunt creteus, arundineus & similia. Nam triticaceus facere deberet, nisi dicimus euphonię causa ca, syllabam esse sublatā: quod mihi ita uidetur esse, quia disiuncta est species eorū, quę exeunt in ceus, & eorum quę exeunt in us. Huius generis est uinaceus, quum est adiectiuum, ut uinaceo grano legimus quendam suffocatum, pro acino uuæ: & uinacea substantiuum plurale pro granis uuę iam pressæ. Dicimus tamen mons terrenus potius quàm terreus,

*Anacreon poëta Plin. autore. lib. 7. cap. 7. acino uuæ fuit suffocatus.*

terreus, aut terraceus. Sunt item nomina finita in itius, descēdentia ab habentibus t, in ultima syllaba, & si à nominibus quidem, significant materiam, si à supinis uerò, passionem quandam: ut Cratitius, Stramentitius, Lateritius, Cæmentitius, Pauimentitius. Item Fictitius, Commentitius, Pigneratitius. Fœneratitius, Conductitius, Conuentitius, Adscriptitius, Dedititius. Ratio fictitia, ac cōmentitia, quæ ficta & ad tempus commenta est, & excogitata. Res pigneratitia aut fœneratitia, quæ data est pignori, aut ad fœnus pertinet. Domus cōductitia quę conducta est. Homo adscriptitius, dedititiusq;, qui ad aliquā rem adscriptus est, & qui ex numero eorum est, qui se in alterius imperium dediderunt.

*De natura & ui comparatiui.*

*Cap.* XII.

COmparatiuum pro minore ui accipi, quàm ipsum positiuum habeat, ait Priscianus: ut Vergilius:

Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitentes.

Tristior enim hîc ex parte tristis accipitur. Sæpe per se positū pro ipso positiuo, ut Comites senioris Acestæ, pro senis. In quorū utroq; est causa, cur aliquid nos addamus. Nam illud tristior, planè pro tristis, non pro ex parte tristis accipitur, ut ait Quintilianus. Vtimur uulgò cōparatiuis pro absolutis, ut si quis se appellans infirmiorem, non dixit pro minus quàm infirmus: & hic senior potius pro ualde senex, quàm tantum senex: ut idem Quintilianus de Isocrate: Eóque iam seniore (octauum enim & nonagesimum impleuit annum) præcipere Aristoteles pomeridianis scholis cœpit. Et Ouidius de tristibus: Quintil. lib. 9. de figuris uerborū.

Sospite sic te sit natus quoq; sospes, & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex.

Ideo cum Seruio nō sentio dicente secundum Varronem, senior, & iunior comparatiua sunt per imminutionem. Est enim senior non satis senex, iunior nō satis iuuenis, intra iuuenem, sicut pauperior intra pauperem: hoc autē dicit Varro in libris suis ad Ciceronē: quàm rem à Varrone tractatā confirmat etiā Plinius. hęc Seruius. Si uerò hoc Varro & Plinius ait, quis non cernit sibiipsi repugnare rationē hanc? Est enim natura comparatiui superare in ea qualitate, quam obtinet positiuus: quę superatio quoties incolumis est, nō possis tunc dicere factam esse imminutionē. Ponamus exemplū huic rei simillimū. Antiquior te ego sum, id est, maior te natu sum. Item, adolescentior te sum, id est, minor natu te sum: ita iunior te sum, id est minoris ætatis, quàm tu, uidelicet supero te paruitate ætatis: quem in modum accipitur illo in loco Seruij. Ergo non per imminutionem, sed propriè. Quare ut in iunior fallitur, ita & in senior falli dicendus est: quæ tamen omnia (ut sentio) pro positiuo accipi solent. Quemadmodum etiam ocyus pro ocyter. Minus pro non, semper ferè accipitur: frequentissimè tamen iunctum cum sin, aut cum quo pro ut: sin minus, id est, si non. Quo minus, id est, ut non sicut, Quo secius, etiam pro ut non. Quia de hoc comparatiuo minus feci mentionem, aliquid etiam de ipso dicam: placet autem mihi non modò à paruum uenire, sed etiam à parum: ut parum pecuniæ habeo, non autem paruum pecuniæ: ergo minus pecuniæ ad parum pecuniæ potius, quàm ad paruum pecuniæ uidetur referri. Addam aliquid econtrario de magis. Ait idem Priscianus, omnia comparatiua mittere aduerbia similia neutro generi. Atqui magis, non in us exit more aliorum, sed in is: quod comparatiuum esse & uis ipsa huius uocis indicat, & multò pòst (nescio quomodo) fatetur hic autor. Prętereo quod à maius nullum aliud aduerbium est, & aliquod esse debet. Dicimus enim iustius queror, melius scribo, peius canto, plus gaudeo, minus doleo, maius gaudeo non dicimus, sed magis: quod à magnum positiuo compa-

ratiuum

ratiuum esse uel hinc palàm est, quòd omnes sic loquimur: magis poterat Pompeius quàm Cęsar, sed postea maximè omnium potuit Cęsar. Ex quo apparet eiusdem positiui, quod est magnum, comparatiuum esse magis, cuius superlatiuum est maxime, mutata u in g & anteposita i: quod quum ita sit, cur per magis & positiuum resolui comparatiuũ Priscianus uoluit, tacens de ceteris quę eundem usum prętant? Fortior, plus fortis, uehementius fortis, ualidius fortis, & quę sunt eiusmodi. Opinor, quòd non putabat hoc esse comparatiuũ: ut quod à uoce comparatiui recesserat: aut si putabat, absurdũ uidebatur comparatiuũ per comparatiuũ resolui cũ positiuo, quum pręsertim ipsum magis, more aliorũ comparatiuorum resoluendum sit, quod fieri nequit. Quòd si resolui nequit, ne aliud quidem poterit. Quale est si dicam, quod est istorum maius ędificium, aut quod ualidius? absurdum (ut dixi) quibusdam uideri possit, si resoluatur magis magnum & ualidius ualidum. Adde, quòd sicut resoluit comparatiuũ per magis, ita debuit resoluere superlatiuum per maxime, fortissimus Graecorũ Achilles, maxime fortis Graecorum non autem super omnes Grecos fortis. Nam hoc modo supra se fortis erit, quod fieri nequit. Item sine apposito, fortissimus Hercules non dicitur commodè, ualde fortis, sed ualidissimè, id est, maximè fortis. Nam quid absurdius, quàm quum exponamus comparatiuum per comparatiuum, exponere superlatiuum per positiuum.

*De differentia comparatiui à superlatiuo.*

*Cap.* XIII.

INter comparatiuum & superlatiuum, ea in primis quę apud Grecos, differentia est, quòd comparatiuũ refertur ad unum, superlatiuũ ad plura: quod reprehendit Priscianus, inquiens: Fit autem comparatio uel ad unũ, uel ad plures, tam sui generis quàm alieni: quamuis Greci honoris causa suę gentis magis, quàm ratione ueritatis, dicant non posse ad multos sui generis fieri comparationem. Alij autem dicunt hanc esse rationem, propter quam non utuntur tali comparatione, quòd quum ad plures sui generis fit comparatio, superlatiuo uti possumus, ut fortissimus Grecorum Achilles. Sed superlatiuus multos alios excellere significat. Comparatiuus uerò etiam potest paruo superantẽ demonstrare, unde etiam diminutionem iure accepit apud nos maiusculus, minusculus. haec Priscianus. A quo tam pro Grecis, quàm pro Latinis dissentio. Nam quęro à Prisciano, quonam modo Greci distinguerent sensum comparatiui à sensu superlatiui, quum ipsi quoque comparatiuo genitiuum tribuant, nisi hac ratione, ut hoc ad unum, illud referatur ad plura? Loquor quoties comparatio fit ad eos, qui sunt eiusdem generis. Nam ad eos qui sunt alieni, necessariò quoque utuntur genitiuo per comparatiuum, quum ablatiuo careant. Quum dico comparationem, more Prisciani, tam comparatiui quàm superlatiui intelligi uolo. Atqui apud Latinos ista ambiguitas non est, quia comparatiuo ablatiuum tribuimus: de hoc paulò pòst respondebo. Tamen tanti momenti est illa Grecorum ratio, ut eam Latini ad formam Graecę constructionis imitati sint, hoc est, ut cum genitiuo iungerent comparatiuum utique inter duo (nam superlatiuum dubium non est habere locum inter plura) ut, Aiacum fuit fortior Telamonius. & manuũ melior est dextera. Si uerò tres Aiaces fuissent, diceremus nõ fortior, sed fortissimus, sicut digitorũ longissimus est, non longior, medius. Horatius: O maior iuuenũ, inquit: ad duos enim Pisones patrem filiumque scribebat. Ouidius in persona Medeę, quę duos filios habuit:

Quum minor ex pueris iussus, studioque uidendi
Constitit ad geminę limina prima foris.

*Belli ciuilis lib. 3.* Et Cęsar siue alius pro Cęsare in cõmentario x. in testamento Ptolemęi patris, Hęredes

Hæredes erāt scripti ex duobus filijs maior, & ex duabus ea quæ ætate antecedebat. Ideo maior Aiax & minor, ille Telamonius, hic Oilei filius. Maior & minor Atrides, ille Agamēnon, hic Menelaus. Maior Cato & minor. Maior & minor Scipio de duobus Aphricanis. Maior Cyrus & minor, siue superior & posterior, nam tempus significamus, non dignitatē maiorem minorem'ue. De malis tamen non maior & minor dicimus, ut Dionysius superior, & Dionysius inferior. Qui numerus quum superat, non per comparatiuum, sed per positiuum aut per superlatiuū loquimur: ut Magnus Alexāder, Magnus Pōpeius, Fabius Maximus, Valerius Maximus. Et hæc est Græcorū ratio, in qua nobis cum illis conuenit: quod ad unum sui generis utendum est cōparatiuo, ad plures superlatiuo. Ideo'qꝫ curiosissimus in loquendo, & reconditissimę scientię Macrobius in Saturnalibus mihi non probatur, ubi dixit: Age Serui dum nō solum adolescentium, qui tibi æquæui sunt, sed senum quoqꝫ omnium doctissimus: non enim est eiusdem generis adolescens cum senibus, non aliter quàm si dicam, ego sum doctissimus Romanorū, et Carthaginiensiū: si Romanus sum, tollendū est utrūqꝫ Carthaginiensiū: si Carthaginiensis, tollendū est Romanorū: si neutrū, utruuqꝫ male iungitur. Et Priscianus in primo: Omnium est breuissimū eorum quæ diuidi possunt, id quod diuidi non potest. Non aliter quàm si dicas, hæc est pulcherrima suarum sororū, cum sit dicēdum, hæc est pulcherrima sororū: nam sororū, ipsa una est, suarum non est. Quid autem ad plures generis diuersi? Nempe nos qui sextū casum habemus similimū genitiuo, hūc adhibemus, ut Achilles Troianis fortior fuit, & ego sum doctior Carthaginiensibus, qui non sum doctissimus Romanorum: & tu es doctior senibus, iuuenum longe doctissimus. Gręci eodem genitiuo utuntur, ut sit hæc differentia, Superlatiua ad plura sui generis. comparatiuū ad plura diuersi generis comparari: quod Priscianus reprehendit, nolens illam differentiam inter gradus hos esse, sed hanc, quòd cōparatiuus parum, superlatiuus multū excellere significet. Quę ratio præterquàm quòd non satis defendit opinionem Gręcorum, atqꝫ adeò usum Latinorum, etiam falsa est. Neqꝫ enim (ut ipse uult) quia comparatiuum diminutionem accipit, ideo parum significat, & non potius multū, quia diminui potest, pręsertim quū dicat cōparatiuū aliquando transcendere superlatiuū: ut Achilles fortissimo Troianorū Hectore fortior fuit. Sed ego hoc non laboro, quòd comparatiuū modo transcendat, modo minuatur: quæ res non mutat naturam cōparatiui. Aliud animaduertendum est, quo solo ipsi gradus cōparationis ponderantur: quòd comparatio unum gradum obtinet siue primum, superlatio uero plures siue ultimum. Atqꝫ (ut ego sentio) non ad singulas res, sed ad gradus quosdam illa referenda sunt. Nam ubi fuerint multa eiusdem generis, nō tamen cadit superlatio uno eminente cæteris paribus. Vt si inter plura uascula, aut plura nauigia ad unam magnitudinem facta, aliquod sit longe capacius, & grandius, non recte dicas, hoc esse omnium maximū. Necesse enim est ubi superlatio est, ibi sit & cōparatio ad aliquod sit maius aliquo, & iterum alterum magis hoc, quod erit iam omnium maximum: ut in Troianis sunt aliqui fortes, & his alij fortiores, atqꝫ alij adhuc his fortiores, qui uocantur fortissimi. Itaqꝫ nunquā citra tertium numerū fit superlatio. At Prisciano uidetur, si cætera paria nauigia aliquod paululū antecederet, dicendum maius cæteris: si multo, maximum omniū. Quid ergo si inter ipsa paria unum utcunqꝫ emineat, eiusdem tamen generis non diuersi, quomodo dicendum erit? Comparatiuum non refertur ad ea quæ plura sunt eiusdem generis, & superlatiuum nō habet locum inter paria. Malim ergo dicere per comparatiuū, sed in ablatiuo, ut maius ceteris. Nam inter duo (ut dixi) damus genitiuū. Quidam dant genitiuum etiam ubi plura duobus sunt, sed tantūmodo ecclesiastici,

præsertim imitati Græcos autores, unde interpretantur. Nulla enim litera est Latina noui testamenti. Dicunt ergo maior discipulorũ, minor fratrũ, siue quia cęteri pares sunt, unus autem aut excellat, aut excellatur, siue quia non magni fecerint hanc differentiam cõparatiui & superlatiui, altero pro altero, hoc est, cõparatiuo pro superlatiuo utentes, ut ex loco illo datur intelligi: Qui uult inter uos maior esse, sit uestrũ minimus. Cur nõ dixit maximus minimusq́, aut maior minorq́? nisi quod pro maximus posuit maior, in quo Græcos secutum scimus. In illo autẽ (licet huc parũ pertineat) Græcũ non sequimur: Nũc manẽt fides, spes, charitas, tria hęc, maior horũ est charitas. Cur non aut maior harũ aut maius horũ? Gręci genitiuũ hunc in omnibus generibus unũ habẽt, qui est αὐτῶν. Verum tamẽ potuisset Latinius dici, maximũ, nisi Gręcos imitari maluissemus, Gręcos inquam, unde traduxerũt, non autem ueteres illos, ex quibus grammatica confirmatur. Nam ut charitas est maior cæteris, ita cęterarũ duarum (ut opinor) altera alteram superat: raroq́ reperitur numerus trium, ubi nõ potius superlatio cadat, quæ tres diuersas exigit quantitates, quàm cõparatio. Ideoq́ Græci contenti fuerunt dicere cõparationem ad unum, superlationẽ ad plura, quasi omnia inter se aliud ab alio distãtia. Quin ipse Priscianus quanquã dissentit, tamen paulo pòst quasi imprudens quod negauerat, confessus est, prior referri ad unũ, primus ad plura. Quod antea Diomedes, Donatus, & Seruius dixerant. Ideoq́ illud iungi ablatiuo more cõparatiuorum, hoc autem genitiuo more superlatiuorum. Quę non significant melior & optimus (quemadmodũ ipse uult) sicut nec potissimum, optimum in Phormione apud Terent. Vbi dubites, quid sumas potissimum: sed in his omnibus principalior, principalissimus & principalissimũ. Quod quũ ita sit (ut in summa colligam, & breuiter dicã, ut à principio institui) comparatiuum inter duo esse, superlatiuum inter plura, si modo tria sunt impar ia, ueluti si in duas parteis ciuitas diuisa est, ut bello ciuili Pompeij, & Cæsaris, recte dicas, maior pars Quiritũ sequebatur Pompeiũ, minor Cęsarem, non autẽ maxima aut minima, nisi accipias pro ualde magna maximã, & pro ualde parua minimã. Sin in tres partes, ut tempore triumuirali, dicendũ erit, maxima pars Quiritũ sequebatur Octauiũ, pars maxima legionũ erat cum Lepido, maxima pars nauiũ erat cũ Antonio, nõ maior. In quorũ utroq́ (ne quis putet neminem hoc ignorare) peccauit Lactant. uir latinus planè & facundus, qui in secundo libro Institutionũ inquit: Vt possis dubitare, quos dicas potissimum stultiores, illos'ne qui falsam religionem suscipiũt, an qui nullam? Et in 7. Vt ea ipsa quæ dicerem non nostris, sed aliorũ potissimũ literis confirmarem: potissimũ dixit pro potius: duæ enim partes erant, non multę, ut apud Quintilianũ: Hoc loco quęrã necesse est, quę ratio fuerit, ut iuuenis ad parricidiũ suo potius gladio uteretur? tametsi non absurde hic potissimũ dici posset, quasi suo ex omnibus potissimũ. Et in illo Lactantij quoq́, si tale foret, non aliorũ, sed nostris potissimũ, quasi ex omnibus potissimũ. Eruntq́ multæ partes, et totidem quot sunt genera literarũ, uel nõ aliorũ, sed nostris potius. Eruntq́ duę partes, hinc nostræ literæ, illinc alienę. Idem Lactantius in 1: Omnes Sibyllę unũ deũ prædicãt, maxime tamen Erythrea, quæ celebrior & nobilior inter cęteras habetur. Celeberrima, & nobilissima dicendum erat. Cicero autem quodam loco id quod dico, apertissime ostendit, quum ait in Pisonem: Me quum quęstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum, cũctis suffragijs P. R. faciebat. Aedilem priorem dixit, quia tantum erant duo ædiles, sicut duo cẽsores, & duo cõsules. Cæteri autẽ ferè omnes magistratus multi, ut prętor, quęstorq́. inter quos se creatum dixit aut primum, aut inter primos. Cuius rei si quis fidẽ desiderat, bini semper ædiles nominãtur à Terentio. Ipse Cicero pro Milone inquit: Septem pretores, octo tribuni plebis,

illius

illius aduersarij, defensores mei. Nam quęstores penè singuli singulis prouincijs præficiebantur. Et exemplo Lactantij admoneor, ut dicam illas præpositiones inter & ex, tam cõparatiuo quàm superlatiuo posse dari, ut constat superioribus, quæ retuli, exemplis, & Quintiliani in Gladiatore: Qui inter nos (ut appa ret) fortior fuit. Et in Geminis languentibus: Dij prohibeant, ut ex duobus filijs utilior incipiat esse periurus. De superlatiuo ipse paulò ante protuli exemplum. Celeberrima inter omnes & nobilissima habetur, quæ si pares pręter unam fuissent, utendum putarem cõparatiuo, ut fecit Lactant. Solemus quoq; interrogando, & dubitãdo dare utrum cõparatiuo, quid autem superlatiuo, ut idem Quintilianus: Ita non tantũ utrum idem sit melius, sed quid sit optimum quæritur. Iterum: Ex duobus uter dignior, ex pluribus quis dignissimus. Et Cicero: Quum quærere uideretur orator utrum potius, aut quid potissimum dicamus. Tamen aliquando damus quid etiã comparatiuo. Sed ego ad altiora ducente stylo transeo, & ad ea quæ oratorum magis sunt, quàm grammaticorum, & magis Latine eleganterq; loqui uolentium, quàm eorum qui ad normam grammaticæ periti esse contenti sunt. Quare separemus ea, quæ de hac re dicenda supersunt, & ei suum locum assignemus, quæ etsi possent posterius tractari, tamẽ quia ad materiam graduum pertinent, in hoc potissimum loco exequemur rem dignã auribus studiosorum, de exactissima antiquorum Latinitate & elegantia à Marco Cicerone, Marcoq; Fabio Quintiliano præcipue obseruata, duobus luminibus; atq; oculis quum omnis sapientiæ, tum uero eloquentiæ Latinæ.

### *De natura superlatiui.* Cap. XIIII.

IGitur superlatiuus adsciscit sibi quisq;, relinquit autem omnis uel cũctus pòsitiuo: ut optimus quisq;, sapientissimus quisq;, pro eo quod est unusquisq;, qui est bonus, ac sapiens, uel omnes boni, & omnes sapientes. Non enim liceret dicere boni quiq; & sapientes quiq;, nec omnes optimi, & cuncti sapientissimi. Idem intelligo si superlatiuus in alio casu ponatur quàm illud quisq;. Sic maximo quisq; animo diuitias despicit. Valentissimi quisq; corporis longè abest à sapientia. At uero comparatiuo non quisq; conuenit, sed omnis. Vegetius tamen non perpolitus sanè scriptor inquit, Honestiores quiq; milites, pro honestissimi quiq;. Et Lactantius de Opificio: Nam & si ita esset, placidiora quæq; animalia uel nihil fellis omnino, uel minus haberent, quàm ferę. Maluissem ego dicere, placidiora omnia animalia: ut Quintil. in Aegro redempto: Rus, seruulos pena tes, & omnia utiliora properãti festinatione parenti addixit. Ex positiuis aũt illa excipimus, quæ carent superlatiuo, qualia sunt, quę habent i uel u ante us, ut pius & strenuus, quæ nonnunquam patiuntur superlatiuum, ideoq; utranq; rationem sequũtur, omnis pius, & pius quisq;. Sallustius in Catilinario: Nam strenuus quisq; aut occiderat in prelio, aut grauiter uulneratus discesserat. Ipse mal lem dicere strenuissimus quisq;, pijssimus quisq;. Quidam tamen Sallustiani co dices scriptum habent strenuissimus. Carẽt etiam superlatiuo illa numeralia, secundus, tertius, quartus, quintus, & deinceps. Nam primus etiam quum numerum significat, superlatiuũ est, et ultimus. Dicimus itaq; primo quoq; tempore, primo quôq; die, quod imperitiores putant esse coniunctionem quoq;, quæ habet primam breuem, quũ hic sit longa. Cicero in Philippicis: Primo quôq; die cõsules ad senatum referãt. Quanquã hic non tam omnis, quàm unus omnium primus dies significatur. Idem pro Rabirio: Tertio quôq; uerbo excitabatur. Et pro eodem Rabirio: Quinto quôq; anno de moribus nostris iudicaretur. Cęsar cõmentario 5. Legione producta cognoscit non decimum quenq; militem reliquum esse sine uulnere. Suetonius in uita Cæs. Et intercallario mense sublato, unus dies quarto quôq; anno intercalaretur. Quod ineruditi sic pronunciare so

lent: omni quarto anno est bisextum, omni quinto anno fit lustrũ apud Romanos, Græcosq́: omni quinquagesimo anno Iudæi agunt Iubileũ, quum sit dicendum, quinquagesimo quoq; anno. Vlpianus apud Iustianum lib. 27. ait, militem quasi millesimũ quenq; dictũ, id est, omnem qui ex millenario numero ultimus: tamen accipiendus est non ultimus, sed quisq; ex eo numero. Nam quum dico, dabo tibi ex ouibus decimam quanq;, non eam intelligo, quæ decima in numerando eueniet, sed unam de decem quæcũq; sit, uel (ut absolutius loquar) singulas ex denis siue ex decẽ, quas tu elegeris. Itaq; unaquæq; potest esse decima. Et exemplo Cæsaris constat decimũ quenq; esse unum ex numero denario. Ita dicamus millesimũ quenq; esse unũ ex numero millenario. Iurisperiti nostri, elegantiæ Latinæ ignari, intelligunt militẽ ex mille maxime strenuũ. Vnde puto errorem ortum de uocitandis militibus hoc tempore insigne quoddam dignationis ferentibus. Sed ad rem. Hinc etiam factum est, ut dicamus unusquisq;, & singularis quisq;, non singularissimus quisq;, quod non reperitur, sicut nec unicus habet unicior, & unicissimus. Quotus etiam iungitur cum quisq;, sed tamen diuersa ratione à superioribus. Nũquam enim ferè utimur hac dictione, nisi interrogatiue, & in significatione, quæ est quot. Quotus enim frequenter significat quot, ut Martialis:

Dic quotus & quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris uerbum, cœna parata tibi.

Id est, quot estis, et quot tecũ habes. Cic. pro Ligario: Quotus enim istud quisq; fecisset? id est, nullus uel rarus. Ouid. de Arte: Forma dei munus, forma quota quæque superbit? Id est, nulla, uel rara. Non uenit in mentem, an cum alijs nominibus iungatur quisq;. Hoc tamen scio, non habere quisq; genitiuũ pluralem duntaxat cum adiectiuo iunctũ. Ideoq́; genitiuo utimur singulari pro genitiuo plurali: idem enim est optimi cuiusq; animus, quod omnium bonorum animus. Vnusquisq; autẽ ideo non facilè patitur superlatiuũ, quia illud unus uim quandam, ac naturã (ut paulò antè ostẽdi) superlatiui obtinet: potiusq́; dicimus, unusquisq; bonus, quàm unusquisq; optimus: atq; hæc hactenus de quisq;.

*De Vt & Ita cum superlatiuo: de Quò & Eò cum comparatiuo.* Cap. XV.

ADdamus de ut & ita, similibusq́. Duplicatur superlatiuum, uel altera ex parte nomen, uel altera ex parte aduerbiũ, uel utrinq; nomen, uel utrinq; aduerbium cum his indeclinabilibus, quæ nominaui. Cicero de Orat. Vt quisq; optimè Græcè sciret, ita esse nequissimũ. Idem in eodem: Vt enim quisq; optimè dicit, ita maximè dicẽdi difficultatẽ, uariosq́; euẽtus orationis, expectationemq́; hominũ pertimescit. idẽ de Offi. Vt quisq; animi magnitudine maxime excellit, ita & maxime uult princeps omniũ uel potius solus esse. Quintil. Quod ut lõge optimũ, ita difficillimũ. Et iterum: Non ut quidq; primũ dicendum, ita primũ occurrit. In quo caueamus, ne pro quidq; dicamus quodq;. Multũ enim refert inter hæc duo. In Catone maiore utrunq; superlatiuũ sustulit Cice. Vt quisq; ætate antecedit, ita sententiæ principatũ obtinet. Quod facere alibi solemus, ut in illo: Homo in primis doctus, non in primus doctissimus, ne duas res superlationem habẽtes cõiungamus. Iusta igitur causa quare Cicero superlatiuos prætermisit. Quæ causa Donato in Eunuchũ Terentij nõ fuit, qui ait: Vt quisq; miser est, ita senior uidetur. Nam præter id, quod non adhibuit superlatiuum, etiam cõfusionem quandã fecit ex positiuo, & cõparatiuo, quod ita emendemus, tum per aduerbium, sic, ut quisq; maxime miser est, ita maxime senex uidetur: tum per nomen, sic, ut quisq; miserrimus est, ita annosissimus uidetur, tum per alterũ aduerbium, alterum nomen, ita ut quisque maxime miser est, ita annosissimus uidetur: uel, ut quisq; miserrimus est, ita & maxime senex uidetur. Tum per comparatiuum,

tiuum, nam & hoc idem efficit quod superlatiuum, hoc modo: Quò quisq; miserior, uel quò quisq; magis miser est, eò senior, uel eò magis senex uidetur. Quod ita licere fieri, exemplo probādum est. Quintilianus 2. Institut. Quò quisq; ingenio minus ualet, hoc se magis attollere, ac dilatare conatur. Et paulò post: Erit eò etiam obscurior, quò quisq; deterior. Iustinus autem siue Trogus superlatiuū cum cōparatiuo miscuit, inquiēs lib. 16. Locupletissimus ut quisq; est, ita plures equites in bello suo regi præbet. Ego dicerē ita plurimos, quin & ita ab illo scriptum fuisse suspicari libet. Dicebam paulò ante, non licere dicere, in primis doctissimus, idem sentio de inter primos, & cum primis: licet Sallustius (si modo codex non sit mendosus) aliter dixerit. Ac sanè, quod difficillimū in primis est, & prælio strenuissimus erat, & bonus consilio. Similia his sunt in paucis, cum paucis, inter paucos: item super omnes, ante alios, prçter cæteros. Sed hæc etsi positiuo frequentius gaudeant, tamen nonnunquā patiūtur superlatiuū. Vt Plin. lib. 26. de usu absynthij: Conuenit dicere herbæ facillimæ, atque inter paucas utilissimę. Vergilius in septimo:

Petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus auis, proauisq; potens

Et in eiusdem operis primo:

Pygmalion scelere ante alios immanior omneis.

*De Hoc magis, & Eò magis, Tantum & Tantò, similibusq; quomodo iungantur gradibus. Cap. XVI.*

Hoc magis, et eò magis, idem est, quòd tantò magis. Item quò magis, idem est, quod quantò magis. Quare admoneor, ut aliquid de horum omnium natura præcipiam: Positiuos magis decere tantum, & quantū: cōparatiuos tantò & quantò. Cicero: Quantò es maior, tantò te geras summissius. Non autem quantū es maior, tantū te geras summissius. Cōtrà, quantū potes, tantum elabora: nō autē quantò potes, tantò elabora. Lactant. tamen prçter morē oratorū inquit: Quantò frequenter impellitur, tantò firmiter roborat. Et Boëthius in dialecticis dixit, Paulò æquales, hic pro paulū, dicens paulò: ille pro frequentius firmiusq;, frequēter firmiterq;. Tolerabilius, quod fecit poëta Catullus, Tātò pessimus omniū poëta, Quanto tu optimus omniū patronus. In superiore Lactantij exemplo, bis peccatū est in utroq; membro. Quidā peccant in altero, ut si dicatur: Quantò frequentius impellitur, tantò firmiter roboratur: uel quantò frequēter impellitur, tantò firmius roboratur. Nisi ita uenuste dicas, ut Verg. in 12.

O præstans animi iuuenis, quantum ipse feroci
Virtute exuperas, tantò me impensius æquum est Consulere.

Et Quintilianus in primo: Quid autem aliud in nostris legionibus cornua, ac tubæ faciunt? quorū concentus quantò est uehementior, tantò Romana in bellis gloria cæteris prçstat: quod nō licuisset aliter dicere. Proxime autē ad uim comparatiuorum accedūt illa aduerbia antè, & pòst, siue præpositiones, ut tantò antè ego ueni, quantò tu post uenisti. Et illud nomen alius, & eius aduerbiū aliter, & huic simile secus, ut Quintil. At quātò alius fuit ille infelicissimi iuuenis affectus. Et Terentius: Verum aliter euenire multò intelligit. Et Cicero: Multò secus euenit. Nam quod dico de tantò & quantò, idem intelligo de aliquantò, de multò, de paulò, cæterisq; similibus. Rursus quod de tantum, & quantum, idem de aliquātum, de multum, de paulum, & reliquis. Sed quia hæc transeunt in aduerbia, ideo nonnunquā (de his quæ exeūt in um loquor) abutimur pro ijs quæ exeunt in o, præsertim quando non est illa contrapositio duorum, ut superioribus exemplis ostendimus. Iuuenalis:

Despiciam, quid sit, quantum sublimior Atlas. Terentius: Eius frater aliquan

tulum est ad rem auidior. Quintil. At quidā si forte susceperint negotia paulùm ad dicendū tenuiora, ea cōuitijs implent. Ita in aduerbijs præpositionibusq; multùm antè, uel multò antè: paulùm pòst, uel paulò pòst. Verbis autē semper ferè cōuenit per um potius, quàm per o, exceptis ab ante, à præ, à post cōpositis, more eorum unde cōponuntur, ut multò præstat, & multùm præstat. Sallust. Multò præstat maleficij quàm beneficij immemorem esse. Ita multū, uel multò antecellit, paulùm uel paulò posthabui tua negotia meis. Tam & quàm similia atq; eadem uidētur, tantùm, & quantū ideoq; raro cū cōparatiuo iungūtur, ut Vergil.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
Cum superlatiuo frequentius: ut, tam hic est omnium optimus, quàm nobilissimus. Sallust. Quàm quisq; pessime fecit, tam maxime tutus est. Quod idē ualet, ac si diceret: Vt quisq; pessime fecit, ita maxime tutus est. Terentius: Namq; adolescens quàm minima in spe situs erit, Tam maxime patris pacē in leges conficiet suas. Solent poni tam & quàm separatim, & alterum sine altero, utrunq; in significatione uehementiæ, ut Cicero: In tam optima causa nō debeo timere, id est, in tam ualde, ac perquàm ualde bona causa. Et iterū: Nondū erat uestris tam grauissimis, tamq; multis iudicijs, ignominijsq;, tantopere grauibus concisus. De quàm, hoc sit exemplum, Tu es homo quàm iucundissimus, id est, ualde, uehementerq; iucundus. Sed de hoc disserendū est latius, ideoq; non in eundem locum includam.

### *De per & quàm cum grad.bus.* Cap. XVII.

IDem nanq; ponderis in cōpositione habent per & quàm, sed alterū positiui proprium est, alterū superlatiui, ut perpulchre, perbelle, perdiligēter, quam pulcherrime, quāoptime, quā diligentissime, quorum exemplorum referta sunt omnia. Hoc intelligitur quoties accipitur quàm pro ualde, siue uehementer. At contra quàm pro quantū nunquam cùm superlatiuo, sed semper cum positiuo, ut Cicero: Quàm morosi sint, qui amant, ex hoc potes intelligere. Vides ut quā pro quantùm non potest adiungi uerbo principali, duntaxat in recto modo loquendi, hoc est, quādo non figuratè loquimur, ut exprobrādi, deridendi'ue causa, hoc modo. Quàm citò uenisti, quàm suauis homo es. Loquor autē quoties duo uerba in eadem oratione inseruntur, semper cum uerbo non principali iūgi quàm pro quantū: pro ualde frequenter uno uerbo cōtentum esse, & in duobus principali potius gaudere, nonnunquam altero: ut, ubi est lucrū, eò quamprimū aduolas: & ibi est lucrum, quò tu quàmprimū aduolas. At in hac differentia positiui, & superlatiui aliqui se obijciēt, afferētes Terentiū in Andria: Reiecit se in eum flens quàmfamiliariter, & in Eunucho: Post illa tēpora tute scis, quàm intimum te habuerim. In quorū exemplorū priore est quàm pro ualde cū positiuo, in posteriore quàm pro quātum cum superlatiuo. Ego uero accipio illud quàm familiariter, pro quantū familiariter figurate, quasi ô quantū familiariter: & hoc intimum accipi uolo pro positiuo, sicut proximum. Dicimus nanq;, hic est mihi magis proximus, ita, hic est mihi magis intimus. Neque in hoc toto meo opere tam licentiam poëtarū cōsector, quàm usum oratorū. Neq; si quid aliter penes autores reperiatur, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquam aliter factū sit, sed quòd frequentissime factitatū est, præsertim a Marco Tul. Marcoq; Fabio, apud quos si quādo reperiatur quàm cū positiuo pro ualde, aut cum superlatiuo pro quantū, ausim affirmare mēdose scriptū, ut in prooemio de Oratore: Quàm boni perdiu nulli, quasi de ualde bonis, & non potius de bonis loquatur. Vera scriptura erat, boni perquàm diu nulli, aut potius, cū boni perdiu nulli: aliter enim uidetur non congrue dici. Quod uitium scribendi utinā in pau-

cioribus

cioribus esset. Quod Cicero ipse illo suo eruditissimo seculo (quod uix credibile uidetur) queritur, ita ut apud Latinos mendosiores sint codices Latini, quàm Græci. Quanquam apud Græcos longe difficilior sit scribendi, quàm apud Latinos ratio. Nam cur non sæpius, quàm pro ualde cum positiuo in illis reperiremus, si probassent potius quàm respuissent? Qua in re non uerebor reprehendere Boëthium, Priscianũ, & elegantiorem utroq; Lactãtium. Primus super Ciceronis Topica ita ait: Nosti oblatrantis morsus inuidię, nosti ꝙ facillime in difficilimis causis liuor iudicium ferat. Mallem dixisse quàm facile. Secundus lib. 18. ita: Ideo ex uno libro Ciceronis tot usus proponere statui, ut docerem quàm frequentissime hac constructione usi sint autores eloquentię Latinę. Latinius erat, quàm frequẽter usi sint, uel quàm frequẽtissime usus. Tertius ita libro primo Institutionũ: Et ꝙ multa alia de deo nostris hominibus locutus est similia. Permulta ego dixissem. Idem libro 6. Hoc autẽ duplex sacrificij genus quàm sit uerissimũ, Trimegistus Hermes idoneus testis est. Et in principio statim libri de Opificio inquit: Quàm minime sim quietus summis etiã necessitatibus, ex hoc libello poteris æstimare. Puto Ciceronẽ quàm sit uerum, & quàm parũ sim quietus, potius fuisse dicturũ, qui scribens ad Trebatiũ in procœmio ita ait: Sed dum fuimus unà, tu optimus es testis, quàm fuerim occupatus, non dixit, quàm summè occupatus, aut quàm maxime occupatus, aut ꝙ occupatissimus fuerim. Quod autem dixit de quàm, non debere illud iungi cum superlatiuo, quoties significat quãtum, unum uerbũ excipitur possum, & quę idem significant, queo, ualeo, licet, & si qua sunt alia: ut scribas quàm optime potes. Nec recte dicas, scio ꝙ optime scribas, quod præter autoritatem summorũ autorum, etiam ratione nititur. Quia ubi est uerbũ potes, ibi quàm non iungitur cum superlatiuo, sed cum uerbo, sic: Scribas optime quàm potes. In alijs autẽ nequit iũgi cum uerbo, sic: Scio optime quàm scribas, nisi alter sit sensus. Ergo illud non planè Latinũ est, quàm primum mare intraui, exorta tempestas est, sed quum primũ, & quàm primũ potero, mare intrabo, uel quum primum potero, uel ut primum potero, uel ubi primum mare intraui, aut ut primũ, uel ubi primũ potero, mare intrabo, Latinum erit. Ex his quæ dixi, colligitur, ubi est quàm pro quantum, ibi quoq; poni posse ipsum quantũ, ut Cicero de amicitia: Nisi quòd tanta est inter eos, quanta maxima potest, morũ, studiorumq; distãtia. Quintil. in 2. Quũ aliquid adhibita quanta maxima potest cura, diligẽter elimauerit. Ut quoq; in locum quàm, uel quantum succedit, nunc sine ita, nuc cum ita. Primo modo sic, ut apud eundem in 12. Non omittenda pars hæc orationis, sed exigenda, ut optime possumus. & Cicero in Philippicis: Quas ut honorificentissimis uerbis ipse cõsequi potero, complectar mea sententia. Altero modo sic, ut apud eũdem de Oratore: Hæc ut breuissime dici potuere, ita à me dicta sunt. De positiuo autem nemini dubium erit quàm & ut, conuenire cum possum, ut idem in Philippicis: Sed reliquũ cursum uitæ quàm quidem possum breuiter perstringã, & ut potui, breuiter perstrinxi. Recte ergo pones, quàm pro quantum cum positiuo, & superlatiuo intercedente uerbo possum. Male autem cum cõparatiuo, siue sine possum, ut quãplura uolumina ille composuit, dicendum est cõplura, non quãplura, ut quidã male scribunt. In aduerbio quoq; superlatiuo nonnunquã legimus cõplurimum, pro plerunq;: siue per possum: ut narraui rem gestam quàm breuius potui, aut quàm potui breuius. Cuius hic quidem sensus, sed tamen barbare prolatus est, narraui ꝙ breuissime potui: quanquã hoc secundũ potest accipi in eum sensum, qui est: ꝙ breuius potui, siue (ut apertius loquar) breuius quàm potuissem. Primus modus sic accipi non potest. Nec hoc quidem barbarie caret, licet huius loci non sit: Iste est nimis iuuenis ad dandũ sibi tale negotium, quod sic Latinè diceretur: Iste est

nimis iuuenis, aut iunior, quàm ut ipsi detur tale negotium: uel, est iunior quàm cui tale negotium detur. Cuius rei plurima ubiq; exempla sunt. Vt Quintilian. Sed hoc apertius est, quàm ut probandum sit. Et ita opus inchoatur Valerij Maximi: Vrbis Romæ, exterarumq; gẽtium facta, simul ac dicta memoratu digna, quæ apud alios latius diffusa sunt, quàm ut breuiter colligi possint. Id est, latius sunt dispersa, ita ut non breuiter cognosci possint. Item Quintil. in 10. Ideoq; ne suscipiendæ quidem sunt causæ plures, quàm quibus se suffecturum sciat. In eandem rationem cadit ille modus, qualis est, maiorẽ geris uestem, quàm pro habitu corporis. Vt Curtius: Maiorẽ quàm pro magnitudine, syluæ reddebãt sonũ. Illud hoc loco iocosum inserere nõ pudebit. Si quis interrogatus, huiusmodi positiui perpulcher, qui cõparatiuus sit, & qui superlatiuus: non aliter bene respondebit, nisi ita, multò pulchrior, & quàm pulcherrimus. Ex his autem duobus, de quibus diu disseruimus, per, & quàm, conflatur unum perquàm, quod utri dandum erit, positiuo, an superlatiuo? (utrunq; enim in eo partem sibi uindicat) certe positiuo, uel quia per anterius est: uel quia indecẽs uideretur duo aduerbia uehementiam significantia superlatiuo anteponi. Dicimus itaq; perquàm doctus, perquã eruditus, perquàm pulcher. Et sicut uerbo solet apponi per, ita perquã, ut peruelim, perplacet, perquã uelim, perquã placet. Plinius Iunior in epistolis: Perquã uelim scire. Nisi interpositum sit, quàm, inter præpositionem & uerbũ, cũ quo illud copulatur. Quale apud Terent. Per pol quàm paucos reperias meretricibus fideles euenire amatores. Quod sic resoluitur: Pol perquàm paucos. Boëthius tamen in commentarijs logicæ breuioribus superlatiuo dedit, dicens: Apud scriptores quidẽ Græcos perquã rarissimos. Et Pomponius de origine iuris, Digestorũ Iustiniani lib. 1. Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutũ perquàm breuissimos ad edictum scriptos reliquit. Et facundus scriptor Curtius libro 4. Bessum quoq; Bactrianorũ ducem perquã maximo posset exercitu coacto descẽdere ad se iubet. Sed huiusmodi exempla tam rara sunt, ut dubitem, an librariorũ sit culpa. Certe ipse sic loqui nõ ausim. Aulus quidẽ Gell. hoc quod præcipimus, semper custodiuit. Cæterum, ut est in loquendo curiosior, pro perquàm ita loquitur: Sane quàm utile: uoce admodum quàm suaui, oppidò quã libens, nimis quàm ineptũ, quæ aduerbia idem pollent quod per, pro ualde. Vsitatius tamen est perquàm, ut perquàm utile, uoce perquã suaui, perquã libens, perquàm ineptum. Tametsi Cæsar Comment. 13. Quibus rebus oppidò quàm pauci sub pellibus acquiescebant. Et Seruius Sulpitius ad Ciceronẽ scribens ita incipit: Posteaq; renunciatũ est mihi de obitu filiæ tuæ, sanè quàm pro eo ac debui grauiter, molesteq; tuli. Et ad eundẽ Cælius etiam ita incipit: Sanè quàm literis Cæsaris sumus cõmoti. Nam Cassius cis Euphratem Parthorum copias esse scripsit. Et Brutus quoq; Decius ad eundem: Nam suos ualde quàm paucos habet. Et iterũ in eadem epistola: Sanè quàm gauisus sum. Quid plura? Ipse quoq; Cicero ad fratrẽ: Nam quod de Pompeio Caninius ait, sanè quàm refrixit. Non succurrit mihi, si quod aliud exemplũ apud Cic. repererim. Et Titus Liuius nescio an alibi quàm lib. 48. Quũ haud facile esset, aut ea quæ obijcerẽtur, aut quæ aduersus ea dicenda erant, memoria cõplecti. Nec enim multa solum, sed etiam pleraq; oppidò quàm parua erant. Hæc igitur dẽtur positiuo, illa uero magis superlatiuo multò & longe, in eò ferè significato. quo solet quàm cũ superlatiuo. Sed cum hac tamẽ differẽtia, quòd huic ꝙ non tribuimus genitiuũ illum superlatiui propriũ, aut ablatiuũ, accusatiuum'ue cũ præpositione, ut fit sine ipso quàm. Marcus Tullius: Acerrimũ autem ex omnibus nostris sensibus, esse sensum uidendi. Et iterum: Quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum. Nõ dixit quàm acerrimum, aut quàm plurimum ex omnibus, siue inter omnes.

De

De Longe, Multò, Facile, Valde. Cap. XVIII.

ID quoq; fit in multo, atque in longe pro ualde, & in facilè pro non dubie, ut Quintil. lib. 2. Declamandi ratio ut est ex omnibus nouissime inuenta, ita et multo est utilissima. Idem: Longe omniũ, quos quidem mihi audire contigit, præstantissimus Domitius Apher. Et Marcus Tullius: Sed ego neque illis assentiebar, neq; harum disputationũ inuentori, & principi longè omnium in dicendo grauissimo & eloquentissimo Platoni. Idem pro Rabirio: Virum unũ totius Græciæ facile doctissimũ Platonem. Amat etiam longè (ut multò) secum iungi comparatiuũ. Vt Vergilius in IX. At pedibus longè melior Lycus. & ea de quibus antea disputaui, alius, aliter, secus, antè, pòst: ut longe alius, longe aliter longe secus, longe antè, longe pòst. Et cõposita à præ, ut longe præstans, longe præstat. Quintilianus: Sed eum longe præcedunt ingenia uiuentium: & cætera quæ superlationẽ quandam habent, & proxime ad cõparatiua accedunt, ut longe superat, lõge uincit: & ea, quę diuersitatẽ, more illorũ alius, aliter, secus, qualia sunt diuersus, dissimilis, alienus: ut lõge diuersus, longe dissimilis, longe alienus. Princeps ne adiectiuũ quidẽ est more positiuorũ, tamẽ quia superlationẽ significat, adsciscit sibi lõge: ut idẽ: Nouẽ uerò Lyricorũ longe Pind. princeps: & facile pro eo, quod est haud dubie. M. Tul. pro Roscio: Non solùm municipij Larinatis, ex quo erat, sed etiã regionis illius & uicinitatis uirtute, existimatione, nobilitate facile princeps. Præterea cũ pręcipuus, cum primus, cũ secundus, & si qua alia sunt. Quintil. de Eurip. loquens: In affectibus cũ in omnibus, tũ in his, qui miseratione cõstant, facile pręcipuus, & admirãdus maxime est. Sic facile primus, uel facile summus. Facilè uerò secundus dicimus, nõ ad ordinẽ respicientes, sed ad dignitatẽ: quale est: Tu es facile secũdus à rege, hoc est facile post regẽ primus. Longe igitur pro ualde propriũ est (exceptis paucis) cõparatiui & superlatiui. Ipsum autẽ ualde positiui, & uerbi: ut, ualde diues, ualde pauper, ualde laudat, ualde uituperat. Nec ausim dicere, lõge diues, lõge laudat, nec ualde ditior, ualde ditissimus. Hæc autẽ, quę à me de aduerbijs traduntur, nõ fuerunt intentata ueteribus grãmaticis. Nam nuper, quũ iam ista cõposuissem, inueni in bibliotheca Beneuentana Sergiũ super Donatũ ita dicentẽ: Donatus dicit quinque tantũ aduerbia positiuo esse iungẽda: tam, magis, maxime, minus, & minime: ea scilicet ratione, quoniã uim in se habent cõparandi, atq; ideo nõ debẽt cõparatiuis casib. iungi, ne uideatur cõparatio geminata. Qui enim dicit, tam doctior, penè hoc dicit, doctius, doctior, quod Latinitas nõ patitur. Probus autẽ dicit, omnia aduerb. quæ uim augentis, & minuentis in se habent, nõ debere coniungi nec cõparatiuo, nec superlatiuo, ut sunt ista, ualde, multũ, plurimũ, per, & similia. Nam ista omnia tantũ positiuis casibus debemus adiungere. Idẽ Sergius longe pòst ita ait: Cõparatiuo & superlatiuo quinq; hęc cõparationis aduerbia nõ apponemus, ut tã, minus, minime, magis, maxime, quę tamẽ soli positiuo adijcient. Hęc quæ tres autores tradũt, & imperfecta sunt, nec omnino uera, ut ex eis datũ intelligi, quę ipse præcepi. Dicimus enim multò fortissimus, & ego sum tã te fortior, quàm nobilior: & tam omniũ sum fortissimus, quàm nobilissimus. Comparatiua uerò addi nõ oportere cõparatiuis, ne præcipiendũ quidem est. Quòd aũt posuit minime & maxime, & similia Sergius, nõ rectè posuit. Nã minimũ, est propriũ aduerbiũ superlatiuũ: minime uerò pro negatione accipitur, quasi nequaquã, ut hic homo est minimũ literatus, id est pauxillum literatus, Ego sum minime literatus, id est, idiota, & nihil prorsus habens literaturę.

De proprietate quadam comparatiui. Cap. XIX.

ATq; hęc hactenus. Illud ad extremum adijciamus de cõparatiuo, consuetiorem sermonem esse per accusatiuum, quàm per nominatiuum in illis,

Vinosus, Mulieriosus, Libidinosus, Seditiosus, Factiosus, qui affectus est ad hęc, & amat uinum, mulieres, libidinē, seditiones, factiones. Rursus ea quę à uerbo sunt, partim actionē significant, partim passionē, partim utrunq;. Studiosus, Fastidiosus, Stomachosus, Iniuriosus, Contumeliosus, Curiosus, semper actiue ab autoribus accipi solēt. Otiosum est in re aperta inculcare exēpla, quę uulgò sunt plurima. Hęc enim accipiūtur pro his, qui operā dant studio, qui fastidiunt, qui stomachantur, qui iniuriā contumeliamq́; faciūt, qui nimis curant, nisi uelimus hæc à nominibus uenire, nō à uerbis, ut fraudulosus, qui fraudē facit: quod à fraudula diminutiuo uidetur uenire, potius quàm à fraude, quemadmodū Meticulosus, qui timidus est, à meticulo magis quàm à metu, et Somniculosus magis à somniculo quàm à somno, & Siticulosus magis à siticula q̃ à siti uenit. Tenebricosus quoq; reperitur & tenebrosus, licet quędā ab usu regulaq́; recedant, ut montuosus potius quàm mōtosus, saltuosus q̃ saltosus, tortuosus quàm tortosus. Veruntamen quæ sunt quartę declinationis, assumūt u, ut uultuosus, actuosus, fructuosus. Ideoq́; illud in Psal. Oues eorum fœtosæ, legendū est fœtuosę à fœtus, sicut ediuerso pleriq; scribunt monstruosum pro mōstroso. Lucan. Monstrosiq; hominū partus. Nec modò in osus faciūt nomina quartę declinationis, uerum etiam in arius, ut saltuarius, actuarius, fructuarius, quū nomina secundę declinationis careant u, ut asinarius, caprarius. Odiosus & inuidiosus passiue. Ille enim significatur qui odio habetur, et cui inuidetur, nō is qui odit, & qui inuidet. Hęc passionē significāt, utiq; quū à uerbo ueniūt, secus quū à nomine. Nā odiū molestiā quoq; antiquitus significabat. Ter. in Phor. Nunquā tuo odio me uinces. Et iterū: Si porrò esse odiosi pergitis, id est, molesti. Cic. ad Att. Sed quū horas treis ferè dixisset, odio & strepitu senatus coactus est aliquando perorare. Et sic in Cat. Maiore: In infirmo corpore odiosa est omnis offensio. Et de Oratore: Verum si placet (quoniā hæc satis spero uobis quidē certe maiorib. molesta, & putida uideri) ad reliqua aliquāto odiosiora pergamus. Odiosiora dixit, quasi molestiora. Inuidia autē præter illam significationē notam, est uel dicto, uel facto in alterū maleuolentiæ cōciliatio: ut si quis referat, ostendat'ue calamitates suas, ut autori calamitatū odium cæterorū cōcitet. Et hoc uocatur inuidiā facere, uel uocare, uel adducere in inuidiā: inde inuidiosa res quæ atrocitatē facti augens, inuisum illud uel illius autorem facit. Et inuidia quasi atrocitas, uel detractio: in quā significationem accipio illum uersum:

Inuidiam nimio cultu uitare memento.

Nam latentem inuidiam, quia non deprehendo, uitare nequeo: sed eā, quæ extrinsecus significatur uel uoce, uel gestu, cū populus indigne ferre se indicat in aliquo nimiū, & insolentē corporis cultū. Ideoq; subiungit: Quę si nō lędit, tamē hanc sufferre molestū est: hanc scilicet uel uoce, uel gestu, uel utroq; modo detractionē. Quale illud quoq; Terentianū: Ita ut sine inuidia laudē inuenias, & amicos pares. Et illud Salustij, licet è Demosth. sit sumptum. Inuidiam gloria superasti. Formidolosus, Laboriosus, Operosus, pariter actiue passiueq́; accipiuntur Terent. Egon formidolosus? id est, ego'ne, qui timeam? Sallustius: Regibus boni, quàm mali suspectiores sunt, semperq́; his aliena uirtus formidolosa est, id est, quæ formidatur. Cicero: Videtis ut senectus non modo languida non sit, uerumetiam operosa, id est, quæ agit, & rebus agendis operā dat. Idem pro Cælio: Vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse. Ouidius: Moles operosa laborat. Operosa, quæ ab aliquo operata est, est, non quæ aliquid facit, uel uehementis operis, & multarum operarum. Ita res laboriosa uel quòd in ea laborem capiamus necesse est, uel quòd plena laboris est. Voluptuosus quoque & religiosus licet à uerbis non ueniant, tamen

men istis similia sunt, ut affectionẽ significent, et habitionem siue plenitudinem, simulq́; actiue accipiãtur, & passiue, Voluptuosus homo, qui perquàm amat uoluptatem. Res uoluptuosa quę in se habet uoluptatem, uel quę plena est uoluptatis, & qua homo delectatur. Ille recipit, hæc recipitur. Religiosus homo, qui amat religionẽ. Sepulchra & monumenta religiosa sunt, id est, habent in se religionem. Ille adorat, hæc adorantur. Præterea, Gloriosus, Famosus, Imperiosus, nonnihil & ipsa à cæteris differũt. Nam licet legamus gloriosam uictoriã, id est, plenam gloriæ: & apud Iuuenalem.

Famosos equitum cum dictatore magistros:

Et imperiosos populos, hoc est, latũ imperiũ possidentes: tamen dicimus ita gloriosum hominẽ affectatorem gloriæ, ut uinosum cupidũ uini, & mulierosum nimis appetentem mulieres: qualis miles gloriosus apud Plaut. & Terent: Et Famosum pro infami & turpi, ut famosa mulier, quę noscitur impudica esse. Et imperiosus, ostẽtator imperij in exercenda sæuitia, qualis Torquatus apud Liuiũ, qui filium securi ob imperiũ contemptum occidit, unde imperiosus appellatus est. Verùm imperiosus & gloriosus quãdo honestę significantiæ sunt, pro gloriam, imperiumq́; habente, habitionẽ, plenitudinemq́; significãt: quando inhonestę, affectionẽ, ut dixi: Similiter quæstuosus & sumptuosus ab affectione magis, quàm ab habitione siue plenitudine ueniunt. Quęstuosus est homo auidior quæstus, & lucri, undiq; lucella quęritans. Sumptuosus, qui auidior est sumptus, quàm quæstus, & immoderatũ sumptũ facit, id est, immoderatas impẽsas. Quæ duo magis possunt accipi actiuè, quàm passiuè, magisq́; ad homines pertinent: ut homo quęstuosus, homo sumptuosus. Luctuosus uerò magis ad rẽ, ut res luctuosa, hoc est, plena luctu. Nescio an liceat de homine misero, & afflicto dicere, homo luctuosus, sicut fortuna huius luctuosa. Ab industria autem non habemus industriosus, sed industrius. Nec à uirtute uirtuosus more Græcorum, qui ἀπὸ τῆς ἀρετῆς non deriuant ἀρετός, licet habeant ἀρετός, sed pro illo dicunt tum ἀγαθός, id est, bonus, tum σπουδαῖος, id est, studiosus, Aristotele quoq;, & alijs quibusdã testantibus. Quod Cic. ad Herenniũ imitatus est, dicens: Ideoq́; bonis uiris, id est, studiosis amicus erat. Morosus à more uenit, nõ à mora. Primã enim habet longã ut mos moris, significatq́; eum, qui nimis exactè, nimisq́; ad unguem fieri omnia postulat, ut aliquãdo ob id indignetur, ac irascatur. Vt Suetonius de Cęsare: Circa corporis curã morosior, ut nõ solùm tonderetur diligẽter, sed etiã uelleretur. Idẽ de Tiberio: Sed affectatione, & morositate obscurabat stylũ. Cic. de Senectute: At sunt morosi, & anxij, & iracũdi, & difficiles senes. Et idem secundo de Oratore: Me quidẽ hercle illa ualde mouẽt stomachosa, & quasi submorosa ridicula, non cũ à moroso dicuntur: tum enim nõ sal: sed natura ridetur. Suetonius accipit pro cupido nimis exactę diligentię. Cic. uero adiungit impatientiam, & iracundiã. In significato tamen illo superiore posuit in Oratore: Vsqueadeo morosi sumus, ut nobis nõ satisfaciat ipse Demosthenes. Deniq; sic dicitur Morosus à nimia diligentia & seueritate, ut Curiosus à nimia cura, quoties plus diligẽtię, quàm oporteat impẽdimus rebus uel nostris, uel alienis. Nostris, quũ minutissima quęq; disq̃rimus, ut nullius frugis: Alienis, quũ de rebus cęterorũ occultioribus nõ satis cũ pudore perscrutamur, aut interrogamus. Sed nõ tã à cura Curiosus uidetur descẽdere, quàm à curia, cuius cõpositum est magis in usu incuria, id est, negligẽtia, tametsi curia à cura dicatur. Atq; ut Curiosus à peruersa cura uocatur, ita Cerebrosus à cerebro peruerso. Vnde Horat. Donec cerebrosus prosilit unus: id est, insanus, & cerebri peruersi. Pannosus & ipsum aliquid differentię habet: is enim dicit̃ pannosus, qui crasso panno ac uili opertus est. Nec hoc nisi de paupere dicitur: quę exempla sunt plurima.

De

De uerbis inchoatiuis falsò sic dictis. Cap. XXII.

GRammatici autores uno ore uniuersi, qui de hac re scriptũ aliquid reliquerunt, aiunt illa uerba in sco, ut calesco, frigesco, significare inchoationẽ, ideoq; inchoatiua: illa in so, ut uiso, desiderium, ideoq; desideratiua: illa in rio, ut esurio meditationem, ideoq; meditatiua appellari solent: In quibus omnibus ab omnibus dissentio. Sed Prisciano eruditorum nuperrimo potissimũ respondebo, qui (ut ordinẽ sequar) inquit in illo Verg. uersu: Aegrescitq; medẽdo, significari inchoationẽ. Qualẽ medicũ uoluit esse Priscianus, quo curãte quis incipiat ægrotare? Quanquã quomodo curari quis antè possit, quàm ęgrotus sit? Necesse est ergo, ut ante ęgrotare cœperit, & quũ dicit ægrescere, ut intelligatur inter medendũ ægriorem fieri. Et hoc de Turno Verg. intelligit: cuius augebat̃ ęgritudo ad Latini salubria cõsilia. Sicut de Didone prius dixerat:

Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo.

Quid igitur attinet exẽpla repetere, quũ nunquàm in sensu inchoationis reperiant̃? An illud apud Quintil. hoc significat? Tenuit cõsuetudo. quæ quotidie magis inualescit. Aut illud Cic. Quantò plura ille miscebat, tantò hic magis in dies cõualescebat. Et illud Ecclesiasticũ: Qui sordet, sordescat adhuc. Quo modo potest quid quotidie incipere ualidũ fieri, & quidẽ magis, quod dicit̃ respectu pręcedẽtis? at inchoationẽ nihil pręcedit: aut quo modo q̃d sordet, potest incipere sordere? et sordescere adhuc, id est, magis? quid magis? certè q̃; antea inceperat. Sed quid ibi disputàmus, quũ dicat̃, qui iã sordet, sordescat adhuc? quasi sordidior fiat, nõ autẽ sordere incipiat, q̃a iam sordet. Ideoq; Gręcè & hoc, et cætera huiusmodi uerba per uerba passiua explicant̃: & illud Græcè sordescat, nihil aliud est, quàm sordidet̃. Plaut. in Captiui duo: Ego q̃ tuo mœrore maceror, macesco, cõsenesco, & tabesco miser. Pro eodẽ penè accipit maceror & macesco, nisi quod maceror ad animũ magis pertinet, quasi affligor: macesco magis ad corpus. Videtur aũt ratio dici uelle potius macresco, ut nigresco, pigresco, ægresco. Sed etiã dici potest macesco ut acesco. Crebresco tamen potius dixerim, quàm crebesco. Verùm ad rem. E diuerso Verg. Maria incipiũt agitata tumescere. Et iterum: Fluctus ubi primo cœpit cũ albescere ponto. Et iterum: Sin in processu cœpit crudescere morbus. Vbi quid opus erat dicere, quòd incipiant res tumescere, albescere, crudescere: quũ satis, imò magis propriũ fuisset dicere, quòd tumescebãt, albescebant, crudescebãt, id est, quòd incipiebant, siue inchoabãt tumere, albere, siue crudere? Quid ergo significãt uerba inchoatiua? Nempe (ut breuiter finiã) quod uerba cõposita à fio, calefio, frigefio, sordefio, inualefio, ægrefio, & ardefio: quæ ideo in usu nõ sunt, q̃a superuacuũ esset, duas nos uoces habere idẽ significãtes, nec nisi ubi alterũ deficit, alterius præsidio utimur. Calescens, p̃ calefiens, patescens, pro patefiens, quũ utrunq; reperiat̃, patesco & patefio, quanquam ne in simplici quidem suo reperit̃ fiens, nec quod ab hoc formaretur fiendus. Dicemus itaq; calescens, & calefaciendus. Nec desunt qui fiens utantur, sed in eo de quo loquor significato, ut in Psalmo uicesimoprimo: Et factum est cor meum, tanquam cera liquefiens in medio uentris mei. Quum in alia translatione dicatur liquescens. Ex quo liquet eiusdem utrunque esse significationis. Idiomate quoque Italico, atque Hispano (quod ex Italico oriundum est) adstipulante, apud quod penè Latina uoce hæc uerba pronunciantur, & certè in hunc, quem ego dico, sensum, quale est hoc, ogni di magrisco, hoc est, omni die macresco, per quod incrementum assiduum, atque continuum declaratur, non inchoatio. Quòd si quid inter huiusmodi uerba in sco, & in fio, intererit, hoc esse arbitror, quòd hęc in sco passionẽ in se habẽt, illa uerò extrinsecus allatã. Vt in Aegypto Cęsar, quũ hostes fugeret, elata

Quint. lib. 1. d institu.

læua natabat, ne libelli, quos tenebat, madefierent, melius, quàm madescerēt. Et quū fores aperiuntur, melius patefiūt dicitur, quàm patescūt. At quū quis in balneo sudore irrigatur, et fores sua spōte aperiūtur, magis ille madescit, quàm madefit, & hę magis patescūt, quàm patefiunt. Inchoatiuorū autem dicuntur præterita eadē esse, quę primitiuorū: tamen paucissimis curę est dignoscere, quādo à primitiuis sunt, quandóue ab inchoatiuis, quorū multum differt significatio, licet crebrior sit illa inchoatiuorū, ut pinguit, macruit, frixit, caluit, idē est quod pinguis factus est, non autē pinguis fuit: macer factus est, & frigidus, & calidus factus, nō autē macer, frigidus et calidus fuit. Nā pinguet idē est, quod pinguis est, macret, friget, calet, idē quod macer est, frigidus est, calidus est: quorū pręterita sunt pinguit macruit, frixit, caluit: uix unquā in hoc significato pinguis, macer, frigidus, calidus fuit, sed in illo pinguis, macer, frigidus, calidus factus est, ut etiā in hoc apertius patebit exēplo. Tam citò macruisti? tam serò pinguisti? nō id significo, quòd tā cito macer, aut tam serò pinguis fuisti, quasi nūc talis nō sis, sed quòd pinguis aut macer factus es, atq; etiā talis es, siue tūc eras, si de alio tēpore loquimur. Quę pręterita quia à primitiuis nō ueniunt (ut significatio indicat) necesse est ueniāt à deriuatiuis in sco. Vnde probatur etiā inchoatiua nō significare inchoationē. Quare Seruius uident, q his uerbis pręteritū nō tribuit, quorū frequētius est, quàm suorū primitiuorū. Nam quod ait, quia inchoatiua sunt, ideo carere pręteritis, cassa ratio est, quū hoc uerbū inchoo etiā præteritum habeat. Verū hęc uerba nec inchoatiua sunt, et pręteritū habēt. Illud transeo, q̃d multa sunt, quæ pro suis primitiuis accipiuntur, conticesco, adhæresco, delitesco, concupisco, labasco, obdormisco, contremisco, expauesco, & his similia.

*De uerbis desideratiuis male sic uocatis.* Cap. XXIII.

NAm quę idē autor desideratiua appellauit, ipsius quoq; exēplo ostenduntur, nequaquam esse desideratiuę significantiæ. Hoc enim exemplum ille affert: Verg. in VIII. Nam memini Hesionæ uisentem regna sororis. Laomedontiaden Priamū. Visentem dixit pro cupientē uidere, quod Gręci dicunt ὀψείοντα. Idem & in eodē exemplo Seruius dixerat: Simile est facio facesso, capio capesso, lacero lacesso, arceo arcesso, accio accerso: quę possumus nō incōgrue desideratiua nominare. Sed quęro à Prisciano, cur magis Priamus cupiebat uidere sororē, dum iter faciebat, quàm quū erat in Troia? aut cur magis Priamus quàm cæteri? aut cur solus? Postremò quis nouit uoluntatē eius? quid agat uideo: quid uelit, nō uideo. Quid ergo significat uisere? Nimirū id quod agit Priamus, ire ad uidendā sororē, quod frequētatiuū ipsius declarat uisito. Itaque actū corporis hęc significāt uerba, nō affectū mentis. Viso, uado ad uidendū, non autē cupio uidere. Cic. ad Atticū: Cupio equidē, & iamp ridē cupio Alexandriā, reliquamq; Aegyptū uisere, id est (ut ego sentio) ire ad uidendū. Aliter dicendū erat, uiso equidē, et iampridē uiso. Quo certe modo ne Priscianus quidē ipse loqui auderet. Vsurpamus tamē hęc uerba (quemadmodū de superioribus testatus sum) pro eorū primitiuis, ut missi sunt legati uisendi causa, id est, uidēdi. Quod certe ita exponi nō potest, causa uidere cupiēdi. Tolerabiliorq;, nostra sententia, expositio foret, causa ut eāt ad uidendū. Similiter facesso, eo ad faciendū, uel facio. Verg. Haud mora continuò, matris præcepta facessit. Frequentius tamen accipitur pro eo ad recedendum, uel recedo. Vt Liu. lib. primo: Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum. Capesso eo ad capiendum, uel capio: Lacesso eo ad lacerandum, uel lacero prouocando: Accerso, uel arcesso utrunq; pro eo ad uocandum, uel uoco. Terent. in Andria: Obstetritem accerso. Quidam etiam in quarta coniugatione utuntur, ut ibi: Mitte in Ioppen, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus.

*De uerbis meditatiuis non rite sic uocatis.* Cap. XXIIII.

COmmodius autē desideratiua, atq; optatiua uocarentur ea, quę nominantur meditatiua in rio, parturio, esurio. Cicero: Vtinā aliquando dolor populi Romani pariat, quod iandiu parturit. Et Liuius: Et quod diu parturit animus uester, aliquando pariat: affectum significauit, non cogitationem, aut actū corporis, qui per hoc uerbū indicatur. Vnde meditatio armorū, meditatio declamandi, meditatio gladiatorū, id est, exercitatio. Esurio cupio edere. Quintilianus: Pater filios esurit, Valerius Martialis octauo epigrammatum:

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Consumit horas, & die toto sedet:
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Id est, cœnare cupit, non cacare. Vel dicamus hęc accipi pro primitiuis. Scaturio magis pro suo primitiuo scatet ponitur, quod est nō solum aquarū, sed herbarū; cæterorūq; sua sponte ubertim nascentiū. Quòd si uolumus sua quibusq; apta tribuere uocabula, nec à cōsuetis recedere, ea quę sunt in sco, appellemus meditatiua, id est exercitatiua. Qui enim calescit, siue calefit, quasi meditaт: atq; ut caleat, exercetur. Terent. Nunc uide utrū uis argentū accipere, an causam meditari tuā. Ea in so inchoatiua: hęc in rio desideratiua. Atq; hāc opinor fuisse uerā & germanā uerborū significationē, quā antiqtus impositā posteritas deprauauit.

*Vbi infinitiuo, ubi gerundio potius utendum sit.* Cap. XXV.

QVædam orationes infinitiuum magis postulant, quędam gerundiū, quædam utrunq;. Adiectiua magis infinitiuū siue actiuum, siue passiuū. Substantiua gerundiū genitiui duntaxat casus. Nam de accusatiuo mox dicā. Tu es dignus habere opes, tu es dignus honorari, tu es lętus me bene ualere, tu es lætus me honorari. Rursus, tēpus est gaudendi, locus est expostulandi, cōmoditas est alloquendi. Participia autē, & multa adiectiua à uerbis deriuata utranq; formā sibi uendicāt. Sed participia iuncta infinitiuis, dicunт seruare uim participiorū, iuncta gerundio uim nominū. Timens nauigare, et nauigandi: cupiens discere & discendi: doctus, peritus, prōptus, consuetus cantare et cantandi. Timidus cupidus, auidus nauigare & nauigādi. Nam illud admonitione nō indiget, optima res est agricolare, recte dici: optima res est agricolandi, dici nō recte: quia illud resoluit. Agricolare est optima res: hoc resolui sic nō potest, agricolandi est res optima: nisi forte dure et aspere sic: Ipsa em̄ res agricolandi est optima. Quare illū non probauerim, qui dixit: nō est mihi opus respondendi: quū esset dicendū respondere, ut sit suppositū, me respondere, opus uerò appositū. Itē habeo à patre mandatū conueniendi te, Latinè dicitur. Mandatū est mihi à patre conueniendi te, Latinè nō dicit, quia mandatū hīc uerbū est, unde nō potest regi huiusmodi gerundiū: illic nomē substantiuū, unde regiт gerundij genitiuus, nisi in utraq; oratione expositione utaris. In prima quidē, ut sic intelligas, Habeo à patre mandatū cōuenire te, scilicet hoc ipsum cōuenire te. In secunda uerò ut mandatū sit nomen, nō uerbum aut participiū, quasi mandatū adest mihi à patre. Ad quam tergiuersationē confugere nō poterit quispiam in talibus exemplis: Habeo in talibus publicis à patre mandatū conueniendi te. Hic nō poteris dicere, cōuenire te. Item, est mihi iniunctum, ac mandatū cōuenire te, ubi dicere nō poteris cōueniendi te. Cicero tamē ad uxorē nouo quodā modo locutus est: Quū in animo haberem nauigandi: pro eo, quod est nauigare, ut lib. primo de diuinatione: Haberetq; in animo nauē cōscendere. Itaq; subintelligitur propositū, siue uoluntas. Sicut in illo fit apud eundē. Quū illius diei mihi uenit in mentē. Et alibi: Nō minus ei uenit in mentē potestatis, quàm æquitatis tuę. Vbi quidā uolūt accipi genitiuū pro nominatiuo. Mihi potius placet subintelligi cōditio, status,

qualitas illius diei, tuæ potestatis, tuæ æquitatis, aut aliquid simile. Ita hic propositum siue uoluntatē, ut sit quū haberem in animo propositū nauigandi. Venio nunc ad accusatiuū gerundij. Dicimus itaq;, induxi te ad nauigandum, non autem nauigare: nisi more Græcorum, qui cum careant gerundio, fungūtur infinitiuo cum articulo, rarò sine eo: licet nunc quidam frequētissime utantur, ut non ueni soluere legem, sed adimplere. Plerique eruditorum dixissent, non ueni ad soluendam legem, sed adimplendam: quos & ipse nunc imitor, imitandosq; omnibus arbitror. Quam enim causam habes, ut alienam linguam secteris, relinquas tuam? Quāquam ne illam quidem sequaris, quū careas articulis, quibus Græci utūtur. Et quod illi habent καθότι, tu malis dicere, quia, aut quoniā, quàm quod, ut in eodem: Putatis, quia ueni soluere legem, quū esset dicendū, quòd. Sed ad rem: Vocaui te ad currendum, non currere: sto ad prandandum, non prædari: sedeo ad audiendum, non audire: uado ad uenandum, non uenari. Rursus, iussi te arare, non ad arandū: cogito insidiari, non ad insidiandum: timeo ædificare, non ad ædificandum. Quædam uerba cum utroq; conueniunt. Hortor te studere, & ad studendum: flagitor respondere, & ad respondendum: paratus sum scribere, & ad scribendum, ego aptus sum pugnare & ad pugnandū: ille est idoneus militare, & ad militandū. Quæ omnia rara sunt: nam pleraq; huiusmodi accusatiuū postulant, ut bonus, utilis, cōmodus, malus, inutilis, incōmodus ad militādum.

*De differentia infinitiuorum esse & fore, & compositorum.* Cap. XXVI.

FOre uocem quidem habet infinitiui ut esse, significationē uero participij, quod est futurū unà cum infinitiuo esse. Idem est enim fore, quod futurum esse, nō tantū esse: licet forem fores foret, idem sit, quod essem esses esset. Quare cum nomine iungi debet fore, non cum participio, ne duo participia simul confundamus. Spero te amatorem, uel amicum fore, non autem amaturum fore, sed tantum amaturum: ne uidearis hoc dicere, te futurum amaturū, quod ratio non patitur, quum futurū superuacuum sit. Item de participio passiui futuri: timeo te uerberandū fore: Satis erat uerberandum, uel adiuncto infinitiuo, uerberandum esse. Participia autem præsentis temporis, & præteriti uidentur minus cōmunionis habere cum fore, quod ad futurum spectat, quàm participia futuri temporis: tamen plus habent communionis. Ibi enim ideo non conuenit, quia superuacua significatio est, quod hic non fit. Eò quòd sæpe cum istis coniunctum illud fore reperimus, sed ita transeunt in nomen, alioquin non congruant diuersorū temporum eodem in loco participia, ut spero te sapientem fore, credo me amantem tui fore, non te. Seruant enim naturam nominis, non participij. Opinor te acceptum illis fore, non ab illis. Cicero: Spero amicitiam nostram notam posteritati fore, non dixit à posteritate. Quòd si quando reperiatur retinere naturam uerbi, quid mirum? quum etiam nomen'ne sit, an participium dubitari possit, & putari potius nomē: ut, ego sum dilectus ab omnibus, & ego ero dilectus ab omnibus. Non enim hoc est participium præsentis temporis, aut futuri, nec tempus perfectum indicatiui, nec futurum subiunctiui, tamen cum præsenti iungitur, & futuro. Propter quod debet potius nomē uideri, sicut & participium futuri passiuum in nomen reuertitur, tuncq; recipit fore, ut spero hunc puerum admirandum uirum fore, id est, admirabilem. Cōposita autem à fore nullam controuersiam habent, quia ferè nuda ponuntur sine nomine & participio. Affore, ut Vergilius: Affore cernetis. Statius tamen libro 1. Thebaidos uidetur accipere pro significatione præsentis:

Sensit manifesto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo,
Portandi generos uultu fallente ferarum, Ediderat.

Defore, ut Marcus Tullius contra Rullum: Verū arbitrantur non defore, qui illam restituerēt. Abfore, quod

quod minus in usu est, unde dicuntur absfuturi. Confore & profore apud Comicos: Profore, ut Horatius:

Quæ nocuere, sequar, fugiam, quæ profore credam. Id est, profuturum esse.

*De gerundijs.* Cap. XXVII.

GErundia licet à participijs differãt, tamen proprie inter participia numerari possunt (sicut supina inter uerba) meritoq́ participialia uocata sunt. Nã & casus, & genera in utroq; numero habent, ex quo uerba non sunt, sed participia siue participialia. Regunt præterea casum more uerborum participiorumq́ ex quo nomina non sunt. Post se inquam regũt, non ante se. Nam eiusmodi locutio, qualis est: In cõuertendo dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut consolati: inaudita est: Greca figura decipiẽte (ut in alijs multis) interpretem. Greci enim hoc loco infinitiuum habent, quod uult ante se accusatiuum. Quod multis modis transferri poterat, uel sic: Dum converteret dominus captiuitatẽ Sion. Vel sic: Conuertente domino captiuitatem Sion: & alijs (ut dixi) multis modis. Quidã imperiti aiunt, casum pro casu poni, quasi Latinè diceretur, si esset dominum, quale est illud: In deficiendo ex me spiritum meum. Et alibi: In cõuenien do populos in unum, & reges, ut seruiant domino: quũ (ut ostendi) gerundium non habeat ante se casum. Sed ad propositum. Differunt gerundia à participijs, quòd ipsa significant rei administrationẽ sine tempore, illa uero tempus sine rei administratione. Vt, tenet me occupatio iuris dicundi, gerundiũ est, nec tempus significo futurũ, sed rei administrationem, hoc est, in iure dicundo. Rursus, tenet me cura dotis numerandæ, id est, quæ numerãda est: participium est futuri significatiuum sine administratione rei. Nescio an dicendũ sit gerundium esse participium præsentis tẽporis more Græcorũ: cuius rei hoc argumentũ est, quòd idem est in legendo, & in ipso legere, quod Græci melius ἐν τῷ ἀναγινώσκειν: & in libris legendis, idem est, quod quum libri legũtur, penè eodem modo, quo de futuro in legendis libris, uidelicet qui legendi sunt. Nolunt autem grammatici gerundium rectum habere casum, sed quatuor tãtum obliquos: fortasse & casu recto non caret apud Lucretium atq; Vergilium: Voluenda dies en attulit ultro. Voluenda, non tempus futurum intelligit, sed rei administrationem, dies uidelicet quæ uoluitur, non quæ uoluenda est, aut quæ uoluetur. Vnde indicatur gerundium esse participium pręsentis temporis. Iusiurandum enim potest uideri eiusdem casus, atque etiam uocatiui. Sed de quatuor nunc obliquis disseramus, quo in loco breuissime stultorum quorundam opinionem reprehendamus, qui aiunt rectè dici, causa essendi rex, essendi regis, essendi regem, quũ nusquã essendi reperiatur: & si reperiretur, non regeret casum, sicut manendi, uiuẽdi, existendi. Et de genitiuo iam exemplum subiecimus: occupatio iuris dicũdi. De datiuo tale est, Da operã rebus agendis. De accusatiuo. Vt, ad accusandos homines duci præmio, proximum latrocinio est. De ablatiuo, Tu delectaris criminibus inferendis. Cum accusatiuo ferè semper iungimus præpositionẽ, præter quædã pauca, quæ sunt: Loco, Cõduco, Mãdo, Curo, Habeo, pro debeo, & si qua sunt alia: Vt, faciendã sepulturã locarent, id est, alteri darent faciendam: uel, ipsi locarent se ad faciendũ: utrunq; enim significat, nec participiũ est, sed gerundiũ illud faciendũ: quod exemplum sumptũ est ex Sulpitio. Cicero de diuinat. lib. 2. Magis numine Deorũ id factũ est, quàm casu, ut arbitraris: & redemptorum, qui columnam illam de Cotta & Torquato cõduxerant faciendã: quasi locarãt & cõduxerãt ad faciendũ. Suetonius autem in uita Cæsaris: Gladiatores, inquit, notos, sicubi infestis spectatoribus dimicarent, ui rapiendos, reseruandosq́; mãdabat. Curauit faciẽdos lapides sępe legimus: sed ita ferè, ut alius curet, alius faciat. Vt Cicero 7. Verrinarum: Recenti negotio ad te literas misit, mittendasq́; curauit.

Interdũ idem qui curat, & qui agit: ut Plinius posterior: Petis ut libellos meos, quos studiosissimè comparasti, recognoscendos, emendãdosq́ curem. Et iterũ: Cõtinendos cauea, nidóue curabis. Quintil. in Mathematico: Positus in ea conditione tristissimæ sortis, ut nec morte dignus sim, nisi me parricidã putetis: nec præmio, nisi innocentem: adeoq́ ludibrijs miseræ sum diuersitatis implicitus, ut impetrandũ à uobis habeam odij mei fauorem. Plinius idem ad Saturninũ: Præsertim quum enitendũ haberemus, quod parentibus eorũ & orbis probaretur. Suetonius in uita Cæsaris: Vt consulandos eos magis Imperator, quàm punien dos habuerit. Hunc modum loquendi apud Ciceronem reperisse non memini me. In his exemplis, ubiq; gerundiũ est. Illa autem participia in nomen transeuntia, putaui ad te scribẽdum, existimaui hanc rem tractandam, censui tibi illud significãdum, id est, dignum scribi, tractari, significari, quę omnino idem ualent, quod scripsi, tractaui, significaui: sed non sine deliberatione tamen, nec inconsulto. Dicebãt autem antiquiores rogatũ te uelim, oratos uos uelim, pro eo, quod est rogo, uel oro. Sicut posteriores (quorum est Quintil. dicebant: uenio petiturus, uenio oraturus: pro eo, quod est uenio petitum, & uenio oratũ. Sed hoc ad supini magis rationem pertinet. Illud autem, quod Seruius ait gerundiũ esse, participium est potius, aut nomen, quum inquit: Similiter etiam accusatiuo casu utimur, quum uolumus absolutam facere elocutionem, & per gerundij modũ aliquid dicere, ut petendũ mihi est equum, codicem, uinum. Hinc Vergil. Pacem ab rege petendum. Nam si dixeris, petẽdus est codex, iam non per gerundij modum, sed participialiter loqueris. Hoc non aliter participiũ est seu nomen, quàm illud, petendum est mihi iumentum, præsertim quod gerundia non regunt passiue, sed actiue, & nominatiuis carere creduntur, & accusatiuis præpositionẽ anteponi uolunt, sicut ante ostendi. Vt accusatiuus, ita & ablatiuus amat secũ præpositionem. Vt, In defendendo maior labor est, quàm in accusando. Indagemus (si possumus) cum quot præpositionibus accusatiuus gerũdij iungitur: cũ quot item ablatiuus. Accusatiuus iungitur frequẽter cum ad, raro tamen cum in. Item frequenter cum ob, propter, & inter, raro cum ante: ut uado ad capiendũ hostẽ, ego ueni ob te, uel propter te redimendum. Inter nauigandum pro in nauigando sæpe legimus. Vergilius:

Et inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Idem:
Nanq; ante domandum Ingentes tollent animos.

Totidem ferè præpositiones ablatiuo gerundij seruiunt. In, frequenter, cæterę rarius: de, ex, uel è, à uel ab, & cum. In, ut in nauigãdo. De, ut de edẽdo, de migrando, de agendo. Quintil. Sed quia latius fusus est hic locus, mixtusq́ cũ elocutione, tractabitur, cum præcipere de apte dicendo cœperimus. Etiam cum motu, ut Cicero ad Atticum lib. 8. Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sane uelim. Ex, uel è, Vt ex defendẽdo, quàm ex accusando uberior gloria comparatur. A, uel ab. Cicero: Ex quo exardescit siue amor, siue amicitia (utrũq; enim dictum est ab amando) Alibi quoq;: In quo etiam isti nos iurisconsulti impediũt, à dicendoq́ deterrent. Et alibi: Non distinguit à non dolendo uoluptatem. Plinius posterior: Sermonibus dies trãsigebat, quum à scribendo uacaret. Cum, ut Quintil. Sed ratio recte scribendi iuncta cum eloquẽdo est. Variantur porrò gerundia per omnes quos enumerauimus casus, numerosq́, & genera. Nam (ut ego sentio) hæc omnia habẽt in genitiuo, ut delectatio fruẽdi principatus, fruendæ prouinciæ, fruendi imperij, molestia educandorũ filiorum, locandarum filiarum, colendorũ prædiorũ: regitq́ hic genitiuus aliquando casum. Cicero: Equidem efferor studio patres uestros, quos colui & dilexi, uidendi. Nam durum fue

rat futurum, studio uidendorũ patrum uestrorũ. Et quoties oporteat loqui per relatiuum, necesse est loqui per hoc gerundium, ut hic dies attulit initium dicendi quæ uellem, non autem dicendorũ eorum, quæ uellem. Illud Titi Liuij lib. 21. nisi scriptura uitiosa est, certe uitio non caret: Non enim uereor, ne quis hoc me uestri adhortandi causa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Adhortandi enim singularis numeri est, uestri uero pluralis. Item Cicero libro 2. de diuinat: Dolebis tamen Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Plaut. in Captiui duo: Nominãdi tibi istorũ erit magis quàm edundi copia. In datiuo, Vaco agro colendo, uineæ pastinandę, nemori succidendo. In plurali una uox est trium generũ, ut uaco agris, uineis, nemoribus procurandis. Qui casus regimen non habet. Absurdum sit nanq; dicere, do operam colendo agrum, uel legẽdo librum. Soluendo non sum, nunquàm patitur secum substantiuũ. Ideo dubitari potest, an datiuus sit, an ablatiuus. Significat autem satisfacere, pro eo, quo obligatus sum, siue pecunia, siue remuneratione. ut Quintil. Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi soluendo non sumus. Vult autem semper post se datiuum, licet non semper apponatur. Interdũ etiam alium casum, ut apud eundem: Maximi tum uirorum, & quibus artis suæ soluẽdo non sit humanitas. In accusatiuo, ut eo ad salutãdum fratrem, ad salutandam sororẽ, ad salutandũ sidus, ad salutandos fratres, ad salutandas sorores, ad salutanda sidera. Quod elegantius dicitur, quàm cum regimine, ut eo ad salutãdum fratres, ad salutandum sorores, ad salutãdum sidera. Per alias quoq; præpositiones similiter, sed inter, raro habet cum gerũdio substantiuum, rarius regimen. Vt Liuius lib. 11. Et ipse inter spoliandũ corpus hostis ueruto percussus. Et iterũ: Inter accipiendas de suis commodis rogationes. De ante, nullum tale impræsentiarũ exemplũ occurrit. In ablatiuo sine præpositione: ut, fit iniuria domino fundi, uel defringendo ramo, uel ligno incidendo: res eunt ordine lite ęstimãda, id est, quũ defringitur ramus, quum inciditur lignum, quum lis æstimatur: uel defringendo ramũ, incidendo lignũ, æstimando litem. Sed frequentius usi sunt ueteres ablatiuo plurali in tali genere sermonis, ut Cicero: Orationem autem Latinam profectò legendis nostris efficies pleniorem, id est, legendo nostra. Nam in singulari solebant sæpius apponere præpositionem, ut in committẽdo prælio. Regit autem hic ablatiuus sine præpositione casum, ut hos accusando, illos occidendo totam ciuitatem labefactasti. Cum præpositione in, tum regit, ut *in* tribuẽdo suũ cuiq;: tum uariat genera, ut in colendo agro, *in* pastinanda uinea, in nemore excidendo. Per De, simili modo etiam regit, ut Cicero in Tusculanis: His præsertim cognitis, quæ de nihil sentiendo paulò antè dicta sunt. Nisi dicimus, nihil esse aduerbium, non nomen. Et uariatur per genera, ut de accusatore constituendo, de collocanda filia, de prædio emendo. Per ex, uel è, & à, uel ab, nescio an liceat dare tali gerundio regimen: nullum enim exemplum occurrit. Variari autẽ per genera certum est. Cato: Ex cataplasmatis bibẽdis, ex aluo leuanda. &: Abstineas ab offendẽda Repub. Sed cauendũ, ne id uerbum significet motum, quale esset reuertor ab arando, uel ab arando aruo. Redeo à spectando, uel à spectandis ludis: quum sit dicẽdum, reuertor ab aratione, uel ab aratione arui, redeo à spectaculo, uel à spectaculis ludorum. Per cum uix locum habet talis oratio, ut nõ participiũ sit potius, quàm gerundium: ut sedeo cum uiro coronando, id est, qui coronabitur, non autem qui coronatur. Posset habere regimen, sed nullum exemplum ad manum est. Atq; omnia gerundia cùm sociata sint substantiuis, passiue accipiuntur. Disiuncta uero, actiue: nonnũquam passiue, utiq; sine genere & sine præpositione in casu ablatiuo, & quasi absolute, ut apud Vergilium:

Alitur uitium, crescitq; tegendo. Et alibi: Aegrescitq; medendo. Et iterũ:

Vritq; uidendo Fœmina: hoc est, quum tegitur ustium, quũ curatur æger, quum uidetur fœmina. Neq; id modo apud poetas, uerũ apud oratores quoq;, ut apud Mar. Fab. Sed memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur: excolendo, dum excolitur, non autem dum excolit. Nec regit casum, quale foret: urit fœmina uidendo à maribus. Sicut dicimus, uruntur uiri & equi uidendo fœminas. Accusatiuus quoq; cum præpositione nõ tantum actiue accipi solet: ut tu es idoneus ad discendum, sed etiam passiue, ut hæc res est facilis ad discendũ. Sallust. in Iugurthino: Pauca suprà repetam, quò ad cognoscendum omnia illustria magis magisq; in aperto sint. Quidam uero indoctus hac ætate scribere ausus est: Iamiam urbs in periculo capiendi est, pro eo quod est, urbs iam in periculo est, ne capiatur, siue hostis parum abest à capienda urbe. Quum semper sine substantiuo gerundiũ accipiatur actiue, aut si à neutro uenit, neutraliter: nisi aliquãdo, ut ostendimus, in ablatiuo.

## *De supino in tum.* Cap. XXVIII.

DE supinis ita ait Priscianus in compendiario quodam opusculo: Sed hoc interest inter amandum quod est gerundium, & amatum quod est supinum: quòd amãdum necessitatẽ amoris significat, amatum autem imitationem ad amorem. Dignum obseruatione præceptum elegantiæ, si modo uerũ: quod minime est, tum autoritate, tum ratione. Nam autoritatis loco exemplũ nullum posuit: Et quodnam quæso ponere poterat? Quid interest uado uenatum, & uado ad uenandum? uado piscatum, & uado ad piscandum? dormitum, & ad dormiendum? Sallustius: Legatos ad Iugurtham de iniurijs questum misit. Et iterum: Non mea culpa ad uos sæpe oratum mitto P. C. sed necessariò, non imitatione. Præterea pro ratione hoc sit, quòd Græci pro his duobus nostris transferentes utuntur uno suo infinitiuo cum articulo πρὸς τὸ παρακαλεῖν, quod nos uicissim transferentes, nunc per gerundium, nunc per supinum interpretamur. Si quid autem inter hæc duo interest, id erit, quòd supinum nunquam ferè est sine uerbo significante motum ad locum, ut eo, ut uenio. Nam illa, do filiam nuptum, do uenum, siue uenundo ædes, spectatum admissi fuimus, latentem in se motũ obtinent. Idem Priscianus in alio grandi opere & multi tum ingenij, tum laboris inquit: Frequenter tamen antiquissimi neutro participio futuri addebant esse, & infinitiuum futuri significabant, ut oraturum esse, pro oratum ire: facturum esse, pro factum ire: nupturum esse, pro nuptũ ire, quod mihi minime uidetur. Nam ut cõcedam, quod meritò denegare possum, quòd Latinè, aut certe usitate dicamus, pro eo quod est, cupio filiam meam nuptũ ire, & nos factum ire: Cupio filiam meam nupturũ esse, & nos facturũ esse: quum dicendum sit nupturã esse et facturos esse. Dico aliud esse oratũ ire, & oraturũ esse. Ego quidem cœnaturus sum, non tamen eo cœnatum, uel ad cœnandum. Et scio te cœnaturum esse, sed non protinus ire cœnatum, uel ad cœnãdum. Nam participium futuri cum uerbo substantiuo non habet actionem illam, & motum, quem habet uerbum eo. Atqui in passiuo fuerat uerisimilius, si dixisset: quo etiam freqũter utuntur autores, idem esse, damnãdum esse & damnatum iri. Nam eodem loco dicere possumus, credo peccatum meum resciscendum esse, & rescitum iri. Item intelligo, scio, uideo, opinor, existimo peccatum meum patefaciendum esse, uel patefactum iri: & cætera uerba huiusmodi. Illa autem quæ ad futurum respiciũt, ut timeo, metuo, uereor, spero, cupio, non idem faciunt, quibus maior differentia est cum passiuo participio futuri: ut uereor peccatum meum patefactum iri, magis quàm patefaciendũ esse. Cupio culpam meam celatũ iri, potius quàm celandum esse. Item timeo peccatũ meũ patefactum iri. Et pro illo modo per passiuum participium futuri substituimus hunc: timeo peccatũ meum ne patefiat, uel

ut patefiat:

ut patefiat: quod fieri nequit in alijs uerbis. Nō enim licet dicere, scio peccatum, ut resciscatur, sed rescitum iri, uel resciscendum esse. Deniq; (ut eò reuertar, unde egressus sum, & semel Prisciano respondeam, non idem esse oratum ire, & oraturum esse) alterū præsentis temporis est, ut uideo te accusatū ire me, id est, nunc: alterum futuri, ut uideo te accusaturū esse me: & tamen accusatū iri me abs te uideo, accipitur pro eo quod est, uideo te uel accusatū ire me, uel accusaturū esse me, uel abs te accusandum esse me.

*De supino in tu.* Cap. XXIX.

IDem autor & in eodem quo suprà dixi opusculo, ita ait: Hoc interest inter amando & amatu: quòd amando est in ipso amore, amatu uero pro amatione, uel pro amore, id est, pro ipsa re accipit. Et hoc manifestat ipsa etiā interpretatio Græca. Sed an hæc differentia uera sit, & hoc ex Græco argumentū quantū momēti habeat, Priscianus uiderit. Mea autē sententia tum ex superioribus quæ dixi in gerūdio, tum ex sequētibus apparebit. Paulò pòst subiūgit: Accipitur uenatum pro ad uenationē, quomodo uenatu pro uenatione: sicut miserabile uisu pro uisione. Et: Nec uisu facilis, nec dictu effabilis ulli: pro uisione & dictione. Multis igitur modis sicut & in alijs docuimus locis, nomina sunt hæc accipiēda magis, q̃ uerba. In hoc ego à Prisciano liberè dissentio, uel ratione quā postea dicā, uel autoritate, & potissimū Mar. Fab. quem omnibus sine controuersia ingenijs antepono, qui ait, dictu factuq; aliud esse quàm dicto factoq;, quæ Prisc. appellat dictione & factione, quæ alius in significando figuræ sunt quàm uisione & uenatione. Prĕterea Quintilian. uocat uerba participialia, sicut à multis gerundia dicūtur nomina participialia. Et (quod ad rationem pertinet) supina hĕc per uerbum potius à Græcis transferūtur, quàm per nomen: quòd si nomina forent casus ablatiui, certe alij casus non deessent. At nemo unquam auditum habet, hic dictus, hic factus, sed tantū dictu & factu. Propter quod necesse est aliud esse quàm dicto & facto, siue dictione & factione, id est, aliud quàm nomen. At uisu, auditu, cognitu, inquies, omnes casus habent, & hi ablatiui sunt. Hæc parū prudentis, aut certe parùm perspicacis est ratio. De qua antè quàm dicam, libet castigare uulgus imperitū grāmaticę professorum, qui uniuersum sanè orbē stulto errore peruertūt, sic semper loquentes, eo lectum, uenio lectu, pergo auditū, reuertor auditu. Qui error unde profectus, & quo ex fonte imperitiæ emanauerit, nescio: summoq; opere hallucinationem publicā admiror, quòd tandiu à nemine animaduersus est. Nunc ostendamus quæ differentia est inter uisu & auditu nomina, & inter uisu & auditu uerba. Quando sunt nomina significāt sensus corporis, coniunguntur cum adiectiuis, regunt casus, reguntur etiam à uerbo & participio, subseruiente quoq; præpositione: ut careo toto uisu oculorum, antea priuatus auditu aurium, nōnihil etiam ex odoratu. Hæc omnia absunt à supino: siquidem non rem, non substantiam, non qualitatem, sed actionem, seu potius passionem uerbi significant. Non iunguntur cum adiectiuo, non regunt casum, non reguntur, nec à uerbo, nec à participio, sed à nomine tantum, eodemq; adiectiuo, nunquàm interueniente præpositione: ut miserabilis uisu, id est, quum uidetur, non autem miserabilis sensu uidendi: facilis uisu, id est, ut uideatur, uel facilis ad uidendum, non autem quòd habeat uisum facilem: effabilis dictu, id est, ut dicatur, non autem ut dicat. Optimū factu, id est, ut fiat, non autem ut faciat: difficile factu, quia difficile ad faciendum est: incredibile memoratu, quum memoratur, non memoratione: dignum auditu, quod est audiri dignum, non ut sensu audiendi potiatur: impossibile creditu, ut credatur, nō ut credat. Accipenser piscis rarus inuentu: ut inueniatur scilicet, non ut inueniat: res iucūda cognitu, ut uidelicet cognoscatur: absurdum relatu, cum refertur: obscœnū aspectu, quū aspici-

 tur,

tur,& si qua sunt alia. At homo superbus dicto & dictis,non dictu. Saeuus facto & factis,non factu,id est,quum dicit,non quum dicitur, quũ facit, nõ quum fit. Res uero saeua factu & dictu,id est,quum fit aut dicitur,non quia facit, aut dicit. Scipio clarus administratione bellorum dicitur,& administratu bellorũ,quãdo est ablatiuus,id est,administratione. Cato dignus administratione Reipub. & administratu, eodem modo. At Respub. digna est administratu, uerbum est, id est,ut administretur,nisi addendo genitiuum facias nomen,administratu Catonis. Quare in illo Vergiliano,quod Priscianus attulit:

Nec uisu facilis,nec dictu effabilis ulli: quandoquidem abest genitiuus, non est nomen,ut ille uult,pro uisione, & ditione,sed uerbum,pro eo, quod est ad uidendum uel audiendum. Nec ignoro à multis legi affabilis, non effabilis, quod putatur sumptum ex illo uersu Accij in Philoctete: Quem neq; tueri contrà,neq; affari queas. Quod si ita est,nomen esse cõfitebimur,sed tamen nequaquam supinũ. Multi scripserunt de cultu agrorum, nomen est,id est,de cultione & cultura agrorum. Locus autem saxosus non est dignus cultu, nempe ut colatur, uel dignus coli. Homo dignus amatu, puer dignus doctu, liber dignus lectu:id est,qui ametur,doceatur,legatur. Ideoq; quum ex omnibus uerbis passiuis liceat uti talibus supinis,raro tamen eiusdẽ uocibus utimur loco nominum. Quis enim dicat, tu es priuatus amatu meo, exclusus à doctu meo, doctus sine lectu meo? profecto nemo. Ex quo apparet, quum in usu uulgatissimo sint pro uerbis,ut ille liber est dignus lectu,non posse inter nomina numerari. Ea tamen quæ ambiguũ usum habent uerbi & nominis,animaduertendũ est utram in partem accipi debeant:ut tu es dignus gubernatu: si pro gubernatione, nomen erit: si pro eo quod est,ut guberneris,uel dignus gubernari, uerbum:sed nomini accommodare solemus,aut etiam debemus genitiuũ:uerbo nec debemus, nec solemus. Deniq; ex duobus supinis alterum actiuo uerbo dare possis,alterũ passiuo,ut amatum sit ab amo,amatu ab amor.

*De participio præteriti temporis significante actionem, & de præsenti, passionem. Cap. XXX.*

PArticipia quædam in uoce passiua actionem:quædam in actiua passionem significant. Circumspectus, Consideratus, Disertus, Cautus, Tutus, Ignotus, Argutus, Falsus, Contentus, Tacitus, Profusus. Fluxus, Scitus, & quo nonnulli utuntur, Discretus. Circũspectus est non qui circũspicitur, quem solemus appellare conspicuũ,sed qui circũspicit, & in omnem partem more Iani spectat, hoc est, prudens & sagax. Cõsideratus, inconsideratusq; qui agenda cõsiderat, aut secus,non qui cõsideratur,aut non cõsideratur. Disertus qui probe disserit, non qui disseritur. Cautus qui scit sibi cauere,non cui cauetur. Nonnũquam tamen res cui cauetur,ut pro Cecinna Cicero: Quò res mulieri esset cautior. Tutus portus,tuta urbs,quòd tueatur alios,non quòd ab alijs defendatur. Tamen sæpe passiue in hominib. ut tutus sum ab hostibus, quòd munitus, & sine periculo sum. Ignotus etiam sæpe actiue, ut Quintilianus: Ne quis tamen erret ignotus, non est filij mei nouerca,sed mater:ignotus dixit pro ignorãs, & pro hospite & alieno,non pro ignorato. Argutus qui est acuta quadam, & accurata solertia, quasi acute arguens,& uestigans,non autem ab altero acute intellectus & uestigatus. Falsus qui fallit, ut Terentius: Censen' me aliquẽ causam fictam, falsam, ineptam saltem potuisse proloqui? Aliquando etiam passiue, ut idem: Carne falsus es,id est, deceptus es. Et Sallustius: Nec ea res me falsum habuit. Contentus qui continet,quod animo satisfacit, non qui continetur. Tacitus homo, taciturnus. Vergilius tamen posuit passiue:

Quis te magne Cato tacitum,aut te Cosse relinquat?

Profusus & fluxus actiue apud Sallust. Alieni appetens, sui profusus, quasi profusor. Nam diuitiarũ & formæ gloria, fluxa & fragilis habetur. Scitus qui sciens est, & argutus, unde scitæ Platonis interrogationes dicuntur, astutæ & uafræ, ac cum magna arte compositæ. Vt apud Terentium quoq;: Scitum hominem, hic prorsus ex stultis insanos facit. Nisi accipere uelimus passiue, ut apud eundẽ: Scitus puer natus è Pamphilo est: quasi scitè & doctè natus. Discretus qui qualitates personarum, & rerum momẽta discernit, non qui discernitur. Complacitus autem ab actiue uoce sicut fluxus uenit, habetq; significationem nec actiuã planè, nec passiuã sicut fluxus & inueteratus, quod & ipsum ab actiua uoce descendit inueterasco. Neutralis enim uerbi & actiui una uox est, sicut passiui & deponentis, atq; cõmunis, cui simile est iuratus à iuro. Iuratos enim iudices dicimus, qui iurarunt: & excretos hœdos apud Vergiliũ, ab excresco. Et exoletus ab exolesco, quod dum est substãtiuum, significat scortum masculum, & præcipue iam adultum: dum est adiectiuum, significat adultũ, sed raro reperitur, ut apud Plautum: Reliqui domi exoletam uirginem. Adultus ab adolesco. Defectus quoq; qui deficit. Vt Martialis:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Quintilian. Defectaq; labore senectus, magna pars mortis nihil mihi reliquit, nisi diligentiam. Et hæc quidem significationis actiuæ in uoce passiua: pauciora sunt in actiua passiuæ. Euidens negotium dicitur, quod uidetur aperte, & intelligitur, non quod uidet, & intelligit. Indulgentior facies apud Quintilianũ pro pulchra, non quæ aliĳs indulgeat, sed cui aliĳ indulgeant. Idem in alio loco: Fili indulgentissime uidi te, nec semel uidi. Vnde Statius:

Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro
Vultus, & egregiæ tanta indulgentia formæ.

Præterea honorificẽtissimos, magnificentissimos, munificentissimos ludos quũ dicimus, uidemur passionẽ significare in participio præsentis tẽporis: ab honorificens enim, magnificẽs, munificẽs ueniũt, licet ficens pro faciens non dicatur, uel certe à magnificus, munificus, honorificus: quæ cũ facio cõponuntur, quod est actiuũ, & tamen ita accipiũtur quasi honorifice, munifice, magnifice facti, nõ autem facientes. Sed causa est, quòd hęc ipsa cum facio cõposita tam actiue, quàm passiue significant. Siquidem uocamus hominẽ magnificum, & opus magnificum. Illum quidem magnanimiter facientem, hoc uero magnanimiter factum.

*Participium præsentis temporis pro præterito poni.* *Cap. XXXI.*

SOlent autores nonnunquam pro præteriti participio substituere illud præsentis, nec solũ Latini qui carent participio præteriti actiui, sed Græci quoque qui non carent. Cicero in Bruto: Quum è Sicilia discedens Rhodum uenissem. Non enim quis discedens applicat. Multum inter principium uiæ, & finem interest. Primum discedimus, postquã uero discessimus, nauigamus, uel iter facimus: postea quò tẽdimus, peruenimus. Quomodo ergo discedẽs è Sicilia uenit Rhodũ? nẽpe utẽs pręsentis participio loco pręteriti, quod deest. Quod probat per aliquod uerbũ, cui nõ desit huiusmodi participiũ: quale est proficiscor. Neq; enim dixisset, quũ è Sicilia proficiscens, sed profectus. Vt idem de Officiĳs lib. 3. Si exẽpli causa uir bonus Alexandria profectus, magnã frumenti numerũ Rhodum aduexerit. Nec tamen quis in omnibus uerbis permissum esse, quod in discedendo permittitur, putet: ueluti si dicas, quũ amicos salutans, qui Alexandrię erant, Rhodum uenissem: dicendũ erat, amicis salutatis. Nam is qui recedit, tandiu recedere dicitur, quandiu tendit ire, dumq; perueniat: quod non idem fit in salutando. Si quis tamen hoc sæpius uti uelit, faciat, sed temperate.

*De compendio participij.* Cap. XXXII.

HAbet autem participiũ talem, tantamq́ nonnunq̃ gratiam, ut sine eo ne sit Latina planè oratio, ut est apud quendam persæpe hoc uitium admittentem. Circũdedimus castris fossam, & uallum, ne hostes uenire possint, & nos opprimere. Quasi fossa, & uallum ideo fiant, aut hoc præstare queant, ne hostes uenire possint. Sola ratio est, ac cautio de oppressione. Itaque dicendum fuit, ne uenientes hostes, aut ne aggressi hostes, nos opprimant.

*De participijs in ens, in substantiuum transeuntibus.* Cap. XXXIII.

PRæsentis temporis participia solent, quum substantiuantur, neutri generis esse, ut accidens, contingens, antecedens, consequens, decens, conueniens, præsens, cõtinens, apud rhetores pro firmamẽto rationis. Quædã tamẽ alterius generis sunt, masculini, ut oriẽs, occidẽs, profluẽs, pro flumine, & cõfluens quò duo flumina conueniunt. Fœminini, cõtinens pro terra quæ non est in insula: ut à Sicilia ad cõtinentem parum intercapedinis est. Plinius maior lib. 6. Alymnum à proxima cõtinente abest 197. passuũ. Animãs quoq;, ut Cicero: Requirat atq; appetat, ad quas se applicet sui generis animantes. Nonnũquam tamen hoc nomen in neutro genere reperitur, sed magis in plurali. Consonans pro litera non uocali. Prægnans uero unde sit participium, nescio. Alia quoq; quædã huc pertinentia, in nostris de philosophia libris commodius explicantur.

*Quòd participium futuri temporis in nomen transit.* Cap XXXIIII.

NE illud quidem transeundum est, quemadmodũ participiũ passiuum futuri tẽporis transit in nomen: Amandus, dignus amari: colendus, dignus coli, ita & actiuũ. Seneca de naturalib. quæst. Nullã autẽ mentionẽ fecit cometarũ, non prætermissurus si quid exploratı apud illos cõperisset: prætermissurus dixit pro eo quod est, talis qui prætermitteret: nec tẽpus innuit, sed hominis qualitatem, atq; animi uoluntatẽ. Quntil. in 11. Neq; omnino huius rei meminit usquã poëta ipse: profectò non taciturus de tanta sua gloria. Nõ alio modo dixit, non taciturus, quàm per participiũ passiuũ iam conuersum in nomen, ut modo dixit, tacendũ dignũ taceri. Neq; omnino significauit hoc usquã poëta ipse, profectò rem sibi non tacendã. Et adhuc Plin. Iun. Itaq; partẽ oneris tui mihi uendico, & tanq̃ parens alter puellæ nostræ cõfero quinquaginta millia nummũ: plus collaturus, nisi à uerecũdia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse confiderem ne recusares.

*De repetundis & repetundarum.* Cap. XXXV.

REpetundarũ, & de pecunijs repetũdis, nõ habet alios casus: & dubitari potest participium'ne sit, siue nomen, an gerundiũ. Verres accusatus est repetundarũ, uel de pecunijs repetundis. Quũ dico repetundarũ, subintelligo pecuniarum. Quo nomine, pecuniæ, & omnia quibus diuitiæ constant, cõtineri dicimus. Hæc accusatio proprie cadit in eos, qui quũ forent magistratus, prouincialibus aut ui, aut dolo eripuerũt pecunias, aut uasa pretiosa, uestem, frumentũ, nauigia, nummos. Mutatur autẽ e in u, repetendarũ enim erat dicendũ. Sed tertia coniugatio præter cæteras hoc iuris habet, ut literã hanc immutare possit, sicut accusatiuo plurali tertiæ declinationis licet mutare eandẽ uocalẽ in i, dũtaxat in his nominibus, quorũ genitiuus pluralis exit in ium, ut Seruio placet: nam Priscianus plura præcepta dat. Sallustius in initio Catilinarij: Omneis homines, qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne uitã silentio transeant. Ita hoc siue participiũ, siue nomen, siue gerundiũ: à tertia coniugatione natũ mutauit e in u, uel ob hoc saltem, ut differret ab illo, quod dicitur ad res repetendas: ut sunt missi legati ad res repetendas, quo significatur, aut principi, aut populo erepta esse uel pecorum, uel hominum, uel locorum, aut terrarũ, agrorumq; corpora.

Libri primi finis.

# LAVRENTII VALLENSIS IN SECVNDVM LIBRVM ELEGANTIARUM PRÆFATIO.

HACTENVS de nomine uerboq́, & ex his duobus cōposito participio: nunc de alijs partibus orationis, quid singulę proprietatis habeāt, disseramus: postea de earum disputaturi complexu. De quo priusquàm ego dicam, nō puto mihi dissimulandum, non defore qui meos hos commentarios antequàm legant, sumantúe in manus, putēt respuēdos, tanquàm aut ea, quę haudquaquam uetustas statuisset digna memoratu continentes, aut uetustatē ipsam partim negligentiæ, partim imperitiæ condemnantes, quòd præterisset quæ essent in primis (ut ego sentio) digna, quæ literis mandarentur, aut potius utrunque facientes, quòd inepta quędam minimeq́ memoratu digna præcipiam, & ueteres illos perfectos sanè & consumatos, existimem minus commodè præcepisse. Ego uerò (ut ad illud primum respondeam) non uideo cur hanc, de qua loquor, materiam se indignam existimasset aut Caius Cæsar qui de analogia, aut Messala, qui etiam de singulis literis uolumina conscripsit, aut Varro qui de Etymologia minutissimas tractauit quæstiones, aut Marcellus, Pompeius'que linguæ Latinæ indagatores, aut Aulus Gellius publicus penè literarum censor, qui ut magnum quiddam annotasse se præter cæteros apud Ciceronem existimat, explicauerunt pro explicuerunt, & esse in hostium potestatem, pro potestate, quæ ipse indigna ducerem opere meo: aut Macrobius Gellij æmulus, qui omnes libros uidetur excussisse, ut aliquid in Latina lingua, quod auribus hominum dignum esset pro sua uirili parte conferret in medium. Aut tres illi tanquam triumuiri, de quorum principatu inter eruditos quæritur, Donatus, Seruius, Priscianus: quibus ego tantum tribuo, ut post eos quicunq; aliquid de Latinitate scripserunt, balbutire uideantur: quorum primus est Isidorus indoctorum arrogantissimus, qui quū nihil sciat, omnia præcipit. Post hunc Papias, alijq́ indoctiores, Eberardus, Huguitio, Catholicon, Aymo, & cæteri indigni qui nominentur, magna mercede docentes nihil scire, aut stultiorē reddentes discipulū quàm acceperunt. Multos transeo, quū indoctos, quos numero comprehendere non licet: tum doctos, inter quos sunt Pædianus & Victorinus: quorum alter ad orationes, alter ad rhetoricos Marci Tullij commentaria composuit: sed prior ut ætate, ita doctrina longe antecedit. Postremo non uideo, cur aliquis de grammatica ac lingua Latina cōponens, hæc suo officio minora existimet, quibus nihil sanè est in grammatica & Latinitate præstantius, ut proximus liber potuit esse documento. Quod quum ita sit, dicam'ne aut eos imperitia hæc omisisse, aut negligentia? minime. Sed C. Cæsaris, ac Messalæ libri interciderunt temporum culpa. Varronis uerò de lingua Latina dimidiati repe riuntur, in quibus fortasse ea quæ ego præcipio, continebantur. Cæteri autem (fieri potest) ut quæ à superioribus tractata nouissent, sibi nō attingenda existimarent. Deniq; multi scriptores ad nostrā usq; memoriā nō peruenerunt. Neq; uerò aliquis hoc loco expectet, ut dicā, nō esse cōtumeliosum prioribus, si quid ad illorum inuenta posteriores adijciant. Nulli unquàm ab antiquis ad eundem cursum conficiendum uiam fuisse præclusam. Nihil usquequaque perfectum; non omnia posse omnes. Non dicam id quod Priscianus ait: artis grammaticæ uetustissimos quosque autores maxime errasse, recentissimos uerò & ingenio, & diligentia longe præstitisse. Id dicā, quod uere possum dicere, me non

tam mea uoluntate (quæ ardentissima erat) ad hoc opus descendisse, quàm prudentissimorum, atque amantissimorum consilio, quum aliorum, tum precipuè Aurispę, & Leonardi Aretini, quorũ alter Græcè legendo, alter Latinè scribendo ingenium excitauit meum: Ille præceptoris (uni enim mihi legebat) hic emendatoris, uterq; parentis apud me locum obtinens. Ad quos quum separatim de proposito animi mei retulissem, degustationemq; quandã operis demonstrassem, uterq; pro se, ut pergerem, hortatus est, & ut se autore ederem, iussit: ut iam integrum mihi non esset, illorum autoritati repugnare, si repugnare uoluissem. Sed currentem (ut dicitur) incitarunt. O uiros omni laude dignissimos. O de literis ac de literatis optime meritos, non ueremini, ne alij, eò quò peruenistis (licet perquàm arduũ sit) perueniant: sed hortamini, incenditis, & quasi de alto manũ scandenti porrigitis. Quare querentibus, atq; mirantibus audaciam meã, ita responsum uelim, me summis uiris suadentibus hoc opus & condidisse, & edidisse. Quanquàm (quod ad cupiditatem meam attinet) quę tandem socordia atq; ignauia mea extitisset, si commisissem, ut alius hanc laudem mihi qualemcunq; præriperet? Sunt enim qui nonnulla horum quę à me præcipiuntur, uel de me, uel de auditoribus meis audita (nunquàm enim ista suppressi) in opera sua retulerint, festinãtq; edere, ut ipsi priores inuenisse uideantur. Sed res ipsa deprehendet, cuius domini uerè sit hæc possessio. Quorum unius libellos quosdam pro amicitia quũ legendos eo præsente cepissem, deprehendi quędã mea, & quę me amisisse nesciebam, furto mihi sublata cognoui. Parco illius nomini. Erat autem locus de per, & quàm in compositione, de qua re proximo libro disputaui: & de quisq; quum adiungitur superlatiuo. Negligenter ille quidem & inscitè tractatus, ut scires aliunde decerptum, non ex se prolatũ: & auditum, nõ excogitatum esse. Conturbatus tamen sum, & inquam homini: Hanc ego elegantiam agnosco, & mancipium meũ assero, teq; plagiaria lege conuenire possum. At ille erubescens, ioco tamen atque urbanitate elusit, quod diceret, uti rebus amicorum licere ut suis. At istud inquam abuti est, nõ uti. Nihil enim mihi reliqui fit, ubi tu huius rei, in qua ipse laboraui, palmã semel occupaueris. Tum ille etiã urbanius, quòd malus parens essem, qui filios, quos genuissem, & educassem, è contubernio eijcerem: ipse tum misericordia, tum amicitia nostra ad se domum suam colligeret, atq; educaret pro suis. Destiti in illũ stomachari intelligens multò magis mihi bona mea negligenti, quàm illi bona ab alijs neglecta colligenti uitio dandum esse. Quare quis non uidet, non inhonestũ esse, ea me mandare literis ex me inuenta, quę alij ne furto quidẽ sublata, turpe sibi ducunt scriptis suis inserere? Adductus sum igitur ad hoc opus cõponendũ non modò magnorũ hominũ cõsilio, sed etiam necessitate. Nunc ad inceptũ redeundũ est.

### *De tribus pronominibus, Mei, Tui, Sui.* Cap. I.

MVltis in locis Priscianus testatur nihil interesse, an utamur primitiuo, an deriuatiuo in illis pronominibus, mei, tui, & sui. Quid est, inquit, meus est filius, nisi mei filius? Et alibi, mei ager est, & mei agri instrumentum: & mei agro dedit, & mei agrum colo, similiter mei agri, & mei agrorum, & mei agros dicimus. Similiter tui agrũ, & tui agros: sui agrum, & sui agros: nostri agrũ, & nostri agros: uestri agrum, et uestri agros. Et alibi, amat ille suum filium, & amat sui filium: benedicit suo filio, & benedicit sui filio. Petit à me ut prosim sui filio, & prosim suo filio: et in alijs adhuc locis, nisi hac ratiõe, ut ipsius utar uerbis. Si ipsa tamẽ possessio in possessorẽ faciat transitionẽ, nõ est congruũ uti genitiuo primitiui ꝓ possessiuo

quia

quia uim habet compositi Græci: ut, Ciceroni redit sui filius: non satis commode pro hoc dicitur, Ciceroni redit sui filius, nec Ciceronem laudat sui filius pro suus filius, & similia. Quia nec apud Græcos bene dicitur, Κικέρωνα φιλεῖ ἑαυτοῦ υἱός, nisi more Attico pro simplici accipiatur. In quo Priscianum falli uel ex hoc argumentum est, quòd nulla (ut ferè solet) autorum exempla attulit, & de contrario illorum usu reticuit. Ego autem (quoniam de his trium pronominum genitiuis inter me, & Priscianum quæstio est) aliquantò altius repetam de natura genitiui, & de usu doctissimorũ autorũ disputabo. Et licet nõ pauca in hanc rem mihi dicenda sint, nõ prosequar tamen paruula & minuta quędã, & tot uerbis, quot ille fecit, sed quę eruditissimis euadere uolẽtibus, sint gratissima: quę quũ ignota fuerint Prisciano, declarant eum nõ satis stylo oratorio fuisse exercitatũ. Genitiuus omnis (ut taceam, si qui sint alij modi) aut actiuè, aut passiuè accipitur: Adde etiam possessiue, quod penè pro actiue accipio. Actiue, ut prouidẽtia dei, bonitas dei. Passiue, ut timor dei, cultus dei: Ibi deus prouidet, & benignè agit, nõ ipsi prouidetur, et benignè fit: Hic timetur et colitur, nõ timet, nec colit. Possessiuè, ut sedes dei, regnũ dei. Atq; in huiusmodi oratiõe, ut intellectus apertus atq; unus est, ita in illis ambiguus & anceps. Amor dei, charitas patris, suspitio uxoris: dubiũ est de utro loquaris, an de amore, quẽ deus in nos habet, an de eo, quẽ nos in eũ: de charitate patris in filios, an filiorũ in patrẽ: de suspitione maritali, an de suspitione uxoria. Taceo quòd aliquando hi genitiui eidẽ orationi adsunt, ut in Catone maiore Cic: Quid de P. Licinij Crassi & pontificij, & iuris ciuilis studio loquar? Crassus studet, quod est actiue: ius (ut sic dicam) studetur, quod est passiue. Iterum de officijs lib. 1. Quare L. Syllę & C. Cęsaris pecuniarũ translatio à iustis dominis ad alienos, nõ debet liberalis uideri. Tria igitur pronomina, de quibus agimus, sola omniũ binos genitiuos sortita sunt: unos, mei, tui, sui: alteros, qui iã exoleuerũt, mis, tis, sis: in quorũ penè locũ successerũt deriuatiua, meus, tuus, suus. Horũ binorũ genitiuorũ antiquitati placuit, alteros actiuè significare, alteros passiuè. Nã illa, mis, tis, sis (ut coniectura ducor) actiuè, siue possessiuè significabant: ut hęc ipsa, meus, tuus, suus, unde pronomina possessiua uocitantur. Ennius lib. 2. Ingens cura mis cõcordibus æquiparare. Plau. in Pœnulo: Do diẽ hunc sospitẽ rebus mis agundis. Quamuis idẽ in Milite, & iterũ in Mercatore, tis pro tui uideri possit accipere, tamẽ hic cũ Enn. mis posuit, p meis, nõ pro mei. Quod nõ licere fieri, autoritatẽ ex autorib. repetamus, nec accipi unquã mei, tui, sui, nisi passiue. M. Fabius Quintil. Et (quod inter ista difficilimũ fuit) amore mei uicit etiã matrem suã. Cic. Quod desideriũ tui ferre nõ possct, et me tui pudet. Verg. in 6. Quiq; sui memores alios fecere merẽdo. Terent. Vnum scio hoc, hanc meritã ut memor esses sui. Non significatur hîc amor meus, quẽ in alterũ habeo, sed (ut sic dicã) quem de me alter habet, & quo amor. Item non desiderium tuũ, sed alterius de te: & pudor nõ tuus, sed de te: & memoria nõ sua, sed de se. similiter in plurali duntaxat duorũ. Nã sui non uariat uocẽ genitiui pluralis, ac ne singularis quidẽ, ut Prisciano placet: Sis enim non reperitur, ut mis, tis. Ideoq; opinor & hæc duo illius exemplo pariter intercidisse, quũ præsertim in uicẽ eorũ succedant deriuatiua. Habent itaq; hæc duo pronomina in plurali nostrũ, & uestrũ, quę respondẽt ad illa mis, & tis: & itẽ nostri, & uestri, quę respondent ad illa, mei, tui: ut, Nemo nostrũ: nemo uestrũ: non autẽ nemo nostri, nemo uestri. Rursus habete curam nostri, sicut habemus curam uestri: non autem habete curam nostrum, sicut habemus curã uestrum. Si quis exẽpla desiderat, sibi facile reperire poterit. In diuersa opinione Seru. grammaticus est, qui ait: Nostri autem et uestri genitiuus plural. est antiquus, et ex Gręco descendẽs, sicut singularis est mis & tis: & hoc est unde dicimus, nostri causa fe-

cit, hoc

cit, hoc est nostrum. Forsitan A. Gellium (ut postea apparebit) est secutus. Sed hos & Priscianum cum alijs in errorem, ut auguror, induxit, quòd interdum inueniunt: hæc non ad aliam referri personam, sed reciproca esse, ut: Ego omnia facio amore mei, tu istud fecisti gratia tui. Verg.
Oblitus'ue sui est Ithacus discrimine tanto.
Sed non fuit causa cur errarent. Nam ita in his passio est, ut in illis: nec alio modo, aliquid ego facio amore mei ipsius, quàm tu amore mei. Vt enim diligor abs te, ita diligor à me: ut est apud Ouidianũ Narcissum: Vror amore mei: & tu, sicut ab altero, ita & à te ipso diligeris, & sibi quisq; amicus est, ut alteri. Est alia præterea causa cur errarent, quod uiderent hæc (quæ nos distinximus per actiuè & passiuè) in multis indifferenter poni: ut causa mea, & causa mei: fama mea, & mei: imago mea, & mei: potestas mea, & mei: usus, utilitas'q; mea, & mei: memoria mea, & mei: interdum etiam ipsa deriuatiua pronomina passiuè accipi, ut apud Terentium. Et lachrymis opplet os totum sibi: Vt appareat facilè desiderio id fieri tuo: uidelicet quòd tu desideraris, non quòd desideras. Quale est, accusatio mea, & crimen meum, quum accusor criminis, quasi accusatio mei, & crimen mei. Sed non satis solertis fuit, tam facilè falli. Nam ultimum, ubi passiuè positum est hoc pronomen deriuatiuum (quod quidem rarum est) non magis contra me facit, quàm contra ueteres omnes, qui hæc pronomina possessiua uocauerunt, id est, possessionem significantia, quod (ut dixi) rarum est. Ideo'que non passim hoc reperias. Non enim dicas pro eodem dolorem tuũ, & dolorem tui, ut dixit Terent. desiderium tuum, pro tui, quod scilicet ipse non dicerem. Verùm quandoquidem non infinita sunt hæc nomina, quæ natura quadam ab usu aliorum recedunt, non grauabor de nonnullis sigillatim dicere, dum non grauentur audientes legentes'q; hæc audire uel legere. Dicam tamen breuiter: & res digna scitu in primis, in qua uidemus maximos etiam esse hallucinatos. Primum est, causa mea uenisti, & causa mei. Causa mea accipitur possessiuè, eo modo, quo uia mea uenisti: pecunia mea fecisti sumptum, iter meo sumptu fecisti. Causa mei uerò passiuè, eo modo quo beneuolentia mei. Modus tamẽ prior est usitatior. Quid autẽ de hoc Seruius idem sentiat, postea uidero. Fama mea & fama mei, eiusdem rationis est: & mea fama frequentius dicimus. Imago mea, scilicet quæ mea est, ut statura mea, & forma mea. Imago mei, nempe quæ de me est. Sed prior modus est usitatior. Hæc quæ sequuntur, in utranque partem frequentiora, ut alterum tamen alterius sensus sit. Memoria mea actiuè, quòd ego recordor: memoria mei passiuè, quòd alij de me recordantur, uel mentionem habent: sæpe etiam possessiuè eo modo, quo fama mea. Dolor meus, quem ipse patior: dolor mei, quem alius de me patitur: uel forsan ego ipse, simq; dolens meam uicem, sicut dicimus misereor mei. Copia mea possessiuè, quam ego possideo: copia mei passiuè, qua ego possideor: ut, faciam omnibus copiam mei, non meam: meretrix facit omnibus copiam sui, non suam. Potestas mea, quam habeo: potestas mei, qua habeor. Nec pulchre dicas alterum pro altero: ut tu uides potestatem meã quanta est, non mei: habes potestatem mei, non meam: nisi aliud significet, pro eo quod est, habes eandem similem'ue potestatem, ut apud Cic. Bello Marsico Qu. Octauius omnibus faciebat sui conueniendi potestatem. Vtilitas mea, aliud est quàm utilitas mei. Ibi possideo, hic possideor. Quint. Sed ut aliquid præstaret patriæ utilitas mei, id est, de me. Nam fieri potest ut in eadem re sit utilitas sua alicui cum utilitate sui. Quidam legunt utilitas mea. Idem: Quid nunc agam, aut quem ultra esse usum mei dijs repugnantibus credam? usus inquam est nõ meus, sed ex me aliorum. Adhuc idem: Præsens quidem illa protinus redditur merces, quòd omnibus

quibus

quibus insedêre, odorẽ mellis inspirant, & breui cõtactu uim sui relinquũt: uim sui non suã, sed ex se. Quomodo tu captus amore mulieris, malles habere copiã sui quàm suam. Fastidiũ mei, quo ego ab alijs fastidior: fastidiũ meum, quo ego alios fastidio. Vt idẽ: Seu mulier omnibus exposita mortalibus uanitatẽ fastidio mei, despectuq; captauit. Hæc sunt & his similia, non tamen plurima, quæ ancipitem naturam habent, cætera uerò minimè. Non enim sic dicimus, pulchritudo mei, fortitudo tui, longitudo sui, ut imago sui, non prudentia, non ingenium, non sapientia, non probitas, non uirtus, nõ innumera alia. Quòd si tam parua res eos mouit, debuit è diuerso illud magis mouere, quòd quædã quæ & ipsa nõ multa sunt, habent ancipitẽ significationem, sed quam nemo nisi cæcus non discernat, ut pars, dimidium, medium, membrum, quid, aliquid, multum, & si qua alia. Quis enim non uideat, quum dico, hæc est pars mea, non de corporis mei parte intelligi, sed de hæreditatis? Et iterum, hæc est pars mei, non de hæreditate, sed de corpore? Manus pars mei est, non mea: fundus pars mea est, non mei. Dimidium tui maius est, quàm dimidium sui, profectò de corpore intelligo. Dimidium tuum maius est, quàm dimidium suum, de præda, aut de cibo, aut de successione, alijsq; similibus intelligendum est. Medium tui tangam, non medium tuum. E medio mei prodijt, non è medio meo: ut, Auferam iniquitatem de medio tui Israël. Membrum quum pro parte accipitur, eandem rationem sequitur: ut, hic puer membrũ mei est, quasi pars mei: sin pro membro aliquo, & in suo significato, ita accipitur, ut caput, ut manus, ut pes. Hic puer membrũ meum est, quasi sit caput, & manus. Hic digitus membrũ meũ est, non mei. Item quid mei tetigisti? quid tui uidi? aliquid tui uirgo perdes, si uenatum cũ adolescentulis prodibis: non aliquid tuũ: nisi dicamus tui à neutrali genere, ut Cic. de Oratore lib. 3. Ex quo uereor, ne nihil sim tui, nisi supplosione pedis imitatus: id est, de tuo, non de te. Vlysse, si quid tui Polyphemus prehenderet, id omne deuorabit. Mei nihil attigit: quicquid eñ attigisset mei, statum cõtriuisset. Multũ mei ille auferre potest, sed plus tui: plus inquã de te, q; de me: nõ de tuo, et de meo. Itẽ quicquid Melibœe diripuisti, aliqd meũ fuit, nõ mei. Nũc redeo ad Seruiũ, qui ait: tui causa feci, et tua causa feci, discretionẽ hanc habẽt, ut tui causa tũc dicamus, si aliquid ipsi, ad quẽ loquimur, præstiterimus, utputa tui causa te defendi. Verg. in XII.

Victus amore tui, cognato sanguine uictus,
Coniugis & mœstæ lachrymis uincla omnia rupi.

Tua uero causa, cũ alteri aliquid alterius contẽplatione prestamus. Vt tua causa mancipiũ tuũ defendi. Si Seru. tantũ de hoc uocabulo causa loquitur, & non in uniuersum de omnib. huiusmodi, nõ recte attulit exemplum alterius uocabuli, præsertim nõnihil natura differentis: sin uero de omnibus, nõ potest una lex dari diuersis, ut suprà ostendimus. Si tamẽ lex est, & nõ potius contra legẽ omniũ ueterũ. Nam (ut ego dicebã) causa sæpius cũ pronomine deriuatiuo copulatur: atq; hoc quidẽ indifferenter, siue aliena sit causa, siue tua: ueluti si quis dicat: Epicurus uult omnia cuiq; agẽda esse causa sua, mihi mea, tibi tua, illi sua, nobis nostra, uobis uestra: nõ mihi tua, aut sua, nec tibi mea, nec illi uestra, nec nobis sua, nec uobis uestra. Hîc nihil opus est admiscere primitiuũ. Sed ne sine exemplo loquar (quod ipse fecit) uno ero cõtentus sumpto ex Quintil. Mea depugnasti causa, tua peristi. Atq; hoc, quod Seru. præcipit nobis, ipse cõstanter usus est, neminẽ tamen secutus. Quale est illud in VII. Aeneid. Nõ spe salutis, sed mei causa. Et in VIII. Hec signa mei causa fiunt. Et in IX. Vult eñ itelligi sua causa matrem secutã. Verum quid mirũ de Seruio, cum A. Gel. & quidẽ antiquior, non modò nullum exitum in hac quæstione potest reperire, sed etiam non optimè sensit. Ita enim inquit: Cur igitur Terentius: Pœnitet nostri, non nostrum? nihil hercle

hil hercle mihi uenit in mentem, nisi autoritas quædam uetustatis, non minus anxiè, quàm superstitiosè loquentis. Paulò pòst: Sed procul dubio qui rectissimè loqui uolet, nostrum potius dixerit, quàm nostri. Et idcirco importunissimè fecerunt, qui in plerisque Sallustij exemplaribus scripturam istam syncerissimam corruperunt. Nam quum ita in Catilinario scriptum esset: Sæpe maiores nostrum miserti plebis Romanæ, &c. nostrum aboleuerunt, & nostri scripserunt. Ex quo in plures libros mendę istius soboles manauit. Tu Aule Gelli de genitiuo nostri loqueris, non de nominatiuo nostri pluralis numeri. Vtrum rectius sit ad exemplum Sallustij (ut mihi & cæteris placet) in nominatiuo casu, nihil ad rem facit, neque ad exemplum Terent. Et qui (ut tu uis) Sallustij scripturam corruperunt, non in genitiuum mutauerunt sonum illum, sed in nominatiuum, per quem casum non audeas tu dicere, corruptè nos loqui, imò (quantum ego sentio) incorruptius. Est enim una, eademq; uox nostri, ab eo quod est ego genitiui casus, & nominatiui ab eo, quod est noster. Neque uerò ego repugno Aulo Gellio dicenti mutatam scripturam esse à nostrum in nostri: nominatiuum tamen non genitiuum. Nam neq; aliquis rectè in genitiuum mutasset, neq; ratione mutasset. Quin potius fateor, & hoc libentius, quòd unicum illud exemplum, quod ipse ex Plauto protulit, fortasse mendosum est, dicente: Duorum labori hominum parsissem libens, mei te rogandi, & tui mihi respondendi. Ait autem Aulus Gellius: Mei enim hoc in loco Plautus non ab eo dixit, quod est meus, sed ab eo quod est ego. Itaq; si dicere uelis patrē mei, pro patrē meum (quod Græci modo τὸν πατέρα μοῦ dicunt) inusitate quidem, sed rectè profectò, eáque ratione dicas, qua Plautus dixit labori mei, pro labori meo. Nolo equidem tam cōfidenter (ut facit Gellius) scripturam mendosam dicere, & affirmare quod inexploratum habetur. Taceo autem quòd damnat fortassis immeritos, qui nec corruperunt scripturam, & melius sic dici putauerunt. Quæro cur uerisimilius sit aliquos scripturam illam mutasse Sallustij, in qua nihil absurdi erat, quàm hanc Plauti, qui contra grammaticorum leges, qualis est Seruius, & Priscianus, & Donatus, qui hunc poëtam in schola lectitabant, facere uidebantur: si ita diceretur: Duorum labori hominū parsissem libens, meo te rogandi, & tuo mihi respondendi. Nulla nanq; grāmaticę ratio uidetur posse hoc tueri. Quin potius cum per indiuidua exponimus sigillatim quod dixeramus per uniuersum, eodem casu utamur, sic: Duobus hominibus laborē detraxi: necesse est, ut dicamus mihi scilicet & tibi, non autem meum & tuum. Tamen (ut ego sentio) in genitiuo permissum est: ut affert hic accusationem duorum hominum, mei & tui, siue meam & tuam, quale hoc loco fit: sed dicendum potius per pronomina deriuatiua, quia possessio, siue actio significatur, non passio. Quod ego mutatum esse nolo dicere ab ipso Aulo Gellio, sed à grammaticæ professoribus, quorum nihil est supercilio superbius, nihilq; improbius, & ad emendandos libros, uel corrumpendos potius magis audax. Præterea Plautus licentia uerborum potest dici usus, in qua fuit planè nemo liberior. Postremò quid habet momenti ex uno autore & eo poëta, afferre unum exemplum in tanto numero omnis generis autorum? qui adeò refugerunt dare actiuam significationem his tribus genitiuis primitiuorum, ut eos mutauerint in alteram uocem, genitiuis aliarum dictionum, cum quibus coniuncti erant natura repugnante, minime mutatis, ut Cicero in Gabinium & Pisonem: Dico mea unius opera rempub. esse liberatam. Idem ad Atticum: Solius enim meum peccatum corrigi nō potest. Idem pro Murena: Ex tuo ipsius animo coniecturā ceperis. Non dixit, ac ne dicere quidem potuisset, mei unius opera, mei solius peccatum, tui ipsius animus. Et in plurali. Quintilian. Deinde quum satis uires

eorum

torum explorauerint, suæ ipsorum fiduciæ permittunt: non dixit sui ipsorũ fiduciæ. Quid multis? cum etiam apud recentiores (de Christianis loquor) hoc sit obseruatissimum, ut in Psalmo CXLI. & LXIII. secundum Hebraicam ueritatem, quorum alter ita incipit: Domine clamaui ad te, festina mihi, exaudi uocem meam clamantis ad te. Alter sic: Audi deus uocem meam loquentis, à timore inimici serua uitam meam. Et in LXX. secundum aliam è Græco translationem: Domine memorabor iustitiæ tuę solius. Est autem solius non fœminini generis, sed masculini, ut ex Græco apparet, refertur'q; ad dominum, non ad iustitiam. Item in libro Regum tertio: Sustulit filium meũ de latere meo ancillę tuæ dormientis. Et in Euang. Lucæ: Et tuã ipsius animã pertransibit gladius. Nec desunt quidam imperitè docti, qui conantur illud exponere, tuam ipsius animã, aliud esse quàm tui: si tui dicere liceret, homines ignaros nõ solùm Theologiæ, sed etiã literarum. Interrogent Græcos, & reperient penes eos, unde nos sumpsimus, tui esse non tuam: quum illi non habeant in his tribus pronominibus, quam nos, elegantiam. Ideoq; apud eos est, Pater nostrum uel nostri, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tui. Adueniat regnum tui. Fiat uoluntas tui, sicut in cœlo & in terra. Panem nostri, uel nostrum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostri, uel nostrum, sicut & nos dimittimus debitoribus nostri, uel nostrum: quæ nos, ne barbarè loqueremur, mutauimus in pronomina deriuatiua. Ex quo apparet non modò illud Aulij Gellij maiores nostri per genitiuum contra grammaticam, uerumetiam illud maiores nostrum contra usum esse, potius que in tali genere utendum esse deriuatiuo nostri, quàm primitiuo nostrum, licet hac ratione non uteremur. Nec usquam contrarium exemplum reperire contingit, nisi unũ in epistola quadam Ciceronis ad Curionem sic dicentis: Eam autem unius tui studio me assequi posse confido, quod & sic defendi posset, studio pro gratia & fauore, uel amore aliorũ erga te, ut apud Horatium ad Iunium: Ne studio nostri pecces: tamen malim dicere id factum esse uitio librariorum. Ac ne semper culpam reijciam in librarios falsò, dabo argumentum, cur & prius, & nunc meritò in illos impetum faciam. In proxima statim epistola legitur bis, tyranno P. Lentulo, pro eo quod est, tribuno plebis. Et in præcedente libro ad Lentulum, qui est illius operis primus, bis etiam idem uitium est in secunda, & XI. epistola. Et quum omnia, ut reor (maximam enim partem uidi) exemplaria, quę in Italia sunt, mendosa & deprauata hoc uitio essent, nullus tamen tantum flagitium animaduerterat. Itaque sicut nunc illud emendauimus, ita hoc quoque emendare, & in pristinam synceritatem restituere audeamus, sic, Eam rem tuo unius studio me assequi posse confido. Nec alia causa factum est, ut Terentius dixerit: Saluus sum meo præsidio, atq; hospitis, non pręsidio mei atq; hospitis. Quem imitari Petrarcha si sciuisset, nõ titulum operi suo indidisset de sui & aliorũ ignorantia, sed de sua. Aliud nanq; est ignorantia sui, aliud ignorantia sua. Si tamen sensit de ignorantia, quàm de se habuit, rectè dixit. Et uulgò dicimus, scio tuas diuitias, qui te pauperem quereris, non tui diuitias. Aspice liberos meos, qui dicor orbus, non mei liberos. Cernant sua prædia, qui mihi unum fundum inuident, non sui prædia. Vbi non modò genus dissimile est antecedenti & relatiuo, sed etiam numerus. Quanquàm (quod ualidissimum est) ingens differentia significationis est inter primitiua pronomina, & deriuatiua. Sed ista omnia fieri cogit, quòd non licet primitiuis genitiuis dare significationem actiuam. Cuius rei & illud maximum argumentum, & apertissimum est, quod subijciam, nulli adhuc grammaticorum intellectũ: quòd dicimus, mea, tua, sua, nostra, & uestra, interest & refert, non autẽ mei, tui, sui, nostri, & uestri. Est autẽ illud mea, tua, nõ ex parte antè (ut quidã uolũt),

sed ex

ſed ex parte poſt, non aliter quàm quum dicimus, hoc intereſt illius, quaſi hoc eſt officiū illius. Ita hoc intereſt mei, ſi liceret mei aliter accipere quàm paſſiue. Nunc dicimus mea in uoce poſſeſſiua, ſed tamen ut ſit primitiuum & ſubſtantiuum, & non adiectiuum. Deniq; ita ac ſi diceremus mis: regi autem à parte poſteriore, atq; ideo hoc uerbum habere ante ſe nominatiuū, ſicut ſum, es, eſt. Sed in neutro genere quis dubitet, quum omnia plena ſint exemplorum? Cic. pro Plancio: Si quid mea minus intereſt, id te fortè magis delectat. Et pro eodē: Non ſolum quid cuiq; debeam, ſed quid cuiuſq; interſit. Et pro Sylla: Veſtra enim qui cum ſumma diligentia & integritate uixiſtis, maxime intereſt. Et pro lege Manilia: Illud primum parui refert. Vbi etiam dicere poſſemus, illud mea parui refert. Sed hoc nihil ad præſens tempus. Hæc omnia reſoluuntur in uerbum ſubſtantiuum, hoc modo: Si quid minus meum eſt, quid cuiuſque eſt, ueſtrum eſt hoc maxime. Illud parui momenti eſt, ut appareat nō differre naturam uerbi ſubſtantiui et horum duorum imperſonalium uerborum, niſi quòd illud naturaliter poſt ſe nominatiuum poſtulat, hæc genitiuum, ſed actionis ſiue poſſeſſionis more uerbi ſubſtantiui. Sed hoc in cæteris nominibus ac pronominibus nihil dubitationis habet, quorum genitiui actiuè, paſſiuè, poſſeſſiuè, & ſi quis eſt alius modus, accipiuntur. Mei autem, tui, ſui, diuerſam naturā habent. Quid igitur faciendum erat? hæc paſſiuè accipiuntur, non actiuè nec poſſeſſiuè. Illa uerba poſt ſe uolunt genitiuū actiuum, ſiue poſſeſſiuum. Danda ergo fuit uox poſſeſſiui pro ſignificato primitiui, non genitiuus poſſeſſiui, qui idem erat, qui eſt primitiui: ſed ablatiuus, qui natura eſt genitiuo ſimilimus, & in genere fœminino, uel tanquam medio trium generum, uel ſuauitatis gratia: ne durum uideretur meo, tuo, ſuo, noſtro, & ueſtro. Ideoq; hi ablatiui iungi ſibi patiuntur adiectiua illa, tanquam actionē poſſeſſionemq; ſignificantia in genitiuo, ut ſupra demonſtrauimus, ſic mea ſolius intereſt, tua unius refert, ſua ipſius intereſt, nō mei ſolius, tui unius, ſuiipſius, niſi in alia loquēdi figura, de qua mox ſubijciam. Vnde maxime palàm fit, nunquàm hos genitiuos ſumi niſi paſſiuè, ut habeo curā mei ſolius, non meam ſolius: habeo curam tui unius, non tuam unius: unuſquiſque curam gerit ſuiipſius, non ſuam ipſius. Cur ita? quia paſſio hic ſignificatur, ubi ſuperius uel actio, uel poſſeſſio. Cuius rei unū exemplum ſuffecerit ex Terentio: Hem tot mei ſolius ſoliciti ſunt cauſa, ut me expleant. Et planū quidem iam fecimus, tres genitiuos mei, tui, ſui, paſſiue ſemper poni: meus, tuus, ſuus, plerunq; poſſeſſiue. Ideoq; cum utendum eſt illis primitiuorum genitiuis: mutari ſonum de i, in a. Nunc aliqua addenda ſunt de his dictionibus, quæ legittimè coniunguntur cum huiuſmodi pronominū genitiuis: nec enim omnes poſſunt. Ante omnia nullū ſubſtantiuū in conſortio ſuo ſuſtinent. Vt, fili noli domo recedere reſpectu mei patris. Quod non tam placuiſſe Priſciano reor, quàm per imprudentiam eſſe lapſum, quum dicit, mei Priſciani eges, tui Priſciani egeo. Et alibi: Ego Vergilius, tu Vergilius, ille Vergilius, mei Vergilij, tui Vergilij, illius Vergilij. Hæc enim oratio declarat meū Priſcianum, Vergiliumuè, aut tuū: non me Priſcianū, Vergiliumuè, aut te: nō aliter quàm ſi dicas, eges mei patris, egeo tui domini. Quod profectò nō eſt primitiuorū, ab eo quod eſt ego & tu, ſed deriuatiuorum, ab eo quod eſt meus & tuus. Neq; diſcrimen facit, quòd hic appellatiuum nomen eſt, ibi proprium. Vergil.

Si qua tui Corydonis habet te cura, uenito. Et alibi:

Aeneæ mihi cura tui. Et iterum:

Aeneæq; mei.

Quę à meus, tuus, non ab ego, tu, ueniūt. Itaq; ſic emendemus Priſcianum, qui quū de lingua Latina componit, antiquitatem omnem corrigens, nomen ſuum

Latinè

Latinè proloqui nesciuit. Mei qui sum Priscianus eges: tui egeo, qui Priscianus es: uel me Prisciano eges: te Prisciano egeo, uel tui uel te Prisciano egeo. Nam illud Apostoli ad Corinthios: Salutatio mea manu Pauli, è Græco est sumptũ ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ παύλου. Tertium uerò exemplum quod idem protulit, illius Prisciani eget, rectè dicitur. Non habent enim cætera pronomina ancipitem naturam, ut illa tria, de quibus diximus. Adeóq; uerũ est, hos ipsos genitiuos respuere consortium substantiui, ut ne in possessiuorum quidem forma illud pati uelint. Vidimus licere dicere, meam unius operam, tuum solius studium: Non tamen dicemus, meũ Laurentij studium suũ Prisciani prædiũ, sed meum studiũ, qui sum Laurentius, prædium suum, qui est Priscianus. Necq; tamen ob id excludo, si genitiuos hos passiue accipiamus, eo modo quo exemplum ponemus. Nam (ut superius docui) aliquando duos genitiuos alterũ actiuè, alterũ passiuè positũ uidemus unà iungi: ut, Quid de P. Licinij Crassi iuris & ciuilis, & pontificij studio loquar? Ita fit in pronomine, ut idem autor ad Atticũ: Mihi fuit et laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Et iterum: Vehementerq; tua fui memoria delectatus. Quòd si igitur hæc pronomina, siue in genitiuo passiuè, siue mutata in uocem possessiuorum actiuè non admittunt genitiuos substantiuorum, nunquid admittunt omniũ adiectiuorum? Non opinor: sed propriè solorum participiorum, participialiumq; gerundiuorũ, & frequentissime illorum trium (ut quidã uolunt) pronominũ, unius, solius, ipsius, & si qua alia, quæ rara sunt, de quibus mox dicam, per genitiuum cum participio. Cicero ad Lentulum: Quocunq; tẽpore mihi potestas præsentis tui fuerit. Per fœmininum, sed cum gerundio. Ouidius Heroidum:

Copia placandę sit modò parua tui.

Per uocem mutatam in possessiuum, ut ad Ciceronem Cato: Libenter facio, ut tuam uirtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris pari industria administrare gaudeam. Cicero de Oratore, L. Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum cõtulisse. Sed hoc gerundiũ est, & ea exempla quæ suprà attuli, quorum unũ fuit, Sustulit de latere meo ancillæ tuę dormientis: ad quod pronomen malo referri illud dormientis, quod est adiectiuum, quàm illud ancillę, quod est substantiuum: ita ut si abfuisset participium, uix tolerabile fuerit futurũ, quale Boëthij: Solantur mœsti nunc mea fata senis. Quintilianus etiam solet omittere pronomen: ut, Accepi fateor illũ, qui solutus quoq; non sequebatur, quem nõ gaudium redemptionis, nõ lætitia prælati, non hortantis erexit patris amplexus. Et in eodem libro: Rus, seruulos, penates, & omnia utiliora properãti festinatione parentis addixi. Omisit sui, ut esset, nõ lętitia sui prẹlati: & meus, ut esset, nõ meus hortãtis amplexus. Et iterũ mea, ut esset quoq; festinatione mea parentis. Poëtæ etiã frequẽter. Ouid. Hero.

Deniq; quisquis erat castris iugulatus Achiuis,
    Frigidius glacie pectus amantis erat.

Id est, meum amantis. Idem

Illa meis oculis species abeuntis inhæret,
    Quum premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, colloq; infusus amantis,
    Oscula per longas iungere pressa moras.

Id est, tua abeuntis, & meo amantis.

Idem in eodem opere, sed inusitatius:

Et flesti, & nostros uidisti flentis ocellos.

Nostros dixit pro meos, & flentis pro flentium. Est enim illud flentis genitiuus singularis, non accusatiuus pluralis: quod accentus probat, quum tales accu-

satiui habeant ultimam longam, quę hic nō est. Hoc dixi, quia quidam hunc locū exponunt per accusatiuum. Illa diuersitas numerorum, meos siue nostros amantis, uix alij quàm poëtę permissa est. Postremò hęc pronomina, siue in primitiuorum genitiuis, siue in possessiua uoce (ut dixi) maxime gaudent illis tribus, unius, solius, ipsius, quorum multa exempla iam protuli. Nec ab re fuerit, sicut unius, ita duorū, trium, quatuor posse dici. Item omniū, cuiusq;, pluriū, & si qua sunt adhuc: ut uestrā duorū, uel uestram triū, uel uestrā omniū operā desidero, pro uestrū. Cic. de Oratore lib. 3. Sed uoluntati uestræ omniū parui. Cuiusque, aptius cū pronomine sui, siue suus coniungitur, ut uellem nosse, quæ sit sua cuiusq; sententia, non sui cuiusq;. Brutus ad Ciceronē: Qui uestris paucorum respondeat laudibus, pro uestrum. Verum iam huic quæstioni finē imponamus.

*De Meme, Tete, Tutu, Sese.* Cap. II.

EAdem ferè hęc tria pronomina geminari etiam solent: priora quidē per figurā meme, tete, tertium sine figura. Vergil. in nono:

Meme adsum qui feci, in me conuertite ferrum
O Rutuli. Et in XI.
Meme duce ferrum Corripite ô Rutuli. Et in XII.
Verte omnes tete in facies.

Sed hoc uideri potest esse sine figura. Non enim est ita acre & ardens, ut apud Quintil. Tete hoc loco mulier interrogo. In nominatiuo planè semper figuratū est, ut Cic. in Antoniū: Tutu faces illas incendisti. Sese (ut dixi) nunquā figuratum est, ut idem: Hic uiri fortissimi sanguine aspersus sceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit sese, id est, se.

*De Nostras, Vestras, & Cuias.* Cap. III.

NOstras, uestras, & cuias, non tantum patriā nationemq; innuunt, sed etiā partes, & quasi sectā, ut uestrates philosophi, non sunt ita populares & fauorabiles, ut nostrates: qui ab Epicuri schola prodierunt. Et cuiates philosophi uos estis? Stoici'ne an Academici, an Peripatetici, an nostrates Epicurei? Cicero: Putares'ne unquàm accidere posse, ut mihi uerba deessent, non solùm ista uestratia oratoria, sed hæc etiam leuia nostratia?

*De iste & ille.* Cap. IIII.

ISte & ille (si audire Priscianū uolumus) hoc differunt, quòd iste spatio propinquiore, ille autem longiore intelligitur: cuius autoritas plurimos in errorē induxit, qui pro istud dicunt illud, ueluti si ad hominē longe positū scribas, si quid noui in illa urbe est, mihi notū facias, pro eo quod est in ista urbe. Quod non mediocre peccatum est. Nam de me loquens dicere debeo, hoc caput, hæc manus, hæc ciuitas. De te uerò, istud caput, ista manus, ista ciuitas. De tertia autē persona, illud caput, illa manus, illa ciuitas. Cic. in Anton. Remoue paulisper istos gladios. Et in eodē lib. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantū uini in Hippię nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in cōspectu populi Ro. uomere postridie. Hoc est, istis tuis faucib. istis tuis lateribus, ista tua firmitate. Vnde nascūtur aduerb. istic, istinc, istac, istuc, istorsum, istò. Vt idē ad Valeriū iurisconsl. Qui istinc ueniunt, aiunt te superbiorē esse factum, id est, qui ab ista prouincia in qua agis, huc in Italiā, Romamq; ueniunt. Aliquando tamē iste accipitur pro hic, ut idē & in eundem: Quū isto tempore stent cū gladijs armati. Et Quintil. Iuuenis iste, de quo summa in rebus humanis mōstra gignuntur. Et iterū: Iuuenis iste patris sui hęres solus inuentus est. Ille quoque nonunquam per dignitatem, aut per eminentiā ponitur, indicans esse, quod omnes debeant nosse, ut Alexander ille Magnus, ille Censorius Cato, Architas ille Tarentinus.

De Hic, Is, Idem, & Ad hoc. Cap. V.

HIc & is habent potius illam (de qua modo memini) Prisciani differentiam; ut hic spatio propinquiore, is uerò longiore intelligatur. Multis tamen in locis utrunque locum habet: ut, qui præfert uirtutē diuitijs, is sanè fortis est, uel hic sanè fortis est: uel per compositionem, ut quæcunque mulier adultera, eadem uenefica est. Et ferè per hæc duo pronomina licet sic loqui, nec per ulla alia, licet poëtæ utantur ille pro is, quia amborum eadem penè significatio est. Vt Horatius de Arte poëtica:

Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes:
Quod sit conscripti, quod iudicis officium: quæ
Partes in bellum missi ducis: ille profectò
Reddere personæ scit conuenientia cuique.

Quare sanctis uiris è Græco transferentibus sic permittamus dicere: Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem deus cōmendat. Possunt autē hæc eadem duo, de quibus loquor, pronomina, & alio modo usurpari. Vt, Alexander paruis copijs fretus, superauit Darium cū infinito exercitu, & id in adolescentia, uel & hoc in adolescentia. Item & hoc modo: Pauca uestis, et ea detrita & sordida: potius quàm & hæc. Paucis nummis superbit, nec ijs suis, sed aliūde corrogatis: potius quàm & his. Idē, quod est ab Is compositū, quasi pro etiā poni solet, ut Cic. Et huic coniuncta est beneficentia, quā eandem uel benignitatem, uel liberalitatē appellari licet: id est, quam etiā Quintil: Si causam ueneficā dicat adultera, non M. Catonis damnata iudicio uidetur, qui nullam adulterā non eandem esse ueneficam dicit. In hoc pronomine, Idem, annotaui quiddam dissimile ab Is: Ibi potest addi copulatiua, hîc nō potest. Quod tamen affirmare non ausim: ut, Quamcunque in sedem migrat apiū rex, in eā & apes ipsæ comitantur. At si dicam, in eandem, tollam copulatiuā, sic: in eandem apes ipsæ comitantur. Nam idem habet in se, uelut uim copulatiuæ. Hoc positum cum præpositione Ad, significat præterea, ut apud Sallustium: Cognoueram paruis copijs bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc sæpe fortunæ uiolentiam tolerasse, facundia Græcos, scientia belli Gallos ante Romanos fuisse.

De Præpositione Cum. Cap. VI.

CVm præpositio, per appositionem non iungitur rei notanti instrumentū, sed comitem. Et hoc est quod Quintilianus ait: Vt quæramus nunquid apud nos sit uis quædam septimi casus, & apud Græcos sexti. Nam, inquit, quū dico hasta percussi, non utor ablatiui natura, nec si idem Græcè dicam, datiui. Propter quod Seruius & quidā alij planè affirmant esse septimū casum. Quòd autem nō utamur ablatiui natura, hanc causam existimo, quòd ablatiuus aut ui nominis regit, aut ui uerbi, aut aduerb. aut postremò intercedēte præpositione, quorū nihil hîc fit, nisi uolumus errorē quorundā sequi, qui subintelligunt præpositionē cū. Et quomodo subintelligi potest, quæ ne poni quidē potest? Nam percussi cum hasta, inauditū est: instrumentū enim percussionis hasta est. Peccauitque non incelebris huius ætatis uir, qui scripsit: Gladium qui cum se percusserat, eduxit. Percussit igitur gladio, non cum gladio. Impuli te pugno, non cum pugno. Video te oculis, non cum oculis. Tango te manu, non cum manu. Deleuit epistolam lachrymis. Abstersit sordes aqua. Siccauit cretā, liquefecitque ceram igni: non autem cum lachrymis, cum aqua, cum igni. Sed hoc fefellit, quòd aliquando illa præpositio uideri possit iuncta nomini instrumentū significanti: ut, Acceptus est à nobis cum honore, Magna cum beneuolentia scripsit, Cum mira affabilitate me allocutus est, Cum dira truculentia me aspexit. Veruntamen

men hi ablatiui instrumentum non significant, sed comitem. Siquidem acceperunt me homines instrumento corporis, non honoris, sed honore comite. Scripsit ministerio manus, nō beneuolentiæ, sed hac socia: allocutus est lingua operatrice, affabilitate præsenti: & aspexit instrumento oculorū truculentia suffusorum, quæ nihil facit ad ipsam inspectionem, sed oculi. Sunt qui uelint Priscianum sensisse cum hasta percussi, dici posse, uel hanc præpositionē subintelligi. Ego uero affirmo neminē antiquorū neq; protulisse hanc, neq; subintellexisse.

De Circiter. Cap. VII.

Circiter, Priscianus inquit, ad tēpus solū pertinet, ut circiter Calend. Ianuarias. Imò & quidē frequentius ad numerū, ut circiter duo milia militū, circiter decē milliariorū. Sed aliquando etiā ad locū: ut Cassius Hemina, lapidem fuisse quadratū circiter in media arce iunctum candelis quoquo uersum.

De Versus & Vsq;. Cap. VIII.

Versus contra naturam præpositionis semper postponitur: ut Italiam uersus, Megaram uersus. Liuius: Duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romā uersus. Sallustius: Deinde Philenorum aræ, quem locū Aegyptum uersus, finem imperij habuere Carthaginiēses. Cicero de diuinatione: Qui cum exercitu lustrato Aretium uersus castra mouisset. Sursum, siue sursum uersus frequenter legimus. Nōnunquam dicitur uersum, sicut aduersum. Nam ita uersus, sicut aduersus, unde quoquo uersus, & utroq; uersus, id est, in unamquanque partem, & quocunque & in utranque partem & deorsum uersus. Atque nescio quomodo non reperio hanc inter præpositiones esse numeratam, an quia postponitur, & nō præponitur? Ne tenus quidē præponi solet, de qua nunc dicā. Et tamen est præpositio: an quia uice prępositionis nō fungitur, quoties alia adest præpositio: ut ad occidentē uersus: quo quidem modo aduerbium est, ut usq;, quę & ipsa sic aliquando in oratione collocatur, ut ad occidentem usq;.

De Tenus. Cap. IX.

Tenus (ut dixi) semper postponitur. Atq; in singulari utiq; cū ablatiuo, ut hactenus, quatenus, uerbotenus, capulotenus. In plurali uerò cū genitiuo etiam, non solum cum ablatiuo. Sed, quantum ego sentio, cum genitiuo, tunc aut necessario, aut uenustius fit, præsertim more Græcorum, quum res est uel gemina, uel numero singulari carens, Neque hoc apud poëtas modo, sed etiam apud oratores. Vergilius:

Crurum tenus hispida nanti. Et iterum:

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Quintilianus in XII. Sed ille uir bonus, qui hæc non uocibus tantum sibi nota atq; nominibus, aurium tenus in usum linguæ perceperit: sed qui uirtutes ipsas penitus mente cōplexus, ita sentiet Cælius: Iam illi rumores de comitijs Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt. Curtius: Pauci hostium tenus exacti penetrauere ad portum. Est autem significatio usq; ad, Vmbilico tenus, usq; ad umbilicū: Aethiopia tenus, Nilo tenus, usq; ad Aethiopiā, & Nilum: Aliquando etiam pro non ultrà: ut, gessit consulatum titulo tenus, id est, non ultrà quàm titulo: cuiusmodi nonnulla ex superioribus exemplis sunt.

De Pridie & Postpridie aduerbijs. Cap. X.

Pridie & postridie, quemadmodū tenus, genitiuo seruiūt, & nonnunquam etiam accusatiuo. Vt pridie illius diei, postridie Nonarū Decembriū. Cicero ad Atticum: Pridie compitalia memento. Titus Liuius lib. VII. Etiam postridie Idus rebus diuinis supersederi iussum. Inde ut postridie Calendas, ac Nonas eadem religio esset, traditū putant. Idem lib. 48. Pridie Parilia medio ferme die atrox cum uento tempestas coorta. De quo uide plura in nudiustertius.

### De Hei, Heu, Eheu, Vah, & Procul. Cap. XI.

HEi quoq; & heu simile quid obtinent, tamen alterum datiuo, alterum accusatiuo iungitur, ut:

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore. Terentius: Heu me miserũ. Et ferè cum huiusmodi pronominibus: Nam cum alio nomine frequentius per exprobrationem, ut Vergil. Heu stirpẽ inuisam. Et Plin. lib. 7. Heu dementiã ab his initijs existimantiũ ad superbiam se genitos. Aliquando etiam cum nominatiuo, ut idem Vergil. Heu pietas, heu prisca fides. Terentius in Adelphis: Heu misera. Illud uerò in psalmo: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, nescio an uitio factum sit librariorum: quale illud in Euangelio: Ascendit in arborem sycomorum, quia inde transiturus erat: quod scribendum est illac. Et illud ad Rom. Tu autẽ cum oleaster esses, insertus es, pro insitus. Et in Act. Apost. Egressi sumus foras portam iuxta flumen, pro extra portam. Eheu nulli casui seruit. Vergil. in Bucol. Eheu quid uolui misero mihi? Væh quoq; datiuo. Martialis: Verg. 2. Aeneid.

Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit
Nescio: si sciero, uæh tibi causidice.

Hec appelles licet siue aduerbia, siue interiectiones (nam hanc inter partes orationis non numero) siue etiam præpositiones. Procul apud quosdam casui seruit, ut apud Curtium: Procul urbem.

### *Quòd quædam comparatiua & superlatiua aduerbia, seruiunt accusatiuo.* Cap. XII.

COmparatiua aduerbia, & superlatiua pręter suã constructionẽ ablatiui & genitiui, ut scribo melius te: & optime omniũ: aliquando seruiunt accusatiuo, utiq; ea quę à præpositionib. ueniunt, illarũ naturã seruantia. Cic. ad Octauiũ. Quum castra medio itinere longius aduersariorũ castris, & propius urbem mouerentur. Idem ad Atticũ: Tamen esse officium meũ putaui, exercitum habere quàm proximè hostẽ. Sallust. Proximè Hispaniã Mauri sunt. Nec hęc regere possunt datiuũ, ut Prisciano placet, quale uult esse, Quum propius stabulis armenta tenerent. Datiuus hic non regitur natura comparatiui, sed ipsius nominis, non aliter quàm si dicam, nauigo te propinquius terrę. Et quoniam ipsa rei serie quædam de complexu orationis dicere incepimus, iam de hoc ipso disseramus, simulq; de natura indeclinabilium dictionum, quarundamq; aliarum: ab eo potissimum incipientes, quod huic loco simillimum est.

### *De O, uel prolata, uel omissa.* Cap. XIII.

O Fortunati, quorum iam mœnia surgunt.
Aeneas ait. Et alibi:
O fortunatos nimium, bona si sua norint, Agricolas.

Hic accusatiuus est, ibi uel nominatiuus uel uocatiuus esse potest. His enim tribus casibus indifferenter autores utuntur. Cic. O uariam uolucremq; fortunã. Neq; hoc in tertia persona tantùm, sed etiã in prima et secũda, ut idem: O me miserum, O te felicem. Etiam non apposito pronomine, ut idem: O miserum & destabilem hominem, si hæc ignoras. Idem: O te miserum, O te infelicem: quæ exclamatio ad omnem affectum conuenit uel miserationis, uel indignationis. Simili modo in nominatiuo, & uocatiuo, ut idem: O fortunata mors quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita. Et iterum: O magna uis ueritatis, quæ contra omniũ ingenia, calliditatẽ, solertiã, contraq; fictas hominũ insidias semper se ipsa defendit, Idem: O nox illa, quæ penè æternas huic urbi tenebras attulisti. Et iterũ: O Nonæ illæ Decembres, quæ me consule fuistis. Aliquando ab illo supersedemus, utiq; in re leuiore, neq; ita magni caloris. Vt indi-

gnum facinus, & hominē nequam, qui nō dubitaret uel in foro alea ludere, uel cū lege de alea cōdemnatis: Cicer. uerba sunt in Ant. Et Plin. Iunior ad Octauiū: Hominē te patientē, uel potius durū, ac penè crudelē, qui tā insignes libros tandiu teneas. Quòd si excandesceremus, dicendū esset: O hominē nequā, & ô hominē patientē. Aut sine indignatione, ut apud V. Max. lib. 3. Sed mihi uti ista conditione uitæ non est opus, sine ullis imaginibus, nobilem animū. Aliquantò hoc remissius est, quàm si dixisset: ô animum sine ullis imaginibus nobilem, id est, sine maiorum nobilitate nobilem. Ideoq; Terent. leuioris caloris interiectione usus est: Hui tam graueis rastros quæso.

In Heauton. Act. 1. Scena 1.

Sed hoc simile eius speciei, cuius mentionem modo faciam.

## De Me cum infinitiuo uel accusatiuo. Cap. XIIII.

ME'ne incepto desistere uictam,
Nec posse Italia Teucrorū auertere regem? Et iterum:
Méne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?

Hæc Vergil. Ad Terentiam autem Cic. Me'ne miserum in tantas te calamitates mea culpa incidisse? Et iterum in Bruto: Tum Brutus admiratus, tantam'ne fuisse obliuionē, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem senserit, quantū flagitij cōmisisset? In his omnibus placet mihi subintelligi, uere'ne ita est, me nō posse auertere Italia regem Teucrorum? & cætera. Plin. Iunior ad Adrianū: Hominem'ne Romanum tam Græcè loqui? id est, uere'ne ita est? uel oportuit'ne, siue oportet? Terent. in And. Seruon' fortunas me commisisse futili?

## De En & Ecce, suisq; compositis. Cap. XV.

EN & ecce in eadem penè significatione amant nominatiuum & accusatiuum: apud Comicos uerò hem pro en, affectui seruiens, quo oratores nō utuntur: quemadmodū nec ast pro at, quod est poëtarū, sy llabam illam breuem interiectione s, longam facientiū. Adiungitur autem en nominatiuo pariter et accusatiuo, tum indicando, tum exprobrando. Indicando, Verg. En Priamus, sunt hîc etiam sua præmia laudi. Exprobrando: En agros, & quam bello Troiane petisti Hesperiam, metire iacens. Seneca in Agamemnone: En Paridis hostem. Iuuenalis Satyra secunda:

En habitum, quo te leges, & iura ferentem.
Montanum positis audiret uulgus aratris.

Oratores sæpius exprobrando, & sæpius per nominatiuū. Quintil. En improbitas. Cic. En crimen, en causa cur regem fugitiuus, dominū seruus accuset. Ecce, similiter cū utroq; casu iungitur, ut idē: Ecce tibi status noster. Cū accusatiuo autem non memini me apud Oratores legisse, sed ne apud poëtas quidem. Nam illud apud Terent. in Eunucho: Ecce autem alterum nescio quid de amore loquitur. Alter scribi debet, non alterum, Donato quoq; probante. Sed demus aliquando reperiri, ut semel apud Plaut. in Bacchidibus: Opus'ne erit tibi aduocato tristi, iracundo? ecce me. Eccum, eccam, eccos, eccas: ellum, ellam, ellos, ellas, ab ecce composita sunt, & secum uidentur gerere casum, sed non gerunt, quæ Priscianus ita resoluit: Ecce eum, ecce eam, ecce eos, ecce eas: ecce illum, ecce illam, ecce illos, ecce illas. Sergius quoq; commentans Donatum ait, nihil significat ellum, nisi ecce illum. Pauloq; pòst: Quum ergo ellum sit ecce illum, & ellam ecce illam, nihil possumus dicere nisi magis demonstratiuè. Sed pace Prisciani, Sergijq; & aliorum, hoc nec uerum, nec conueniens significatū est. Nam inter ecce eum, & ecce illum, quid interest? Potius dicendum erat: eccum, ecce hunc: eccos, ecce hos, de quibus agimus. Talis erat conuenientior interpretatio, sed quæ nec uera foret. Resoluuntur enim hæc per aduerbia non per prono-

mina

mina: eccum ecce hic, subintellige uirum de quo agebamus: eccã ecce hic, subintellige fœminam de qua mentio erat. Ellum, ellam, ecce illic uirum fœminamue, subintellige, de quo, de quá ue agebatur. Nam ut de homine, qui ante conspectum nostrum adest, recte dicas, ecce ille, uel ecce ego, siue ecce illum uel ecce me: ita male loquaris, ellum hominem, uel ellum me: & rursum de longè posito, eccum. Terent. Eccum Parmenonem, & eccum me. Nempe non ecce eum Parmenonem, quasi aliquis alius sit præter hunc Parmenonem: Et ecce eũ me, quem me & quem eum quæris. Plaut. in Menæch. Atq; eccam. Et in mercatore: Ecce illum uideto. Eccum ergo Parmenonem, id est, ecce hic Parmenonem & eccum me, id est, ecce hic me. Et ellum Parmenonem dicentes, non sic loquimur quasi de parum noto, ut solemus, quum dicimus, ecce ille Parmeno, quasi ille tibi incognitus, sed auditus. Ellum igitur Parmenonem significat, ecce illic Parmeno, siue Parmenonem, Sed an possit ecce habere accusatiuum, non antè indubitatũ habebo, quàm exemplum uidero, nisi illud tale sit apud Vergilium: En quatuor aras.

Ecce duas tibi Daphni, duoq; altaria Phœbo:
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterasq; duos statuam tibi pinguis oliui.

Sed de prosa magis dubitare me dico.

### *De Age, Agite, & Agedum.* Cap. XVI.

AGe, singularem numerum desiderat, Agite pluralem. Agedum uerò non singularem tantum, sed etiã pluralem. Neq; id modo in carmine, ut Propert. Vos agedum: sed etiã in prosa, ut Quint. Agedum (si uidetur) extra portas prospicite squalida arua, & spinis obsitas segetes, & semesos arborum truncos Cic. Agedũ conferte nunc cũ illis uitã P. Syllę uobis populoq; Ro. notissimã.

### *De An, & Aut, Ne, Vel, Ve, & eorum compositis.* Cap. XVII.

AN & aut, coniunctiones sunt, Quintil. inquit, male tamen interroges, hic aut ille sit. Nos quum talem tantumq; autorem habeamus, tamen pleriq; multis iam seculis peccauerunt, ac peccant: quod grande flagitium est. Sed duę causæ eos decipiunt. Ferè enim nunquam decipimur, nisi mendaci quadã specie ueritatis, &, ut inquit Horatius: Decipimur specie recti. Vna, quòd interpretantes è Græco non reperimus hanc apud illos differentiam. Quippe quum Græci unam tantum habeant utriq; nostrarum respondentem, putant pro una uoce Græca, unam Latinam posse sufficere. Altera, quòd reperiunt apud nos in interrogando, aut. Et primę quidem opinioni hoc responsum sit, eos male mereri de lingua Latina, qui dimidium uerborum fastidiunt. Nam plerunq; utuntur, aut, more Græcorum, & interrogando & sine interrogatione: an, omnino relinquentes. Sequenti (quod tamen caput huius erroris est) ita respondemus, Si paulò diligentius aduertissent: non in aut, sed in an, interrogationem consistere deprehendissent, ut apud Cic. An uerò Romulus ille aut pastores, aut conuenas congregasse, aut Sabinorũ connubia coniunxisse, aut finitimorũ uim repressisse eloquentia uidetur? Non est hic multiplex interrogatio, quasi de horũ singulis interrogaretur, sed duplex, sic: Nunquid Romulus hæc omnia fecit eloquentia? Hæc una pars est interrogationis: supple an non fecit? Et hæc erit altera pars. Item: Es tu Stoicus, aut Epicureus, aut Peripateticus, aut Academicus? Hæc interrogatio & bene dici potest & male. Nam si non constet interroganti te esse philosophum, bene interrogauit, supplendaq; est duplex an, sic: Es ne tu Stoicus aut Epicureus, & cætera, an non? Si constet illi te esse philosophum ex aliqua illarum sectarũ, sed cuius sis ignorans de ipsa interroget, male quæsiuit: cum an, non aut dicendum fuerit: & ubi nos modo posuimus duplex

an omittendum sit, sic: Es tu Stoicus, an Epicureus, an Peripateticus, an Academicus? quę interrogatio potest tendi in infinitum. Illa uerò semper est duplex, hic ad singulas particulas binę interrogationes sunt, ibi in uniuersum duæ. Quũ enim quæro an Stoicus, subintelligitur altera interrogatio ediuerso, sic, an non. Item, es'ne Epicureus an non? es'ne Peripateticus an non? es'ne Academicus an non? Afferamus aliud apertius exemplũ. An est hic illo nobilior, an plus pro salute mea laborauit? an cui homines magis cupiant? an formosior, & magis dignus cui filiam meam collocem? Hic octo interrogationes sunt, quia octies interrogatio repetitur. Ibi semper duę, quia bis semper repetitur. Ex quo patet nõ esse interrogationẽ in aut, sed in an: Interrogationẽ inquam contrariorũ: qualis est illa, quid dicã? aut quid nõ dicam? Inter hæc non ambigimus, sed ipsa ambo simul ambigimus. Secus in illo, abeam, an maneam? De duobus ita quæro: ut utrum mihi faciendum & utrum non faciendum sit, dubitem: Ideoq́; non solum interrogando, sed citra interrogationem quoque utimur an, ubicunq; aliquid contrarietatis inest. Vt dubito, an uiuat pater, an mortuus sit: & in maiori numero: Nescio an pater Romæ sit, an ualeat, an uiuat, an uenturus ad me sit. Muta uerbum dubitationis & inscientię in dissimile aliud uerbum, sic: Scio an pater uiuat, an mortuus sit, male locutus es: Bene autem, nescio an pater uiuat, an mortuus sit. Itaq; uerbis huiusmodi dubitationis & inscientiæ, damus subiunctiuum cum an: uerbis uerò opinionis & scientiæ indicatiuũ cum quòd, & aut, sic: Opinor quòd pater aut mortuus est, aut grauiter ægrotat. Quod præceptum est de an, hoc quoq; fit de ne, quę plerunq; una, solaq́;, & semper in parte prima collocatur, ut bonus'ne uir est, an malus? Aliquando cum socia, sed id sæpius apud poëtas, ut Vergil. in primo lib. Aeneid.

Qui teneant (nam inculta uidet) homines'ne feræ'ne,
Quærere constituit, socijsq́; exacta referre.

Sæpe hoc modo: Illuc eã, nec'ne, ignoro, hoc est dubitatiuè. Interrogatiuè quoque, ut pro Flacco Cicero: Vtrum uultis prætori Flacco licuisse nec'ne? id est, licuisse an non? Quidam superuacue addunt alterum an, sic: Nescio an bene faciam an nec'ne. Atq; ut ostendi quosdã errare in aut, nõ uidentes in quo differat ab an, ita quidẽ faciunt in uel, putãtes poni pro an, id est, interrogatiuè: uel dubitatiuè, siue ignoratiuè: ut istud est aurum uel orichalcũ? nescio sit aurũ, uel orichalcũ, imò scis, quòd est aurum uel orichalcũ. Et neuter uestrum dubitat, quòd uel hoc uel illud est: sed nescitis an hoc, an illud sit. Ideoq́; & tu interroga aurũ'ne sit, an orichalcum: & tu responde, quòd nescis an sit hoc, an illud. Illud autẽ quod est apud Quintilianum: Quærendumq́; arbitrantur iustum'ne sit sacrilegium appellari, quod obijciatur, uel furtum, uel amentiam: potest quibusdam mouere dubitationem, quasi in re dubia loquamur per uel, atq; ideo ipsum misceamus cum ne, siue an. In quo minime dubitandum nobis est. Talis enim ibi locutio est: quærendumq́; arbitrantur, iustum'ne sit appellari aliquid nomine sacrilegij, an non: uel iustum sit aliquid appellari furtum an nõ, uel aliquid sit iustum appellari amentiam an non. Ve magis accedit ad uel, quàm ad an, ut duobus tribus'ue mensibus, id est, duobus uel tribus mensibus. Raroq́; reperitur geminatum, nisi adiuncta si: ut siue hoc, siue illud: aut adiuncta ne, pro ut nõ: apud eundem: Cauendũ etiã ne'ue sit maior translatio, quàm oporteat, ne'ue (quod sæpe accidit) minor, ne'ue dissimilis. Cic. Ita iungetis, ut ne'ue aspere concurrãt, ne ue uastius diducantur. Lucanus sine compositione aliqua:

Nec quenquam iam ferre potest Cæsar'ue priorem,
Pompeius'ue parẽ: id est, nõ potest iam aut Cæsar superiorẽ ferre, aut Pomp. parẽ. An & ne, cõiungi solẽt pro an, q̃d magis poëticũ est, ut apud æmulos Verg.

Dic

Dic mihi Damœta, cuium pecus an'ne Latinū? Illud Ciceronis multi ita legūt: Quo mihi etiā indignius uidetur obtrectatū esse, Gabinio dicā, an'ne Pōpeio, an'ne utriq; id quod est uerius? Sine interrogatione durū uidetur, ut Vergilius:

Vrbes 'ne inuisere Cæsar,
An deus immensi uenias maris, ac tua nautæ, &c.
An'ne nouum tardis sydus te mensibus addas.

Ideo dixi durum, quia per interrogationem quiddam urgētius, & instantius est in hac geminatione an 'ne, quàm in illa simplicitate an, quod hic non fit, ut ex alijs compositis elucebit:

Non'ne fuit satius tristis Amaryllidis iras,
Atq; superba pati fastidia? non'ne Menalcam?
Non ego te uidi Damonis (pessime) caprum
Excipere insidijs?

In hac interrogatione non id agitur, ut respondeas nescienti, sed cogaris assentiri scienti. Nec alia uis orationis est, quàm si diceres an non, quod magis urget, quàm solum nō. Licet & hoc solum pro illo composito accipi soleat. Alia cōposita (si modò composita sunt) hæc sunt: Itáne, ergo'ne: quæ interrogando responsionem non poscunt, sed assensum extorquent.

### De Nedum, & Non solum, Non modo, & Non tantum. Cap. XVIII.

NEdum duobus modis periti uti solent. Vno, cum utranq; sententiam eodem claudimus uerbo: altero, quum suum utriq; sententiæ uerbū damus. Primo modo sic: Funderem pro te sanguinem, nedum pecuniam. Secundo sic: Funderem pro te sanguinem, nedum pecuniam tibi crederem, & hoc affirmatiuè. Negatiuè sic: Non perderem pro te obolum, nedum sanguinem. Item: Non crederem tibi obolum, nedum pro te funderem sanguinem. Atq; in affirmando, id quod plus est, maiorisq; momenti in prima parte est ponendum: In negando, id quod minoris. Plus est & magis momentosum, fundere sanguinē, quàm pecuniā: & minus est & leuius, perdere aut credere obolum, quàm perdere aut fundere sanguinem. Imperiti uero hanc dictionem accipiunt pro non solum, sic dicentes: Nedum laborem pro te susciperem, sed etiam mortem, quod sic dicendū erat: Mortem pro te susciperem, nedum laborem. Aut per non solùm: nam contrarius modus est per non solùm & non modò, ei qui est per nedum, sic, ne priora exempla commutemus: Non solum pecuniam pro te funderem, sed etiā sanguinem. Item, non modo pecuniam tibi crederem, uerūetiam sanguinem pro te funderem, hoc affirmatiuè. Rursus negatiuè: Non modo pro te sanguinem non perderem, sed nec pecuniam. Item, non tantum pro te sanguinem non funderē, uerum ne obolum quidem tibi crederem. Hæc igitur differētia est inter nedum, & non solum, siue non modo, siue non tantū. Aliquando tamen reperimus hoc posterius penè pro nedum accipi. Cicero in Officiorum tertio: Huic igitur uiro bono, quem Fimbria etiam, nō modo Socrates nouerat, nullo modo uideri potest quicquā esse utile, quod non sit honestum. Possemus dicere hic pro nō modo Socrates nouerat, nedum Socrates: sed nedum auget præpolletq; alteri parti, cui adiungitur: non modo autem æquiparat. Ideoq; puto Ciceronem uoluisse æquare Fimbriā Romanū Socrati Græco, dixisseq; illud non modo sicut in quibusdā alijs exemplis, ut in ijsdem officijs: Ad quod est adhibenda actio quædam non solum mētis agitatio. Et pro Plancio: Plura ne dicam, tuæ me lachrymæ impediūt, uestræq; iudices, non solū meę. Hic nō ausim pro nō solū dicere nedum.

### De Nisi. Cap. XIX.

NIsi, quoties principium sententiæ est, indicatiuum desiderat, aliâs etiam subiunctiuum. Cicero pro Milone: Nisi fortè putamus dementem P. Sci-

pionem Africanum fuisse, qui quum per seditionem à C. Carbone interrogaretur, quid de Tiberij Gracchi morte sentiret, respõdit, iure sibi cęsum uideri. Et Quintilianus: Nisi fortem Imperatorem quis idoneum credit in prælijs quidem strenuum & fortem, & omniũ quæ pugna poscit artificem, sed neq; delectus agere, nec copias contrahere atq; instruere, nec prospicere cõmeatus, nec locum capere castris scientem. Præter principia autem sententiarũ, sic: Vapulabis, nisi caueres, uel nisi caueas. In illo superiore, nisi, adest uerbũ principale, hic non adest.

Terent. in Adelph.

### De coniunctione Quòd. Cap. XX.

QVòd scribas gaudeo, & quòd scribis gaudeo, utroq; modo dicitur. Volo quòd scribas, non autẽ quòd scribis. Illius superioris hæc similia sunt, credo, opinor, puto, lætor, uoluptatẽ capio, & reliqua. Huius posterioris hæc, mando, iubeo, impero, exigo, postulo, & reliqua. In illo tamen superiore cauendum est, ne diuersorum modorum uerba copulemus: quale foret illud Terẽtij, quod nonnulli sic legunt: An quòd uiam ignorant, an quòd iter perferre nequeant? Cum sit dicendũ aut sic: An quòd uiam ignorẽt, an quòd iter perferre nequeãt? aut sic: An quòd uiam ignorant, an quòd iter perferre nequeunt? Cui simile illud aliud est apud eundem: Nihil quum est, nihil desit tamen: quum sit potius legendum desit, non desit, ut bonis autoribus placet. Et in procemio Ciceronis ad Herennium sic quidam legũt: Etsi negotijs familiaribus impediti, uix satis otiũ studio suppeditare possimus, & idipsum quod datur otij, libentius in philosophia consumere consueuimus: quum sit potius legendum possumus, ut modi cõcordent, qui copula media coniunguntur, quanquam & sonus ipse utpote in cursu medio periodi conuenientior est in possums, quàm in possimus. Est etiã alia causa, cur hoc non liceat, quam modo subiungam.

Terent. in Eunucho.

### De Etsi, Quanquàm, Quamuis, & Licet. Cap. XXI.

ETsi, quanquàm, quãuis, licet: eiusdem significationis sunt, aliquid in utendo discriminis habẽtia. Nam maior quædam dignitas data est primis duobus, quæ semper adsciscunt sibi indicatiuum duntaxat, in principio statim orationum, epistolarum, librorum. Alia duo in hoc loco, raró in cæteris, omnia indifferenter. Cicero in oratione pro Milone: Etsi uereor iudices. Et in epistola ad Atticum: Etsi nihil noui afferebatur. Et in opere ad Herennium: Etsi negotijs familiaribus impediti uix satis otiũ studio suppeditare possumus, et idipsum quod datur otij libentius in philosophia cõsumere consueuimus. Quintilianus in declamatione de corpore proiecto: Etsi iudices in hac asperrima conditione fragilitatis humanæ, in qua nemo propè mortalium impune uiuit, hęc omnibus natura est, ut sua cuiq; calamitas præcipue misera, atque intoleranda uideatur. Cic. pro lege Manilia: Quanquàm frequens conspectus uester mihi multo iucũdissimus, hic autem locus ad dicendum amplissimus, ad agendum ornatissimus est uisus Quirites. Idem de Officijs: Quanquàm te Marce fili annum iam audiẽtem Cratippum, idq; Athenis, abundare oportet præceptis, institutisq; philosophiæ. Lactantius tamen secundum librum de Institutione sic incipit: Quãquàm libro primo religiones deorum falsas esse monstrauerim. Alia duo magis postulant subiunctiuum, nonnũquam tamen & indicatiuum, ut dixi. Vt apud Horatium sic quædam epistola incipit:

Quamuis Scæua satis per te tibi consulis, & scis.

Et apud Quintilianum declamatio: Quamuis iudices in tanta malorum continuatione iam poteram nihil ex accidentium meorũ nouitate mirari. In alijs partibus quàm in principijs parem omnia hæc locum sortiuntur. Habẽt & hoc differentiæ duo priora à duobus posterioribus, quòd illa aliquando eodem modo, quẽ de nisi ostendimus, à nullo depẽdent. Cicero pro Marcello: Quid enim

est

est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod quũ uenit, omnis uoluptas præterita pro nihilo est, quia nulla est futura: quanquam iste tuus animus nunquã his angustijs, quas natura dedit nobis ad uiuendum, cõtentus fuit, semperq́ immortalitatis amore flagrauit. Nec uero hæc tua uita dicẽda est, quę corpore & spiritu continetur. Hoc fit acrius per interrogationem, ac sublimius, ut (ne si alia exempla afferam, longior sim) si dicamus hoc idem sic: Quanquam quis ignorat istum tuum animum nũquam his angustijs, quas natura ad uiuendum nobis dedit, fuisse contentum, semperq́ immortalitatis amore flagrasse? De etsi, siue tametsi (idem enim sunt) & apud eundem, & apud alios reperienda relinquimus exempla huiusmodi, licet pauciora. Vnũ ex Plinio satis sit, ad Cornelium Priscum: Dedit enim mihi, quãtum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset: tametsi quid homini dari potest maius quàm gloria, laus, & æternitas? Hic non possis ponere licet, & quamuis.

### De Cum, & Tum. Cap. XXII.

CVm & tum indicatiuũ ferè postulant. Est autem in cum quiddam minus, in tum quiddã maius. Et hoc duobus modis, ut aut generale aliquid præcedat, speciale sequatur: aut ambo sint specialia. Primo modo sic, ut apud Quintilianum: Quod cùm omnibus confitendum est, tum nobis præcipue, qui rationem dicendi à bono uiro nõ separamus: id est, omnibus multum, mihi uero maxime. Altero modo apud eundem: Quod opus Marcelle Victori tibi dicamus, quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrãtem, dignissimum hoc mutuæ inter nos charitatis pignore iudicabamus, id est, multũ propter amorem tuum in nos, plus tamen propter amorẽ in literas. Vix aliter reperias, quale est Ciceronis in Verrẽ actione prima: Factũ est, uti cum summũ in ueteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidiũ suis fortunis cõstitutũ esse arbitrarentur. Sed hoc loco adiectiua sunt, quę distinguant illud plus, & illud minus. In cæteris locis ferè adiectiua non adhibentur, qualia nunc sunt summum, & nonnullum. Raro autem alius modus quàm indicatiuus conuenit, quale fuit proximum exemplum. Idem Quintilianus in secũdo, cap. 1. Quid autem est ex his, de quibus suprà dixi, quod nõ cum in alia quæ sunt rhetorũ propria, tum certe in istud iudiciale causæ genus incidat? Cicero ad Curionẽ: Grauiter te priuatus sum amoris summi erga te mei, patri tuo clarissimo uiro, qui cùm suis uirtutibus, tum uero te filio si uidisset, superasset omnium fortunas, si ei contigisset, ut te antè uideret, quàm uita decederet. Nunquã hoc fit nisi sub uno uerbo: quod siquando sub duobus fieret, nũquàm tamen in diuersis uerborum modis, diuersis'ue temporibus, ut fecit Boethius in principio tertij (ut reor) de dialectica libri: Cum in omnibus philosophiæ disciplinis edifcendis atque tractandis, summum in uita positum solamen existimem, tum iucundius, & ueluti cum quodam fructu etiam laboris arripio, quæ tecum communicãda compono. Nisi fortè putamus hoc eodem modo pro Deiotaro incepisse Ciceronem: Cum in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi cõmoueri soleam uehementius, quàm uel usus, uel ætas mea uidetur postulare, tum in hac ita me multa perturbant: tamen dicitur, non tum. Respondet enim ad illud cum, pro quamuis: ut alio idem in loco: Satis'ne cõstanter facere uideamur, qui cum præcipi nihil posse dicamus, tamen & alijs de rebus disserere soleamus, & in hoc ipso tempore præcepta officij prosequamur? cum scilicet pro quãuis: aut si scribitur tum, non tamẽ, scribendũ etiam erit soleo, non soleam, quale est illud in proœmio quarti libri Tusculanarũ questionũ: Cùm multis locis nostrorũ hominũ ingenia uirtutesq́ Brute soleo mirari, tum maxime in his studijs, quæ sero admodũ expetita in hanc ciuitatem è Græcia transtulerunt. Idem autor opus de Natura deorũ sic inchoat

inchoat,quod quidam deprauare solent,dicentes sint pro sunt: Cum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicata sunt,tum perdifficilis Brute(quod tu minime ignoras)quæstio est de natura deorum. Priscianus quoque uix grãmaticè locutus est in proœmio magni operis, & quidem in prima dictione, atque adeò in prima syllaba,dicens: Cum omnis eloquentiæ doctrinam, & omne studiorum genus sapientię luce præfulgens à Græcorum fontibus deriuatum,Latinos proprio sermone inuenio celebrasse, & cætera, quæ tanta sunt præcedentia uerbum principale,ut non modo Demosthenes,qui contenta uoce,& uno spiritu complures uersus pronunciabat,aut Hercules,qui sine respiratione unum stadium decurrebat, sed ne nouellus quidem Torquatus Mediolanensis, qui uno spiritu tres uini congios siccabat,posset illam sententiam,atque periodum una uocis contentione pronũciare,tandem uerbum principale subiũgit: Conatus sum pro uiribus rem arduam quidem,sed officio professionis nõ indebitam supra nominatorum uirorum præcepta,quæ cõgrua sunt mihi uisa, in Latinum transferre sermonem. Cum inueniam, erat dicendum,aut quoniam inuenio.Sed ad tum reuertamur, quod sæpe sine cum ponitur geminatum, triplicatũ, & in quamuis longum multiplicatum. Sed quantum ego sentio, in rebus paribus, ut Quintil. Nec indignetur Herodotus æquari sibi T.Liuiũ, tum in enarrando miræ iucunditatis,clarissimique cãdoris,tum in concionibus,suprà quàm enarrari potest,eloquentem, ita dicũtur omnia tum rebus,tum personis accommodata. Taceo de eo modo quando accipitur pro aliquando,ut tum hoc,tum illud dicas, id est,aliquando hoc,aliquando illud: Vel modo hoc,modo illud.

### *De Quidem.* Cap. XXIII.

Quidem,duobus tribus'ue modis accipi solet. Vno modo ad distinguẽdas res,quod apud Græcos penè nimis fit sæpe,ut unus quidẽ sic, alius autem sic:Ego quidem Romæ sum,tu uero Athenis,frater autẽ Alexãdrię. Altero autem quasi per exceptionem illius quod affirmes,ut apud Marcum Fab. Torquebis quidem filium,sed fatebitur mater. Adeo ut apud hunc & M. Tullium nunquam coniungantur quidã & ille,quin huiusmodi sequatur exceptio,ut de Officijs libro tertio: Ab optimis illis quidem uiris,sed non satis eruditis. Et de Amicitia: Qui autem in uirtute summũ bonum ponunt,pra clare illi quidem:sed hęc ipsa uirtus amicitiam & gignit,& cõtinet. Dicendum erat,præclare hi quidem, ut in pronominibus ostendimus,potius quàm illi:sed hoc fecit,ut ille cõiungeretur cum quidem. In superiore modo tantum duabus comitibus quidem uti potest,quæ sunt uero & autem:in hoc secundo pluribus potest,præter has duas,uerum,ueruntamen,at,sed,cæterum,tamen,attamen,sed tamẽ. Atque in hoc secũdo modo ipsum quidem alternatim poni potest,nunc in laudẽ,nũc in uituperationem:atque id aut à uituperatione incipiendo,& finiendo in laudẽ,aut incipiendo à laude,& finiẽdo in uituperationẽ:ut,tu lentus quidẽ es & piger,sed tamẽ fidelis. Rursus,tu quidem fidelis es,sed tamẽ lentus & piger. Tertio modo quo plenus est etiam sermo uulgaris,nullo autem,aut uero,aut sed,aliáue coniunctione simili sequẽte,sicut & hæ ipsæ nonnunquam sine quidem sunt. Cicero: At enim nemo(quod quidem magis credo)aut si quisquam est,ille sapiens fuit.

### *De Verò, Autem, Porrò.* Cap. XXIIII.

Vero & autem idem significant,& eodem in loco poni possunt,antecedente utique aliqua dictione. Nunquã enim ab his sententia incipit. Collocantur autem frequenter, ut nusquã referãtur, sed tantũ distinguant sententiã à sententia,ut mea ipsius uerba declarant,ubi sum usus modo autem. Habent tamen aliquando nescio quid differentiæ in utendo. Cur nanque non dicimus, neque autem,sicut neque uero,ut Quintilianus: Neque uero me Lacedæmonij,atque

Athenienses magis mouerũt, quàm populus Rom. apud quem summa semper oratoribus dignitas fuit. Item, tum propter hoc, tum uero propter illud: non aũt tum propter hoc, tum autem propter illud. Contrà, non dicimus non uero, sicut non autẽ, ut sum tibi amicus, non autem assentator: muta illud aduerbiũ, et habebit locum uero, sic: Sum tibi amicus, assentator uero nõ, uel assentator autẽ non: & in quibusdã similibus. Incipimus enim maiora quædã capita per uero, potius quàm per autem Vergil. Iunonem cum Venere sic loqui incipientem fecit:

Egregiam uero laudem, & spolia ampla refertis, *4. Aeneid.*
Tuq́; puerq́; tuus.

Et ad Seruium Sulpitiũ scribens Cicero ita epistolam incipit: Ego uero Serui uellem (ut ais) in meo dolore affuisses. Præterea non ita dicas, agè autem, sanè autẽ, iam autem, enim autem, at autem: ut agè uero, sanè uero, iam uero, enim uero, at uero. Atq; ut in quibusdam locis hæc duo, & cætera similia à me prius enumerata habẽt gratiam, si ponantur, ita in quibusdam non habent: quale est, quũ idem uerbum repetitur, hoc modo, Quintilianus: Pro patre mori possum, coràm patre non possum: non rectè dicas, coràm patre autem non possum, nisi retineas uerbum, sic: coràm patre autem non. Atque hîc sequitur negatio, aliquando autem antecedit. Cicero: Tu cum principem senatorem auunculum domi habeas, ad eum non refers, ad eos refers, qui suam domum non habent, tuam exhauriunt. Quare non de eo modo intelligitur, quoties uerbum sine contrarietate repetitur, ut idem: Tribues his temporibus quantum poteris, poteris autem quantum uoles. Neque quoties aliquid prælongum est, aut nonnihil immutatur, ut idem in Verrem: Nõ enim, inquit, illud peto, quod soleo, quum uehementius cõtendi impetrare, ut reus absoluatur non peto, sed ut potius ab hoc, quàm ab illo accusetur, id peto. Et in Philipp. Ego autem ueteranos tueri debeo, sed eos quibus sanitas est, certe timere non debeo. Tale non fuit Lactantij, qui ait: Sed (ut dixi) uenia concedi potest imperitis, & qui sapientes se non fatentur: his uero non potest, qui sapientiam professi, stultitiam potius exhibeãt. Ego dixissem, his non potest. Poëtæ hoc non seruant. Vergilius: *Cic. in peroratione Officiorum.*

Non erit auxilio nobis Aetolus & Arpi?
At Mesapus erit. Ouidius:
Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Porrò, licet eiusdem significationis sit cuius uerò, & autem: tamen (ut puto) pro illis ponere non possis: nonnunquam tamen eundem locum sortitur, ut agè uero, agè porrò: sed illud nunquã in fronte sentẽtiæ collocatur, hoc autem sæpius, ut Quintil. Porrò qui cõfessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam. Per illa diceremus, qui uero, uel qui autem confessum defendit. Apud quosdã, & præsertim poëtas, uolunt significare longe, certe, postea, ultra. Ideoq́; sæpe non in principio sententiæ, sed in medio inuenitur.

### De Siquidem. Cap. XXV.

Siquidem ex si & quidem cõpositum uidetur, sed cur nec primam syllabam longam habet, cum si lõga sit, nec significationem alicuius harũ unde componi dicitur dictionum? Est enim siquidem, idem quod nam, ut apud Quintilianum: Atq; natura ipsa uidetur ad tolerandos facilius labores musicam uelut muneri nobis dedisse: siquidem & remigem cantus hortatur. Et Ciceronẽ: Confiteor eos nisi liberatores populi Romani conseruatoresq́; Reipublicæ fuerunt, plus quàm sicarios, plus etiã quàm parricidas esse: siquidẽ est atrocius patriæ parentem, quàm suum occidere. Nonnulli non internoscũt, quando siquidem est una dictio, quando duplex: quod internoscere facile est, ut apud eosdẽ ambos. Priorẽ lib. 4. Quare illud stultissime præcipitur, quod defendi nõ potest: silẽtio

siquidem

siquidem dissimulandum est illud, de quo iudex pronuntiaturus est. At si extra causam sit adductum, & cætera. Posteriorem pro Milone: Deinde profectus est per id temporis, quum iam Clodius (siquidem eo die Romam uenturus erat) redire potuisset. Et pro Flacco: O morem præclarum, disciplinamque, quam à maioribus accepimus, si quidē teneremus, sed nescio quo pacto iam de manibus elabitur. In hoc tamen significato apud Ouidium reperitur libro 4. Fastorum prima syllaba breui, tanquam sit dictio composita:

Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
 Statque semel iuncti rumpere uincla thori,
Hoc quoque tentemus, si quidem ieiunia remansit:
 Sin minus, inferni coniugis uxor erit.

Idem libro tertio sine titulo:

Quæ mihi uentura est, si quidem uentura senectus,
 Quum desit numeris ipsa iuuenta suis.

In altero significato apud Lucanum libro quarto:

Hoc siquidem solo ciuilis crimine belli
Dux causæ melioris eris.

### De Sin. Cap. XVI.

*In Andria Act. 3. Scena. 3.*
*In Phormione, Antipho.*

SIn pro si, nunquam in prima parte collocatur, sed in secunda, ubi ferè duorū est oppositio, atque hoc siue uocali sequente, siue cōsonante. Terentius: Si illum relinquo, eius uitæ timeo: sin opitulor, huius minas. Et alibi: Si hoc celetur, in metu: sin patefit, in probro siem. Nonnunquam sin unum reperitur, sed quod secūdi loci uicem obtineat, ut Sallustius: imperat, uti pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Masinissæ paret, ac maxime occultè. Sin id parū procedat, quouis modo Numidam interficiat: id est, si potest, occultè: sin non potest, utcunque. Quorundam tamen usus est, ut dicant, sin autem, pro eo quod est si non, quasi in sin, aut in autem sit negatio. Mirarerque de uulgo, nisi id apud quosdam præstāteis uiros reperirem. Quale est illud in Apocalypsi: Sin autem, uenio, et mouebo candelabrum tuum: quū præsertim paulò post dicatur: Si quo minus, ueniam. Ego uero in utroque dixissem sin minus, uel sin aliter. Et in Euāgelio: Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. Et alibi: Si quidem fecerit fructum, sin autem, succides illam. In quibus omnibus Græcè negatio adest. Seruius uult nonnunquam si, accipi pro siquidem, ut ibi:
Tua si tibi Mænala curæ. quod mihi minime placet.

### De Quippe, Vtpote, Profectò, Vtique, Nempe, Nimirum, Sanè, Certè. Cap. XXVII.

QVippe & utpote, profecto & utique, nempe & nimirū, sanè & certè uel certò, similiora sunt quidem in significato, quàm illud quod modo dixi (de siquidem loquor) sed ad hoc ipsum proxime accedunt præsertim duo, quippe & utpote: quæ licet uulgò accipiātur pro certè, cui non omnino equidem repugno, tamen malim accipere pro causatiuis, ut Quintil. lib. 1. cap. 1. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus uim percipiēdi quæ tradantur, esse concessam, plerosque uero laborem, ac tempora tarditate ingenij perdere. Nam contrà, plures reperias, & faciles in excogitando, & ad discendum promptos. Quippe, id est, homini naturale, ac sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur: ita propria nobis est mentis agitatio atque solertia, unde origo animi cœlestis creditur. Atque licet huiusmodi dictiones eôdem tendant, tamen usu dissident, & quasi diuerso itinere ad idem perueniunt. Vt enim pro quippe hoc in hoc loco recte dicā siquidē, uel nam, aut nanque, uel enim, aliqua dictione antecedente, ad hunc modū: Id enim est homini naturale. Ita rarius per quoniā, quæ

coniunctio habet alium suum usum, qui nulli horum alteri cōcedatur, ut in hoc Tulliano exemplo: Quoniam utriusq; consilij causam P.C. probatā uobis esse confido, prius quàm de Republica dicere incipio, pauca loquar de hesterna M. Antonij iniuria. Hoc idem per quippe sic dicam: Priusquàm de Republica dicere incipio P.C. pauca loquar de hesterna M. Antonij iniuria: quippe probatam uobis esse confido causam utriusq; consilij: Vel, quippe quum probatam uobis esse confidam: Vel, quippe qui probatam uobis esse confido, uel cōfidam. Huic simillimum est utpote, prӕterquàm primo modo. Non enim habet suum uerbū, quale foret, utpote, id est, homini naturale. In cӕteris omnibus usum eundem habet. Plinius de naturali historia: Vtpote quum quidam annuo & biennij spatio durauerit. Cic. ad Atticum: Me incomoda ualetudo, qua iam emerseram, utpote quum sine febri laborassem, tenuit. Idem ad eundem: Ea nos (utpote qui nihil contemnere solemus) non pertimescebamns. Et in Philippicis: L. quidem frater eius utpote qui peregre depugnauit, familiā ducit. Sallustius in Catilinario: Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis ӕquioribus expeditos in fugam sequeretur. Hic subiunctiuo, ille indicatiuo usus est. Nonnunquam sine cum, & sine relatiuo reperitur, & nescio an frequētius, cuiusmodi esset hoc: Antonius aberat à bello, utpote ӕger, ac iacens in lecto. In qua forma etiam reperitur quippe, ut Quintil. Si alienum & ignotum, tamen quӕ communis omnium mortalium, quippe sub uno parēte naturӕ cognatio est, hominem cibo fortè iuuissem pœna dignum: uiderer seruasse perituram animam. Titus Liuius libro 3. Notam iudici fabulam peritor, quippe apud ipsum autorem argumenti peragit. Profectò autem, & utiq; sine dubio affirmant: sed hoc secundum nunquàm, aut ferè nunquàm apud Ciceronem, apud posteriores frequēter, ut Quintil. Sed solent huiusmodi negotiatores aliquid propriū ac priuatum stipulari, utiq; quum alienam rem uendunt. Quod non ita solet ad responsionem adhiberi ut illud alterum, ut Cicero: Quis hęc renuntiat? is profecto qui interfuit. Licet idem facere per certe, ut idem: Tantam solicitudinem bonorū, tantum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo. Et per nimirum, ut Quintilianus: Demus id quo nullo modo fieri potest, idem ingenij, studij, doctrinę, pessimo atq; optimo uiro, uter melior dicetur orator? nimirum qui homo quoque melior. Sed usitatum omniū maxime est nempe, ut Cic. Apud quē hęc dico? nempe apud eum, qui quum hӕc sciret, me tamen antequàm uidit, Reipub. tradidit. Nonnūquam sine interrogatione. Horatius enim quandam epistolam sic inchoat: Nēpe hoc quӕsisti. Et Persius: Nempe hoc assidue, dixit. Quintilian. quoq; inquit: Nempe enim in hoc plurimum laboris exhausimus, ut rhetoricen ostēderemus benè dicendi scientiam, & utilem, & artem, & uirtutem esse. Sanè tum affirmatiue sumitur, ùt ita sanè, sanè uero: tum pro ualde, ut homo sanè nobilis: interdum cum superlatiuo, ut Sueton. de uita Cęsaris: Bellum sanè difficilimum gessit: tum permissiuè quoties aliquid aduersario tribuimus, ut, sit sanè ut ais: ut Quintilianus: Tulerit sanè filius noster, meritò pœnas, dederit spiritum supplicio: nihil de prӕterito loquamur, quasi esto, ita sit ut uis. Certè modo affirmat, modo pro saltem accipitur, ut non potero tāgere? certe potero uidere, uel at certe. Ideo dixi quod pro saltem accipitur, quòd hanc eandem sententiā nihil differre puto ab ea, quӕ est, non potero tangere? saltem, uel ad saltem potero uidere. Adiungitur autem illud at, quomodo iungitur sed, cū tamē, licet alterum eorū sufficeret. Significat enim nonnunquā at, idem quod saltem, ut in illo Vergiliano: At Mesapus erit. Certè coniuncta cum coniunctione &, semper affirmat, ut Cicero: Et certè contra Cӕsarem est ingressus armatus. Apud Quintil. Et sanè frequēter, ut libro primo: Et sanè quis cōcipiat uel declamātis habitum, uel orantis uocem, incessum,

pronunciationem, illum denique animi & corporis motum? Certe coniuncta cum scio, similibusque uerbis solet mutare e in o, ut certò scio, sicut dicimus manifestò scio pro manifeste, apertò pro aperte, liquidò pro liquide, tutò pro tute, & similia.

De Vt. Cap. XXVIII.

VT pro quippe, siue pro utpote accipitur sequēte relatiuo. Vt Quintilian. Quum me, ut cuius interiecto mari nō fortunam quisque nosse, nō natales, non patrem poterat, una tamen res faceret apud quosdam miserabilem, quòd ui debar inique comparatus. Et alibi: Iam illud diximus quanto plus nitoris & cul tus demonstratiuæ materiæ, ut ad delectationem audientium compositæ, quàm quæ sunt in actu, & contentione suasoriæ iudicialesque permittant. ubi est ut, licet

Lib. 10. ponere quippe, uel utpote. Quintil. ut frequēter utitur, utpote aūt raro. Et alibi: Nec ignoro igitur, quos transeo, nec utique dāno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid. Et alibi: Theopōpus his proximus, ut in historia prædictis mi nor, ita oratori magis similis, ut qui antequā est ad hoc opus solicitatus, diu fue

Cic. de Senect. rat orator. Aliquando accipitur quasi pro secūdum, ut Cicero: Qui sermo, quæ præcepta, quāta notitia antiquitatis, scientia iuris, augurij, multæ etiam ut in ho mine Romano literæ, id est, secundum id quod solent scire Romani. Et alibi: Po steaquam Clisthenem multum ut temporibus illis ualuisse dicendo, id est, secun dum illorum temporum eloquentiam. Et iterum: Denique hunc proximo seculo Themistocles insecutus est, ut apud nos perantiquus, ut temporibus illis nō ita sanè uetus. Et iterum atque iterum in eodem Bruto: Fuit, ut temporibus illis lucu lentus, erat cum literis Latinis, tum etiā Græcis, ut tēporibus illis eruditus. Erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, quorum utrius que orationes sunt, ut Asiatico genere, laudabiles.

Quibus cum literis iungitur Ab & Abs. Cap. XXIX.

AB, cum duabus liquidis, & cum i, quando fit consonans, adiungi solet, ut ab lege, ab legatis, ab literis, ab rege, ab rogo, ab re, ab Ioue. Abs uero cū t, ut abs te, abs Tito: interdum uero cum q, ut Terētius: Abs quiuis homine be neficium accipere, gratum est.

De Continuo, Protinus, Statim. Cap. XXX.

COntinuò, protinus, statim, quid significēt, notum est, quibus addita nega tione significatio fit qualis non ideo, ut de Oratore Cicero: At si illæ sedi tiones saluti huic ciuitati fuissent, nō cōtinuò si quis motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine & fraude capitali esset ponendum. Quintil. Non autem ut quicquid præcipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Et iterum: Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes autores dixerūt, utique esse perfecta. Eandem uim obtinet in terrogatio, quàm negatio, ut idem: Cōtinuóne si ille stulte cogitauit, nobis quo que stulte dicendum est? id est, num ideo? Cuius significationis mutatæ hęc cau sa est, quòd non planè recessum est à prima illa eius & naturali: quasi dicat, num autem, non propter hanc solam, & se primo offerentem rationem. Seruius non est usus hac re eleganter in ea parte, ubi abest negatio, non quia mulier, statim & ancilla: si autem ancilla, statim & mulier est. Tollendum enim erat posterius sta tim. Protinus (ut interpretor) pro simul siue etiam aliquādo accipitur, ut Vergil.

6. Aeneid. Quin protinus omnem Perlegerent. Quintil. Traxerat ex firmitate mētis ma gnam protinus & in mēbra cōstantiam. Etenim quod statim fit, quasi simul fit.

De Tantum abest, Tantumque non. Cap. XXXI.

TAntum abest, aut unum ut, post se habet, aut duplex. Vnum, sic. Cicero de Officijs: Tantum abest ab officio, ut nihil officio magis possit esse contra rium. Idem pro Marcello: Tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta

fundamenta nondum quæ cogitas,ieceris. Duplex sic: Idem pro lege Manilia: Tantum abest, ut aliquam bonā gratiam quæsisse mihi uidear, ut multas etiam simultates,partim occultas,partim apertas subeūdas mihi esse intelligā. Quem modum loquendi à Græcis mutuati sumus.Hos autē duos,quos attigi modos, idem significare ex hoc liquebit, quòd alterum in alterum conuertere licet, sic: Tantum abest,ut officium sit,ut nihil officio magis possit esse cōtrarium. Item, tantum abes,ut maxima opera perfeceris,ut fundamenta nondum quę cogitas, ieceris. Rursus,tantū absum à cōparatione alicuius bonę gratię,ut multas etiam simultates,& cætera. Quin quò planius huiusmodi orationis sensus patefiat,resoluamus per non solùm: ut,non solùm aliquam gratiam quæsisse non uideor, sed etiam multas,& cætera. Item,non modo officium non est,uerumetiam nihil magis officio potest esse cōtrarium. Et,non tantum abes à perfectione maximorum operum,sed fundamenta quoque nondum quæ cogitas,iecisti. Potest & innedum resolui,ut suprà docuimus. Sed hoc faciendum legentibus relinquimus. Aliquando tantū abest,& sine geminatione illa,& sine ablatiuo reperimus, sed perquàm raro,ut in Curionem Cic. Tantum abest, ut inflammares nostros animos,somnum isto loco uix tenebamus. Apud Quintil. hæc exempla non inueni, sed tale genus loquendi: Si ultra hostium affectus, qui cæsos acie sæpe tumularunt,ultra tyrannos, ultra latrones,parum habet nō sepelire, nisi aliorū quoq; officia præciderit,tantumq́; non petita ex fluctibus aqua restinguit ignē. Et alibi: Hoc triste spectaculum,& tantum non ipsi qui fecerat miserandum. Et iterū: Tantumq́; non durum,ac rusticum, & parum meretricijs artibus queratur educatum: id est,tantum abest,ut restinguat ignem: tantum abest,ut ipse misereatur, tantum abest,ut queratur durum,ac rusticum,ac parum meretricijs artibus educatum. Valerius in primo: Tantum non suis manibus deducit: siue propè adest; uel propè est: id quod etiam è Græco sumus mutuati.

### *De Simul, Vnà, Pariter.* Cap. XXXII.

Simul geminatum non memini me reperisse apud Ciceronem, apud posteriores sæpe,ut Quintil. Simul ut pleniore obsequio demererer amātissimos mei,simul ne ulgarē uiam ingressus,alienis demū uestigijs insisterem. Vergil.

Obstupuit simul ipse,simul perculsus Achates. Et iterum:
Accelerat simul Aeneas,simul agmina Troum.

Cicero tamen raro pro simul dixit unà, in Verrum actione secunda: Vnà & id, quod facio probabit,unà & in hac causa profectò neminem præponendum mihi esse existimabit. Simul non geminatum,& pariter,apud Quintilianum sępe: Vt,homo fortis simul & sapiens: uel homo fortis pariter & sapiens. Raro cum & geminata,ut Horatius:

Aut simul & iucunda,& idonea dicere uitæ.

Cicero pro Roscio: Perdiussimi est igitur hominis simul & amicitiam dissoluere,& fallere eum,qui læsus non esset,nisi credidisset.

### *De Nudiustertius, Nudiusquartus, Pridie, & Postridie.* Cap. XXXII.

NVdiustertius,et nudiusquartus,nec ultrà progreditur,sicut biduo,triduo, quatriduo,& binoctio,& trinoctio,quadrinoctio, & nō amplius: nisi putamus sine menda scriptum esse in Philipp. Nudiustertiusdecimus. Plautus (ut solet) licenter inquit,nudiustertius,quartus,quintus,sextus,septimus, octauus, & adhuc deinceps: ut etiam ad millesimum fuerit processurus. Sed cur quemadmodum habemus biduo,& binoctio,non etiam habemus nudiussecūdus: nempe quia adest aliud uocabulum,& quidē magis proprium,quod est heri. De die autem,qui præcessit hesternū,dicimus nudiustertius, & de superiore adhuc nudiusquartus,scilicet nūc de die tertio,uel quarto. De sequenti, cras: de huic pro-

ximo, perendie. Cicero ad Atticum libro 12. Scias igitur cras, ad summum perendie. Vnde dies perendinus, dies abhinc tertius. Caesar in Cōmentarijs: Qui si per te liceat perendino die cum proximis hybernis coniuncti, communem cum reliquis belli casum sustineāt. Et cōperendinare, differre in longum de die in diem. Pridie, & postridie similimā obtinet significationem ei, cuius sunt heri, & cras. Est enim pridie, quasi heri, non tamen praesentis diei: & postridie quasi cras, non praesentis diei, sed cuiusdam alterius, aut praeteriti, aut futuri. Praeteriti sic: Pridie quàm intrarem mare, lux serena fulsit. Futuri sic: Pridie quàm intres patriam, sacrificium facito: id est, die pręcedenti, quo aut mare intrasti, aut patriam intrabis. Item: Postridie quàm pater mortem obijt, epulum feci. Et: Postridie quàm uxorem duxero, nauigandū mihi est. Vel cum genitiuo sic: Pridie illius diei, et postridie illius diei, quo aut haec feci, uel faciā. Vel sine quàm, & sine diei, sic: Venit ad me Chremes postridie clamitans: supple illius diei quo haec gesta sunt. Et, Cum intraui urbem, audiui hominem pridie recessisse. Dicimus tamen, quum has literas dabam, erat pridie Calendas Augusti, uel postridie Nonas: &, hodie est pridie ludorum Circensiū: cras erit postridie nūdinarum. Refertur enim tale tēpus non ad hodiernum, crastinumq́ diem, sed ad alium quendā, ueluti ad eum, quo hae literę legentur. Ideoq́ errauit, qui scripsit sic: Quum eum Romae domum loquendi gratia adissem, orauit me, dicens: Postridie ad me redeas: Dicendū erat, cras: aut sic, postridie ut redirem orauit. Rursus non rectè dixisset sic: cras ut redirem orauit, sed postridie. Atq; ut non dicimus nudiussecūdus, ita nec secūdo Calendas, secundo Nonas, secundo Idus: sed pridie Calendas, pridie Nonas, pridie Idus. Itē ut nō dicimus nudiusprimus, ita nec primo quidē Calendas, primo Nonas, primo Idus: sed Calendis, Nonis, Idibus. Praeterea ex his duobus alterū format ex se denominatiuum, alterū uero minime. Ex pridie fit pridianus, ex postridie nō fit postridianus, aut in usu non est. Sed pro eo abutimur crastinus, per q̄d significat nō modo dies sequens hodiernū, sed etiā quēlibet aliū. Verg. Geor. 1.

Sin uero ad solem rapidum, lunasq́ sequentes
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora, neq; insidijs noctis capiere serenae.

Eodem quoq; modo abutimur hesternus pro pridianus. Terētius: Iure hesterno panem atrū uorent. Cicero: Videre uideor alios intrantes, alios exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna è potatione oscitantes: nō de hesterno die loquitur, quia (ut sic dicam) ab illo heri non fuerit factum, quum hęc dicerentur. Vtimur frequentius hoc per abusionem, quàm illo naturali & proprio, quo & ipso frequenter utimur. Suetonius in uita Tiberij: Solennibus ipse coenis pridiana saepe & semesa obsonia apposuit. Item in uita Caij: Marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere. Bartolus cum leguleis suis accipit postridie, pro post tres dies: Vnde consequens fuit dicere, pridie pro eo quod est prioribus & proximis diebus. Nam ita uulgò loquuntur, pridie emi domum, quum dicendum sit nuper, de quo nunc disseramus.

### *De Dudum, Nuper, & Pridem, compositisq́;.* Cap. XXXIIII.

DVdum & iamdudū, de paruo tempore unius horę, aut semihorę, aut duarum horarū, aut certè breuissimi temporis. Nuper siue pridem, et iampridem de longiore tempore decem aut uiginti dierum, aut mensis mensiumúe, & nonnunquam annorum, pro conditione materiae. Item dudum & nuper seu pridem, de re siue actione quae non insistit, sed statim transit. Iamdudum & iampridem, de re siue actione, quae insistit & immoratur. Illa praeteritū utiq; postulant, haec frequentius praesens: nonnūquam etiam praeteritū. Dudum intraui, & iam dudum te expecto, id est, hora, aut semihora est, uel duę, uel tres, uel (ut multum) quatuor.

quatuor, ex quo intraui, & ex quo te expecto. Sed ipsa actio intrandi nõ insistit, sed statim desinit. Secus autẽ expectãdi actio. Item nuper ex Sicilia redij, & iampridem ex Sicilia absum, uel iampridẽ ex Sicilia redij, id est, superioribus diebus, mensibus'ue ex Sicilia redij: et iam multi dies sunt, uel aliquot mẽses, ex quo absum ex Sicilia, uel ex quo ex Sicilia redij: hic continuatio intelligitur temporis, illic minime. Hic significat mora, qua in hoc loco immoratus sum, illic momentum illud applicationis. Cæterum quia dixi nuper, & iampridem nõ modo menses complecti, uerum etiam annos pro cõditione materię, tale exemplum sit: Nuper inuenta est machina, quam bombardam uocant, id est, non multo tempore abhinc. Iampridem bombarda in usu est, hoc est, iam aliquanto abhinc tempore in usu est. Cicero de diuinatione: Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inuenta est, hac de re communis uita dubitauit. Idem de amicitia: Neque enim assentior his, qui nuper hæc disserere cœperunt cum corporibus simul animas interire, atque omnia morte deleri. Quid attinet plura hic exempla repetere, quum nemo aliter locutus sit? Forsan aliquando poetæ, apud quos legimus iamdudum pro continuò, sed ferè in persona loquente, alios ut maturẽt hortante, ut Vergilius: Iamdudum sumite pœnas.

Rarius iampridem, ut fecit Lucanus:

Tollite iampridẽ uictricia tollite signa: nisi iampridẽ uictricia dicamus. Quare Boëthius uidetur male uoluisse imitari unum locũ M. Tullij in rhetoricis, dicentis: Aliquando respondendum est, primum his, quæ aduersarius nuperrime dixerit, quum in cõmentarijs dialecticis inquit: Hoc autẽ quod nuper diximus, quum dicere debuisset ultimo, aut nouissime, aut postremo, aut proxime. In Saturnalibus quoq; Macrobius: Iamdudum, inquit, hæc quæstio ab Aristotele & proposita est, & soluta: quum dicere debuisset iampridem, aut potius iam olim Plinius etiam maior (si uere scriptum est) lib. 23. sic inquit: Somno uero ac securitatibus iamdudum hoc fuit, quod illi Helena ante cibum ministrauit. Et iterum lib. 19. cap. 1. Iamdudum ex eadem Hispania Zelicum uenit in Italiam plagis utilissimum. Et Liuius lib. 41. In eo captiuorum numero, fabri qui dudum fuere assueti apud Pœnos mercede opus in arce sacrorum facere. Pridem autem, & nuper idem significãt. Est autem nuper non longo tempore à nunc: interdum non longo tempore à tunc, ut Curtius: Qui nuper ab Alexandro missi erãt. Titus Liuius: Tunc hæc ipsa indignitas agebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos ut teneret, pertinacem nobilitatem habere, sed ne uacuũ quidẽ agrũ nuper ex hostibus captum plebi diuidere. Cicero de Oratore lib. 2. Quàm multa de balneis, quas nuper ille uendiderat. Pridem uero rarum est. Plinius lib. 17. naturalis historiæ: Ipsi uero pridem uidimus eadem fermè omnia pręter pubertatem in filio Cornelij Taciti equitis Romani. Paulus iureconsultus: Et nõ est mirum si peculiũ quoq; defuncti pridẽ filij defertur patri. Vlpianus: Tenetur eum ordinem tenere, quem pridem habuit. Modestinus: A literis pridem sibi editis. Sæpius cum negatione & cum quàm, & cum ita. Plinius libro 14. Medici nõ pridem uenere in Italiam. Cicero pro Roscio Comœdo: Quampridem nomẽ Fannij in aduersarij detulisti. Idem in Bruto: Fuit enim regnante iam Græcia, nostra autem ciuitate non ita pridem dominatu regio liberata. Papinianus: Idem in uectigalibus non ita pridem constitutum est, ut sui temporis singuli periculũ præstarent. Idem intelligitur in dudum, quod in pridem, ut quandudum hic sedes? respondebis, non ita dudum, uel iamdudum.

### *De Olim, & Diu, eorumq; compositis.* Cap. XXXV.

Olim, & iamolim, siue olimiam, diu & iamdiu, & tãdiu habẽt aliquid cum superioribus affinitatis. Quorum primum apud Cicer. rarissimum: apud

Quintil. frequens. qui lib. 8. sic ait: Sed in foro tamen illam iam facilitatem olim desideramus, id est, iam olim. Et alibi: Olim iam Imperator inter fulgenteis uirtutes tuas liuor locum quærit: hoc est, iam olim, quod est iam à lõgo tẽpore. Olim pro futuro non apud poëtas tantum, ut Vergilius:

Hunc tu olim cœlo spolijs orientis onustum Accipies:

sed apud Oratores quoq;, ut idem Quintil. Sunt clari quoq; hodie eiusdẽ operis autores, qui olim nominabuntur. Poëtæ etiam pro aliquando, ut idem Vergil.

Ac olim seras posuit quum uinea frondes.

Nonunquam etiã pro iamdudũ accipitur, ut Curtius lib. 8. Olim enimuero metro sensibus uinctis, ex lecto repentè cõsurgit. Diu uero nihil aliud significat, nisi per longum tempus, diu nauigaui, diu equitaui: non autem, diu recessi, aut diu equum ascendi. Sed, nuper recessi, aut dudum: &, dudũ equũ ascendi. Quidam tamen sic loquũtur: Iamdiu est quòd recessi, utentes aduerbio pro nomine. Eadem ratio est in iamdiu & tamdiu. Ideoq; cauendum est, ne uerba quę momentaneam actionem significant, his aduerbijs applices, quale est: Iamdiu publicaui opus, iamdiu duxi uxorem, sed iampridẽ: licet recte dicatur, iamdiu est opus publicatum, & iamdiu uxor mihi ducta est, nõ aliter quàm si dicatur: opus iamdiu est publicatũ, adhuc tamen elimare non desino: &, uxor mihi iamdiu ducta, adhuc tamẽ uirgo est. Significatur enim hic cõtinuatio temporis, quo opus quidẽ publicatũ est, uxor uero ducta manet, ac perseuerat: quod in illo superiore non fit. Ideoq; tuba dudum: aut iamdudũ sonuit: non iamdiu sonuit: iamdiu mortuus est, non iamdiu animam emisit, sed dudum: & idem in cæteris.

*De Velut, Sicut, Quasi, Tanquam, & similibus.* Cap. XXXVI.

VElut, & ueluti, & uti, tria hæc similiora sunt in significatione illis tribus, quasi, tanquam, ceu, quàm alijs tribus, sicut, sicuti, ut. Ea enim sex superiora imaginem innuunt, hæc tria posteriora similitudinem: quanquam, ut, potest uideri generale, & commune cum omnibus, necnon uti, cuius proprie significatio est, quæ ut: Tu irasceris tãquam leo, quasi canis, uelut ursus, est metaphora. Tu irasceris sicut, uel sicut leo, comparatio est. Ibi enim dico te leonem, hic autem leoni similem: quod hinc probatur, quòd illud resoluitur per uerbũ substantiuum, hoc per idem uerbum: Tu irasceris tãquam leo, id est, tanquam leo esses. Irasceris sicut leo, id est, sicut leo irascitur. Atqui quomodo hoc ipsum probas, quod ita hæ orationes resoluãtur potius, quam è contrario? Nempe quòd cum huiusmodi uerbis cõiunctas inuenimus, ut: tu incedis uelut esses rex, nõ autẽ sicut esses rex. Rursus, tu incedis, sicut incedit rex, non autem uelut incedit rex, ita in similibus. Ego sentio sicut Plato, supple sentit, non sicut Plato essem: Ego dico sicut antea, supple dixi, non sicut antea fui. Possunt tamen illa, quę dixi, resolui per idem uerbũ, sed non in indicatiuo: ut, tu incedis, uelut incederet rex. Adeò illa, quæ habent prępositionem uix aliter resolui possunt. Ego uenio ad te tanquam ad deum, non est dicendum, tanquam deus esses, sed tanquam ad deum accederem. Deniq; hæc subiunctiuum postulant, illa indicatiuum. Seruius pro sicut posuit uelut, 11. Aeneidos: Nam diadema uelut aliarum Italarum gentiũ reges non habebant. Si uelim afferre exempla uiuentium, plura possem ineleganter dicta, sed unum interim afferam, qui ita è Græco interpretatur: Nam ueluti iustum est in eos animaduertere, qui aliquid perperam patrarũt: ita his qui nos beneficio fouerunt, referre gratiam decet: ueluti pro sicuti posuit. Sed deceptus est, quia Græci ista non distingunt. Aliquando ne nos quidem distinguimus, utiq; cùm quædam enumerantur, postea aliquid exempli subiungimus, ut apud Ciceronem Officiorum primo: Tamen ex singulis certa officiorũ genera nascuntur, uelut ex ea parte, quæ prima descripta est. Idem de Natura deorũ: Aut quid tam

temerarium,

temerarium, tamq; indignum sapiētis grauitate atq; cōstantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptū sit, & cognitū, sine ulla dubitatione defendere: uelut in hac quęstione. Plin. naturalis hist. lib. 2. cap. 56. Pręter hęc inferiore cœlo relatū in monumenta est, lacte, sanguineq; pluisse, M. Attilio, M. Portio cōsulibus. Et sæpe aliâs carne, sicut L. Volumnio, C. Sulpitio cōsulibus. Ex eaq; non perputruisse, quod non diripuissent aues. Et iterum: Quidam uero amnes odio maris ipsa subeunt uada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo reddūtur iacta in alueum, qui per Olympiam fluens, Peloponnesiaco littori infunditur. In hoc igitur solo modo loquendi, uelut cum sicut similitudinē habet, cum reliquis illis, quæ iam enumeraui, dissimilitudinem, quæ nequaquam licet ponere in tali genere sermonis. Significant enim imaginem, id est, nō ipsam planè ueritatem: aliquando tamen propè ipsam quoq; ueritatem, tum affirmando, tum uero negādo: ut, pater tu nō amas me quasi filiū, imò te fili amo quasi filiū. Ego non amplector illum ueluti filiū, licet mihi filius sit. Ille diligit me tanquam filium licet non attineam: hic planè imago est. Habet autem quasi quiddā propriū, quale est: obijcis mihi, quòd uxorem repudiauerim, quasi tu idem non feceris, uel quasi uero. Quæ exempla nusquam non plurima sunt. Vti etiam accipi solet pro ut, & hęc duo, pro quod. Vergilius:

Nanque uidebat uti bellantes Pergama circum,
Hâc fugerent Graij.

Quintilianus: Neq; ego grauissimū patrem suprema sua iuueni iactasse crediderim, ut hæredem filium scriberet. Ceu, magis est poëtarū, sed quo multi, & præsertim Plinius utuntur, Quidā indoctè his temporibus utitur pro sicut.

### *De Non quia, & Non quòd, de Quò, & Vt quia, & Vt quòd.* Cap. XXXVII.

Non quia negem hoc bene esse compositum, sed quia legem hāc esse componendi in omnibus principijs recusem. Iterum idem Quintil. Et febrem quiete & abstinentia, non quia rationem uidebat, sed quia ualetudo ipsa coëgerat, mitigauit. Iterum: Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cęteris quoq; doctioribus idem hoc examinandum quàm diligentissimè putem, sed quòd magis eius rei necessariam mentionem facit ætas ipsa discentiū. Iterū: Nō quia prodesse unquā satis sit, sed quia hoc prospicere debet, nequid peius, quàm fecerit, faciat. Ex his exēplis uidere licet, nunc bis quia repeti: nunc unū quia esse, & unū quòd. Et ubi est quia, ibi semel, bis ue posset esse quòd. Præterea in secundo membro nunc subiunctiuū esse, nunc indicatiuum, nunquā tamen idem repeti uerbum, præsertim modo uerbi mutato, ut fecit quidā, qui ait: Non quia amicus nō esses, sed quòd ita amicus eras: Quū dicere debuisset, non quia non amicus, sed quia, uel sed quòd ita amicus esses. In quo illud obseruatione dignum, de causa efficiente dicēdum esse quia, & quòd: de finali, quò, uel ut, de duobus prioribus exēpla inspeximus: de posterioribus, Cic. in Philippic. Non ut proficerem aliquid, siue non quò proficerem aliquid. Quidā ignari huius differentiæ, scribūt non rarò, quò, pro quòd, ut apud eundē & eodē in loco: Primū igitur acta Cæsaris seruāda censeo, non quò probē, cùm scribendū sit quòd, pro eo quod est quia. Quid significcertè quòd in altero membro est quia, quum dicit: Sed quia rationē habendā censeo pacis atq; otij. Et nemini dubiū est, quòd, resolui per quia: & quò, per ut: & hoc in loco à Cicerone significari causam efficientē, cui cōpetunt quòd, & quia: non finalem, cui competunt quò, & ut: quod liquidè probatur, quū in eadem sentētia de utraq; causa fit mentio. Quale est, nō castigo te, quòd odio habeam, sed quò meliorē efficiam. In primo membro est causa efficiens, in secundo causa finalis. Mutemus iterum causas sic: Castigo te, nō quòd odio habeā, sed quòd amem. Rursus, nō castigo

te, non quod odio habeam, sed quod amem. Rursus, nō castigo te, quò uoluptatem ex cōtumelia tua contraham, sed quo meliorem reddam. Vbi est quòd, illic posse poni quia: & ubi quò, illic ut, uel duplex, uel simplex, iam dictum est.

*De Facio ut, & Committo ut.* Cap. XXXVIII.

*cnect.* INuitus feci, ut C. Flaminiū de Senatu eijcerem. Et alibi idem Cic. Faciēdum puto, ut paucis rationem nostri consilij demus. Et Quintil. Quòd si nemo miratur poëtas maximos sępe fecisse, ut in principijs operum suorum musas inuocarent. Discrimen habet hic loquēdi modus ab altero: Alibi nanq; fit aliud propter aliud, ut quū quis inuigilat diligentius faciendæ mercaturæ, cur id faciat interrogatus, ut liberi mei honestius uiuant, respōdebit. Aliud est ergo, quod ipse facit, aliud propter quod hoc ipsum facit. Non ita in exemplis à me modo recitatis. Quid Cato fecit, ut Flaminiū eijceret de Senatu? Nempe id ipsum quod fecit. Quid faciunt poëtæ, ut musas inuocent? Nempe nil aliud, nisi quòd musas inuocant. Idem est igitur in genere huiusmodi principium, & finis, siue opera, & effectus. Idem fecit Cic. quodam in loco, in uerbo cōmitto: Qui secundum naturam uiuere uolet, nunquam cōmittet, ut alienum appetat: & quod alteri detraxerit, sibi assumat. Idem est hoc, ac si dixisset: qui secundum naturam uiuere uolet, nunquam alienum appetet: ut in superioribus. Inuitus C. Flaminium Senatu eieci: & paucis ratio nostri consilij est reddenda: & ita in cæteris. *Lib.3. Offic.*

*De Quòd, & Quum.* Cap. XXXIX.

QVò, & quum, quiddā peculiare in oratione exhibent, ut in Bruto Cic. Augebat etiam molestiam, quòd magna sapientum, ciuiumq; bonorū penuria iam in ciuitate esset. Idem ad Sulpitiū: Quo in periculo nonnihil me consolatur, quū recordor hæc me tum uidisse. Quid est quod augeat Ciceroni molestiā? aut quid eum consolatur? uel quòd magna penuria sapientū esset, uel quum recordaretur suæ prouidentiæ? Nempe hoc ipsum, quòd magna penuria sapientum esset, & quòd illud suū consiliū recordaretur. Idem est igitur id, in quo molestiā cōsolationem'ue capit, & propter q̄d ipsam molestiā, ac consolationē capit.

*Qua de causa, ut, tamen, & similia abijciuntur quandoq; ab oratione.* Cap. XL.

SAepe admirari soleo, quòd nūquàm tibi grauem senectutem esse senserim. Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire nō posses? Quippe quod nunquàm fuit. Miraris quòd nunquā senseris me fuisse luscū, qui nunquàm fui. Mirandū potius foret, si sensisses me luscum, aut grauiter tolerantē senectutem. Verū sic locutus est Scipio cum Catone, quasi diceret: Miror senectutem tibi, ut sentio, non esse grauē. Et alibi idem Cicero: Declarat autem studiū bellicæ gloriæ, quòd statuas quoq; uidemus ornatu ferè militari: non quòd uidemus, sed ut uidemus, quòd sunt statuæ ornatu ferè militari, declaratur studiū bellicæ gloriæ. Et alibi: Non tam me ista fama delectat, falsa præsertim, quàm quòd spero amicitię nostrę memoriā sempiternā fore: pro eo quod est, quàm quòd amicitia nostra (ut spero) sempiterna erit. Et alibi: Num etiā cōtemnitis, quòd sensistis tam charam populo Rom. Auli Hirtij uitā fuisse? pro eo quod est, quòd, ut sensistis, tam chara uita Hirtij populo Rom. fuit. Et alibi: Et eò studiosius hoc negotiū suscepimus, quòd te nō sine causa uelle cognoscere rhetoricam intelligamus: pro eo quod est, ut intelligo, nō sine causa uis cognoscere rhetoricā. Quintil. in 2. Sicut Polycratem quū Busirim laudaret, & Clytæmnestram, quanquàm is, quod his dissimile non est, cōposuisse orationem, quæ est habita contra Socratē, dicitur. Non est hoc quòd cōposuisse dicitur orationem cōtra Socratē simile illi, quòd laudauit Busirim, & Clytæmnestram, sed hoc ipsum, quòd composuit orationē, ut dicitur. Nanq; dum fortius opus permisit ætas, terram manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & inuito solo nōnihil tamen fœcunditatis expressi: subintellige

*Lib.1. Offic. de magnanimitate.*
*In Lælio.*

subintellige quāuis: sic, quamuis solum esset inuitum, tamen nonnihil expressi fœcunditatis. Et in hoc pristinæ fortunæ reliquijs miseris & afflictis, tamē haberet quosdā, quorū animos ne supplicio quidem suo satiare posset, id est, quāuis reliquiæ pristinæ fortunæ miseræ sint & afflictæ, tamen haberet quosdam, &c.

Illud hoc loco nō omittamus, quærentes ubi est quāuis, licet, etsi, quāquam, similiaq́ue & tamen, unde incipienda sit construi oratio? Vtrinque prohiberis. Sed ni mirum à uerbo cui adhærebat tamen, ipso tamen excusso, quod idcirco in ligatura & quasi iunctura orationis insertum est, quia oratio unde non debuerat, inceperat. Vt, Etsi uereor iudices, & cætera. Quòd si à principali uerbo cœpisset, superuacum fuisset inserere tamen. Nunc igitur quum recte inchoatur, illam dictionem ut superfluam, quasi functam officio suo debemus abijcere.

### *De Duntaxat.* Cap. LXI.

DVntaxat, licet idem significet quod solum, tamē ferè solet aliter in orationis serie disponi, nec recipere post se illud, sed etiam, ut solum, ut tantū, ut modo faciunt. Cicero pro Deiotaro: Quod ipsum etsi non iniquū est in tuo duntaxat periculo. Et de Oratore. Ita loquamur, ut ei tradamus ea dūtaxat, quæ nos usus docuit. Quintil. in 11. Ergo quum iudex in priuatis, aut præco in publicis dicere de causa iusserit, leniter cōsurgendum, tum cōponenda toga, uel (si necesse erit) de integro reijcienda, duntaxat in iudicijs, apud principē enim & magistratus ac tribunalia, non licebit. Paulò pòst: Narratio magis prolatam manū, amictum recidentē, gestum distinctū, uocem sermoni proximā, & tamen acriorem, sonum simplicem frequentissime postulabit in his dūtaxat, qualia hæc sunt: Caius tamen, & Paulus prēter morē hac dictione sunt usi. Alter enim ait sic: Fabros lignarios dicimus, non eos duntaxat qui ligna dolant, sed omnes qui ædificant. Alter sic: Quum tutor non rebus duntaxat, sed etiā moribus præponatur, in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, pro facultate nataliū constituet. Semel quoq; Tit. Liuius lib. 46. Nec animū uobis dūtaxat fidelē ac bonū pstitit, sed omnib. interfuit bellis, quę gessistis.

### *De Quandoquidem, Quando, & Quatenus.* Cap. LXII.

QVandoquidem & quando, idem significant, & significant quoniam. Cicero & Vergilius frequentius superiore utuntur, Quintilianus posteriore. Cicero igitur de Oratore: Quæ sunt in hominum uita, quandoquidem in ea uersatur orator, atq; ea est ei subiecta materia, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, cognita esse debent. Vergilius:

Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teucris. Sine quidem:

Hic tibi (fabor enim) quando hæc te cura remordet.

Miroŕq; cur Priscianus illud Vergilianum quando, pro aliquando exposuerit: quod accipiendum est pro quoniam:

His se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis.

Quintilianus: Quando igitur orator est uir bonus (is autem citra uirtutem intelligi nō potest: uirtus etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est) mores ante omnia oratori studijs erunt excolendi. Eiusdē significati est quatenus apud seculū duntaxat. Quintil. Is ita ait: Sed quatenus luctus nostri in ius uocantur, & flenti disputandum est, & orbitati suæ mater irascitur, superemus, quā exorare nō possumus. Et eius disciplus Plinius Iunior: Et quatenus negaur nobis diu uiuere, relinquamus aliquid, quo nos uixisse testemur. Nam Cic. dixit, quatenus solummodo pro inquantū, sicut eatenus pro intantū. Vt in Lælio: Videndū est quatenus amicitię tribuendū est. Seculū aūt Quintiliano, Liuio, Vergilio, Horatio exordior, quorum ultimus in Sermonibus sic ait:

Surrentina uafer qui miſcet fece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ouo,
Quatenus ima petit uoluens aliena uitellus.

De Igitur, Ergo, Quare, Quamobrem, Quapropter. Cap. XLIII.

IGitur atq; ergo breuioribus adhibentur cõcluſionibus: quare, quamobrem, quapropter maioribus: niſi ita dicas: neſcio quare ſic loquaris, intelligo quã obrem ſic facias. Illud autem primũ quod protuli, ſæpe ad ſignificandam coniunctionem partium orationis adhiberi ſolet, & ferè poſt aliquam rem interiectam, quaſi in hunc ſenſum: Vt autem continuem, aut ut pergã ad ſequentia: ac ne ſim longus in exemplo, ut neceſſe foret, afferam breue ex poëta ſumptum:
Et certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum:
Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo:
Alternis igitur contendere uerſibus ambo Cœpere.
Ergo, etſi rarius, tamen nonnunquam & hoc modo uſurpatur.

De Adeo, Vſqueadeo, Vſq; eò, & Tantum. Cap. LXIIII.

ADeo exponunt pro ualde, ut Terent. Iuuenem adeo nobilem. Significat etiam in tantũ, nonnunq; ſequente ut, nonnunquã non ſequente, ut apud Quintil. Cuncta (ſi uidetur) iura percurrite, nuſquam adeo pro nobis ſolicita lex eſt, ut quod præſtat extorqueat. dedit cæco talionis actionẽ, non manus recuſantis impellit, iniuriarũ, cædis agere permiſit. ſed nõ cogit inuitos, adeo penè leuius eſt ultionẽ perire, q; poteſtatẽ. Genus ſeruitutis eſt coacta libertas. Hic eadẽ ſententia fuerit ſi dixero, adeo ut penè leuius ſit ultionẽ perire, q; poteſtatẽ. Nam ſæpe hoc modo legimus adeo poſitũ cum uno uerbo, nõ cum duobus. Quale fuerat exemplũ ſuperius, ut apud eundẽ: At quũ protinus reſpondendũ eſt, omnia parari nõ poſſunt, adeo ut paulò minus promptis etiã noceat ſcripſiſſe, ſi alia ex diuerſo, q; opinati fuerint, occurrerint. Licuiſſet hoc etiã ſic dicere: Adeo paulò minus prõptis etiã nocet ſcripſiſſe. Idẽ efficit uſq; adeo, et uſq; eò, ut apud eundẽ: Hinc tumor, et uana de ſe perſuaſio, uſq; adeo, ut illo diſcipulorũ tumultu inflati, ſi parũ à præceptore laudẽtur, ipſi de illo male ſentiant. Sine ut, & per indicatiuũ apud Ciceronẽ: Ne ſi quãdo ei dicendũ erit de iuſtitia, de fide, mutuetur à Platone, qui quum hæc exprimenda uerbis arbitraretur, nouam quandam finxit in libris ciuitatem, uſq; eò illa, quæ de iuſtitia dicenda putabat, à uitæ cõſuetudine, & à ciuitatũ moribus abhorrebãt. Multi ad hunc ipſum modũ uſurpant Tantum.

De Quin, & Quinetiam. Cap. XLV.

1. Aeneid. QVin, pro quinetiam, ſiue atq; etiam. Vergilius:
Quin aſpera Iuno,
Quæ mare nunc, terraſq; metu, cœlumq; fatigat,
Conſilia in melius referet.
Quin, pro ut non, ubi deſideratur utiq; ſubiectiuum uerbum, idemq; non principale, ut idem libro tertio Aeneidos:
Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanti,
Quin adeas uatem precibuſq; oracula poſcas. Quin pro cur non, ſemper interrogatiuè, & per indicatiuum. Idem:
Quin tu aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,
Viminibus molliq; paras detexere iunco?
Neſcio quid uiderit Seruius, qui hunc locum expoſuit per quinetiam. Sed duo priores ſenſus uulgò ſunt noti, in carmine & in proſa freque͂tes & obuij. De tertio afferam ex oratoribus quoq; exemplum. Cicero pro Rabirio: Quin compeſcitis iſtam uocem indicem ſtultitiæ, teſtem prauitatis? Quintilianus in paupere amatore: Quin tu potius admittis iuuenis conſilij rationem?

De Secundum præpositione. Cap. XLVI.

SEcundum nonnunquam pro iuxta & post. Vergil.
Dulcibus illa quidem illecebris, aut plena secundum
Flumina. Quintil. in pariete palmato: Tu iaces secundum occasionẽ, & expeditum tibi in proximo facinus est. Sulpitius: M. Marcellum post cœnæ tempus à Magio Syllone familiari eius pugione percussum esse, & duo uulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem. Hic iuxta significat. Item quod ab altero secundum est, id iuxta est, atque post. Ideoque secundum pro post accipitur, quasi secundo loco. Idem Quintilianus in gladiatore: Nam quod unum mihi secundum patrem fortuna uidebatur parasse præsidium, id ego sperare in illa sorte non poteram. Cicero: Proximè autẽ & secundum deos, homines hominibus maximè utiles esse possunt. Idem: Appellat L. Annium, qui erat institutus secundum filiam. Liuius lib. II. Hetrusci belli fama exorta est: erat ea tempestate gens alia, cuius secundum Gallicos tumultus arma terribiliora essent. Secundum etiam accipitur pro eo quod est pro: ut, secundum te litem do: secundum me iudica: secundum se iudicium des uult, id est, pro me, pro te, pro se. Et pro in, ut secundum quietem, id est, in quiete somni. Secundum autẽ Platonem, secundum Pythagoram, sensus hic nouissimus est.

De Iam & Iamiam. Cap. XLVII.

IAm eleganter usurpari solet, aliquando quasi pro tunc, ut Cicero: Ipsa uerba compone, & quasi coagmenta (quod ne Græci quidem factitarunt) iam neminem antepones Catoni. Quintil. Quòd si satis prudenter ea uiderint, iam propè consummata fuerint præcipientis opera. Aliquando significat præterea, quasi nodus quidam inter sententias, ut Vergilius:
Iam maris immensi prolem & genus omne natantum.
Iam uarias pelagi uolucres.
Huiusmodi exempla sunt crebra. Idem efficiet iunctum cum uerò: Iam uerò urbibus constitutis: & cætera. Iamiam de futuro palàm est, quid significet: ut, iamiam aderit. Et de præsenti, licet ad futurum resoluatur.
Iamiamque manu tenet, & premit hasta. quasi nunc nũc tenebit. Nonnunquam figuratè per indignationem miserationemue accipitur. Vt idem Vergilius:
Iamiam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.
Cic. in Verrẽ: Iamiã Dolobella neque me tui, neque tuorũ liberorũ, quo te aliqui innocentẽ putãt, casus miseret. Quint. Iamiã malo uenena, ferrũ, subitosque ictus, improuisamque mortẽ: qui incestũ non credit, torquere nõ debet: qui credit, statim debet occidere. Et hęc per indignationẽ. Per miserationẽ uerò, Sallust. in Iugur. Iamiã animo meo charissime frater, quanque tibi immaturo, & unde minime decuit uita erepta est, tamẽ lætandũ magis quàm dolendũ puto casum tuũ. Per exhortationẽ quoque, ut apud Quintil. Iamiã cõmilito quicunque casus manet, etiãsi te imperator damnaturus est, habes solatium, satius est quàm à patre occidi.

De Tantisper, Paulisper, Aliquantisper, Parumper, & similibus. Cap. XLVIII.

TAntisper, ferè postulat post se dũ pro donec, siue quandiu. Nam & donec duobus modis accipitur. Dabo operã uoluptatibus donec moriar, id est, usque ad mortem: &, dabo operam uoluptatibus donec uiuo, id est, quandiu uiuo. Eiusdem naturæ est dum. Ideoque in priore sensu amat subiunctiuum, in posteriore indicatiuum more donec, ut apud Ciceronem: Deinde est in carcerẽ ductus, ut ibi esset tantisper, dũ culeus in quẽ coniectus deferretur, cõpararetur. Terent. Ego tantisper te dici uolo meũ, dum id quod uolo facis. Sunt tamẽ qui

pro tantummodo accipiant. Sunt qui etiã pro interea. Cætera quoque sic à per composita, ad temporis breuitatem referuntur. Parumper, paulisper, aliquantisper. Sunt qui per imperitiam hæc accipiunt pro suis primitiuis, quæ sunt parum, paulum, aliquantulum.

*De Ferè & Temere.* *Cap.* XLIX.

FErè significationem habet non omnibus notam, nisi quando significat penè, cuius significatio est, Paulũ abfuit, quin, ut penè siue ferè in manus hostium incidi, id est, Paulum abfuit, quin in manus hostium inciderem. Altera significatio est, quũ subintelligitur aliqua uniuersalitas, ut Quintilianus. Hæ sunt ferè emendatè loquẽdi, scribendiq; partes, id est, ferè omnes. Ideoq; ferè omnes adiungitur, ut idem: Nam in omnibus ferè minus ualent præcepta quàm experimenta. Similiter de loco, de tempore, similibus'q;: ut, utor ferè hac ueste in faciendis sacris, id est, in omni ferè tempore. Ferè Romani orbẽ subegerunt, id est, ferè totũ orbem. Ferè fit, ut iuuenes ament, id est, ferè ubiq;. Cuius significationis imperiti corruperũt illud Ciceronis de Amicitia: Memini illum in cũ sermonem incidere, qui tum ferè multis erat in ore: quum scribendum sit, qui tum ferè erat in ore, id est, ferè omnibus. Pro ferè accipitur temerè apud omnes post Ciceronẽ natos, ut Quintilianus: Illud ingeniorum uelut præcox genus non temere unquam peruenit ad frugem. Sunt enim quædam, quæ sequens ac proximum M. Tullio seculum adiungenda existimauit: ut procul dubio, obiter pro specialiter, tali causa, uel pro statim, quoties pro quãdo. Nam Cic. ferè nunquàm utitur, nisi addat toties. Citra pro sine: ut ibi: Plusq; si separes, usus sine doctrina, quàm citra usum doctrina ualeat. Interim pro aliquando. Meo nomine, tuo nomine, hoc nomine, pro mea, tua, hac causa, siue hoc respectu, ut ibi: Minus est quòd flendũ meo nomine, quàm quòd illius gaudendũ est. Et alibi: Ago quinimo gratias hoc solo nomine crudelissimis fatis, quòd maximum facinus nõ in prima æui mei parte posuerũt. Cic. rarissimè, ut in Bruto: At uerò inquã ego tibi Brute non soluam, nisi prius à te cauero amplius eo nomine neminẽ, cuius petitio sit, petiturum. Et pro Sylla: An cum tanto imperio, tantaq; potestate non dicis fuisse regem, nunc priuatum regnare dicis, quo tandem nomine? Sed hoc declinabile est. Nunc autem de indeclinabilibus agimus, qualia & hæc sunt: alioquin, aliâs, nihilominus, super & supra, diuersius aliquantulum à Ciceronis usu. De qua differentia in commentarijs à me in huius orationes, & illius declamationes componendis disseretur.

*De Perinde, Proinde, Subinde, Identidem, Itidem, & Item.* *Cap.* L.

PErinde flagitat post se ac si, uel atq; si, quum significatio eius sit ita: ut, fac perinde, ac si tua res esset, id est, ita quasi. Cum negatione uerò etiã quàm, ut Suetonius de uita Domitiani: Nulla tamen re perinde motus, quàm responso casu Aschitarionis mathematici. Quòd si non sequatur nec ac si, nec negatio, accipitur pro æque, ut Plinius Iunior: Funus Ruffi clarissimi uiri & perinde felicissimi. Pro ita, id est, quod est multum, ut idem Suetonius de uita Galbę: Quare aduentus eius non perinde gratus fuit. Proinde idem est quod ideo, uel potius, ideoq;: semper enim dependet à superiore sententia. Quidam, quorum est Lucretius, accipiunt proinde in eam significationẽ, quam dedimus perinde: ubi proinde duas syllabas habere facit. Subinde reperitur pro inde, uel deinde, statim, ut T. Liuius lib. 3. Subinde acceptus à Publio Numitorio Spurius Oppius. Et Horatius ad Celsum:

Si dicet rectè, primum gaudere, subinde
Præceptum auriculis hoc instillare memento.

Etiam pro identidem siue frequenter cum quodam interuallo. Vt si iter faciens crebrò

crebrò ad comitem respiciam, an me sequi possit, dicam, subinde respicio. Cicero autem diceret identidem. Nam subinde uti nõ solet, ne æquales quidem eius, Varro, Sallust. Cęsar: licet illi utantur nouissimo pro ultimo, multiq; alij, quod Cicero non facit. Itidem, & item, sigificant id quod similiter. Hæc omnia ab inde composita Priscianus, multiq; alij pronunciari uolunt accentu in antepenultima syllaba, qualia sunt (ut eidem placet) composita à quando, aliquando, siquando, nequando, nunquando. Est enim hoc ultimũ & ipsum compositum. Ideoq; per n, in tertia litera scribendum est, non per m, pro eo quod est num aliquando. Est autem huius monosyllabę significatio penè eadem quę an, subintelligitq; utiq; negationem. Vt num ego te spoliaui? quasi dicat, ego te non spoliaui. At quoties per negationem interrogamus, subintelligitur affirmatio: ut, non ego te spoliaui? quasi dicat, ego te spoliaui. Affirmatiua autem responsio hęc propria est, Etiam. Vt, uidisti me hodie? si uidi te, respondere debeo, Etiam, uel Sic. Plinius ad tacitum: Studes inquam? respondit, etiam. Vbi? Mediolani. Vulgò autem respondemus, Ita: Neq; hoc sine autoritate. Simo apud Terent. dicenti Dauo, mihi'ne? respondit, Ita.

### *De Nunc.* *Cap.* LI.

NVnc, solet usurpari sine significatione temporis, ut de Diuinatione Cicero: Quæ quidem multò plura euenirẽt, si ad quietẽ integri iremus: Nunc onusti cibo & uino, cõfusa & perturbata cernimus. Et de Oratore: Et si in huiusmodi genere nihil esset, nisi falsum, atq; imitatione simulatũ, maior ars aliqua esset requirenda: nunc ego quid dicam? Et in eodem: Nam si ita diceres, & cætera. Nunc uerò fateris, & cætera.

### *De Bene, Male, Peius, Pessimè.* *Cap.* LII.

BEne nõnunquã accipitur pro ualde, ut Cic. Habetis orationẽ bene longã. Quint. Quũ multa diserte, summisq; clamoribus, quę neq; ad iudicẽ, neq; ad declamationẽ pertinent, decantauerunt bene sudantes, beneq; comitati per forũ reducuntur. Huic simile quiddã habet male, ut Comici frequẽter utuntur. Male mihi timeo, pro eo quod est ualde timeo. Cic. in Bruto: Addebat etiã idq; ad rem pertinere credebat: scriptores illos male mulctatos, id est, ualde, & quasi bene mulctatos, sed in malum illorũ. Ideoq; non bene dixit mulctatos, sed male. Neq; id solum in positiuo aduerbio, sed in superlatiuo quoq;, ut pessimè mulctatos. Atque adeò in comparatiuo, sed frequentius cum uerbo odi, ut idem in Philipp. Quo neminem ueterani peius oderunt: peius quasi magis & ualidius. Idem ad Mariũ: Oderam multò peius, quàm illum ipsum Clodium. Illum enim oppugnaueram, hunc defenderam. Nec tantum per comparatiuum cum hoc uerbo, uerumetiam per positiuum. Vt Terentius in Adelphis: Illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia propè est: tam male, pro eo quod est, tam ualde: per aliud autem uerbum, ut Ouidius Heroidum:

Peius adulterio turpis adulter obest.

### *De Super, Supra, Intra, Infra, Subter.* *Cap.* LIII.

SVper & supra, licet in eodẽ loco sedere possint, tamen in hoc plerunq; differunt, quod illud contiguum est, hoc interiecto spatio. Vt, sedeo super lapidẽ, magis quàm supra lapidẽ. Rursus aquila uolat, uel nubes pendent supra nos potius quàm super nos. Non tamen sic semper, ut apud Quintilianum: Nec ulla est supra terras adeò rabiosa bellua, cui non imago sua sancta sit. Et Liuium libro. XLIIII. Vbi circa muros subter terram per dies quindecim pugnatum est. Intra & infra etiam differunt: quia intra ad numerum & spatium refertur: ut, intra uiginti dies, & intra muros, non autem infra uiginti dies, uel infra muros. Infra ad dignitatem & ad locum: ut, infra dignitatem meam est, & infra tectum,

id est, subter tectum. Deniq; intra habet relatiuũ extra: infra uerò supra. Subter quoque relatiuum habet super: Ideoq; tactum rei ferè significat. Vt hic urinator mirificè natat, duratq; subter aquam.

De Sicut, Ita, Itaq;, & Sic. Cap. LIIII.

SIcut, habet nonnunquam uenustatẽ magnam, atq; utilitatẽ in disponendo, quoties antecedentem annectit cum sequente sententia, ut apud Quintilianum: Sunt & alia ingenita quidem quæ adiuuant, uox, latus patiens laboris, ualetudo, constantia, decor: quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari. Sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenij, studiaq; corrumpant: sicut & hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci legendi, scribendi, dicendi multa & continua exercitatione per se nihil prosunt. Plin. lib. VII. Ferunt Crassum auum Crassi in Parthis interempti nunquàm risisse, ob id ἀγέλαστον uocatum, sicut nec flesse multos. Seruius grammaticus hac dictione & bene & frequenter utitur. Possumus eodem modo, quo sicut, usurpare duo alia, quemadmodum & quomodo, aut si quid aliud est eiusmodi naturæ. Habet & aliam naturam sicut, ut non modò res similes copulet (quod est frequentissimum) sed diuersas quoq; & sæpe contrarias, ut idem Quintilianus: Sed hæc eloquendi præcepta sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad uim dicendi ualent, nisi illis quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit. Quod licet dicere etiam per ut, & quidem frequentius, ut idem: Quod ut optimum, ita longe difficilimum. Sed in hoc genere sermonis bonam sibi partem uendicat illud ita. De quo hoc etiam addam, quòd nonnunquàm accipitur pro itaque, sed hac differentia, ut nonnunquam ipsum antecedat in eadem sententia altera dictio. Cicero in Tusculanis: Ita nobilissima ciuitas Græcię, & olim potentissima sepulchrum ciuis sui ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Possumus per itaque sic dicere. Itaque ciuitas, uel ciuitas itaq;, eodem modo quo sic, pro sicq;. Quintilianus ubi de adolescente in opere duro: ac uirili se exercente dixisset, intulit: Sic effectum est, ut quemadmodum aliqui putant, posset cito militare. Accipitur etiã ita pro ualde, ut Cic. Nec ita multò pòst edictũ Bruti affertur & Cassij. Quintil. Nec res est ita magni temporis ac laboris.

De Nam, Nanq;, Nam quòd, Quòd autem, & Quòd uerò. Cap. LV.

NAm, & nanq; quiddam simile habent, quod ita, & itaq;. Quippe cũ nanq; soleat & primum locum sortiri, & secundũ, aliquando etiam tertium: nã non solet, sed prima semper est dictionum. Præterea hoc aliquando accipitur pro autem, ad distinctionem sententiarum, ut in Sallustium Cicero: Nam quòd in uxorem atque filiam meam tam petulanter inuectus es. Idem ualet ac si dixisset, quòd autem in uxorem, & cętera. Siue quòd uerò, ueluti sæpe incipere solemus, ut idẽ: Quòd autẽ scribis, quid de exitu belli sentiã, magis consiliũ petere possum, quàm ipse alijs dare. Idẽ de Oratore lib. I. Quòd uerò uiros bonos iure ciuili fieri putas, quia legibus & præmia proposita sint uirtutibus, & supplitia uitijs, equidem putabã uirtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo & persuadendo, non minis, & ui ac metu tradi.

De Iterum, Antehac, Posthac, Deinceps, & Rursus. Cap. LVI.

ITerum, refertur etiam ad primam uicem, nõ tantum ad posteriorẽ: nam iterum uoco te, id est, iterata uice, usitatum est. Iterum uocaui te præter hanc uicem, minus est usitatum. Cicero pro lege Manilia: Quum tantam multitudinẽ cum tanto studio uideremus, quantam non iterum in eodem homine præficiendo uidimus. Antehac et posthac huic similia sunt, hoc est, ante hoc, uel post hoc tempus. Aliquando tamen reperimus ante illud, uel post illud tẽpus. Sallust. Sic erat accensa libidine, ut sępius peteret uiros, quàm peteretur: sed ea sæpe antehac fidem

hac fidem prodiderat, creditum abiurauerat. Suet. in Domitiani uita: Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: Dominus & deus noster sic iubet fieri. Vnde institutum posthac, ut ne scripto quidem, ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Deinceps similiter accipitur pro dehinc, & pro deinde, atque etiam pro gradatim. Cicero in Tusculanis: Omnes qui deinceps accubarent, ad lyram canerent. Et ad Thermum: Sed tamen tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos te nolim habere iratos, quos uideo deinceps tribunos plebis per triennium fore. Sed redeamus ad Iterum, quod aliquid nouitatis exhibet, quum dicitur: Iterumque ad tarda reuerti corpora. Quomodo iterum: nunquid semel antea redierant? minime. Quid ergo? Aut accipiendum est quomodo Rursus, pro e contrario. Cicero Officiorum lib. 3. Neque me doloribus dedi, quibus essem confectus, nisi restitissem, nec rursus indignis homine docto uoluptatibus. Aut reuerti redireque pro uenire, ut idem de Fato, ad Chrysippi laqueos reuertamur: quum nihil de Chrysippo meminisset. Quintilianus: Si uerum est post uetusta secula, et innumerabiles annos reddi rursus alijs corporibus animas, fortasse in me renatus sit aliquis ex illis. Reddi quasi dari: nam idē hoc uerbū efficeret. Et alibi: Sed ad illos iam perfectis cōstitutisque uiribus reuertamur, quod in coenis grandibus saepe facimus, ut quū optime satiati simus, uarietas tamē nobis ex uilioribus grata sit. Non ait reuertendū ad uiliores libros, quasi ab his incipiendū sit, sed quū satiati fuerimus bonis libris tanquā cibis, postea nos ad uiliores conuertamus.

Iterum.

Reuerti pro uenire

Reddo pro simplici do

*De Vltro citroque, Huc illuc, Sursum deorsum, Vltro, & Sponte.*

Cap. LVII.

VLtro citroque in factis & in dictis. Quintilianus in Caeco: In limine iuuenis sicut solet ultro citroque commeare. Cicero lib. sexto de Republica: Multisque uerbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Quū ego te alloquor, tunc uerba ultrà quasi ultrà eunt: quū te alloquentē audio, tunc uerba citro quasi citrà ueniunt: sicut pedes quū à loco recedo, tunc ultro eunt: quum redeo, tunc citro. Nec elegans esset, huc atque illuc commeabat, nisi errabundū & incertum iter significes. Quidam tamen sursum & deorsum utuntur, opinor, imitantes Terentium, qui in Eunucho ait: Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam, ne sursum deorsum cursites. Nescio an de Athenis hoc dictum sit, quibus portus in imo, urbs uerò editiori loco sita est, fortè sic loqui deceat per sursum deorsumque, si de fortunę mutabilitate dicat, quę nunc tollit, nūc deprimit. Vltro tamen à sponte sic uidetur (ut breuiter dicam) differre, quòd ultro est quasi sine requisitione: ut, ultro ad te ueni, id est, à te non requisitus ueni. Sponte ad te ueni, id est, meo consilio: licet ad res inanimatas transferimus: ut, multae arbores sua sponte nascuntur, id est, per se.

*De Et, Ac, Que, cum suis compositis.* Cap. LVIII.

ET, multifariam solet in usu accipi, cuius conditionis est, que, & ab eo composita negatiua neque, & per apocopen nec. Vergilius Audieras & fama fuit. Martialis:

Quòd nummos cernis mitti, nos credis amice,
Falleris, & nummos ista tabella rogat.

Quintil. Has primum audiet puer, harum uerba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorū, quę rudibus annis percepimus: Et, pro quia accipiendum est. Ouid. in fastis:

Quintil. lib. I. cap. I.

Nil aliud Vestam, quàm puram intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla uides.

Que pro quia, siue nanque. Similiter Cic. Non solum nobis nati sumus, ortusque

nostri partem sibi patria uendicat, partem amici. Duplicantur interdum hę coniunctiones, sed in rebus diuersis uenustius: ut, te admirãtur & ciues, & hospites. Vergil. O qui res hominumq́ deûmq́. Id est, ô qui res & hominũ, & deorum. Sallustius in Iugurthino: Seq́ uobisq́ dignum est, id est, & se & uobis dignum est. Raró tamen in prosa, in carmine uero frequentius. Quintil. Nihil ociosum pati, quodq́ in inuentione, quodq́ in elocutione annotandũ erit. Quare de nec, & de neque, & de siue, similibusq́, quoties geminantur (quum facilia inuentu sint) omitto exempla. Et, quoque initijs sententiarum competit, ut idẽ libro primo: Et finitæ quidem sunt partes duę, quas hæc professio pollicetur. Eiusdem naturæ est ac, & atque. Cicero: Ac si uolumus eius rei, quæ uocatur eloquentia, siue artis, siue studij, siue exercitationis cuiusdam à natura profectę considerare principium, & cætera. Idem: Atque cæteri imperatores, qui de illo triumpharunt, & cætera. Interdum etiam & affectui seruit, ut idem pro Milone: Et sunt qui de uia Appia loquantur, taceant de Curia. Et in Philipp. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiauit? Idem: Et postea miramur, quare ferat moleste populus Romanus. Interdum neq́ copulam, neque affectum significat: ut si hoc modo loquar: Superaui illum in palestra, & est tam uastus, & sum tam pusillus. Vt idem de senectute: Defendi legem Voconiam magna uoce, bonisq́ lateribus, & uidetis annos meos. Ac si dixisset, defendi legem Voconiam iuuenili uoce, atque lateribus, & uidetis annos meos, & sum ita senex. Interdum etiam tali modo: Defendi fortissime illam legem: & hoc in tam prouecta ætate: uel, & id in tam prouecta ætate: uel per que, siue per atque, sic: Idq́ in tam prouecta ætate. Repudiaui uxorẽ, idq́ autore patre eius. Item per negationem: Duxi Paulam uxorem, neq́ hoc, uel, neque id sine prudentum hominum autoritate, uel nec id sine consilio, uel et hoc non sine cõsilio. Quæ exempla & mihi relatu longiora sunt, & legentibus (ut suprà dixi) facilia inuentu. Illud non indiget admonitione, que pro &, & quoq́ pro etiam debere accipi, ut alterum quasi membra cum membris, alterum quasi corpora cum corporibus copulet, aliter absurdum esset. Hoc admonendum est, & pro etiam apud Ciceronẽ nusquam reperiri, sicut in cæteris illo posterioribus, ut à Verg. incipiamus: ut, Natus & ipse dea. Quintilianus: Tamen si quid aduersus te ipse commisit adolescens, sit hostis & meus. Cicero dixisset, sit hostis etiam meus, uel meus quoque. Idem inquit: Quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoq́ insaniunt, insanissimum. Quintilianus, id est, seculum ab illo proximum, dixisset, tum illo modo, tum etiam sic, nisi inter eos, qui & ipsi insaniunt. Simili ratione de nec, pro nec etiam. Vt idem: Persolui gratia nõ potest, nec malo patri. Cicero & superiores omnes dixissent, nec malo quidem patri. Interdũ miscemus, &, atq́, nec, nunc ab hoc, nunc ab illo principium sumentes: ut, & pacem respuis, nec bellum geris: uel, nec bellum geris, & tamen respuis pacem: uel sic: & pacem non uis, nec tamen bellum geris: uel, & pacem non uis, & bellum gerere non potes. Nam in nec, siue in neq́ (de utroq́ enim loquor) inclusa est &, uel que, in quæ resolui potest, & ubi est nec uel neque, id resolui potest per & non, uel que non. Poëtæ etiam maiorem in his sibi licentiam permittunt. Nec & neque, sequente enim aut uerò, pro simplici, non pro composita negatione accipiuntur. Siquidem idem est nec enim, siue neque enim, quod non enim, nisi ita resoluimus, non etenim: neque uerò, idem quod non uerò, si modò non uerò dicere licet.

### De Vicißim, Inuicem, Mutuò. Cap. LIX.

Vicissim

VIcissim, nõ memor sum usquã esse apud Cic. & Quintil. et ferè maximos quosq́ autores, nisi pro secũdo loco, siue è diuerso, uel è contrario. Verg. tantum

tantum semel, neq; id aperte uidetur usus pro inuicem & mutuò:
Quid possit uterq;, uicissim Experiamur.
Quod imitatus est Suetonius, & alij plures. Cicero semper (quod ego quidem sciam) sic: Id acciperet ab alio, uicissimq; redderet. Et iterum: Sed ego admiratione quadam uirtutis eius, ille uicissim opinione fortasse nonnulla, quã de moribus meis habebat, me dilexit. Itidem Quintilianus, apud quem, & cæteros illius ætatis non modò inuicem tali modo usurpatur, quale est in Declamationibus: Inuicem sustinentes, inuicem innixi, id est, alter alterum sustinens, & uterq; alteri innitens, sed etiam in sensu, cuius est uicissim, ut in lib. 10. Tam contumeliosos in se ridet inuicem eloquentia, & qui stultis uideri eruditi uolunt, stulti eruditis uidentur. Et iterum: Neque enim uideo quæ iustior acquirendi ratio, quàm ex honestissimo labore, & ab ijs de quibus optime meruerunt, qui si nihil inuicem præstent, indigni fuerunt defensione. Plinius posterior. Habes res urbanas, inuicem rusticas scribe. In eadem significatione est mutuò, de quo modo attigi, non solum in hac, qualis est, inuicem se amant, & mutuò se amant, & mutuus amor, sed in ea de qua disputaui. Idem Quintil. in eodem statim pòst loco: Ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia utetur, id est, respondente. Cicero: Fac me mutuò diligas, hoc est, fac mihi in amore respondeas.

Inuicem

mutuo

*De scilicet & uidelicet.* Cap. LX.

Scilicet & uidelicet uidentur significare idẽ quod certe, sed usum suũ habẽt, & precipuũ per amaritudinẽ quandam cũ derisu permixtã, ut apud Vergil. Scilicet is superis labor est. Et apud Terent. Id populus curat scilicet. Et apud Quintilianum: Hæc uidelicet expectasti, ut ne captiosum esset officio tuo, maturius redijsse, ex industria tempus triuisti. Nonnunquam sine hac amaritudine, & irrisione, ut apud eundẽ: Sed est uidelicet ultima quędam calamitatũ rabies & nouissime in furorem uota ipsa uertunt. Nonnunquã post relatiuũ, sicut solet poni quidẽ, nonnunquã et ante, uel sine relatiuo. Et hi sunt ferè modi utendi his duabus dictionibus apud doctissimos: apud quos uix reperias illum uulgo usitatissimũ modũ. cũ ea quę cõfusè dicta sunt, per singula postea exponimus: quale esset: Quatuor sunt uirtutes, scilicet uel uidelicet prudentia, iustitia, fortitudo, modestia. Secundi libri finis

# LAVRENTII VALLENSIS IN TERTIVM LIBRVM ELEGANTIARUM Præfatio.

Perlegi proxime quinquaginta Digestorum libros ex plerisq; iurisconsultorum uoluminibus excerptos, & relegi quũ libenter, tum uerò quadã cum admiratione. Primũ, quòd nescias utrũ diligẽtia ne an grauitas, prudentia an æquitas, scientia rerũ an orationis dignitas pręstet, et maiori laude digna esse uideat̃. Deinde quòd hęc ipsa ita in unoquoq; illorũ omnia sunt egregia & perfecta, ut uehemẽter dubites, quẽ cui præferendũ putes. Cui simile qdam (ut de ultima tantũ parte, quę ad nos pertinet dicam) in epistolis Cic. admirari solebã, quæ quũ à pluribus scribantur, omnes tamẽ ab uno eodemq; (audacius dixerim) si personas sustuleris, ab uno Cic. scriptę iudicentur. Ita uerba ac sententiæ characterq; ipse dicendi ubiq; sui est similis. Quòd eò magis in iurisconsultis est admirãdum, quòd illi eadẽ ætate cuncti extiterunt in eodem quasi ludo ac schola instituti. Hi uero inter se etiam seculis distant, licet omnes post Ciceronẽ. Ideoq; quibusdam in uerbis ab eo differentes, quales omnes à Verg.

usque ad Liuium fuerunt. Nam Seruij Sulpitij atque Mutij Scæuolę nihil extat, sed alterius Mutij recentioris. Et prisci illi quidem iurisconsulti quales quantique in eloquendo fuerint, iudicare non possumus: quippe quorum nihil legimus. His autem, qui inter manus uersantur, nihil est, mea sententia, quod addi adimi'ue posse uideatur, non tam eloquentiæ (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quàm Latinitatis atque elegantiæ: sine qua cæca omnis doctrina est, & illiberalis, præsertim in iure ciuili. Vt enim Quintilianus inquit: Omne ius, aut in uerborum interpretatione positum est, aut æqui, prauique discrimine. Et quantum momenti in uerborum interpretatione sit, ipsi iurisconsultorum libri maximè testantur, in hac re præcipue laborantes. Vtinamque integri forent, aut certe isti non forent, qui in locum illorum etiam Iustiniano uetante successerunt. Nota sunt eorum, & nimis nota nomina, ut superuacuum sit ea per me recenseri, qui uix quintam partem iuris ciuilis intelligunt, & ob imperitiæ suę uelamentum aiunt non posse doctos euadere in iure ciuili facundiæ studiosos, quasi iurisconsulti illi aut rusticè locuti sint, id est, istorum more, aut huic scientiæ non planè satisfecerint. quid de illis loquor? ego mediocri ingenio & mediocri literatura præditus, profiteor me omnes qui ius ciuile interpretantur, ipsorum scientiam edocturum. Quod si Cicero ait, sibi homini uehementer occupato, si stomachum moueant, triduo se iurisconsultum fore, non'ne & ipse audebo dicere, si iurisperiti (nolo dicere iurisimperiti) stomachum mihi moueant, aut etiam sine stomacho me glossas in Digesta triennio conscripturum, longè utiliores Accursianis? Merentur enim, merentur summi illi uiri nancisci aliquem, qui eos uere riteque exponat, uel certè à male, & Gothicè potius quàm Latinè interpretantibus defendat. Gothi isti quidni & Vandali existimandi sunt? Nam postquàm hæ gentes semel, iterumque Italię influentes Romam ceperunt, ut imperiũ eorum, ita linguam quoque) quemadmodum aliqui putant) accepimus, & plurimi forsan ex illis oriũdi sumus. Argumento sunt codices Gothicè scripti, quæ magna multitudo est: quę gens si scripturam Romanã deprauare potuit, quid de lingua, pręsertim relicta sobole putandum est? unde post illorum aduentum primum, alterumque, omnes scriptores nequaquam facundi. Ideoque prioribus multò inferiores fuerunt. En quo literatura Romana recidit. Veteres admiscebant linguę suæ Gręcam. Isti admiscent Gothicam. Neque uerò hoc dico, ut iuris studiosos carpam, imò ut adhorter potius, persuadeamque sine studijs humanitatis non posse, quam cupiunt, assequi facultatem: malintque iurisconsultorum, quàm leguleorum similes esse. Nam (ut Vergiliano uersu utar:

O fortunatos nimium, bona si sua norint Agricolas.

Ita ego appellem iuri operam dantes fortunatos, si norint sua bona. Quę enim disciplina, scilicet quę publicè legitur, tam ornata, atque (ut sic dicam) tam aurea, ut ius ciuile? An (ut hinc incipiam) ius pontificũ (quod canonicũ uocant) quod ex maxima parte Gothicum est? An philosophorũ libri, qui ne à Gothis quidẽ, aut Vandalis intelligeretur? quos ego ob hoc maxime errare, quòd loquendi facultate caruerunt, in libris meis de Dialectica ostendo: quos iam edidissem, nisi amici me hos potius edere coëgissent. An grammaticorum, quorum propositum uidetur fuisse, ut linguam Latinam dedocerent? An denique rhetoricorum, qui ad hanc usque ætatem plurimi circunferebantur, nihil aliud docentes quàm Gothicè dicere? Vna supererat iuris ciuilis scientia adhuc inuiolata, & sancta, & quasi Tarpeia arx urbe direpta. Hanc etiam isti Gothi, non Galli per speciem amicitię polluere atque euertere tentauerunt, euertereque pergunt. Hanc ipse (quantum in me erit) ut M. Manlius Torquatus protegam, imò omnes qui hoc nomen profitentur, protegere debẽt. Quod si fecerint (ut spero & opto) nõ

leguleí,

leguleí, sed iurisconsulti euadent. Quòd ad meum hoc opus attinet, non fraudabo iuris conditores debita laude. Tantum igitur deberi puto huius facultatis libris, quantum illis olim qui capitolium ab armis Gallorum atq; insidijs defenderunt: per quos factum est, ut non modo tota urbs non amitteretur, uerum etiam ut tota restitui posset. Itaque per quotidianam lectionem Digestorum et semper aliqua ex parte incolumis, atque in honore fuit lingua Romana, & breui suam dignitatem, atq; amplitudinẽ recuperabit. Sed ad reliqua pergamus.

*De Tanti & Quanti, cum suis compositis, deq; Pluris & Minoris.* Cap. I.

ATq; ut ab eo potissimũ incipiam, quod nec ab aliquo (quod sciã) traditum, & traditu dignissimum est: duo, tanti & quanti, compositaq; cum eis tantidẽ, quantilibet & quanticunq;: totidemq; comparatiua pluris & minoris: pręterea nulla alia nec cõparatiua, nec nomina, nec dictiones queũt in genitiuo casu adiungi his uerbis, emo, uendo, uenundo, ueneo, mereor, comparo, æstimo, taxo, liceor, addico, distraho, metior pro æstimo, constat, conduco, loco, fœneror, paciscor, pango pepigi, cõdemno, postulo, & si qua sunt alia similis horũ significationis. Neq; em̃ audiuimus dici unquã, uendidit patriã hic auri: aut, Achilles uẽdidit corpus Hectoris auri, Priamusq; illud redemit magni ponderis auri. Sed per ablatiuũ sic: Vendidit hic auro patriam, &c. Exanimumq; auro corpus uendebat Achilles. Hæc Vergilius, Valerius quoq; lib. 5. Magno ubique pretio uirtus æstimatur. Quanti uerò & tanti, cæteraq; (ut dixi) genitiuum non mutant, ut Terentius in Eunucho: Quid agas? nisi ut te redimas captum quàm queas minimo: & si nequeas paululo, at quanti queas: id est, tanti te redimas, quanti queas. Cur non dixit quanto, ut congrueret cum illis minimo & paululo, aut minimi & pauxilli, ut congrueret cum hoc quanti: nisi quia tanti & quanti mutare non licet, & ab eis, quæ dixi cõposita? Quintil. in Pastu cadauerum: Hoc unum supererat, ut deuectum tantidem uenderes. & in Verrem Cicero: Aiebat te tantidem æstimasse, quanti sacerdotem. Iuuenalis: Quanticunq; domus constet. Idem (quod ad prædicta comparatiua pertinet) Balnea sexcentis, & pluris porticus empta, cur non dixit & pluribus? ut copularet coniunctio eosdem casus. Titus Liuius lib. 48. Mancipia minora annis uiginti, quæ post proximum lustrum decem millibus æris, aut pluris uenissent, ea quoq; decẽ tanto pluris quàm quanti essent, æstimarentur. Adeò ut interrogati per eundem sæpe casum respondere nequeamus: ut Plaut. in Epidico: Quanti eã emit? uili: quot minis? quadraginta minis. Horat. Quanti emptæ? paruo: quãti ergo? octussibus. heu heu. Nam illud apud Ciceronem, quanti addictus? mille nummûm, non est illud mille genitiui, sed ablatiui casus, ut mox docebo: quasi millenario nummûm, id est, nummorum. Et hæc quidem interrogatio est per genitiuum, responsio autẽ per ablatiuũ. Aliquando ẽ diuerso: ut, emisti'ne decẽ minis istum equũ? imò pluris. Aliquãdo hi duo casus iuxta idẽ uerbũ hærent: ut, emisti istum equũ decem minis, an pluris? Quòd si aduerbia forent (ut nõnulli existimare solent) cur potius dictũ est tanti & quanti, pluris & minoris, nõ tanto & quanto, pluri & minori? quũ huiusmodi uerba utiq; ablatiuũ desiderent. Cur nõ idem fit in cæteris comparatiuis, quæ palàm aduerbiantur? Non enim dicitur, emi equũ uilioris carioris'ue, quàm tu, nec uiliori cariori'ue quàm tu, sed uilius quàm tu aut carius, neq; uendidi ædes melioris peioris'ue quàm tu, sed melius peius'ue quàm tu. Cur deniq; (quod nõ minus mirandum est) hæc ipsa quę nominaui, quoties substantiuis maritantur, formam naturalem, & legem uerborum custodiunt, excepto tantidem? quia est substantiuũ, quod ablatiuũ datiuumq; non agnoscit tantodẽ, solasq; has uoces

habet tantundem,& tantidem. Dicendumq́ erit: quanta pecunia istum equum emisti? sicut quot minis? Iuuenalis: Quanto
Metiris pretio, quòd ni tibi deditus essem,
Deuotusq́ cliens, uxor tibi uirgo maneret.
Liuius lib. XXII. Hic miles magis placuit, cum pretio minore redimendi captiuos copia fieret. Itaque genitiuos illos, tanti emi equũ, quanti potui, sic exponere nõ possumus, tanti pretij, & quanti pretij potui, sed sic, tanto pretio quãto potui. Et per comparatiuum, ut illud Ciceronis: Non pluris uendo quàm alij, fortasse etiam minoris. Cum aliquem doces, non ita exponas, pluris, id est, pretij: & minoris, id est, pretij. Nam huiusmodi expositio fecit, ut plerique fallerentur: sed sic, pluris, id est, pluri pretio: minoris, id est, minori summa.

3. Offic.

*De Mea, Tua, Sua, & Cuia.* *Cap. II.*

NOn tantum in his causis quas ostendi, nõnunquam aliter respondemus, quàm quo modo interrogati sumus, sed etiam in illis tribus pronominibus, de quibus proximo libro disputaui tam primitiuis, quàm deriuatiuis: quorum diuersam conuicimus naturam esse, & præter hæc unum, cuius cuia cuium: quod à ueteribus non inter nomina, sed inter pronomina numerabatur, ut meus mea meum. Nec Græci relatiuũ, unde hoc nomen descendit, inter nomina, sed inter articulos collocant: & nos pronomina quædam articularia solemus appellare. Ideoq́ ut dicimus, mea est, tua est, sua est: et mea, tua, sua interest: ita cuia est, & cuia interest. Plautus in Epidico: Ego illum conueniã, atq; adducã ad te, cuia est fidicina. Cic. pro Muræna: Ea cædes potissimum crimini datur ei, cuia interfuit: non ei, cuia nihil interfuit. Igitur interrogati, Cuius hominis est hoc opus? respondebimus meũ, non mei. Cuius domini hic fundus? tuus, aut suus, nõ tui, aut sui. Rursum meúmne fundum possides, an tuũ? respondebo neutrius, uel illius. Interrogamus adhuc respondemusq́ per uarios casus: meum'ne prædium est, an illius? respondebo illius certe, non tuum. Similiter de cuius, ad quod nunquàm respondeas per eundem casum, nisi in tribus pronominibus deriuatiuis: ut, cuium pecus? respondeas meum, uel illius. Interrogatur etiam per diuersos casus: ut, cuiũ pecus, tuũ'ne an Melibœi? sed per talem dictionẽ nunquã respondetur: nisi si dicas, est cuium est, uel, est cuium esse debet, & si quid est simile.

*De Tanti, Quanti, Magni, Parui, cum interest.* *Cap. III.*

EAdem tanti & quanti, positiua quoq; duo magni & parui, sola in genitiuo iunguntur cum illis geminis uerbis, interest, & refert. Cætera autẽ, uel aduerbialiter, uel in uoce nominatiui, siue accusatiui, & in primis horum comparatiua, superlatiuaq́; magis & minus, maximè & minimè, atque horum germana, multum, plus, plurimum, parum, paululum, paulum, pauxillum, nihil, aliquid, & si qua sunt alia. Tanti interest, quanti interest, magni refert, parui refert, ac multum refert, plurimum interest, maxime refert, magis refert, paulum refert, minus refert, parum refert. Quinetiam non modò quatuor hæc nomina id naturæ habent, cum his duobus uerbis, uerumetiam cum multis alijs: ut, magni æstimo, paruifacio, paruipendo, quanti facis, tanti facio. Sed cum huiusmodi uerbis nonnunquam alia nomina iunguntur, ut plurimi æstimo.

*De Mille, & Millia.* *Cap. IIII.*

ATque (ut promissum exoluã) illud Ciceronis mille nummûm singularis numeri esse, tum exemplo eiusdem, tum præcepto M. Varronis comprobabo. In Philippicis: Inuentus est, qui L. Antonio mille nummûm referret expensum. Et pro Milone: In quibus propter insanas istas substructiones facilè mille hominũ uersabatur. Qualia exempla plura repeterem, nisi Varronis præceptio satis esset, qui in libris de Analogia, inquit: Quum peruentũ est ad mille-

mille homină

narium, assumit singulare neutrū, quod dicitur hoc mille denariûm, à quo multitudinis numerus fit millia denariûm. Et paulò post: Vt sic utrunq; sine casibus uocis dicemus, ut hoc mille, huius mille: ita hoc decies, huius decies. Hæc hactenus. Illud quoq; præter hæc addamus, mille hominū dici, & millia hominū. Iterum mille homines dici, millia uerò homines nō dici. Cuius rei causa est, quòd propriè dicimus mille homines, ut centum homines, millia hominū, ut centenaria, uel turbę hominū. Hoc substantiuum est, illud uerò adiectiuū. Itaq; non licet dicere millia homines, quia duo substantiua nō cohærent sine copula. Neq; in his ullus certus inesset sensus. Mille hominū licet dicere, quia mille substantiuatur, ut multum hominum, pro multi homines. Item mille hominum, pro mille homines: idemq; erit, quod milliū hominū, si millia singulare haberet, quod nō habet, nisi pro milliario, quod cōstat ex mille passibus: uel pro feminis genere: Vel more Varronis, quia dicimus hoc mille: Vel quia (ut maximè reor) nec adiectiuū plane, nec substantiuum est, sicut hic hæc hoc, iste ista istud, & nonnulla alia pronomina. Nam cætera adiectiua nō patiuntur sibi ita adhærere adiectiua, ut pronomina. Dicimus enim, hic robustus messor, ista robusta mulier. Nec dicimus, antiquus robustus messor, antiqua robusta mulier. At nomina numerorum sunt istis pronominibus similia: ut centū aureæ pateræ, mille armatę naues. Ergo Latinè dicetur, mille ex hominibus, sicut dicetur, isti ex illis. Quæ locutio idem est, quod mille hominū Cæterum nomina numeralia, siue substantiua, siue adiectiua sint, inter se iungi recusant, quia nec duo substantiua, nec duo adiectiua sola esse possunt. Vt duo centū, tria mille, quū præsertim sint sua propria nomina, ut ducēta, trecēta, & supra mille est millia, quod planè substantiuū est. Ideoq; dicimus, mille hominū, duo millia hominū: nō duo mille, tria millia, quatuor millia hominū, & deinceps. Nec (ut dixi) tria aut quatuor mille, sed bis mille, ter mille, aut bis centū, & ter centum: non duo centum, tria centum aut (ut aliqui indocti loquuntur) ducentum, tricentum, sed ter centum. Vergil.

Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci. Et alibi:

Hic iam ter centum totos regnabitur annos.

Reperimus tamen apud ecclesiasticos sæpe hoc modo dici, quale est: Debebat decem millia talenta: &, duodecim millia signati. Quod defendi non potest, nisi resoluas sic: Signati duodecim millia, talenta decem millia: quasi dicatur, numero duodecim millia, & numero decem millia, & subintelligatur entia. Debebat talenta entia decem millia. Signati entes duodecim millia, nisi interponas uerbū substantiuū, sic: Signati erāt duodecim millia, quod in altero exemplo fieri nequit. Quo certè modo ipse nō loquerer, sed potius duodecim millia signatorum, aut duodecim millia signata, & decem millia talentorum, & duodecim millia drachmarū argenti. Cuius erroris (si error est) causa (ut opinio mea fert) hinc fluxit, quòd sæpe legimus decem millia pondo argenti, quasi illud pondo sit nominatiui, aut accusatiui casus, & non potius genitiui. Sæpe decem millia quingenti pedites, non peditum. Ita cum numerus posterior defuerit, putant rectè dici posse decem millia pedites, quod falsum est. Nam cum dicimus, decem milia quingenti pedites, sic intelligimus, decem millia peditū et quingenti. Quo sæpe modo loquimur, nec aliter loqui possumus. Atq; ut nūc ad hoc quingenti subintelligimus pedites, ita ad illud millia subintelligimus peditū. Quale esset in superioribus exemplis, duodecim millia & ducēti signati, uel duodecim millia signatorū & ducenti, & ita in cæteris. Rarius autē reperitur mille, pro milia. Nam illud. Quicunq; te angariauerit mille passus, uade cū illo & alia duo: subintelligitur millia passuum. Alioqui dixisset alios duos, non alia, uel potius alios bis mille.



mille denariûm — pl. millia denariûm

Millia homines, nō recte

Millia un migliaio

duo substantiua

Centū aureæ pateræ

Millia supra mille

decem millia signati — quomodo defenditur

Decem millia quingenti pedites —

De Numeralibus. Cap. V.

ET quoniam de numeris cœpimus, de ipsis aliqua dicere prosequamur. Et primum hoc admoneamus, in quo plerique falluntur, treceni scribendum esse non trecenteni nec triceni: quum significat trecentenarium numerū, quod syncopatum est sicut cætera. Dicimus enim duceni, pro ducenteni, treceni pro trecenteni, quadringeni, quingeni, sexceni, septingeni, octingeni, nongeni uel noningeni, pro quadringenteni, quingenteni, sexcenteni, septingenteni, octingenteni, nongenteni uel noningenteni. Centeni autē & milleni non syncopantur, quia non sunt prælongæ dictiones sicut superiores. Triceni autem caret syncopa, sed immutauit g, in c, sicut uiceni, pro uigeni, & triceni pro trigeni. Est enim simillimæ uocis c, & g, quemadmodum d, & t: propter quod dicimus quadringenti, pro quatrincenti. In quo nomine & t, in d, & c, in g, mutatum est. Atque quoniam dixi quosdam falli similitudine uocum, recenseamus hæc ipsa infra centum, ut supra centum fecimus. Dicimus igitur singuli, bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni, octeni, noueni, deni, undeni, duodeni, ternideni, quaternideni, quinideni, senideni: uel deniquaterni, deniquini, deniseni, deniseptení, deniocteni, deninoueni: uiceni, uicenisinguli, uicenibini, uiceniterni, uel (ut postea ostendemus) singuli & uiceni, bini & uiceni, & ita deinceps. Tum triceni, quadrageni, quinquageni, sexageni, septuageni, octogeni, non octuageni (octoginta enim dicimus, non octuaginta) nonageni, uel nongeni, non nouageni: deinde centeni. Ideo autē hæc nomina in plurali protuli, quòd in prosa scribentes ferè plurali utuntur, in carmine frequenter etiā singulari. Et singularem quidem horum nominum numerum non prosa oratione scribentium, ait Priscianus esse, sed poëtarum. Vt Vergilius:

Gurgite septeno rapidus mare summouet amnis.

Veruntamen non tantum poëtarum uideo esse, sed nonnunquam etiā aliorum, ut Plin. lib. 17. Traduces Gallica cultura binis utrinq; lateribus. Si pars quadrageno distet spatio quaternis, uiceno inter se obuij miscētur. Et in uicesimoquinto: Altera maior folijs laterū modo inclusa quoq;, quia septena est. Et in 26. Prodigiosa sunt, quę circa hoc tradit Theophrastus autor alioqui grauis, septuageno coitu durare libidinē contactu herbę, cuius nomen, speciemq; nō posuit: septuageno, id est, septuaginta coitibus per singulas noctes. Nam ita hæc nomina exponūtur, ut creabant olim bini cōsules, id est, per singulos annos duo. Vtuntur ergo oratores legittima significatione horum nominū: binus enim siue bini, significat singulis duo: ternus siue terni, singulis tres: quaternus siue quaterni, singulis quatuor. At poëtę nō ita. Septenus eñ gurges non est singulis septē, sed septem tantum uni flumini Nilo. Nec in singulari modo significatione hac abutuntur, uerumetiam in plurali. Vt idem:

Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Duodena astra pro duodecim astra. At hoc septeno Priscianus exponit septenario, quod mihi non placet, quum inauditum sit flumen aliquod habere septenarium alueum, & fontem edere septenarium riuum. Siquidem hęc nomina numerum rerum, quæ non nominantur, indicant, non multiplicationem sui ipsorum: ut, lapis centenarius, non quòd sit centuplus lapis, sed centum librarum: homo centenarius, non quòd sit centum geminus, sed quod habet centum annos: grex centenarius, nō quòd sint centum greges, sed grex centum capitum. Rursus non dicimus centenariā libram, sed centuplam, nec centenariū annum, sed centuplum annorū. Tamen dicimus centenariū, septenarium, duodenariū numerū. Siquidē numerus omnia cōplectitur siue cētenarius, siue decenarius, siue alius quiuis numerus cęterarū rerū, librarū, annorū, similiumq;. Ideoq; recte

dicimus

dicimus centenarium numerum annorum ingressus est: nō autem, centenarium annum: & millenariū numerum portat pondo: nō autē, millenaria pondo. Potuisset igitur Priscianus commodius exponere, septeno gurgite, pro septenarij numeri gurgite. Quo expositione uti solemus in illis numeralibus, quæ ultimū numeri eius significant: decimus, undecimus, centesimus, millesimus, id est, qui ultimus est ex decem, ex undecim, ex centum, ex mille. Aliquādo etiam sic: hoc aruum attulit centesimum, illud uerò sexagesimum, tuum uero trigesimum fructum: id est, centenarij numeri, sexagenarij, tricenarij fructum, uel centuplum, sexagentuplum, tricentuplum. Plinius lib. 18. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem eius, & tamen sic quoq; ingratissimum est uentri: nascitur qualicunq; solo cum centesimo grano: ipsumq; pro lætamine est. Non ultimū granū è centenario numero intellexit, sed grana centenarij numeri, siue granum centuplum, siue centenum, eo modo quo idem autor dixit uiceno. Hac etiam ratione appellata est quadragesima, quòd quadraginta dies continet. Quo uocabulo eloquentissimi Christianorū utuntur. Quidam etiā quinquagesima, sexagesima, septuagesima: atque (ut ad rem redeam) utimur superioribus illis nominibus crebrius in plurali numero, singuli, bini, terni. Trinum igitur cum habeat singularem numerum, apparet non esse naturę istorum. Quinimo non memini comperisse me illud in plurali, licet & singulare perrarum sit, ut trinum nundinum. Promulgari enim debebat antiquitus rogatio apud Romanos trino nundino: quod (ut opinor) aut tribus in locis uno die, aut tribus diebus uno in loco celebrabatur: ut trimus trium annorum, ita trinus trium dierum, aut trium locorum. Priscianus autem ait trinundinum pro trinundinarum, Ciceronis exemplo pro Cornelio: Primo ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasq; uenisset. Quod si ita esset, à tris compositum esset, nō à trinum, ut ait Priscianus, sicut trinoctium: sed forsan per apocopen dicimus trinundinum pro trinum nundinum, aut plane trinundinum. Quintilianus libro secundo: Siue non trino forte nundino promulgata, siue non idoneo die, siue contra intercessionem, uel auspicia, aliud'ue quod legibus obstet, dicitur lata esse uel ferri. Titus Liuius libro tertio: Postquàm uerò comitia decemuiris creandis in trinundinum indicta sunt. Idem libro quinto, nisi editioni menda inest, ait: Antea trina loca cum cōtentione summa patritios explere solitos, nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire. Donatus tamen hoc nomine utitur, & discipulus eius, non tamen magistro indoctior Hieronymus, cum alibi, tum ad Marcellam: Et Trinam negationem, trina postea confessione deleuit, id est, triplici. Cæteri quoq; eodem nomine utuntur. Vnde dicta est trinitas, trium personarū una diuinitas. Seruius super illud Vergilianum,

Terna arma mouēda: ait, Figura poëtica: Nam trina debuit dicere. Arma enim sunt tantum numeri pluralis. Sed hæc ratio Seruij, quàm sit efficax, ipse uiderit, qui uult hoc nomen aptū esse nominibus numeri pluralis: quod etiā reperimus coniunctum cum nominibus singularem numerū habentibus. Et quid præterea dixisset, si apud Vergilium foret quaterna arma? nunquid legendum esset quatrina? Verum nō est trinum de numero eorū, de quibus disputauimus, quorum singularem nō frequentari ab oratoribus diximus, sed à poëtis, & quidem improprie. Etiam nōnunquam improprie pluralem, quod aliquando ipsi quoque oratores faciunt, sed necessitate in his nominibus quæ singulari carent, ut codicilli, licet Iustinianus utatur, ut liberi, ut pugillares, ut nuptiæ, ut arma, ut castra. Aut si non carent, suntq; uel diuersi generis, ut nundinum, & nundinæ, delitium & delitiæ: Vel diuersæ significationis, ut hæc ædes, & hæ ædes: Vel diuersi & generis, & significati, ut epulum & epulæ. Necessarium est autem dicere binos

codicillos & ternos & quaternos, non duos, tres, quatuor, ratione dictante. Quid enim si de diuersis codicillis dicendum mihi sit, quomodo dicam, duos codicillos scripsit pater, unum ad me, alterum ad uxorem? illud enim unum & illud alterum ad quid refertur? ad codicillum, quod non reperitur? Dicendum est ergo unos? Quòd si unos, ergo & binos dicendū erit: quod ex Cicer. exemplò liquebit: Duplices similitudines esse debent, unę rerum, alterę uerborum. Quòd si dixisset duplex similitudo, subiunxisset una rerum, altera uerborū. Verum quia in plurali locutus est, non putauit alteri numero locum esse oportere. Dicamus ergo binos codicillos, non duos. Rursus duo testamenta, nō bina: de cuius naturę nominibus quibusdam nominatim faciamus mentionem: si tamen illud monuerimus ex prædictis colligi, utroq; modo posse dici: Relinquo filijs meis testamento singulis, siue cuiq;, si multi: siue utriq;, si duo fuerint, dena prædia: uel singulis, siue unicuiq;, siue utriq;, decem prædia: cum ego & fratres mei ex bonis paternis habuerimus singuli, siue unusquisq;, siue uterq; unū prædium: uel singuli, siue unusquisq;, siue uterq; singula prædia: quę etiam uno loco coniunxit Cicero in Paradoxis: Capit ille ex suis prędijs sexcenta sestertia, ego centena ex meis. Non dixit aut sexcenta & centum, aut sexcena & centena, quę tamen diuersa sunt, ut intelligamus ab illo sexcenta capi uno anno, non singulis annis, ab hoc centena nō uno anno, sed singulis annis. Ego tamen puto scribendum esse sexcena, non sexcenta. Multa hic, & multifariam uitiose dicta repetere liceret, sed uereor tantos uiros carpere. Vnum tantummodo dixerim ex tertio lib. Reg. Septena retinacula in capitello uno, & septena retinacula in capitello altero: cū dicendum esset, septem in uno, et septē in altero, aut septena in singulis, aut septena in utroq;. Et si fuissent plura duobus, septena in unoquoq;. Cuius conditionis est illud in eodem libro: Quòd absconderim de prophetis domini centum uiros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis. hoc modo non recte dicitur, sed eo modo, quo paulò antè dictum erat. Tulit ille centum prophetas, & abscōdit eos quinquagenos in speluncis, id est, in singulis speluncis quinquaginta. Quidam iuris studiosi accipiunt dena pro uiginti, non intelligentes significari singulis duorū decem, de quorū imperitia quid multis dicendum? cū putent recte dici unaquinq;, quasi una sit nomen, & nō aduerbiū. Ne illud quidem obticebo (quemadmodum superius ostendi) illa nomina supra centū syncopari, infra uerò centum minime. Ita è diuerso aduerbia infra centum syncopari, ultra non syncopari, ut uicies pro uiginties, tricies pro triginties, deinde quadragies, quinquagies, sexagies septuagies, octogies, non octuagies, nonagies nō nouagies. Cętera nō syncopantur, quinquies, sexies, septies, octies, nouies, decies, centies, ducenties, trecenties, quadringenties, septingenties, octingēties, noningēties, millies: deinde bis millies, ter millies, quater millies, quinquies millies, decies millies, uicies millies, & deinceps cætera. Nunc ad institutum redeamus, ab hoc potissimum nomine incipientes.

### *De Litera, & Epistola.* Cap. VI.

Litera in singulari numero significat elementum ipsum, ut a, & b: uel manū scribentis, ut ad Attic. Cic. Nam Alexidis manum amabā, quòd tam propè accedebat ad similitudinem tuæ literę. In plurali uerò epistolam, præterquàm apud poëtas, qui pro epistola, uersus gratia, in singulari semper utuntur. Vt Ouidius:

Quam legis à rapta Briseide litera uenit.

Nam quod Cic. ad Cælium scribit, ad se nullam literam Bibulum misisse, ita ait, quasi nullum uerbum misisset, quod ut uehementer extenuaret, nō dixit uerbū aut syllabam, sed literam. Frequentissimū igitur est literę, pro epistola, inter quę duo

duo nomina hæc elegantiæ differentia est: Quod dicimus unam epistolã, unas literas, duas, tres, quatuor, quinque epistolas: binas uerò literas, ternas, quaternas, quinas, senas, septenas, octenas, nouenas, denas: nunquàm aliter, quale esset: unas, binas, ternas epistolas: duas, tres, quatuor literas. In hoc tamen conueniũt, ut dicamus dedi singulis, uel unicuique, uel utrique, siue singulas literas, siue singulas epistolas. Itẽ in maiori numero nõ conueniũt: ut, dedi singulis duas literas, uel binas epistolas: sed binas literas, & duas epistolas, non autem secus, de quo iam dixi. In quo obseruandum est de cæteris quoque uocabulis: ut si dicas, accepi abs te binas literas, non subiungas, quarum alteri respondi per proximum tabellariũ, alteri nunc respondeo, sed alteris. De epistola uerò apertũ est: ut, accepi duas epistolas, quarũ alteri iam respõdi, alteri nũc respõdeo. Cic. uerò ferè ait: accepi literas, accepi epistolas. Plin. frequenter etiã recepi, nisi libri mẽdosi sint.

### De ædes & eius deriuatiuis. Cap. VII.

AEdes in plurali accipitur pro domo, nec unquàm aliter: ut, ædes meas nõ proscribã. In singulari atque adeò in plurali pro templo, ut Cic. in Philipp. lib. 1. Ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus, in quo templo (quantum in me fuit) ieci fundamenta pacis. In quo templo, id est, in qua æde Telluris. Sed hac in re differt à templo, quòd semper in utroque numero habet adiectionem, ut in æde Iouis, Mercurij, Mineruæ: in æde Concordię, Telluris, Honoris, Virtutis: in æde sacra, & in plurali sacras ædes: ædes deorum, ædes nympharum. Nam cum ait Lucretius de Ioue loquens: Ipse suas ædes disturbat: perinde est, ac si dixisset, Iouis ædes. Igitur pro templo dicemus duas, tres, quatuor deorum ædes, duas sacras ædes: pro domo, binas, ternas, quaternas, priuatas ædes. Aeditui autem ab ædibus sacris, quas tuentur, appellati sunt, nõ à priuatis. Aediles quoque magis à sacris ædibus dicti sunt, quibus curandis præpositi erãt. Aedificare autem magis ad domos hominũ spectat, quàm deorum, nec domos tantum, uerumetiam naues, ut Cic. Qui quũ maximas ædificasset, instruxissetque classes. Neque hoc indignum est admonitione, eum cui domus ædificatur, dici ædificare, ut idem de consulari uiro inquit. Qui quum ædificasset in palatio plenã dignitatis domum. Similiter in cæteris uerbis, ut Horatius de prædiuitibus: Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

### De Liberi, Pugillares. Cap. VIII.

Liberi pro filijs singularem non agnoscit, cuius natura à superioribus differt. Nam ut dicã, lego Titio ternas ædes, unas in foro, alteras in Ianiculo, tertias in Suburra: ita non dicam: ex ternis liberis meis unos, alteros, tertios: sed ex tribus liberis meis unum in alienam familiam dedi, alterum abdicaui, tertium hæredem institui. Cuius rei causa est, quòd quum dico unum, alterũ, tertiũ adiungi solet filium, & tres liberos, quasi tres filios: quod ita non fit in ædes, & in literas, nisi subintelligas domũ & epistolã. Sed quid facies in cæteris, in nuptias, & in pugillares? absurdum sit dicere, unam nuptiam, unum pugillarem. Pugillares autem significat tabellas cereas, siue ligneas, siue alterius materię, in quibus stylo scribimus. Liberum tamen pro filio & apud Quintilianum, & apud Paulum, Caiumque reperio.

### De Hortus. Cap. IX.

HOrtus quoque eiusdem naturæ est. Nam in singulari, pluralique pro hortis olitorijs accipitur, id est, olera producẽtibus. Est enim olus, omnis herba satiua, qua uescimur, & cuius folijs, ut caule in eduliũ utimur. Horti uerò in plurali arboribus cõsiti dicũtur, & uoluptatis, amœnitatisque causa parati. In superiore igitur significatione dicemus unũ hortũ, duos, tres hortos. In posteriore unos, binos, ternos, quaternos hortos, nisi alicuius autoritas aliud sibi uendicauerit.

latum si imitaretur, fortunatior uideretur: sed eum iracundũ audio factum. Aiũt & audio, idem efficiunt.

*De Questubus & Quaestibus.* Cap. XII.

QVestus in plurali pro querela à queror, unde fit conqueror, cuius datiuus & ablatiuus questubus, ut protubus. Quæstus in utroq; numero, cuius in plurali datiuus & ablatiuus est quæstibus à quęro, unde fit conquiro, deriuatur per syncopen à supino quæsitum, significatq; lucrum nummariũ. Nam lucrum uocamus etiam non nummariũ, uelut amicitiæ, gloriæ, scientiæ, cęterorumq; huiusmodi. Quæstum quoq; nonnũquam recipi pro actione ipsa, atq; artificio lucrandę pecuniæ, ut apud Ciceronem: Nam de artificijs & quæstibus, qui liberales habẽdi sunt, qui sordidi sunt. Et Quintilianũ: Nã ut primũ lingua esse cœpit in quęstu, institutũq; eloquẽtię bonis male uti. Quęstu dixit, quasi acquisitione.

*De Scala, & Pondo.* Cap. XIII.

SCala à quibusdam in singulari usurpatur. Sallust. cum alijs quibusdã ostendit pluralem tantum habere, quum dixit in Iugurthino: Deinde ubi unæ atque alterę scalæ cõminutæ sunt, qui superstiterant afflicti sunt: nõ dixit una atq; altera. Pondo autem caret singulari numero teste Foca. Dicimus autẽ duo pondo, tria pondo, nõ bina pondo, terna põdo. Quintil. in primo: Quid quòd quędam singula procul dubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicũtur? Nam dua & tre & pondo, diuersorum generum sunt barbarismi: at duapondo. & trepondo usq; ad nostram ętatem ab omnibus dictum est, & recte dici Messala confirmat. Forsitan huius rei causa est, quòd sicut superius de liberis diximus, ita hîc si quis ita loquatur, relinquo liberis meis duo pondo auri, alterum signatum, alterum rude, intelligitur librã. Idem est enim duæ, tres, quatuor libræ, quod duo, tria, quatuor pondo, ut quidam uolunt, quod multi autores non probant, ut Liuius lib. 22. Argenti pondo bina, & sex libras in militem prestaret: cum legẽdum sit selibras. Quidam etiam singularem huic nomini dant, & huius ipsius autoris (si editio uerax est) nõnulla exempla sunt. Quale est etiam Columellæ: Scylę aridæ pondo libram, & quadrãtem adijci oportere. Sed nunc pro pondere uidetur accipi. Huiusmodi conditionis est ludus & ludi. Sed in alterum librum reseruamus. Nunc aliquid etiam de numeris addamus.

*De ordine numerorum.* Cap. XIIII.

PLato uno et octogesimo anno scribẽs mortuus est. Isocrates quarto et octogesimo anno eum librum qui Panathenaicus inscribitur, scripsisse dicitur: uixitq; quinquennium posteà. Cuius magister Leontinus Gorgias centũ & septem compleuit annos. hæc. Cic. *Cic. de Senect.* Cuius ex uerbis datur intelligi, ante centũ prę poni numerũ minorem, post centum uero, postponi, quod Quintilianus quoq; confirmat, quum ait: *Lib. 3. cap. 1.* Artiũ autem scriptores antiquissimi, Corax & Thisias Siculi, quos insecutus est uir eiusdẽ insulæ Gorgias Leõtinus, Empedoclis (ut traditur) discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centum & nouem uixit annos) cum multis simul floruit. Et paulò pòst: Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerũt in omni studiorũ genere. Eoq; iam seniore (octauũ enim & nonagesimum compleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit. Hoc tamen uidetur fieri intercedente copula. Nam ea sublata, ut quisq; numerus maximus est, ita primo loco ponitur, dũtaxat citra centũ: ut, maior uiginti quinque annis, non autem maior quinque uiginti annis. Etiam in illis quæ suprà tractaui, numeralibus, uicenisinguli, uicenibini, uiceniterni: aut, singuli & uiceni, bini & uiceni, terni & uiceni. Supra centum naturalem ordinem sequimur, ut superiora exempla docẽt: centum & septem cõpleuit annos, centum & nouem uixit annos. Plinius lib. 7. naturalis historiæ: *Cap. 49.* Centũ & uiginti natos annos Parmæ tres edidere. Brixelli unum 125. Parmæ duos 131. Placentiæ

unum 131. Fauentiæ unam mulierem 132. Bononię L. Terentium Marci filiũ, Arimini uero M. Apomum, 150. Tertulam, 137. Citra Placentiam in collibus oppidum est Velleiacium, in quo 110. natos annos sex detulere. Quatuor centenos uicenos. Vnũ 150. Marcus Mutius Marci filius Galerius felix: ac (ne pluribus moremur in re confessa) in regione Italiæ octaua centenum annorum censi sunt homines 54. Centenũ denum homines 57. Centenum uicenum quinum homines duo. Centenũ tricenum homines quatuor. Centenũ tricenum quinũ aut septenum totidem. Centenũ quadragenum homines tres. Idem tamen Plinius paulò Cap. 50. pòst ait: Vt tamen in septenum & quinquagesimũ atq; centesimum uitæ duraret annum. Ex quo apparet sine copula maximũ quenq; numerũ præcedere: quum copula nõnihil uariet, præsertim retrorsum eundo. Adhuc quæ diximus & recitauimus exẽpla, intra numerũ millenariũ sunt, sed in ipso quoq; maximũ quẽq; numerum semper præponemus: ut, à natali saluatoris anni sunt mille quadringenti & 38. uel mille & quadringenti ac trigintaocto. Illud tamen notandum est in millibus eandem esse naturam, atq; innumeralibus citra cẽtum: ut, milites nostri sunt sex, & uiginti millia, nõ autẽ uiginti & sex millia: uel, milites nostri sunt uiginti sex millia, siuę militũ nobis sunt uiginti millia: siue, milites nostri sunt uicies mille: siue, nobis singulis sunt decies mille milites: siue, nobis singulis sunt dena millia militũ: siue, nobis singulis sunt decẽ millia militũ. Omnia autẽ quæ locuti sumus, ut uicesimum numerum intelligi uolo. Nam decem et septem, decem & octo, decem & nouem normam illam quam dixi, nõ tenent. His inferiora ne ipsa quidem seruant suam legem. Illa enim coniunctionẽ habent interpositam, hæc non habent. Veruntamen nec habere possunt, quum sint cõposita nec plura, sed singula nomina: undecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sexdecim, sicut illa quoq; composita, atq; unica sunt nomina, undeuiginti, duodeuiginti, undetriginta, duodetriginta, undecentum, duodecentum, hoc est, uno, aut duobus demptis de uiginti, de triginta, de centum. Vt, ab incarnatione saluatoris sunt anni mille quadringenti duodequadraginta. Et per denominatiua: ut, ab incarnatione agitur annus millesimus quadringentesimus duodequadragesimus. Plin. libro 35. naturalis historiæ: Duodeuicesima Olympiade interijt Candaules. Licet pleraq; exemplaria habeãt duodeuiginti Olympiade: Idẽ proximo libro: Atq; adeò duodequadragenûm pedum luculei marmoris in atrio Scauri collocati. Duodequadragenũ, pro duodequadragenorũ. T. Liuius lib. 1. Duodequadragesimo fermè anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius.

## De Domus. Cap. XV.

Domus genitiuos duos habet, unũ secũdæ, alterũ quartę declinationis, domi et domus. Sed prior significat locum, ubi quis manet: Posterior corpus ipsum atq; ædificiũ, quod ex parietibus constat & tecto: ut, domi maneo, nõ domus: & partẽ domus demolitus sum, superiora domus ascendi, non domi. Nam illud domus meæ imperiũ teneo, nõ pro loco accipitur, sed pro familia, quæ continetẽ ædificio, figuratè cõtinens pro cõtento. Quod etiã dicere licet domi meæ, quasi in domo mea. Quòd autẽ idem sit domi, & in domo, notũ est. Vnũ tamen afferã exemplũ Quintil. lib. 5. In domo furtũ factũ ab eo, qui domi fuit. Datiuus tantũ quartę est. Accusatiuus indifferẽs. Ablatiuus secũdæ. In accusatiuo & ablatiuo, uel cũ præpositione, uel sine ꝑpositione loquimur, reuertor domũ, uel ad domũ. Exeo domo, uel è domo: &, sum in domo, uel domi: hoc grãmaticæ est, illud uero latinitatis & elegãtiæ. Hũc genitiuũ secũdę nõ cõiungimus nisi cũ tribus siue pronominib. meę, tuę, suę, nostræ, uestræ, & uno nomine alienę: ut, ego uiuo domi meę, nõ uiuo domi tuæ, erat domi suę, nostrę, nõ uestrę: domo habitare uolo. Cic. in lib. ad Herẽ. Qui cũ ista ætate et forma alienę domi nolo dicere.

Quidã uolunt illud domi aduerbiascere. Sed quomodo coniungeretur cum adiectiuis? quòd si quando quinque hæc pronomina adiectiua supprimantur, tamen subintelliguntur: ut, domi ero, id est, meæ: domi erimus, id est, nostræ: domi eris eritis'ue, id est, tuæ aut uestræ: domi erit aut erũt, id est, suæ, sicut in altero sensu, & in plerisq; nominibus: ut, partem domus locaui, in altera parte ipse habito, id est, partẽ domus meæ. Et, pater mihi iussit, mater te uocat, frater nos expectat: hoc est, pater meus, uel noster: mater tua, uel nostra: frater noster. Quãdo autem hic genitiuus secundæ regit alterũ genitiuũ, siue pronomen, siue nomen certum est: ut, ego eram domi illius, domi huius, domi Cæsaris, domi Põpeij. De mi autem publicæ, domi priuatæ, domi honestæ, domi infamis, domi paternæ, domi maternæ habito, & similia, non licere dicere, iam tradidimus.

### *De compositis à Quis uel Qui.* Cap. XVI.

QVisquis & quicunq; pro eodem accipi solent: ut, quisquis es, huc uenias: & quicunq; es, huc uenias. Quicquid & quocũq; non accipiũtur pro eodem, quum alterum sit substantiuũ: ut, quicquid festiui m, quicquid molle, quicquid tenerum, quicquid iucunditatis, quicquid gaudij, quicquid pecuniarum. Alterum adiectiuum: ut, quodcunq; telum, quodcunq; scutum, quodcũq; iaculum. Cuius differentiæ causa est, quòd uoces in masculino cõuenientes, in neutro postea discordant. Erat enim quidcũq; & uox, & significatio similior, si reperiretur eo modo quo dicimus quidq; & quicquid: quodq; enim siue unũquodq; componitur à quod. Sed ut non reperitur in quidcunq;, ita nec quodquod. Illud nanq; cõponitur ex qui quæ quod, hoc autẽ ex quis & quid. Caretq; quod genere fœminino, quinetiã masculino in accusatiuo casu, tantumq; habet nominatiuum quisquis: quicquid, accusatiuũ quicquid, ablatiuũ quoquo, tum in masculino, tum in neutro. Nonnunq; etiã in fœminino quaqua, ut apud Suetoniũ de uita Titi. Galba mox tenente Rempub. missus ad gratulandũ, quaqua iret, cõuertit homines, quasi adoptionis gratia accerserẽt. In accusatiuo quoq; interdũ in alio genere quàm neutro, sed uix apud oratores. Plaut. in Captiui duo: Nam meus ballista pugnus est, cubitus catapulta, humerus aries, cũ genu ad quenquẽ iecero, ad terrã dabo: dentilegos omnes mortales faciam, quẽquem offendero. Quenquem, id est, quencũq;. Sergius autem Donatũ cõmentans ait: Vtraq; parte declinatur hoc pronomen quisquis, cuiuscuius, cuicui, quenquem, quisquis, à quoquo: quiqui, quorũquorum, quibusquibus, quosquos, quiqui, à quibusquibus. Noli putare hoc casu declinationis esse, ut apud Ciceronẽ, remansit cuicui. Igitur quũ sit compositũ quicquid ex quid, quodcũq; ex quod, debuit illud esse substantiuum, ut quid & aliquid, hoc adiectiuum, ut quod & aliquod. Dicimus enim, quid feci? non autẽ quod feci? aliquid feci, nõ autẽ aliquod feci. Item, quod malum feci? non autẽ, quid malum feci, sed quid mali? Et, scio quid faciã, nõ autem, scio quod faciam: uideo quid facis, sæpius quàm, uideo quod facis. Ita & cetera ab his cõposita quiddã, quoddam. Nam quiddã adhæret adiectiuo, quoddã substãtiuo: ut, mirabile quiddã, obscœnũ quiddam, quiddã maius. Et quoddam templũ, quoddam nemus, quoddam antrũ, oppidũ quoddam: in quo nulli ferè errant. Hic autem multi, pro quidque ponentes quodq;: ut, optimum quidq;, honestissimum quidq;, saluberrimum quidq;: ubi non liceret poni quodq;. Ex his liquet exẽplis, optimũ quodq; prædiũ, honestissimũ quodq; consiliũ, ex iumentis quæ cepi, decimũ quodq; sit tuũ. Nam substãtiui natura est cõiungi cum adiectiuo, adiectiui uero cum substantiuo, quasi cõnubio quodã. Ideo ubicũq; est substantiuũ, desiderat adiectiuũ quasi coniugem, impatiens alterius substantiui. Rursus adiectiuũ sine substãtiuo, tanquã sine uiro esse nõ potest, cũ altero adiectiuo nihil cõsortij habens. Eoq; factum est, ut hi quos dixi errarent, quòd quandoq;

uidetur

uidetur sine substantiuo esse quodq;: ut, reliquit mihi pater multa prædia, quorũ optimum quodq; sublatum mihi est: uel, ex meis multis prædijs optimũ quodq; mihi sublatum est. Sed omnibus liquet subintelligi substantiuum sic: optimum quodq; prædium. Quodq; autem idem esse quod unumquodq;, antè significaui. Quintilianus: Nec causas cur quodq; eorum accidat, prosequi proposito operi necessariũ est. Hoc quoq; addamus, quid solere usurpari pro in quo, ut apud eundem: Quid tibi tantum mali feci? quid offendi? & alibi: Si quid offendi. Cicero in Lælio: Quid enim indigens Africanus mei? Eodem modo nihil, ut nihil te offendi. De differentia autem inter quidam & aliquis, siue quispiam, siue quis-
Lib.2.cap.25. quam, quòd illud certũ hominem, hoc unum quemlibet significat, in libris dialecticis disputauimus. Hîc tantum admonendũ est, quosdam his posterioribus eo modò uti, quo ego nõ uterer pro illo superiore, ut Hieronymus, qui sic librũ de Hebraicis quæstionibus exorditur: Qui in illis principijs librorũ debeã secuturi operis argumentũ proponere, cogor prius respondere maledictis, Terentij quippiam sustinens, qui comœdiarũ prologos in defensionem sui dabat. Ego dixissem quiddã potius, quàm quippiã. De certo enim crimine loquitur, nõ de incerto. Idem est enim quippiã, quod aliquid. Sed de hoc in libris his, quos dixi, latius. Sed fortè Hieron. scriptũ reliquerat quiddã, & librarij in quippiã mutauerũt.

*De affinitate Genitiui & Ablatiui.* Cap. XVII.

MAgna autoritate est uir, uel magnæ autoritatis (utroque enim modo dicimus) sed raró sine adiectiuo duntaxat in genitiuo: Nam in ablatiuo nunquam, ut Cic. in Sallustium: Nunquid quos protulit Scipiones & Metellos antè fuerunt aut opinionis, aut gloriæ? Cæterũ in eadem oratione nõ est utendũ genitiuo & ablatiuo, nisi uelimus illud Plinianum ex lib. 7. naturalis historiæ sequi: Choramnorũ gentẽ uocat, Tauron syluestrem sine uoce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dẽtibus caninis. Poterat dicere stridore horrẽdo. Quanquã (quod ad elegantã pertinet) ego pro lege accipio, quicquid magnis autoribus placuit, quorũ in primis est Plinius. Præsertim quũ Cicero ad Lentulum ita scribat: Lentulum nostrũ eximia spe, summæ uirtutis adolescentem, cum cæteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias. Licet illud eximia spe posset uideri separatũ ab illo summæ uirtutis, quod regitur ab illo adolescentẽ. Vt si dicas, habeo summa spe filiũ, adolescentẽ optimæ indolis. Quod si ita nõ est, licebit in utraq; oratione uti genitiuo & ablatiuo, tamen (ut ego sentio) parcè. Nam illud ab hoc loco separatum est, quod idem dixit, Scipio Africanus id ætatis, atq; his rebus gestis. Illud enim id ætatis, uel idem est quod ea ętate: sicut dicimus decẽ annis uixi, et more Greco decẽ annos: quã honestiorẽ locutionẽ Seruius putat: uel aduerbialiter ponitur, uel subintelligitur habens, uel agens, uel natus id ætatis. In quo protinus admoniti sumus oratores summopere synecdochen refugisse: quale foret, gentem stridore horrendã, hirtam corporibus, oculis glaucam: historici non refugerunt, ut Sallustius: At ex altera parte C. Antonius pedibus æger in prælio adesse nequibat. Cicero, Quintilianusq; dixissent pedibus ęgris. Nec dixissent, doleo caput, doleo ilia aut ilibus: esset enim synecdoche: sed dolet mihi caput, & ilia tibi dolẽt. In hoc uerbo & illud notandũ est, quòd de re extra nos posita, sicut de corpore nostro loquimur: ut, istud quod facis, dolet mihi: utinam doleret tibi. ut apud Terentium:

Dolet dictum adolescenti pudenti, & libero. Et iterum:
Si istud itidem doleret tibi, ut mihi dolet.
Et in eadem Comœdia: Fac illi quod itidem doleat.

Quod nunquã per synecdochen dicere possumus. Nã ego doleo istud quod fecisti, qui sermo ut superior, apud autores est frequẽs, ut Sallust. Quasi dolẽs eius casum.

casum, non est synecdoche. Hæc enim figura tantum ad animi & corporis qualitatem pertinet nihil ad externe respiciẽs, qualia fuerint, doleo caput, doleo ilia, & hic pulcher faciem, ornatus animum. Ideoq; illa synecdoche non erũt, potens diuitijs, grauis pietate, præditus dignitate.

*De In auro, & In æs.* *Cap.* XVIII.

IN marmora incisæ sunt literæ, in gemma, in lapide, in ligno, in auro: non autem in marmor, in gemmam, in lapidem, in lignum, in aurum. E diuerso in æs, non in ære. Ita enim apud omnes autores (quãtum inueni) semper scriptum est. Liuius lib. 3. Prius quam in urbem ingrederetur, leges decẽuirales (quibus duodecim tabulis est nomen) in æs incisas in publico proposuerunt. Sed quid exempla ponimus paucorum, quod omnes facere affirmamus.

*De uenustate discordiæ relatiui cum antecedente.* *Cap.* XIX.

RElatiuum frequẽter non respondet antecedenti neq; in genere, neq; in numero, utiq; quum reflectitur eius sententia ab antecedẽte ad sequens substantiuũ. De masculino in neutrum, ut Salustius: Est locus in carcere quod Tullianum appellatur. Quod aliter dixit Val. Maximus libro 2. Antea senatus assiduam stationẽ eo loci peragebat, qui hodie Senaculum appellatur. Et Plinius: In coitu uero lunæ, quod interlunium uocant, quum apparere desierit. Mutato etiam numero, ut Cicero: Quibus tandem gradibus Romulus in cœlum ascendit? his'ne quæ isti appellant bona? De masculino quoq; in fœmininũ, ut idem: Omnes tenues atq; humiles, quæ maxima in populo multitudo est, sibi præsidiũ paratum putant. Et Vergilius: *In paradoxis.*

Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est.

Manẽte quoq; genere uidetur fieri quædam mutatio, ut Quintil. Vbi uero uniuersas familias fames extinxit, quę maxima pars est, inanes domus situm ducũt. E diuerso de fœminino in masculinũ nõ mutato numero. Sallust. Ea fines habet ab Occidente fretũ nostri maris & Oceani, ab ortu solis decliuem latitudinem, quem locũ καταβαθμὸν incolæ appellant. Mutato etiam numero, ut Quintil. Resistam his, qui omissa rerũ, qui nerui sunt in causis, diligentia, quodam inani circa uoces studio senescunt. Et alibi: Et supplicationes, qui maximus honor uictoribus bello ducibus datur, in toga meruit. De neutro in aliud genus, Sallust. Ipse ex flumine, quam proximã oppido esse aquam suprà diximus, iumenta onerat. Mutato etiam numero, ut Liuius: Anxur fuit, quę nũc Terracinæ sunt, urbs prona in paludem. Aliquando sine ullo certo antecedenti, ut Quintil. Ego quæ felicissima uel lassitudo, uel satietas est, uirtute consenui. Diuersum huic genus est, quũ dictio respondet antecedenti, quũ deberet respondere sequẽti substantiuo, ut apud Vergilium: At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.

Liuius lib. 25. Scipio cui Africano fuit cognomẽ. Qui modus per datiuũ licet frequentior sit, tamẽ nonnunquã et nominatiuo, quod est magis generale, utimur, ut Cicero: Argentarius Sextus Clodius cui nomen est Formio. Et Quintil. Notum est quid Gliconi acciderit, cui Spiridon fuit cognomen. Neq; per relatiuũ modo, sed etiã citra relatiuũ, ut Terent. Hecyra est huc nomen fabulę: & hoc per nominatiuũ. Per datiuũ, ut Liuius lib. 1. Faustulo fuisse nomen ferũt. Et Solinus de memorabilibus: Lapis iste in aquis mollis est, humo duratur exemptus, nunquàm duo simul reperiuntur, inde unionibus nomen datur. Hæc de datiuo. Est & accusatiuo quoq; sua natura, ut antecedẽs sequatur casum relatiui relicto suo, ut apud Vergilium:

Vrbem quam statuo, uestra est, subducite naues.

Oratores aũt postponunt antecedens, quale foret, quã urbem statuo, uestra est. Vt apud Ouidium: Cecidere manu, quas legerat herbas.

Et quale

Et quale est Quintil. Timeo ne quos porrexerim cibos, uenena fiant. In quo est habita ratio uenustatis, ut relatiuũ & antecedens sint in eodẽ casu. Sed sæpius antecedente postposito, quanquam apud Ciceronẽ nõnulli illud in Sallustiũ sic legũt: Nũquid eos quos protulit Scipiones & Metellos antè fuerũt aut opinionis, aut gloriæ? quidã legunt, nũquid hi quos protulit: quidã nũquid quos protulit. Tale est in Euãgelio: Sermonẽ quẽ uos audistis non est meus: quod in Græco, hoc est, in fonte, est sermo, non sermonẽ: unde interpres noster transferẽs maluit Latinè, quàm Græcè loqui. Nec ignoro qualia imperiti in hoc Euangelij loco disputare soleant, profectò nequaquã sic disputaturi, si Græcã linguam mediocriter, Latinã perfectè tenerent. In tali sermonis genere uel idem nomẽ repetemus, uel accusatiuũ in debitũ casum resoluemus. Nam utrunque fieri exemplis cõperimus. Siquidẽ ita frequenter locuti sunt autores: Quas res tibi tum terra, tum mari nuper cõmisi, hæ res sint cum fratre cõmunes: uel, hæ sint tibi cum fratre communes: uel, ex eis aliquas communicabis cum fratre. Et item per cæteros casus: ut, quarum rerum non indiges, eas res donabis mihi: uel, hæ meæ erunt: uel, hæ res auxilio mihi esse poterunt. Et ita multis modis per casus uariare orationẽ licebit. Cicero pro Ligario: Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, easdem in alijs reprehendatis. Et paulo post: Quotus enim istud quisque fecisset, ut à quibus partibus in dissensione ciuili nõ esset receptus, essetque etiam cum crudelitate reiectus, ad eas ipsas rediret? Idem tamen in Rhetoricis inusitatius: Sulpitio cui paulò antè omnia cedebant, eum breui spacio nõ modo uiuere, sed etiã sepeliri prohibuerũt. Illud magis poëticũ quale apud Horat. in Epodo:

Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur? Et iterum in prima Satyra:
Qui fit Mecœnas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus uiuat, laudet diuersa sequentes?

*De interiectu huius uocis, Ne dicam, & Dicere oportet, similiumque.* Cap. XX.

HOmo prudens, ne dicam sapientẽ, melius quàm ne dicam sapiens. Cic. pro Deiotaro: Crudelis Castor, ne dicam sceleratũ & impium. Et hoc substantiuo præcedente, secus autem sequente, quale esset, crudelis ne dicã sceleratus & impius Castor, & prudens ne dicam sapiens homo. Nam si ponamus in accusatiuo, perquàm absurdũ foret, sic, crudelis ne dicam sceleratum & impium Castorem, & prudens ne dicam sapientẽ hominẽ. In priori enim modo subintelligitur eum: sic, crudelis Castor, ne dicã eum sceleratũ & impium. In alijs casibus nõ est hæc neque diuersitas, neque causa, ut idem: An sperasset hoc uiuo Milone, ne dicam cõsule? uel sic, An sperasset hoc uiuo, ne dicam cõsule Milone? Illud eiusdẽ in libris ad Herenniũ neque dissimile his, neque usque adeò simile est: Obfuit plurimũ eo tempore Reipub. consulũ siue malitiã, siue stultitiam dicere oportet, siue potius utrũque. Nam ubi erit suppositũ? certe deest. Illud nanque uerbũ quod interiectũ est, de nominatiuo, mutauit in accusatiuum. Sed sicut in Euripo aut Siciliæ freto inflata uẽto uela, aquarũ impetus retroire cogit: ita orationẽ lege grãmatica euntem autoritas ipsa cõsuetudoque inhibet, ac repellit. Verũ (ut grãmaticorũ expectationi satisfaciã) sic erit construendũ: aut stultitia consulum, aut malitia, aut potius utrũque obfuit plurimũ eo tẽpore Reip. siue illud factũ cõsulũ dicere oportet stultitiã, siue malitiã, siue potius utrũque: uel sic, obfuit plurimũ Reip. eo tempore consulũ factũ, siue illud malitiã, siue stultitiam eorũ, siue utrunque dicere oportet.

*De infinitiuo uel interiecto, uel postposito.* Cap. XXI.

AVdiui te ut cæteros affuisse in prælio: &, audiui te affuisse in prælio, ut cæteri. Hic subintelligitur affuerũt, ibi intelligi nõ potest statim sequẽte infinitiuo,

nitiuo,& omnia ad suum regimen trahente. Itaq; sic exponitur:audiui te affuisse in prælio,ut audiui cæteros affuisse. Alterum uero (ut dixi) hoc modo:audiui te affuisse in prælio,ut cæteri affuerunt. Quod nequaquam conceditur sic dicere: audiui te,ut cæteri affuisse in prælio. Hoc enim declarat,audiui,ut cæteri audierunt. Alterum fortasse sic,audiui te affuisse in prælio,ut cæteros.

*Vbi utimur Nominatiuo pro Vocatiuo,uel contrà.* Cap. XXII.

DEfende me domine, adiuua me optime uir,tace imperite homo, mutato uocatiuo in nominatiuum non rectè dicetur. Item, defende me tu Deus meus, adiuua me tu uir optimus, tace tu homo imperitus. Hic per nominatiuū rectè loquimur, subintelligit̄ enim ens, hoc modo,tu ens dominus meus. Qua ratione defendi posset illud in psalmo:Domine dominus noster, nisi sumptum esset è Græco. Idem fit in uocatiuo alicuius nominis. Vergilius:

Nate meæ uires,mea magna potentia solus.

Idem fit in nominibus proprijs,quod fit in hoc pronomine,& in uocatiuis casibus,sic:Aue Cæsar summus Imperator. Neque illud tantummodo in imperatiuo, uerumetiam & quidem facilius in alijs modis: ut, quò tendis Aenea extremus omnium Troianorum,uel extreme? Viuis & regnas Helene dono deûm, & regnas medius sæuissimorum hostium,melius quàm medie. Male per solum proprium nomen aut iunctū cum pronomine:ut, quid facis tu Seruius? aut per nomen appellatiuum sine pronomine:ut,quid facis dominus meus? nisi tali modo:ut, quid sedes inter seruos dominus? hic subintelligitur ens, ibi subintelligi nō potest. Quare illud Plinianum in libro septimo de naturali historia, nisi mendа librarij est, non placet mihi: Salue primus omnium parens patriæ appellate: ubi non modo appellate à primus in casu discordat(quod etiam imperitis ad reprehēsionem patet)sed ne appellatus quidem si diceretur, planè Latinum foret: quum fuerit dicendum prime, siue sic:Salue tu Marce Tulli primus omnium parens patriæ appellatus:siue,Salue tu prime omnium parēs patriæ appellate:uel, Salue parens eloquentiæ primus omnium pater patriæ appellatus. Est enim illud parens uocatiuus.

*Vbi utimur Nominatiuo pro Accusatiuo.* Cap. XXIII.

SPero tibi esse bonus amicus,credo tibi fuisse fidelis,propriè dicitur: per accusatiuum uero non,nisi alterū accusatiuū addas,qui antecedat infinitiuū. Nam hic sequitur,hoc modo: Spero me tibi esse bonū amicum,credo me fuisse tibi fidelem. Quædā uerba cum nominatiuo iūgi recusant, imò pleraq;. Nam ut rectè dico,incipe mihi esse familiaris,& noli esse illi intimus:ita inusitate dicam, præcipe illi esse familiaris mihi, ne libeat tibi esse illi intimus. Hoc tamen genus loquēdi nonnunq; reperimus,ut apud Lucanū in 9. Tutumq; putauit Iam bonus esse socer. Alius dixisset,iam socerū esse bonum. Et apud Ouid. de Ponto:

Ecquis in extremo positus iacet orbe tuorum,
  Me tamen excepto,qui precor esse tuus?

Dicere potuisset,sed non tam uenuste,quem precor esse tuum. Terentius in Andria:

Quæ sese inhoneste optauit parare hic diuitias,
Potius quàm in patria honeste pauper uiuere.

Apertius apud eundem Ouidium libro primo sine titulo:

Sperneq; tu molli mobilis esse thoro. Et ille uersus uulgatus:

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.

Quòd si dixisset,noli repugnando tibi,tu contrarius esse,uersusq; pateretur,nullum de constructione dubium esset. Talis tamen modus loquendi è Græco fluxit,ubi usitatissimus est.

Cui

*Cui personæ, generi, numero, uerbum respondere debeat.* Cap. XXIIII.

VErbum sequi debet ultimũ suppositum in persona, numero, & genere: ut, ego illum de suo regno, ille me de nostra Repub. percõtatus est. Duo supposita sunt ego & ille, quorum utriq; uerbum accõmodatur. Sed sequẽti palàm, antecedenti per subintellectionem, ut sit: Ego illum de suo regno percontatus sum, ille me de nostra Repub. percontatus est. Conuerte ordinem personarum, simul personam uerbi mutaueris, sic: Ille me de nostra Repub. ego illũ de suo regno percontatus sum. Muta genus sic: ego illam de suo regno, illa me de nostra Repub. percontata est. Muta numeros sic: ego illos, illas'ue de suo regno, illi illæ'ue me de nostra Repub. percontati percontatæ'ue sunt: & item econtrario. In hanc tamen formulam nõ cadit, quoties per comparationem aut similitudinem loquimur, quale est: Melius ego istud quàm uos fecissem, nõ autẽ, quàm uos fecissetis. Hoc ille ita prudenter, ut ego fecisset, nõ autẽ, ut ego fecissem: hîc enim subintelligitur, sic: Hoc ille ita prudenter, ut ego feci, & ipse fecisset. Melius ego istud quàm uos fecistis, fecissem. Verbum enim principale debet efferri, subintelligi autem quod non est principale.

*Vbi collocandum sit adiectiuum.* Cap. XXV.

ADiectiuo, quum præcedit, debent obsequi substãtiua, aliter uitiosum est, ut hoc modo: Nulla uirgo est dicenda corrupto uel animo, uel corpore: dic pro animo mente. sic: Nulla uirgo dicenda est corrupta uel mente, uel corpore: aut corrupto uel corpore, uel mente, non erit Latinũ. Quod cõtrà fit aut præcedente substantiuo, aut reiecto in finem adiectiuo, sic: Nulla uirgo dicenda est, uel mente corrupta, uel corpore: aut uel corpore corrupto, uel mente. Item. uel mẽte, uel corpore corrupto, aut, uel corpore, uel mẽte corrupta. Similiter in plurali (uariabo exempla ad euitandum fastidium) Nemo diues est, uel ualetudine infirma, uel sensibus: aut, uel sensibus infirmis, uel ualetudine. Item, nemo felix est uel conscientia, uel membris affectis: aut, uel membris, uel cõscientia affecta. Cicero tamen in Phillippicis inquit: Optima sunt & mẽte, et uiribus. Nescio an, culpa librariorum sit, qui ita scripserunt, pro eo quod est, & mente optima sunt & uiribus, uel optima sunt mente, & uiribus.

*Quid momenti faciat coniunctio, aduerbiumq; disiunctiuum ex collatione.* Cap. XXVI.

EX his quæ tradidimus, palàm est, nequaquam rectè dici corrupto uel corpore, uel mente. Debet enim adiectiuum illud ad utrunq; substantiuũ applicari in genere, & numero. Neq; de Vel tãtummodo intelligo, sed de cæteris quoq; cõiunctionibus, per Et, ut modo ex Cicerone attuli exemplum: per Nec, per Siue, per cætera huiusmodi: neq; hoc solum ubi adest substantiuum cum adiectiuo, sed etiam sine eo, quale hoc est: Tu nec faceres, nec ego permitterẽ, non est hic sermo Latinus. Dicendum nanq; erat, nec tu faceres, nec ego permitterẽ: aut sic: Tu nec faceres, nec à me facere permittereris. Tota enim oratio depẽdet à prima dictione. Item: potes cognoscere partim ex aliorum sermone, partim te docebit ipse tabellarius: non est Latinũ: sed sic: Partim potes cognoscere ex aliorum sermone, partim ex tabellario. Itẽ: puto tum ex superioribus literis te omnia intellexisse, tum ex his intelligere potes: dicendum erat, tum ex his intelligere posse. Item, paratus sit uel pugnare, si qui te lacessunt, uel si qui non sunt, ne recuses facere pacem, dicẽdum erat, aut sine illo ne recuses: aut sic, uel paratus sis pugnare. Ex his quæ dixi, uideor reprehẽdere legem illam duodecim tabularum: Liberi parẽtes in egestate aut alant, aut uinciantur: quasi dicendum fuerit, liberi aut parentes in egestate alant, aut uinciantur. Sed non est uetustas illa reuocanda ad hanc regulam, quæ constat ex usu eorum, qui more illo uetusto non sunt locuti:

locuti: tametsi haud dubie opinor, primum aut, à quibusdam adiectū, legiq́; ita in uetustissimo quodam codice Declamationū Senecæ: Liberi parentes alant, aut uinciantur. Huius etiam loci illud est, nec hoc modo uerba cōmisceamus diuersam naturam habentia, quale est: Ille mihi nec nocuit unquam, nec adiuuit: ego nec offendi eum, nec profui: dicendū erat, ille mihi nec nocuit unquam, nec profuit: aut sic, ille nec nocuit mihi unquā, nec adiuuit: ego nec offendi eum, nec adiuui: aut, ego nec offendi eum, nec eidem profui.

*De usu negationis.* Cap. XXVII.

TRes aliquādo negationes non plus efficiūt quàm duæ, collocatione ipsa dictionum efficiente. Vt, nunquàm mihi nec obfuisti, nec profuisti. Tres hic sunt negationes: muta primam negationem in medium, aut in postremum, iam euanescet, quū ibi locū non inueniat: sic, Mihi nec obfuisti unquam, nec profuisti: aut sic, mihi nec obfuisti, nec profuisti unquam. Nescis nec in pace, nec in bello uiuere: nec in pace, nec in bello scis uiuere. Ibi tres negationes sunt, hic duæ, quū eadem sit sententia. Vereor, metuo, timeo, & si qua sunt alia, idem efficiunt, uel cum negatione, uel sine ea: ut, uereor ne ueniat, & uereor ut ueniat: timeo ne moriatur, & timeo ut moriatur. More Ciceronis, ut ne, pro ut non. Metuo ut ne pereat, & Terentius: Apprime in uita utile, ut ne quid nimis, pro ne quid nimis. Ex quo miror Seruium ita scripsisse primo Georgicorū: Vnde male quidā hunc locum scribunt: Pater adest, caue ne te tristem sentiat. Si enim hoc est, dicit, uide ut te tristem sentiat: nam & ne & caue, prohibentis est. Neutiquam pro nequaquam, & ipsum nequaquam, & nusquam, & nuspiam simplicem negationē indicant. Ideoq́; unico uerbo contenta sunt: ut, nequaquam ueniam. Necubi uerò duplicem, ideoq́; duplex uerbum postulat. Volo necubi mihi obuius fias, id est, ne alicubi: ut sicubi pro si alicubi, sicūde pro si alicūde. Cętera quæ de natura negationū disputari solent, in libros Dialecticæ nostræ contulimus, quæ ideo præterimus, quòd ferè non sunt ignota oratoribus, dialecticorū uerò nemini cognita. Illud tamen ad uerbum huc illinc transferamus: Vir malus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit: uir autem bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, uel recedat: nescio tamen an liceret dicere recedit. Hoc loco eadem uerba dantur malo uiro, & bono: sed tamen malus recedere ab amicitia intelligitur, bonus nō recedere: & ille non lacessitus iniuria, hic lacessitus. Et haud scio, an hoc sit satis ad hæc distinguenda dixisse, quòd alibi rem significamus, alibi admonemus. Huc addamus unum, in quo nō pauci falli solent, ubi debeat geminari negatio, ubi non debeat, ut hoc exemplo: Nō modò stellæ, sed ne luna quidem ad solem seruat splendorem suum, rectè dicitur. Item hoc modò rectè: Non modò nullæ stellæ, sed ne luna quidem, & cętera. At quoties dictionibus quædā adest contrarietas, non possis tollere alteram negationem, ut hoc modo: Non modò stellæ non apparent, sed etiam luna ad solem obscuratur. Sine negatione geminata non rectè loquaris: Item, non modò non absoluo hūc, sed ne leui quidem pœna cum eo transigendum esse puto. Quidam tamen nuper scripsit: Non modò absoluendum hunc, sed nec etiam grauiter puniendū puto: quum dicere debuisset, non modò non absoluendum: sunt enim diuersa absoluendū & puniendum: Item, non tantum non constanter, sed etiam trepide, & confuse locutus est. Item, non tantū inconstanter, sed fortiter & propè minaciter locutus est. Male hoc secūdum dixisti, dempta negatione: erat enim dicendum, non tantū non incōstanter. In quod uitiū incidit Boëthius lib. 3. in Ciceronis Topica, dicens: Si nō cōfuse solum, uerumetiā distributim, & suarū partiū proprietate noscantur. Dicendum erat, non solùm non confuse. Diuersum est eorū uitium, qui ad illud non modo applicāt, sed etiam, quū deberent applicare, sed saltem, aut sed certe,

aut sed uel: quale est Lactantij lib. 1. Quis enim mentis emotæ non modo futura prædicere, sed etiam cohærentia loqui possit? Dicendum erat, sed uel cohęrētia, aut sed saltem, aut sed certe cohærētia possit loqui? Nisi forte culpa librarij est. Ego uero in utroq; non autorem, sed tale genus orationis reprehendo.

*Quot modis iubemus, Quid etiam intersit inter præteritum, futurumq; coniunctiui modi.* Cap. XXVIII.

VEni ad me, uenito ad me, uenias ad me, uenies ad me. Scribe ad me, scribito, scribas, scribes, indifferenter pene his quatuor utimur. Horum tamen uno in negatione, ne uenias: & altero quo in affirmatione non utimur in hunc modum, ne ueneris. Nam ipsum ueneris, duobus modis accipitur. Vno modo subiunctiue: ut, si ueneris: uel, quum ueneris: altero sine subiunctione: ideo illud non est uerbum principale, hoc est, ut si me iuueris, rem optimā feceris. Dimitte me, & diuitem feceris. Aufer huic magistratū, & cum iugulaueris. Eamus in portum, iam naues uenerint. Cicero: Atqui nobis gratissimū (ut etiam pro Scipione pollicear) feceris, si quando, & cætera. Sciendum tamen est, quòd hæc omnia uerba futuri sunt temporis, ueluti si ita cōmutemur: si abstulero huic filiam, eum iugulauero, nō autem iugulauerim. Ego hoc uidero, tu uideris, uos uideritis, quasi ego hoc uidebo, uel uideam, tu uidebis uel uideas. Ne ueneris: futuri item est temporis: non ueneris, præteriti: illud uetat, hoc negat: quod secundum, commune est cum prima persona & tertia: ut, neque uero crediderim, neq; uero fuerim in ea opinione qua cæteri. Et sine negatione, improbe dixerim, dixerit aliquis, ne ueni, ne fac, ne iugula, apud oratores ferè nunquàm, sed apud poetas, ut Vergilius: Ne sæui magna sacerdos. Et Terent. Ne nega. Liuius libro 2. Crastino die, oriente sole in aciem redite, erit copia pugnādi, ne timete. Et Quintilianus: Tu illā defende, arma ne relinque. Hic nos Quintilianus admonet, ne pro illo, ne feceris, dicamus, non feceris: quia alterū negandi est, alterum uetandi. Ideoq; ne cum prima persona singularis numeri nunquàm coniunctum inuenimus, ob eandem causam propter quam imperatiuum caret prima persona in singulari, quia nemo sibi soli imperat, aut uetat. Vnde frequēter legimus, ne timuerimus, ne timeas, ne timueritis, ne timeant. Nunquàm autem ne timeam, nisi ne pro ut non: sed non timeam, non ausim, non sperem, non timuerim, non sperauerim, non crediderim, id est, timere, audere, sperare, credere non possum: aut non debeo: ita in alijs personis, ut idem Quintilianus: Non expectes, ut statim gratias agat, qui sanatur inuitus, id est, expectare non debes. Non enim eo modo hoc dixit, quo dicere solemus, quū uetamus, ne me expectes amplius. Hic enim negatio est, non uetatio. Ita non expectaueris, & ne expectaueris, quorū alterum præteriti temporis est, negatq;, alterum futuri & uetat.

6. Aeneid. In Phorm.

*De lepôre Si non, & Nisi, cum alijs uerbis.* Cap. XXIX.

HOc quod adhuc de negatione subijciam, ad solam elegantiā dicendi pertinet: quod quale sit, subiectis exēplis per se apparebit. Quintilianus: Non est difficile ut maritum uxor occidat, si non est difficilius ut filius patrem. Idem: Atq; eò causam dimittimus, ut non sit absoluendus adolescēs, nisi etiam laudandus. Idem: Quare non petit, ut miserum putetis, nisi & innocēs fuerit: non petit, ut afflictum alleuetis, nisi & probauerit sese infeliciorem, quòd patrem amisit, quàm quòd oculos. Seruius Sulpitius: Atqui amittere liberos malum est, nō malum, nisi hoc peius est ferre & perpeti. Sallustius: Parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si dijs, aut hominibus unquā ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescētiæ, nisi iterū patrię bellum fecit. Titus Liuius libro 31. Nam quòd ad ea atinet, quæ nobis obiecit, nisi gloria digna sint, fateor ea defendi nō posse. Ouidius libro decimotertio Metamorph.

Nec

Nec tamen hæc series in causam prosit Achiui,
Si mihi cum magno non est communis Achille.

Huic simile est, quale apud eundem, lib. 2.

Mentior, obscurum nisi quum nox fecerit orbem,
Nuper honoratas summo mea uulnera cœlo
Videritis stellas. Et Quintilianū: Mentior, nisi quum peregrinatio mea nos diduceret, maluit esse cum matre. Et iterum: Assidere enim cibos ministrare, manum porrigere quilibet poterat: mentior nisi factum est. Idem uerbū apud Ambrosium eodem modo positum, tum in libris Officiorū, tum Hexameron, tum in aliis reperies. Et apud Cypriam ad Donatum: Mentior, nisi alios qui talis est, increpat: turpes turpis infamat.

*De Vter utri, Alter alteri, Neuter neutri, & Quis cui.* Cap. XXX.

VTer utrū accusat Latinè dicitur, ut Cicero pro Milone: Vter utri insidias fecerit. Vterq; utriq; uix ausim dicere. Neuter neutri omnino nō dixerim. Terentius in Phormione inquit: Quia uterq; utriq; est cordi. In decimo quoque commentario rerum à Cæsare gestarum siue ab Hircio, siue ab Oppio (nam incertus autor est) edito, sic legi: Interim dissentione orta inter Achillem, & Arsinoēn quum uterq; utrique insidiaretur, et summam imperij ipse obtinere uellet. Cicero autem & Quintil. (quantum inueni) sic nunquam locuti sunt, quorum prior sic ait: Quorum uterq; suo studio delectatus, cōtempsit alterum. posterior sic: Quum enim uterq; alteri obijciat, palam est utrunq; fecisse. Atq; sic dicendū esse per illud frequentissimum probatur, alter alteri obijcit, alter alterum contemnit, alter alterum accusat: alter enim alterum, nō ambo ambos accusant. Idem dico de neuter, ut idem Quintil. lib. 1. Ita fiet, ut cum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Quare peccauit tum amicus meus (si amicos palàm licet reprehendere) qui mihi nuper ad se scribenti, uter utri bellū intulisset, respondit, neuter neutri, aut potius uterq; utriq;: tum Priscianus, qui libro secundo ait: Fiscina uero à fisco, an fiscus à fiscina, an neutrum à neutro, dubium est. Debuerat dicere, an neutrum ab altero: nam quòd à se non deriuetur, superuacuum est dicere: sed dicendū tantum ab altero, non autem à neuro, quasi nec ab altero, nec à se. Ne illud quidē sileamus, ut dicimus uter utri, ita quis cui, ut Vergil. Quæ quibus anteferā. Et Cicero: Quid cui præponendum sit. Quint. Quid quo loco collocandū sit. Idem Quintilianus: Vt dubium sit, quid quò referri opoteat. Offic. 1.

*De prior, primus & similibus.* Cap. XXXI.

VOcaui te prius, nō est idem quod prior: Illud significat tēpus, quasi priusquam nunc uel tūc: hoc uero personam, id est, ego duorum prior, & hoc quando duo ad unū referūtur. Siquidem ego et hic te uocauimus, sed ego prior, hic autem posterior. Idem fit quum unus ad duos refertur. Vocaui te priorem, melius quàm prius, illum autem posteriorem, melius quàm posterius. Per passiuum quis iam hoc nequeat dicere? uocatus es à me prior, si duo estis, uocatus es à me priore, si duo sumus. Eadē ratio est superlatiuorū primus et postremus, & si qua sunt alia. Vocaui te primus uel postremus, si multi sumus: uel, uocaui te primum uel postremum, si multi est. Nonnunquam ex neutra parte sunt duo, sed utrinq; singuli, & tamen per hoc idē cōparatiuum loquimur: ut, uocaui te prior, percussi te posterior, supple quàm tū me. Nonnunquam unus hinc est, illinc plures: ut, uocaui uos prior, supple quàm uos me: uocauimus te priores, supple quàm tu nos. Idem de superlatiuo, ubi multa membra sunt: ut, primi nos uenimus, uos posteriores, ille ultimus: primus ego intraui uallum, tu serior, illi tardissimi.

mini plenus dat etiam ablatiuum, ita uerbo impleo dat etiam genitiuum, ut in quinto: Ipse multitudinem quoque quæ fermè semper regenti est similis, religionis iustæ impleuit.

*De Potior, Potitus, & Compos.* Cap. XXXIIII.

POtior hos eosdem casus habere potest, sed cũ cęteris frequentius ablatiuũ. cum hoc nomine res, ferè semper genitiuum: ut, Lacedęmonij rerũ diu potiti sunt, id est, rerum imperium diu tenuerũt. In alijs nominibus magis significatio exponitur per obtinuerunt, quàm per tenuerũt: ut, potitus sum uictoria, sum potitus amica, id est, pugnando uel laborãdo obtinui uictoriam uel amicam. In præsenti tẽpore plerunq; pro fruor. Cicero: Quòd si uoluptatibus his bona ætas fruitur libentius, primũ paruulis fruitur rebus, ut diximus: deinde de his quibus senectus, etiã si nõ abunde potitur, non omnino caret. Pro eodẽ posuit fruitur et potitur. At potiř pro potitus est, præsertim more historico legimus. Potior à potis descendit, ideoq; illi in significatione simillimum est. Nam sum compos mentis, cõpos animi, compos rationis, compos sanitatis, quòd hæc habeo: At compos uoti, compos uictoriæ, compos optati, quòd hæc opera mea atque labore obtinui, obtineoq;. Illud tamen sciẽdum est apud Ouidium in 12. sic legendum: Tuq; tuis armis, nos te poteremur Achille. non potiremur, antepenultima breui, non longa, à tertia scilicet, non à quarta coniugatione.

*De Traijcio.* Cap. XXXV.

TRaijcio exercitum, id est, transporto exercitũ trans mare, aut trans flumẽ. Traijcio mare, uel flumen, id est, transeo. Aliquando utrunq; cõiunctum, ut Liuius: Traiecit copias Hiberum. Et Plancus: Traieci exercitum Isaram.

*Do tibi, & ad te literas.* Cap. XXXVI.

DO tibi literas: tanquã tabellario: do ad te literas, scilicet ad te perferendas. Aliquãdo hęc duo cõiunguntur, ut Cicero: Dedi illi ad te literas. Et Salustius: Vulturtio literas ad Catilinam dat. Ergo qui mittit literas, dat: cui literæ dantur, si perfert, reddere dicitur: sicut ille ad quem dantur, accipere.

*De In & Ad, cum alijs uerbis.* Cap. XXXVII.

EO in uillam, & eo ad uillam: proficiscor in campum, & ad campum: confero me in agrum, & ad agrum, idem sunt. Et item in similibus, præterquam in hoc ultimo uerbo quoties refertur ad personam. Dicimus enim, contuli me ad Catonem, & contuli me ad patrem: non autem in Catonem, & in patrem, ad distinguendum uidelicet significationem. Nam quum dico, contuli in personã, non possum addere alteram personam uelut me, sed rem uelut beneficiũ. Eritq; significatio donationis: ut, multa cõtuli in Catonem, id est, multa donaui Catoni: nemo in patrem potest tanta beneficia cõferre, quãta cõtulit pater in filium.

*De Refero tibi, & ad te.* Cap. XXXVIII.

REtulit mihi & retulit ad me, ita differunt, quòd illud est narrauit: hoc uero in consultationem tulit, ut Quintil. Relaturus uobis iudices ordine malorum meorum euẽtum, quem nemo tam crudelis, nemo tam sæuus audiet, ut me non pascat. Sed hoc nemini ignotum est. Idem: Vultis scire iudices, nihil impatientia charitatis fecisse patrem, non retulit ad matrem, non propinquos consuluit, non amicos. Cicero in Catilinam: Refer, inquis, ad senatũ, id est, refer in consultationem senatus. Vergilius tertio Aeneidos:

Delectos populi ad proceres, primumq; parentem
Monstra deũm refero. Et ne dubitares de sensu sermonis huius, more suo aperuit, subiungens: Et quæ sit sententia, posco. Pauloq; pòst:
Surge agè, & hæc lætus longęuo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Sunt enim deorum uerba, non consilium ab Anchisa

 petentium,

petentium, sed illum quid agendum sit docentium. Ideoq; additur illud, haud dubitanda. Porrò utraque harum sententiarum in uerbo uersatur, aliquādo etiam in facto, sed diuersa est significatio, ut Quintilianus: Ad patrem arma nō retuli, id est, reportaui, & Cicero: Si ad unū omnia referenda sunt, dignissimū esse Pompeium, hoc est, si in unum omnia conferenda sunt, de re intelligitur, non de oratione. Quale illud eiusdē est pro Deiotaro: Qui rumores ad se referrēt, & quale est Cæsaris, Vt quæ diceret Ariouistus, cognoscerent, & ad se referrent. Hic de uerbis agitur, & tamen non significatur ferri in consultationem, sed potius narrari & renuntiari mandata ab altero data. Preterea hîc solet adhiberi accusatiuus uel nominatiuus: ibi crebro (in prosa præsertim) ablatiuus cum prępositione de: ut, de omnibus his referam ad senatum. Omnia autem hæc referam ad senatum, rarius dicitur. Tamen significat idem quod est, in senatorum consilium feram.

De interdico. Cap. XXXIX.

INterdico tibi aqua & igni, non autem interdico tibi aquam & ignem: neque interdico te aqua & igni. Quo autem modo mutabitur in passiuum hæc oratio? Sunt tres modi (quantum colligere possum) mutandi actiuum in passium. Vnus, ubi est solus accusatiuus, ab eo in nominatiuum mutato incipiēdi: ut, dedi tibi equum, equus à me tibi datus est. Alter, ubi sunt duo accusatiui, alterū in nominatiuū conuertendi, alterum relinquendi: ut, docui te musicam, tu à me doctus es musicam, nō autem musica docta est à me te. Tertius utrumlibet horum accusatiuorum mutandi in nominatiuum, alterum uel relinquendo, uel in ablatiuum cum à uel ab transferendo, sic: Ego rogaui te ueniam, tu rogatus à me es ueniam, uel uenia abs te rogata est mihi: licet per hoc secundum tu magis uidearis rogasse pro me, quàm ego te. Quem horum modorum huic uerbo tribuemus? Et tamen tres illi similes sunt. Vnus hic est: tibi interdictū est aqua & igni, quod est frequentissimum. Alter hic: aqua & ignis tibi interdictus est, ut Liuius libro 8. Interdictumq; mare Antiati populo est: quòd si esset mari, prioris modi foret exemplum. Tertius hic: tu interdictus es aqua & igni: sed tamen hic modus cæteris est rarior. Metellus Numidicus: Illi uero omni iure atque honestate interdicti sunt: ego neq; aqua neq; igni careo.

De Pluit & Ningit. Cap. XL.

PLuit caret supposito, habens appositum ablatiuum, ut Liuius: Nuntiatum est in Albano lapidibus pluisse. Licet nunc dicamus: Deus pluit carnem, pluit manna, pluit escam: Ningit uero suppositum, & appositum respuit.

De Decet, iuuat, Conducit. Cap. XLI.

DEcet, iuuat, cōducit pro utile est, & siqua sunt alia, nec personalia sunt plànè, nec impersonalia, quū habeāt numeros. Vestes hæ decent nos, isti cibi iuuāt te, studia secreta cōducunt maxime. Explicit, expliciūt nunq̄ (q̄d sciā) legi.

De Ausculto, & Audiens tibi sum. Cap. XLII.

AVsculto te, audio te: ausculto tibi, obtempero tibi: sum audiens te, quòd te audio: sum audiens tibi, quòd tibi obedio: ut lex 12. tabularū apud Quintilianum: Filium minus audientem dicto, liceat abdicare. Cicero in Philipp. Et audiens esset huic ordini. Et pro Deiotaro: Aut qui dicto audientes in tāta re non fuissent. Cum uerbo reperisse apud scriptores prosæ orationis tale loquendi genus non memini, sed apud Plautum in Comœdia, quæ inscribitur Captiui duo: Memini quū dicto haud audiebat, facto nunc lædat licet. Hinc est quare unum obedio ex compositis ab audio postulat datiuum.

De Dono tibi, & te. Cap. XLIII.

DOno tibi munus, notum est quid significet, dono te munere plerūq; præmij gratia, sed interdum admirationis, interdum beneuolentiæ, interdum misericordiæ.

misericordiæ. Cic. pro Archia: Sylla cum Gallos & Hispanos ciuitate donasset, uidelicet in prœmium. Quæ exempla sunt plurima: ut, Militaribus donis, corona uallari, immunitate donatus sum. Idem pro eodem: Itaq; si ciuis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo Imperatore ciuitate donaretur, perficere non potuit. Certe Imperator non remunerationis causa Archiam ciuitate donasset, sed admiratione ingenij & beneuolentia. Vergil. Aeneid. quinto: Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Nimirum non præmij gratia. Nam tres præmia primi accipient. Beneuolentiæ ergo, non meriti illorum gratia, cum postremi nihil omnino mereantur. Quale est Valerij Maximi libro 2. Rex Antiochus bello quod cũ Romanis gerebat, filium Scipionis à militibus suis interceptum, honoratissime excepit: regijsq; muneribus donatum, ultro & celeriter patri remisit, utiq; amicitię gratia. Et Amphitryon apud Plautum: Verum ita animatus fui, itaq; nunc sum, ut ea te patera donem. Et paulò pòst Alcmena inquit: Paterã profectò feras, qua hodie meus uir donauit me. In quorum utroq; sola in donando beneuolentia declaratur. Idem Plautus in Aulularia: Dij immortales, quibus & quantis me donatis gaudijs. Quintilianus in Gladiatore: Quod me facere cõuenit, qui per maria latrocinijs infesta solus petitus sum, qui lucem, libertatem, deniq; quicquid pati debeo non ignarus (ut primo natalis horæ tempore) sed uidens, sentiensq; acceperim: nec solum donatus his bonis, sed summis periculis liberatus sum. Verba sunt hominis exaggerãtis beneficia amici, ut se maxime illi ostendat obstrictũ. Sola ergo fuit ratio beneuolentię. Idem in Pariete palmato: Quàm blande ille se posuit miserum suum, quàm diligenter uxoris gaudentis exclusit oculos, quàm multo carum pudore donauit. Hic habita est misericordiæ ratio. Sueton. in uita Augusti: Et ne enumerem quot et quos diuersarũ partiũ, uenia & incolumitate donatos. Cornelius Nepos de uita Attici: Auxit hoc officiũ alia quoq; liberalitate. Nam uniuersos frumento donauit, profectò clementiæ, non remunerationis gratia.

*De Incumbo huic rei, & in hanc rem.* Cap. XLIIII.

INcumbo studijs, & incumbo remis. Vergilius: Validis incumbite remis: Incumbo in studia & ad studia, sed non incumbo in remos & ad remos. Cicero: Pergite adolescentes, & in hæc studia in quibus estis, incumbite. Et alibi: Quare incũbamus ó noster Tite ad illa præclara studia, & eò unde discedere nõ oportuit, aliquando reuertamur. Neq; hoc in bonũ tantummodo accipitur, sed etiam in malum: ut idem: M. Catoni incumbẽti ad eius perniciem. Sed illud, incumbite remis, nõ est per translationem dictum, ut hoc: Nam ut quum remiges incumbũt remis, uel quum nos operi faciundo incũbimus toto pectore, significatur diligentia & conatus: ita ut quum accuratius quid mente agimus, incumbere dicimur, quemadmodũ econtrario supini dicuntur, qui negligenter agunt.

*De diuerso uarioq; regimine uerborũ cum diuersa simili'ue significatione.* Cap. XLV.

TImeo te tanquam inimicum, timeo tibi tanquam amico. Illic tanquã offensurus sis, hic tanquã defendendus. Cõmendo te regi, id est, cõmitto. Commendo te apud regem, id est, laudo. Cedo tibi, unde & concedo, pro non repugno tibi: facitq; præteritum cessi. Cædo te, pro flagello te, cuius præteritũ est cecidi pro flagellaui, & supinũ cęsum: Vnde cæsus uel qui flagellatus est, uel qui amputatus est siue occisus. Raro pro occido hoc uerbũ accipitur. Cicero in Philip. Cædit greges armentorum. Dimitto te discedens, id est, relinquo. Dimitto te discedẽtem, id est, abire permitto: uel dimitto te, id est, mitto, unde dimissi legati dicuntur. Incessit mihi cupiditas, id est, subijt. Incessit me ille, id est, offensurus me petit, & accusat. Inest huic loco, & inest in hoc loco, primùm apud Quintilianũ cæterosq; frequentius, ait enim: Verum hoc melius faceret natura ipsa duce, sed

naturis ipsis ars inerit. Secũdum apud Ciceronem frequentius, ut ibi: Illud enim honestum, quod sæpe diximus, si in alio cernimus, tamen nos mouet, atq; illi in quo id inesse uidetur, amicos facit. Comparo hanc rem illi, & cum illa. Confero te isti, & cũ isto. Ego sum similis tibi & tui. Hoc est cõmune omnibus & omniũ: uel, commune mihi tecum, & cum cæteris. Ego sum particeps laborum tuorum: &, tibi sum in laboribus particeps. Quintil. Et in plerisq; ruris operibus marito particeps. Curtius: Quod fuisset illis in periculis particeps. Accedit huic rei, & ad hanc rem, uel accedit huc, uel eò, uel eodem. Quintil. Atq; ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea est. Cic. Vt ad illam optimã præclaramq; prædam damnatio Sexti Roscij uelut cumulus accedat. Impẽdo curam, uel operam, uel laborem, & similia huic rei & in hanc rem: quod in Quintil. sæpe reperies: Partior laborem multis negotijs & in multa negotia, ut apud eundẽ. Adijcio huic rei, & ad hanc rem, Respondeo tibi & ad te. Celo te hanc rem, et celo te de hac re. Tu es natus ad laudem & laudi. Cicero pro Sextio: Nam quid ageret uir ad dignitatem & gloriam natus? & in eadem: Qui se patriæ, qui ciuibus suis, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno & cõuiuijs, & delectationi natos arbitrantur. Aggregabo te illis, uulgò dicimus. Idem: Aggregare te soleo in numerũ nostrum. Idem pro Archia: Ascribi se in eam ciuitatẽ noluit. & pro eodem: Quum fuerit in alijs quoque ciuitatibus ascriptus. Idem in Philipp. Tu uero ascribe me in talem numerum. Idem pro Rabirio: Si quis hunc reprehendendũ putat, ascribat id iudicium suum non modo meam, sed huius etiam ipsius qui commisit, sententiam. Idem contra Rullum: illum sibi collegam ascriberes. Tibi hoc ascribendum est, id est, tibi tribuendum & imputandum.

### *De noua ratione regendi quorundam impersonalium.* Cap. XLVI.

COepit eum pœnitere, posset te pigere, desinet me tædere, sæpius dicimus, quam cœpit ille pœnitere, posses pigere, desinam tædere. Quintilianus in milite Mariano: Neq; si sit cupidissimus uitæ, pœnitere eum sui factĩ potest. Cicero de petendo consulatu: Si hic ciuis liber est, cuius autoritatis neminem posset pœnitere. Idem in Verrem: Iamiam Dolobella me neq; tui, neque tuorum liberorũ, quos tu miseros in egestate atq; in solitudine reliquisti, misererę potest. Simile est illud Terentij: Ita dij me bene amabũt, ut me tuarum misertũ est Menedeme fortunarum. Me, pro à me misertum, dixit. *In Heauton.*

### *Quum uenustè uerba aut desunt aut redundant.* Cap. XLVII.

DEsunt nonnunquam uerba in oratione, sed non sine gratia, ut Horatius: *Lib. 1. epi. 5.*

Quò mihi fortunam, si non conceditur uti?

Id est, ad quid uultis esse mihi bona fortunæ? Hic modus incipit per quò, alius incipit per unde, ut idem:

*Lib. 2. Sermon.* Vnde mihi lapidem? quorsum est opus? unde sagittas?

Supple putes, uel dicas mihi esse. Iuuenalis Saty. 14.

Vnde tibi frontem, libertatemq; parentis,
Quum facias peiora senex?

Cicero ad Fabium: Martis uero signum quò mihi pacis autori? Quintilianus: Quò per fidem diuitias cæcos? Et alibi: Quò nunc tantum frumenti? quò classem cõmeatu grauem? Idem: Vnde hunc illi animũ? Et alibi: Vnde tantũ uirĩũ cæco, ut in uno statim ictu mors tota peragatur? Idẽ tamen ait alio loco: Vnde miseręe tunc, unde somnus? supple erat uel est. Tertius modus, ut apud eundem: Sequitur quæstio, an utilis rhetorice: nam quidam uehemẽter in eam inuehi solent, & quod sit indignissimũ) in accusatione orationis utũtur orandi uiribus. Eloquentiam enim esse, quę pœnis eripiat scelestos, cuius fraude dãnentur interim boni, *Lib. 2.*

consilia

consilia ducantur in peius: supple, dicunt enim eloquentiam. Cicero: Habendas esse quàm laxissimas amicitiæ habenas: caput enim esse ad bene uiuendum securitatem: supple, dicunt enim caput. Qui modus loquendi apud Græcos est frequentissimus. Idem uerbum aliquando redundat, ut de Oratore Cicero: Titum illum, qui studiose pila luderet. Et idem: Signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesq́ cum in campum nō uenisset requirerent, excusauit Vespa Terentius: quòd eum brachiū fregisse diceret. Satis erat dixisse, quòd brachiū fregisset. Et nō longe illinc: Cui cum familiaris quidam quereretur, quòd diceret uxorē suam suspendisse se de ficu, amabò te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos seram surculos. Sat erat sine illo, quòd diceret: Sed hoc uerbum libenter apponit Cic. Quartus, quum suppletur respōdeo, ut idem frequenter: Quòd autem scribis de illo negotio, ego nescio quid cōsilij capiam, uel ego iam antea timueram, supple respondeo. Raroq́ uel nunquàm hoc uerbū profertur. Aliquando subintelligitur simile uerbum, ut apud Quintilianum: Sed si confessionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonij, quod iam melius ab his administrari poterat, tenax custos: supple confiteor, quod est. Quintus modus, ut apud Ciceronem: In obsequio (quoniā Terentiano uerbo libenter utimur) assentatio absit, ueritas retineatur. Subintellige, ita loquimur (quoniam Terentiano uerbo libenter utimur) Et alibi: Satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requiem oblectationemq́ noscatis. Subintellige, hoc dico, ut noscatis. Sextus modus, ut apud Pliniuim Iuniorem: Studes an piscaris, an uenaris, an simul omnia? supple facis. Quintilianus: Nil aliud quàm renuet: id est, nil aliud faciet quàm renuet. Et iterum: Et acceptis literis meis iuuenis filius nihil aliud quàm cum matre fleuisset, id est, nil aliud fecisset, quàm cū matre fleuisset. Martialis: Nil aliud bulbis quàm satur esse potes, id est, nil aliud facere. Cui confine est illud, ubi prolato aliquo aduerbio qualitatis subintelligitur pro conditione materiæ, aut dixit, aut fecit: ut, bene Ennius, præclare Anaxagoras, fortiter Scipio, prudenter Fabius, supple dixit aut fecit, prout ex his, quæ aut iam diximus, aut dicturi sumus, colligitur. Et per comparatiuum: Dij melius, supple fecerint, aut faciant aut certe uelint. Nec de dijs solum, uerumetiam de hominibus, ut apud Quintilianum: Tu melius uxor, quæ facturum retinebas, supple fecisti. Interdum etiam per nomen, nam illud melius est aduerbiū: ut, dij meliora. Lucanus ipsum uerbum apposuit: Dij meliora uelint. Nec procul ab huius natura abest, quando utimur hoc nomine res, siue in nominatiuo, siue in accusatiuo, forte etiam in alijs casibus: ut, restat mihi exponenda uita, quam hic egit in magistratu, res digna auditu in primis: uel, reliquum est, ut exponā uitam huius, qua fuit in magistratu, rem dignam auditu in primis.

*Quòd amœnè tempus aliquando pro tempore ponitur.* Cap. XLVIII.

ANnibal apud Titum Liuiū alloquēs milites inquit: Si tales animos in prælio habebitis, quales hic ostendistis, uicimus. Quintilianus: Si tales milites omnes habebimus Mari, uicimus. Cur de futuro non per uerbum futuri temporis locutus est? Nempe ad asseuerandam rem, ut non futura, sed iam esse uideatur: multoq́ plus ponderis habet, ut dicamus uicimus, quàm uincemus. Idem Quintilianus: Dimitte tantum, & euocasti, id est, euocaueris. Cicero: Vnum ostende in tabulis aut tuis, aut patris tui emptum, et uicisti, pro uiceris. Idem pro Sextio: Restitisses, repugnasses, mortem pugna oppetisses: pro eo quod est resistere, repugnare, mortē pugna oppetere debuisses. Ouid. lib. 4. Metamorph.

Præmiaq́ eripies, quę si tibi magna uidentur,
Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses.

Id est, petere debuisses. Terent. in And. Prædiceres, pro eo quod est, prędicere debebas.

debebas. Et alibi: Fortasse aliquanto iniquior erat propter eius libidinem: pateretur, pro pati debebat. Item Cicero 3. Offic. Male etiam Curio quum causam Transpadanorum æquam esse dicebat, semper addebat, uincat utilitas, potius diceret, non esse æquam, quia nõ esset utilis reipub. id est, dicere debebat. Huic simile est quale apud Ouid. de Remed.

Gnosia fecisses inopem, sapienter amasset.

Lib. 1. Ser. sat. 3. Id est, si fecisses inopem. Horatius, Decies centena dedisses

Huic parco, paucis contento quinque diebus,

Nil erat in loculis. Id est, si dedisses. Plinius Iunior: Dedisses huic animo par corpus, fecisses quod optabat. Id est, si dedisses.

Illud magis poëticum. Vt Vergilius:

Tu quoque magnam

Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare haberes.

Id est, si sineret. Iuuenalis:

Græculus esuriens in cœlum, iusseris, ibit.

Id est, si iusseris. Adhuc diuersum huic est, quale est apud Ciceronem: Conchyliatis Cn. Pompei peristromatis seruorum in cellis stratos lectos uideres, id est, uidisses. Quintil. semper uidisses. ut ibi: Vidisses non quemadmodum tenues umbræ corpus accipere cogitationibus solent. Apud hunc sæpe est hic modus loquendi: Si perseuerassem, duos excæcauerã, pro excæcassem. Quale est illud Horatianũ secundo Carminũ, quod metri causa Priscianus dici putat:

Me truncus illapsus cerebro.

Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra leuasset

Apud illum quiddam penè contrarium, ut ibi: Dictatoris nomen quod sæpe iustum fuisset: pro, fuerat. Nam de imperfecto subiũctiui, quod solet poni pro imperfecto indicatiui in proximo libro iam dixi, cuius hoc exemplũ fuerat, Non quia amicus non esses. Cic. de Repub. lib. 6. Et quòd de uia fessus essem, & ad multam noctem uigilassem, pro fessus eram, et uigilaueram.

*Vbi nos: duos utimur actiuo, ubi passiuo.* Cap. XLIX.

OPortet legere libros, expedit euoluere autores, utile est cognoscere plurima, operæprecium est habere, quos imitemur, necesse est adhibere usum conducibile est descendere in certamen, & agitare cum alijs controuersias. Vel per passiuũ, oportet legi libros, euolui autores, cognosci plurima, haberi quos imitemur, adhiberi usum, agitari cum alijs controuersias. Hunc posteriorẽ modum magis ars grammatica probat, illum magis autoritas. Secus in præteritos nanque non ita sæpe legimus, fecisse hoc oportuit, ut factum hoc oportuit. Cic. in Verrẽ: Tamen id factũ non oportuit. Et in eundẽ: Apollinis signum ablatũ certe nõ oportuit. & alibi: Totam rem illi integrã seruatam oportuit. Non dissimile sanè est illud per alterũ uerbũ (de Volo loquor) ut idem: Liberis consultum uoluimus, etiã si posthumi futuri sint. Idem: Percurrã tamen breui, ut nõ minus hominẽ ipsum, quàm ius cõmune defensum uelitis. Quintil. An incidisse in sordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum uolebat, auxisse.

*Propositiones, rationesque interdum misceri.* Cap. L.

NAm ubi uinci necesse est, expedit cedere: siue plura sunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: siue unũ, mitior pœna solet irrogari uerecũdiæ. Miscuit hoc loco Quint. propositiones, rationesque, quũ sit usitatissimũ sic sic dicere: Siue plura sunt, de quibus quæritur, siue unum. Si enim plura, facilior erit in cæteris fides: sin unum, mitior pœna solet irrogari uerecundiæ. Atque iterum: Firmis autem iudicijs, iamque extra periculum positis, suaserim & antiquos legere (ex quibus si assumatur solida & uirilis ingenij uis, deterso rudis seculi

squalore

squalore, tum hic noster cultus clarius enitescet) & nouos, quibus et ipsis multa uirtus adest. Alius dixisset, suaserim & antiquos & nouos: antiquos quidē, &c. nouos uerò, &c. Cic. in Antonium: O te miserum, siue illa tibi nota nō sunt (nihil enim boni nosti) siue sunt, qui apud tales uiros tam imprudenter loquare.

*De usu uenusto uerbi Videor.* Cap. LI.

NOn uidetur tibi quòd bene faciam: & mihi non uidetur quòd bene loquaris. Sicut, uobis uidetur quòd male facimus, ita nobis uidetur quòd male facitis: uidetur tibi quòd ille bene scribat, & uidetur mihi quòd isti bene arent. Rusticanus hic sermo est & agrestis. Eruditi enim sic loquuntur: Nō uideor tibi bene facere: &, tu nō uideris mihi bene loqui. Sicut uobis uidemur male facere, nobis uos uidemini. Ille uidetū tibi bene scribere: &, isti mihi uidentū bene arare.

*De uulgari quodam usu, Mihi & Tibi.* Cap. LII.

HIc mihi gloriatur se omnes honores sine repulsa obtinuisse. Et alibi idē Cicero narrans Bruto rem in qua ille nō adfuerat, inquit: Ecce tibi Pōpeius noster. Illud mihi & tibi nō magis ad me uel ad te, quàm ad cæteros pertinet: sed est oratio sumpta de medio, qua uulgò utimur. Tu mihi semper dormis. Ille mihi assidue sedet. Quum super cœna essemus, ecce tibi ostium crepuit. Hic sermo neq; ad me, neq; ad te, neq; ad quenquam refertur. Ideóq; differens est ab illo figurato, quale est apud Vergilium:

Ne mihi tum molles libeat iacuisse per herbas. Et iterum:

Ne'ue tibi ad solem uergant uineta cadentem.

Hic præcipitur ad uniuersos sub prima & secunda persona, ibi non præcipitur, nec ad aliquem sermo est.

*Quando maiori tempore expresso, partem eius accipimus, & quando deest Post.* Cap. LIII.

SVperioribus diebus ueni in Cumanū. Et iterum: Qui his paucis diebus pontifex factus est. Et in futuro: Paucis diebus erā domesticos tabellarios missurus. & iterum: Triduo aut ad summū quatriduo periturum. Hæc Cicero & Salustius: Legati triduo nauim conscendêre. non est accipiendum per superiores dies, & per paucos dies, per triduum & quatriduum, sed intra superiores dies, intra paucos dies, intra triduum & quatriduum. Nam illud, quod aliqui dicunt tempus continuatum & solidum significari per accusatiuum, secus uerò per ablatiuum, plane falsum est. Cicero enim atq; Vergilius sæpius accusatiuo, & quidē indifferenter utuntur, posteriores uerò pleriq; ablatiuo. Aliquando in huiusmodi genere sermonis omittimus post: sic, Intra decē dies, quàm uenit, confecit omne negotiū. In paucis diebus, quàm Rhodū appulit, uxorē duxit, id est, postquàm uenit, postquàm appulit: quę exempla apud historicos sunt plurima.

*Vbi deceant, Nisi, Quàm & Præterquàm.* Cap. LIIII.

QVid est animal, nisi corpus cum anima concretum? recte & Latinè: quid est animal, quàm corpus cum anima concretum? non recte nec Latinè. Adde aliud, uel aliter, uel secus: & utroq; modo licebit dicere. Quid est aliud animal, quàm corpus: uel nisi corpus cum anima cōcretum? Cic. Quid est aliud gigantum more bellare cum dijs, nisi naturę repugnare? Idem faciet comparatiuum. Vt, quid est melius quàm gaudere, uel nisi gaudere? ut Quintilianus: Nihil est facilius, nisi totam causam omnino non agere. Præterquam, eandem aut propè parem uim obtinet quam nisi. Cuius exempla, ut facilia prætermittimus, unum illud admonentes, ubi est præter, ibi locum habere præterquàm, ad hunc modum: ut, nullius rei sum auarus præter laudem, uel præterquam laudis: nulli places præterquam mihi, uel præter me.

### De differentia inter Alter, & Alius.
Cap. LIX.

ALter de duobus dici, alius de multis, notum est omnibus, licet non omnes rectè utantur. Macrobius de Saturnalibus: Quũ igitur asseruerimus quatuor in corpore fieri digestiones, quarum altera pendet ex altera: dicendum erat, quarum alia pendet ex alia. Idem in alio opere de Naturalibus: Illæ uerò insolubiles causæ sunt, quæ mutuis inuicem nexibus uinciuntur, & alteram altera facit, ac uicissim de se nascuntur, nunquam naturalis societatis amplexibus separantur. Nam Ouidius de nouem picarum transformatione loquens, quanquàm eum excusare metri necessitas potest: tamen quòd singulæ singulas, ac certæ certas intuerentur, intellexit, quum inquit:

Alteraq; alterius rigido concrescere rostro. Ora uidet.

Suetonius de uita Caij: Nec cessauit ex eo alterum alter criminari, atque inter se omnes committere. Nescio an sic accipiendum sit, unum uni, & rursus hunc illi. Plin. lib. 11. cap. 30. inquit de formicis: Et quoniam ex diuerso cõuehunt altera alterius ignara. Quare dicamus aliquando sic loqui esse permissum. E diuerso nonnunquam de duobus dicimus alius & alius, nec dicere aliter possumus: ut, dubitatur uter excellat, Sallustius an Liuius, & alius alium præponit, non autem alter alterum. Ratio postulabat, ut diceremus, alius alterum. Nam alius ad plurimos refertur, qui de duobus iudicant: alter ad unum de duobus, de quibus iudicatur. Sed quia uidebatur inuenustũ sic loqui, maluerunt mutare alterũ in aliũ. Afferamus exemplum. Sallustius in Catilinario, de Cæsare, & de Catone loquens inquit: Genus, ætas, eloquentia, propè paria fuere, magnitudo quoq; animi & gloria, sed alia alij. Vel est ea ratio, quam dixi, uel hæc, quòd idem est alia alij, quod diuersa diuerso: ut, alia est facies mea, alia est facies tua, id est, diuersa. Propriè igitur alter refertur ad unum de duobus: ut, Annibal in transitu Apennini amisit alterum oculum: siue ad unam duarum partium, quod superius etiam significaui, ubi hoc Ciceronis exemplo usus sum. Duplices similitudines esse debent, unę rerum, alteræ uerborum. Et quale est Vergilij exemplum.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Aliquoties etiam accipitur alter, pro secundo ex duobus, pluribus'ue. Vt, unus, alter, tertius, quartus: unæ, alterę, tertiæ, quartę literæ. Et, hic est alter annus belli Punici: &, ego altero mense repudiaui uxorem: id est, secundus annus ab origine belli Punici, & secũdo mense à ductione uxoris. Aliquando pro ipsis duobus: ut, unus aut alter, id est, unus aut duo. Quod etiam in aduerbijs respondet semel, aut iterum, id est, semel, aut bis. Item semel, & iterum: Cic. in Bruto semel, & iterum in Philippicis. Dubitari tamen potest, quum dicitur: Iterum consul, an secunda uice, an bis consul intelligatur: quæ dubitatio in cæteris nõ erit. Tertiũ enim consul, & quartum consul, sic differt ab illo ter consul, & quater consul: quò in altero significatur tertia, & quarta uice, in altero tribus, & quatuor uicibus. Aliqui tamen dubitarent, an in hanc significationẽ uice & uices reperiatur.

### De Quisque, & Vterque, cum uerbo aut participio.
Cap. LX.

HIrundines uere ineunte redeunt, in suum pristinum unaquæq; nidũ immigrantes. Muta illud unaquæq;, sic: In suum pristinum nidum unaquæque immigrantes: aut sic, Vnaquæq; in pristinum nidum immigrantes: iam non erit Latinum. Item, offendi parentes suo utrunque morbo affectos: transfer illud utrunq;, ut modò ostendi, iam non erit elegans. Nam si ita mutemus, ille pluralis numerus immigrantes, & affectos referetur ad illum singularẽ unaquæq; & utrunq;, q̃d fieri nõ potest. At illo modo superiore secus: refert ẽm numerus plu-

ralis

ralis ad pluralem, sic: Hirundines uere ineunte redeunt immigrantes in nidos pristinos, unaquæque in suum, supple, immigrans. Offendi parentes morbis affectos, utrunque, supple, suo affectum morbo. Vergil. in XII.

Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter. Et paulò pòst:
Pro se quisque uiri summa nituntur opum ui.

In priore exemplo, si uersus pateretur, non decuisset dicere, quisque suum populatus iter, sed populati: nec in posteriore, pro se quisque uiri summa nituntur opū ui. Secus autem solet fieri, ubi abest suus aut se. Vt Quintil. Commendo tibi senem, quem nos filij alleuare debemus, cum uterque mendicum facientes: uel sic, quem nos uterque captiui mendicum fecimus, nisi more poëtico, ut apud Ouid.

Vtraque formosæ me iudice sunt ueneranda. Et apud Horat.
Legati magnis missi de rebus uterque.

Quod apud oratores non reperitur: sicut nec illud quidem: licet Aulus Gellius utatur, quale apud Terentium:

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.

Quod quidam exponunt pro eo, quod est, plerique omnium: quidam pro eo, quod est, omnes.

*De Tamen, & Sed, cum relatiuo.* Cap. LXI.

HOmo illiteratus est, cui tamen paucos in rerum gerendarum scientia anteponas, Latinum est. Homo illiteratus est, sed cui paucos in rerum agendarum scientia anteponas, etiam elegans est. Item in negatione, Homo quidē illiteratus est, quē tamen nō postponas multis, Latinū est, ut dixi. Elegans etiā sic: homo quidē illiteratus, sed quē multis non postponas. Ideo dixi elegans, quia subintelligitur talis, quod in alio non fit, ut sic: homo illiteratus, sed talis quē, et cętera. uel, sed is, pro talis: ideoque & hoc elegāter dicetur: Homo illiteratus, non tamen quem multis postponas, id est, non tamen is, quē multis postponas. Aliquādo nō subintelligitur talis, neque is: ut, hic ager est meus, sed cuius usu careo.

*De Id quod, cum alio antecedente.* Cap. LXII.

VIdeo te amatorem studiorum, quod me maximè iuuat: uel, quę res me maximè iuuat: uel, id quod me maxime iuuat: amator es studiorū. Itē, uideo te, quod me maximè iuuat: uel, quę res maxime iuuat: uel, id quod me maximè iuuat, amatorem studiorum: quę exempla sibi quisque conquirat.

*De Aliquis, Quisquam, Quispiam, & Vllus.* Cap. LXIII.

ALiquis, quisquam, quispiam, ullus idem significant, differuntque à quidam ut in alio opere (quod de dialectica propediē edemus) ostendetur. Vllus tamen quodammodo claudicat, nec ferè citra negationem, quasi citra baculum ingredi potest, nisi interrogatiue: ut, uocat me ullus? aut subiunctiuè: ut, si ullus me uocat. Nunquàm planè affirmatiue, sicut illa superiora.

*De eadem persona tanquam alia.* Cap. LXIIII.

ME occupato in administratione magistratus, nullum tempus seponere ad studendum poteram. Vel me occupato in administratione magistratus, nullum tempus mihi reliquum erat. Rarissime Latini sic locuti sunt, Græci frequenter, sed hoc modo potius: Occupatus in administratione magistratus, nullum tempus seponere ad studia poteram: uel, occupato in administratione magistratus, nullum mihi tempus ad studia reliquum erat. Dixi rarissimè, non tamen nunquàm: nam quidam sic locuti sunt, ut Horat. de Arte Poëtica.

Laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.

Quintus

Quintus Tullius ad Tyronem: Non potes effugere huius culpę pœnam te patrono, Marcus est adhibendus pro ipso patronus. Simile quiddã sapit, per, quale est apud M. Tulliũ. Quum & per meipsum egissem, & per Drusum sæpe tentassem. illud enim per, significare solet medium quendam, aliumq́ intercessorem. Nunc uerò quis queat medius esse inter se & alium? & tamen sic uulgò loquimur, per meipsum rogaui, per teipsum obtinuisti.

### *Auxilium do feroq́, Opem fero tantum.* Cap. LXV.

AVxilium do feroq́ dicimus. Opem do non dicimus, sed fero: unde opitulor, quod Tullianum uerbum esse Seneca autor est: quo tamen & Sallustius utitur & Plautus, & alij nonnulli.

### *De À, Ex, & De, cum alijs.* Cap. LXVI.

AVdiui à patre meo, & audiui ex patre meo, & audiui de patre meo, idem significare inueniet, qui bonos libros euoluet. Cicero tamen sic præcipuè locutus est. Similiter apud eundem: Quæsiui te ab ostio, ex ostio, de ostio. Vocaui te à uia, è uia, de uia: sed hoc ultimum apud eundem in alium quoque sensum accipitur, ut in Philip. Cumq́ de uia languerem, & mihimet displicerem. & de Republica: Et quòd de uia fessus essem, & quòd ad multam noctem uigilassem, & de Academicis: In Cumano nuper quum mecum Atticus noster esset, nuntiatũ est nobis à M. Varrone, uenisse eum Roma pridie uesperi, & nisi de uia fessus esset, continuò ad nos uenturum fuisse: quasi de labore uiæ. Hic enim uia significat iter, hoc est, actionẽ ambulandi: illic locũ, quo ambulamus.

### *De Solus & Vnus.* Cap. LXVII.

INter omnia adiectiua quæ non sunt superlatiua, duo ferè hęc, solus & unus, more superlatiuorum regunt genitiuum. Vt solus omnium non remittit sibi, ut incredibilior sit in parricidio cæcus, quàm fuit, quum uideret. Hæc Quintilianus. Et Plinius: Acipenser unus omnium squamis ad os uersis contra aquã nando meat. Similiter ablatiuum cum præpositione: nam ut dicimus maximus ex omnibus, & inter omnes maximus, ita unus & solus ex omnibus, uel inter omnes. Verum unus pro solus accipio, ideoq́ ferè cum illo adiectiuo omnis tantummodo coniungitur. Nam unus ex fortibus, unus ex populo, alterius significationis est. Cum substantiuo quoque iungitur, ut idem Plinius: Caluitiũ uni tantum animalium homini: sed quasi subintelligitur omnium. Lib. 9. cap. 17.

### *De In diem, In dies, In horam, In horas, Propediem, ac Propemodum.* Cap. LXVIII.

IN diem aliud multò est, quàm in dies. Illud plerunq́ cum hoc uerbo uiuit, iungitur. Vt Quintilianus: Non ut ferè uolucres præsentis modo cibi memores in diem uiuunt, duraturus hyeme reponitur uictus. Aliquando, sed raró cum alio iungitur uerbo, ut Sallustius: Panem in diem mercari: quasi dicat præsentis diei habere rationem, nihilq́ cogitare de crastino. In dies idem est quod quotidie, sed propriè cum quodam incremento: ideoq́ plerunque cum comparatiuo: ut, quũ in dies malum arctius premeret: Et: Quum in urbe infinitũ malũ serperet, idq́ manaret in dies latius: Etiam sine cõparatiuo, sed tamen per uerbũ significãs incrementũ, ut Liuius: Crescẽte in dies multitudine, quod nõ licet dicere, cõcurrente in dies multitudine, sed quotidie, aut in dies magis: quũ tamẽ liceat superiora excẽpla dicere per quotidie: quũ quotidie malũ arctius premeret, & quũ in urbe infinitũ malum serperet, idq́ manaret quotidie latius: & per singulos

gulos dies. Vt Cicero ad Atticum: Quotidie uel potius in dies singulos, breuiores ad te literas mitto, id est, non modo quotidie breuiores, sed etiam in dies. Nam hæ quotidianæ literę sunt breuiores his quas antea mittere solebam: quæ poterant esse omnes pari breuitate. Atqui hæ quas in dies singulos siue in dies mitto breuiores, tales sunt, ut hodiernæ sint breuiores hesternis, & crastinæ hodiernis, & perendinæ crastinis, & ita assiduè. Et pestilentia in dies fit maior, & quotidie fit maior. Sic possunt uideri hæc duo differre, quòd in hoc possunt hodie supra numerum hesternū decessisse quatuor, quum heri decesserint decem supra numerum eorum, qui decesserant nudiustertius. Non ita in illo ubi ultimus quisq; dies maxime increscit, ut si nudiustertius decesserint duodecim, heri quatuordecim, hodie necesse est decedant saltem decem & septem, cras saltem unus & uiginti, perendie saltem sex & uiginti. Eandem differentiam habent in horam, & in horas, quàm in diem, & in dies. Cic. in Philipp. Nec qui horā uiuunt, non modo de fortunis & bonis ciuium, sed ne de utilitate quidem sua cogitauerunt. Vergilius:

Gallo cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum uere nouo uiridis se subijcit alnus.

Si quis autem in dies & in horas, siue in dies singulos & in horas singulas, sine illa exacta ratione incrementi accipere uelit, non denegandum ipsi hoc puto. Propediem est quasi propè est dies, quando hoc fiet. Cic. Et præsens propediē (ut spero) & dum aberis absens loquar. Eodem modo quo dicimus propemodū, quasi propè mensurā: quod accipitur pro penè, siue propè: quū est aduerbiū.

*De Animaduerto. Cap. XLIX.*

ANimaduerto te, & animaduerto in te, differunt, cum intueor te, et intueor in te non differant. Animaduerto in te, est punio te: sed cum hac differentia, quòd punire est quorumcunq;, siue iure, siue iniuria: animaduertere est eius, qui in alterum habet potestatem ordine ac rite, id est, cum animaduersione puniendi. Sed hoc proprie refertur ad personas. Animaduerto puto, pro intueor personam & rem dicimus.

*Filius, Natus, Genitor, Vir, Pater, Mater, Genitrix, Parens. Cap. LXX.*

ORatores sæpius dicunt filius quàm natus, pater quàm genitor, mater & genitrix, parens pro utroq;: etiam sæpe homo potius quàm uir, quoties ita accipitur ille, de quo agimus, aut loquimur, quale est hoc: Illi deduxerunt hominem in palestram. Poëtæ potius è contrario. Historici mediā quandam uiā tenent, ut Sallustius: Eos mores atq; eam industriam uiri cognoui.

*De In primis. Cap. LXXI.*

IN primis potens, si de masculo loquaris, intelligitur inter primos: si de fœmina, inter primas: si de neutro, inter prima. Nam idem pollet in primis quod inter primos, uel inter primas, uel inter prima. At si defuerit adiectiuum, utique accipietur in neutro, quale est illud Vergilij:

In primis uenerare deos. Nisi sit tale, quale apud eundem:

In primis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemq; benignam.

In primis, non inter primas, aut inter prima accipiendum est, sed inter primos. Vna enim inter mares fœmina nominatur sine fœminis alijs, aut inter primos & inter primas.

*Hic non est cum illo comparandus. Cap. LXXII.*

HIc non est cum illo comparandus, melius de minore ad maiorem dicitur: ut, Vergilius cum Homero, Horatius cum Pindaro nō est comparandus, quàm è diuerso, sic: Hom. cum Vergil. Pind. cum Horat. non est cōparandus. E diuerso tamen nonnunquam reperitur.

*Intercedo.* Cap LXXIII.

INtercedit mihi tecum amicitia, Intercedit tibi cum illo affinitas, Intercedit tibi mecum necessitudo, hoc est, amicitia, affinitas, necessitudo inter nos est media quædam, quę nos conciliat. Tribuni intercesserunt, Scipio intercessit, Cato intercessit, hoc est, in medium se uerbis, aut ui opposuit.

*Amare inuicem, mutuo, pariter, & inter se.* Cap. LXXIIII.

AMamus nos inuicem, amatis uos mutuò, amant se pariter. Quū uerò adhibemus præpositionem, inter, tollitur accusatiuus, qui regitur à uerbo, ne turpe foret, si replicaretur, sic: Amamus inter nos: nō autem, amamus nos inter nos, amatis inter uos, amant inter se: non autē, amatis uos inter uos, amant se inter se. Cic. ad fratrem: Pueri ualde inter se amant. Et de Amicitia: Neq; solum inter se diligent, & colent, sed etiā uerebuntur. Terent. in Adelph. Video eos sapere, intelligere, in loco uereri, inter se amare. Idē & in eadē: Quasi nō norimus inter nos. Bene habeo, bene habes, id est, bene ualeo, bene uales. In tertia autem persona etiam sine supposito: Bene habet, id est, bene se res habet, quod exemplum ubiq; frequens est.

*De Facio Ago, Frango, & Accipio.* Cap. LXXV.

FAcio te certiorem, non certū. Nam Verg. Anchisen facio certū, ideo dixit, quòd syllaba breuis inter lōgas nō potest collocari in uersu Heroico. Prosa oratione scribentes, semper certiorem dixerunt. Et semper facio, nunquàm ago certiorem. Facio tibi gratum, nunquam ago tibi gratum. Facio ludos, facio rem diuinam, facio sacrificiū, facio solennitatem, nunquam ago: & multa huiusmodi. Item, feci iacturam, feci damnum, feci naufragium: uix unquam, passus sum iacturā, damnum, naufragiū. Cic. Magna in repub. facta iactura est. Idem: Damnum enim illius immaturo interitu res Romanę, Latinæq; literę fecerunt. Quintil. in portu naufragium fecimus: & in cæteris quibusdam. Feci tamen fugā, quòd ego fugi alterū, non quòd alter me. Feci timorē, nō quòd ego timui alterū, sed quòd alter me. Item, feci iter, nō egi iter. Aliquando etiā feci uiam, feci copiam tibi rerum mearum: nunquā egi, aut dedi, aut præstiti copiā. Feci potestatem tibi uendendi meas res domesticas, non autem dedi. Feci lucrum, nō autem acquisiui lucrum. Honore dicto, urinam fecit, stercus fecit, non autē emisit. Simile huic est quod dicimus, fregit nauim, fregit brachiū, quasi ipse fregerit, id est, ipse egerit, nō potius passus sit. Terent. Is fregit nauim apud Andrū. Cic. lib. 2. de Orat. Gregalesq; eum cū in campū non uenisset, requirerēt, excusauit Vespa Terent. quòd eum brachiū fregisse diceret: alius dixisset, quòd ei brachium fractū esset. Ita etiā accepi molestiā, accepi cladem, accepi cōtumeliā, accepi uulnus, accepi iniuriā, accepi dedecus, accepi ignominiā: uix autem passus. De quo uerbo cōmodius alio loco dicam: accepi etiam uoluptatem, gaudium, lætitiam.

*De Conuenit.* Cap. LXXVI.

COnuenit hoc mihi, aut cōuenit hoc nobis, id est, decens est, & cōueniens. Conuenit hoc inter nos, id est, constat & cōtrouersia caret. Conuenit mihi hoc tecum, id est, sine controuersia est inter nos quod ego dixi. Conuenit tibi mecum, id est, sine controuersia est inter nos quod tu dixisti. Nonnunquam sine supposito: ut, conuenit inter nos. Nonnunquam sine apposito, sed tamen subintellecto: ut, hoc conuenit. Nonnunquam sine utroq;: ut, conuenit.

*De Obuio tibi, Obuius tibi fio, Obuius sum tibi, & similibus.*

Cap. LXXVII.

OBuio tibi, obuius tibi fio, obuius sum tibi, obuium me tibi fero, obuiū me tibi fortuna obtulit. Cic. Fit ei Clodius obuius. Vergil.

Cui mater media sese tulit obuia sylua.

Domitius Afer apud Quintil. Forte uos in ea solitudine obuios casus miserae mulieri obtulit. Obuiam quoque per eadem, & alia plura uerba uariantur, ut, obuiam processi, obuiam iui, & alia multa.

*De uerbis ad finitionem pertinentibus.* Cap. LXXVIII.

EPicurus omnia terminat uoluptate. Zeno cuncta finit honestate. Hiero uniuersa definit, determinatque indolentia corporis. Carneades singula metitur naturę bonis. Aristippus nihil nō ad cōmodum suū refert. Pyrrhon nihil reliquit, quod non reuocet ad scientiam. Ille summū bonum in gula constituit, ego bonum ipsum pono in dilectione dei. Tuus finis ad quem tendis, tibi ipsi ignotus est. Tot igitur uerbis unam eandemque rem declaramus: quę exempla passim inquirentibus sese offerent.

*De uerbis ad coniecturam pertinentibus.* Cap. LXXIX.

COniecto, coniecturo, coniecturam facio, coniecturā capio, cōiectura consequor, cōiectura colligo, cōiectura ducor, pro eodē accipiuntur, aut parum differunt: quia efficacius quiddā est in cōiectura consequor, & coniectura colligo, quàm in cæteris, quorum exempla adducere longum esset.

*De uerbis ad notitiam pertinentibus.* Cap. LXXX.

NOn me fallit, non me præterit, non me fugit, non me capit, idem significare quod non ignoro, Quintilianus autem autor est.

*De uerbis ad spem pertinentibus.* Cap. LXXXI.

CApio spem de te, concipio de illo spem, ducor in spem huius negotij, uocor in spem, ingredior in spem: non tantum spei firmitatem significant, quantum, colloco in te spē, & repono in te spē. Cic. In quo maiores natu spem suę dignitatis collocarant. Quintil. In quo spem unicā senectutis reponebam.

*De uerbis ad recordationem pertinentibus.* Cap. LXXXII.

IN mentem uenit mihi, occurrit mihi, succurrit mihi, subit mihi, pro eodē accipi solent. Sed hoc ultimū frequenter quoque ad miserationē. Quintil. Nobis uerò natura aduersus exanimes ingenuit non solum miserationē (quę cogitationi nostrę subit) sed etiā religionem. Vbi non ita decuisset, succurrit, occurrit, in mente uenit. Verg. Subijt chari genitoris imago, Subijt deserta Creusa. Vbi nequaquā decuisset, in mentē uenit mihi de charo genitore, & de Creusa deserta. Iungitur etiā hoc uerbū cū accusatiuo, ut Curtius: Sera pœnitētia subijt regē.

*De uerbis ad uisionem pertinentibus.* Cap. LXXXIII.

VIdeas, uidere licet, licet cernere, apud quosdam etiam cernere est, pro eodem accipiuntur. Vt, itaque uideas iustos iniustis rebus maxime dolere, imbecillibus fortes, moderatos immodestis. Licet uidere nōnullos tāta stultitia, ut uix differant à natura brutorum. Licet ora ipsa cernere iratorum, ut imitentur. Ciceronis hæc exempla sunt.

*De Parenthesi, per Quis & Is* Cap. LXXXIIII.

SI potuisset redimere oculos matris (qua pietate fuit) uicarios suos dedisset, id est, tanta pietate in matrē fuit. Idem Quintil. Hoc si scisses pater, affirmo, omitto (cuius pietatis es) nemo te antecessisset. Et alibi: Quę pietas tua est. Tribus enī modis utimur pro relatiuū, totidē per pronomen is. Primo modo sic, ea pietas tua est. Secūdo sic, eius pietatis es, sed hoc rarius. Tertio sic, ea pietate es. Ea pro tanta accipitur. Ideoque & ipso tanta uti licet eodē modo, quo ea pronomine. Habet autem aliquid plus talis oratio, quàm si dicas, pro tua pietate.

*De uerbis ad finem operis pertinentibus,* Cap. LXXXV.

HAbes quæ sentiam Brute de ratione dicendi. Hæc habui de amicitia quæ dicerē. Hęc sunt quæ putaui dicenda hoc tempore. Sunt uerba Ciceronis ad extremū materię à se tractatę, quibus & cæteri autores uti solent. Vt Quintil.

Habe

Habes Marcelle Victori quibus præcepta dicendi adiuuari per nos posse uidebantur. Et iterum: Nihil habui amplius, quod in uniuersum præciperem. Et iterum: Hæ ferè sunt emendatè loquendi, scribendiq́ partes.

*De nominibus quibusdam in io.* *Cap.* LXXXVI.

VEni in opinionem, actiuè accipitur, quod talem opinionē habeo, aliquando etiam passiue, quum opinio significat famam, opinio inquam, quæ de me habetur ab alijs, non quam ipse habeo de aliquo. Sicut existimatio est opinio atq; sententia, quum accipitur actiue: ut, existimatio mea, id est, ita existimo. Aliquando passiue: ut, homo magnę existimationis, id est, famę & nominis, quòd eum homines magni existimant: ita homo magnę opinionis, ut Quintil. Quod accidisse etiam Portio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur: ut cum ei summā in scholis opinionem obtinenti causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in Basilicam transferrentur. Cic. Sermonibus familiarium peruenimus etiam nos in opinionem. Venio in suspicionē semper passiue, ut idem: Quòd si falsò P. Sextio uenisses in suspicionem, id est, in suspicionem tui, non tuam. Veni in obliuionem semper etiam passiue, ut idem: Vt si fuerint excellentes uiri, certe iam uenerint in obliuionē, id est, quòd cæteri de illis obliti sunt, non quòd illi de alijs, aut de se. Similiter, uenio in uituperationē. Idem quarto Verrinarum: Vt propter eum in sermonem hominū atq; in tantā uituperationem ueniret. Offensio etiam propè semper passiue accipitur. Ideoq́ idem non Clodij offensiones dixit, sed offensas, suas uerò offensiones. Et alibi: In ægro corpore odiosa est omnis offensio: id est, molesta omnis passio. Vectatio quoq; huic simile est, cuius rei causa est, quòd uector quum deberet significare id quod uehit, ut nauis, equus, uehiculum, significat potius id quod uehitur, qui est homo. Cic. Etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus à minoribus uectoribus admoneri solent. Quintil. Sic in nauim filij mei male permutatus uector imponor. Non tamen uectorē accipias pro nauta. Hinc est quòd inuenimus nonnunquam dictum nautas & uectores. Sunt enim uectores, qui pretio aliena naui uehuntur. Idem Quintil. Cur in frenatis equis uector insidet? Nonnunquam pro eo qui uehit, ut Seneca in Hercule insano:

Tyriæ per undas uector Europę nitet. Idem in Hippolyto:

Pro sua uector timidus rapina.

Quum de eodem tauro, eademq́ Europa loqueretur. Nam cætera ferè quæ à supinis ueniunt, tam actiue, quàm passiue accipi solent: ut accusatio Marci Tullij, actiue: accusatio Verris, passiue: donatio mariti, actiue: donatio uerò bonorum, passiue: & cætera.

*De Bene & Male, cum uerbis.* *Cap.* LXXXII.

MAle iudico, male censeo, male pronuncio, male opinor, male sentio, male existimo, hoc male ad meipsum refertur, erroremq́ meū declarat. Male cogito, ad alterum refertur, significatq́ perniciem, non errorem, ut Cic. Carthaginem diu male cogitantem, non prius timere desinam, quàm excisam cognouero: male cogitantem, uidelicet mala in alterum perniciemq́ cogitantem, non autem seipsam fallentem: Item male dico tibi, male opto, male precor tibi, male imprecor. His nōnihil similia sunt, male de te sentio, male tu de me existimas, male de illo iudicamus. Non error hic sentientis, existimantis, iudicantisq́ innuitur, sed uitium de quo iudicamus, existimamus, sentimus. Male quoque audio, id est, infamor crimina mea audiens, cuius contrarium est, male dico. Sallustius in Ciceronem: Respondebo tibi, ut si quam male dicendo uoluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Bene quoq; maxima ex parte huic simile est: ut, de te bene sentio, bene tibi precor, bene de te mereor.

*De Loco patris, & in locum patris, & similibus.*

*Cap.* LXXVIII.

LOco patris, loco fratris, loco filij te habeo, non ita accipitur, quòd ubi illi antea erãt, ibi tu nũc apud me sis, sed quòd in ea charitate qua illi, aut fuerũt, aut sunt, aut essent, aut esse debẽt, ut Chrysis Pãphilo apud Terẽt. loquitur: Si te in germani fratris dilexi loco. Cic. in Verrem: In parentum loco quæstoribus suis prętores esse oportere. Illa autem sententia in locum potius, quàm in loco requirit tale aliquod uerbum, quale est apud Quintil. Nam quomodo pugnã ineuntibus tot simul metus laborum, dolorũ, postremò mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas, & fortitudo, & honesti præsens imago successerint? Et alibi: Non perdidit filium, quisquis occidit: explicat à dolore patrem, quòd sibi uidetur fecisse rem maximã, et iuuenis in locum amissi substituit de uanitate solatiũ. Ergo ita dicitur, ubi aliud erat, aliud successit, quę diuersa à superiori sentẽtia est. Loco uoluptatis mihi est, loco turpitudinis, loco honoris, id est uoluptuosum, turpe honorificum. Illud autẽ hac in parte cõpetit, ut dicamus, non recordari me an usquã repererim genus illud sermonis, quo Ecclesiastici passim utũtur. Ego habeo te in patrẽ, tu es mihi in filiũ, accipio te in fratrẽ. Dicũt enim ueteres, habeo te loco patris, tu es mihi loco filij, accipio te loco fratris: uel, habeo te pro patre, tu es mihi pro filio, accipio te pro fratre, & nõnullis alijs modis. Atq; hic uidetur aliquid nõ utiq; tale esse, sed perinde esse, ac si tale foret. Ideoq; expositiones nostrę locũ habent, ubi tale aliquid non est, ut dixi, sed pro tali habetur, ut in illo: Ex illa hora accepit eam discipulus in suã: quod liceret dicere, accepit eam loco matris, uel pro matre, siue pro sua: non autem ita in illo, quod pro uero accipi debet: Ego ero illi in patrẽ, & ipse erit mihi in filiũ. Licuisset ergo dicere, id est, dixissent ueteres, ego ero illi pater, ipse erit mihi filius: sed more Græcorum, unde hæc sumpta sunt, nostris ecclesiasticis ita loqui placuit. Iidẽ ueteres qui illo modo locuti nõ sunt, sic tamen loquebantur: reuertor in patrẽ tibi, redij in amicum: sed hic uerbũ est significans motum. Quintil. Et post exitum amici reuertor in patrem. Qu. Curtius tamen lib. 5. Igitur rex, arci Babylonię Agaticen in præsidem esse iussit.

*In Andria act. 1. Scena 1.*

*De uerbis ad autoritatem pertinentibus.* *Cap.* LXXXIX.

MOre maiorum comparatũ est, legibus ita comparatũ est, legibus ita constitutũ est, ita natura comparatũ est, ita natura constitutum est, ita natura præscriptum. Hoc nobis ipsa natura præscribit, nobis natura datum est, ut periclitantes alleuemus. Hoc ratio ipsa præscribit, ita uidetur ratio dictare.

*De nihil ad te, & Quid ad te.* *Cap.* XC.

ADdidit etiam illud: equites nõ optimos misisse credo Cæsar, nihil ad tuũ equitatum, id est, nihil ad comparationem tui equitatus. Idem Cic. Persium non curo legere: hic enim fuit, ut noramus, omnium ferè nostrorum hominum doctissimus. Lælium Decimum uolo, quem cognouimus uirum bonum, & non illiteratum, sed nihil ad Persium, id est, nihil ad Persij comparationem. Quale est quum subintelligitur pertinet, ut, hoc quid ad te? hoc nihil ad te, supple pertinet: uel potius parum est, ut sit in comparatione Persij, parũ doctus, & in comparatione tui equitatus sint parum boni equites. Terentius: in Eunucho, Est'ne, ut fertur, formæ? sanè: at nihil ad nostram hanc: non planè nihil, sed parum potius accipiendum est.

*Lib. 2. de Orat.*

*De Communione gerundij & nominis.* *Cap.* XCI.

INter agendum, inter actionem, in agendo, inter cœnandũ, inter cœnam, in cœna, super cœnam, inter consulendum siue consultandum, inter consilia, siue consultationes, in consulendo, siue consultando.

Et appellant

*Et appellant te homines sapientem.* Cap. XCII.

ET appellant te homines sapientem,& existimant te malum esse,& dicunt, & sentiunt: illum & putant probum, & loquuntur: hi & habentur mali, & appellantur. Diligentia honores & gignit, & continet. Studio literæ & parantur, & conseruantur.

*De Memoria & memoriter, cum alijs uerbis.* Cap. XCIII.

MEmoria teneo,non memoriter:pronuntio memoriter,nõ memoria. Cic. Memoria teneo bello Marsico cum Quintõ octauio.Idẽ: Quintus Mutius Augur Scæuola multa narrare de C. Lælio socero suo memoriter & iucunde solebat. Complector tamẽ memoria & memoriter. Repeto memoria & memoriter. Quintil. Si longior complectenda memoria fuerit oratio,proderit per partes ediscere. Complectabatur memoriter,diuidebat acute. Quintil. Memoria repeto cõuictos à me,qui reprehẽdere erãt ausi,quòd hoc uerbo pepigi usus essem. Terẽt. An cognoscit signas ac memoriter. Aliud tamen est ille ablatiuus quã illud aduerbiũ. Memoria enim quid significat,apparet. Memoriter uerò est, quod literatores nostri imperiti dicunt,corde tenus,mente tenus. Apud Pliniũ tamen ad Romanum lego: Tu facilimè iudicabis, qui tam memoriter tenes, ut cum hac conferre possis. si recte sic scriptum est,recte sic dici iudicabo.

*De Facio tibi iniuriam: & : Afficio te iniuria* Cap. XCIIII.

FAcio tibi iniuriam:&,facio tibi contumeliam. Afficio te iniuria: &, afficio te contumelia. Facio tibi molestiam non ita libenter dixerim: ut, afficio te molestia.

*De uerbo Impono.* Cap. XCV.

IMpono tibi hoc oneris,notũ est quid significet. Impono tibi,idẽ quod decipio te. Quintil. Quid quod hoc ipsum tam placide,tam quiete facit, quasi captet imponere? Et alibi: Fefellit te ingenitus honestis animis glorię amor, spes tibi perpetuę laudis imposuit. Vnde impostores dicunt,qui alios uerbis magna pollicentibus,incantationibusq; seducũt,ac decipiũt. Paulus:Itẽ aleatores et uinarios nõ contineri edicto,quoldã respondisse Pompon. ait: quemadmodũ nec gulosos,nec impostores,aut mendaces,aut litigiosos. Vlp. Non tamẽ si incantauit,si imprecatus est,si (ut uulgari uerbo impostoris utar) exorcizauit,nõ sunt ista medicinę genera,tametsi sint qui hos sibi profuisse cũ prędicatione affirmẽt.

*De uerbo Spectat.* Cap. XCVI.

AD me spectat,id est,ad me pertinet. Ad mortem spectat,id est,ad mortem quasi respiciendo tendit. Cicero Officiorum lib. 3. Ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patrię salutẽ anteponet saluti patris. Quintil. in Paupere amatore: Et quod ad pessimum spectat euentum, miserabilis sis oportet, ut amator esse uidearis.

Tertij libri finis.

# LAVRENTII VALLENSIS IN QVARTVM LIBRVM ELEGANTIARVM Præfatio.

SCIO ego nonnullos,eorum præsertim qui sibi sanctiores & religiosiores uidentur,ausuros meum institutũ hoc, laboremq; reprehẽdere,ut dignũ Christiano homine, ubi adhortor cæteros ad librorũ seculariũ lectionẽ,quorũ,quòd studiosior esset Hieronymus,cæsum se flagellis ad tribunal dei fuisse cõfitetur, accusatũq; quòd Ciceronianus foret, nõ Christianus, quasi non

possetfidelis esse et idē Tullianus. Eóq; spopondisse, & id diris execrationibus, libros seculares postea se nō esse lecturū. Hoc crimen nō magis ad presens opus pertinet, quàm ad meipsum, ac cæteros literatos, quorū studiū, ac doctrina literarū seculariū reprehenditur. Respondeamus igitur istorū accusationi, eósq; uicissim & quidē in prætentū quoq; accusemus, quorū culpa nō ex minima parte Latinę literæ iacturā naufragiumq́; fecerūt. Quid? ais tu nō esse legendos (autore Hieronymo) seculares libros? Qui sunt isti quæso libri? omnes'ne oratores, omnes historici, omnes poëtę, omnes philosophi, omnes iuriscōsulti, cæteriq́; scriptores? an unus Cic. Si illos dicis, ut debes dicere, cur nō cæterarū quoq; literarū studiosi abs te reprehendūtur, cū quibus me aut damnare debes, aut absoluere? Sin ita nō sentis, & solum Cic. reum facis, uide ne stultum Hieronymū uideri uelis, qui neminē secularium promisit lecturū, quum de Cicer. tantū promittere deberet. At nō quid ille promiserit, inquis, est intuendū, sed quid accusatus sit. Fuit autē accusatus, quòd esset Ciceronianus. Ita'ne? missum ergo faciamus Ciceronē, relinquamus, abijciamus. Quid de alijs autorib. senties? Quid de tot disciplinis? certe omnes seculares sunt, atq; adeò gentiles, id est, nō à Christianis, nec de Christiana religione cōscriptę. Si legendas ais, tibiipsi repugnabis, qui mihi harū obijcis lectionē. Si negas, etiā atq; etiam cōsidera, ne seculariū disciplinarū familię in te impetū faciant, teq́; omnes (nemine auxiliū ferente) discerpant. Minime, inquis, ita est. Sed quū Hieronymus quòd Ciceronianus est, reprehenditur, id reprehenditur, quòd studiosus eloquentiæ esset. Ideóq; damnati & repulsi intelliguntur, qui cōparandę eloquentię gratia lectitantur. Iam uideo times inuidiā, sed serò times, & in eodē hæsitas luto, si tantū eloquentes excludis. Cur modo in uniuersum mihi uetabas (ut sæpe facere soles) legēdos seculariū libros? at postea accusationē temperasti, & de eloquentibus duntaxat intelligis. Ita sit: Errauens sanè, do ueniā imperitię, parco cupiditati feriēdi, licet lacessitus. Cur tamen ab Hieronymo dissides, qui seculares nō autem eloquentes, se nolle tangere promisit? Cur tu neq; cum iudice illo unum Ciceronem intelligis, neq; cum Hieronymo uniuersos seculares? Quid sibi uult ista anceps uacillansq́; sententia? quanquàm (dij boni) nihil'ne in illis libris, nisi eloquentia est? non memoria temporum, gentiumq́; historię, sine quibus nemo non puer est? non multa ad mores pertinentia? non omniū disciplinarum tractatio? Nunquid hæc omnia negligā, ne fortè dum talia discere uolo, eloquentiam discam, & uenenum bibam hoc uino dilutum, malimq́; aquam & quidem cœnosam potare, quàm cum hoc timore Falerna dulcissima? Porrò quinam sunt isti libri, in quibus uenena eloquentiæ occultantur? Certe nullos ego scio non eloquentes, nisi tuos tuorumq́; similiū, quibus nec robur ullum adest, nec splendor: contráq; cæterorum opera pro sua unumquodq; portione mirā quandam prę se ferunt bene dicendi elegantiā. Ita aut eloquentes, aut nulli libri legendi erunt. An ex his duobus, de quibus Hieronymus meminit, aut ille Græcus infacūdus fuit aut noster Latinus ulli duntaxat Latinorū in philosophia secūdus? quorū uterque nescias præstātior sit philosophus an orator. Quòd si omnes libri ueterū ita sunt eloquentes, ut uel plurimū sapientię, ita tradentes sapientiā, ut uel plurimū eloquentię habeant: quinā isti erūt, quos ob eloquentiā damnandos putemus? Atq; quum eos duos lectitasse se Hieronymus fateatur, uide ne non tam de Oratorijs Ciceronis operibus, quàm de philosophicis dictū existimare debeas. Ego certe de philosophicis dictum accipio, ubi soli philosophi nominantur, quodq́; Platonicus esset, non ideo nō obiectum, quasi sanctè faceret Platonem legens, sed tantum Ciceronianus, quòd homo Latinus magis Ciceronis stylum cupiebat exprimere, stylum inquā, quali ille utebatur in quæstionibus philosophiæ,

non quali

non quasi in forensibus causis, concionibus'ue aut in senatu. Non enim orator causarum ciuilium Hieronymus, sed scriptor sanctarum disputationũ studebat euadere. Cur non ergo credamus, non minus Platonem nocuisse ei quàm Ciceronẽ? cur non magis philosophos, quàm oratores? At ornatus ipse dicendi reprehensus est, nõ scientia. Si ita est, omnes ad unum reprehenduntur: quis enim caret ornatu? in quo tu intolerabili calumnia uteris, quum non sit facta mentio de ornatu in illa accusatione, sed quòd tantũ Ciceronianus esset. Nunquid tantum in Cicerone ornatus? non'ne & philosophia? non cæterę artes? non (ut dixi) in Platone facundia? nõ in cęteris? cur nõ omnes pariter exterminamus? cur nõ potius Ciceronis philosophia nocuisse putãda Hieronymo est, quàm ars dicendi? Nolo hoc in loco comparationẽ facere inter philosophiam & eloquentiã, utra magis obesse possit, de quo multi dixerunt, ostendentes philosophiam cum religione Christiana uix cohærere, omnesq́ hæreses ex philosophiæ fontibus profluxisse. Rhetoricam uerò nihil habere nisi laudabile, ut inuenias, ut disponas, quasi ossa & neruos orationi des, ut ornes, hoc est, ut carnẽ coloremq́ inducas: postremò ut memorię mandes, decẽterq́ pronunties, hoc est, ut illi spiritum actionemq́ tribuas. Hæc ego cuiquam nocere posse credam? nisi ei qui cætera negligat, & præsertim uerã sapientiam atq́ uirtutes, quod Hieronymus non faciebat. Hanc ego artem obfuturam putem? profecto non magis quàm pingendi, fingendi, cælandi, & (ut de liberalibus dicam) quàm musices artem. Et si ex his qui bene canunt, bene pingunt, bene fingũt, cæterisq́ artibus multum usus atque ornamenti diuinis accedit rebus, ut propè ad hanc rem natæ esse uideantur: profecto multò plus accedet ex eloquentibus. Quare nõ fuit illa accusatio quòd Ciceronianus esset Hieronymus: sed quòd nõ Christianus, qualem se falsò esse prędicauerat, quum literas sacras despiceret: nõ studiũ huius artis, sed nimiũ studium, siue huius artis, siue alterius, ita ut locus melioribus non relinquatur, reprehensus. Nõ cæteri, sed solus Hieronymus accusatus est: alioqui cæteri simili castigatione correpti fuissent. Neq́ enim una omnibus medicina conuenit, & alios aliud decet. Neq́ semper & ubiq́ idem aut permittitur, aut uetatur: neq́ ille hoc alijs uetare ausus est, ne facerent: contraq́ plurimos laudauit tum superiorum, tum suorum temporũ eloquentes. Verum quid multis agimus? Quid Hieronymo ipso eloquentius? quid magis oratoriũ? quid (licet ille sæpe dissimulare uelit) bene dicendi solicitius, studiosius, obseruantius? Quid, quod ne dissimulabat quidem (nam obijciente sibi hoc somniũ Ruffino, hominem deridet) planeq́ fatetur se lectitare opera gentilium, & lectitare debere? Idq́ cum in alijs multis locis (quanquàm etiã sine cõfessione palàm est) tum uerò epistola illa ad magnum Oratorem. I nunc & uerere, ne aliena accusatio tibi obsit, quum illi non obfuerit sua: & non audeas facere, quod ille rescissa pactione facere non timuit: tametsi nõ desunt, qui credant eum puerili ætate illa percepisse, semperq́ postea memoria tenuisse. O ridiculos homines, & omnis doctrinę imperitos, qui opinentur eum tantã rerum copiã ac scientiã, qua nulli Christianorum cedit, aut tam cito potuisse discere, aut tandiu nõ potuisse dediscere, quum & rarissimi reperiantur, qui centesimam partẽ scientię illius assequi possint, & non minore labore (ut antiquitus dictũ est) hęc facultas retineatur quàm paretur: & tamen quantulum interest inter furari, & furtum non reddere? Quid prodest alijs furtum prohibere, ne furentur, si tu furto tuo palàm potiris? Si non debemus discere eloquentiam, nec uti certe, si didicimus. Quid quòd libros gentilium sæpe in testimonium assumit? quos si non licet legere, minus profecto legendos exhibere: & si nos dehortaretur à lectione gentilium (quod non facit) magis intuendum putarem, quid ipse ageret, quàm quid agendum alijs diceret:

 ueruntamen

ueruntamen semper ipse idem dixit & fecit. Nam postquàm tenerã illam ætatẽ saluberrimo sacrarum scripturarum alimento pauit, ac in ea quam despectam habuerat scientia sibi uires fecit, iamq́ extra periculum positus, ad lectionẽ gentiliũ redit, siue ut illinc eloquentiã mutuaretur, siue ut illorũ bene dicta probans, male dicta reprehẽderet: quod cæteri omnes Latini Græciq́ fecerunt, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Lactantius, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, alijq́ plurimi, qui in omni ętate pretiosas illas diuini eloquij gemmas, auro argentoq́ eloquentię uestierunt. Neq́ alterã propter alteram scientiam reliquerunt. Ac mea quidem sententia, si quis ad scribendũ in theologia accedat, parui refert an aliquam aliam facultatẽ afferat an non: nihil enim fere cætera conferunt. At qui ignarus eloquentię est, hunc indignũ prorsus qui de theologia loquatur, existimo. Et certe soli eloquentes, quales ij quos enumeraui columnę ecclesiæ sunt, etiã ut ab apostolis usq́ repetas, inter quos mihi Paulus nulla alia re eminere, q̃ eloquẽtia uidetur. Vides igitur ut in contrarium res ipsa recidit. Non modo nõ reprehendendũ est studere eloquentię, uerumetiã reprehendendum, nõ studere. Et ego sic ago, tanquam eloquentię contra calumniantes patrociniũ præstem, quod est maius proposito meo. Non enim de hac, sed de elegantia linguæ Latinę scribimus, ex qua tamen gradus fit ad ipsam eloquentiam. Verum si quis eloquens non sit, ita demum non erit castigandus, si talis non potuit euadere, non si hunc laborem effugit. Qui uerò eleganter loqui nescit, & cogitationes suas literis mandat, in theologia præsertim, impudentissimus est, & si id consultò facere se ait, insanissimus: quanquàm nemo est qui nolit elegantes & facunde dicere: quod quũ ipsis nõ contingit, uideri uolunt (ut sunt peruersi) nolle, aut certe non debere sic dicere. Ideoq́ aiunt gentiles hoc modo locutos esse, non decere eodem loqui Christianos, quasi illi quos nominaui more istorum locuti sint, & non more Ciceronis, cæterorumq́ gentiliũ, qui qualiter loquantur nec cognitũ isti, nec expertum habent: non lingua gentiliũ, non grammatica, nõ rhetorica, non dialectica, cæteræq́ artes damnandę sunt (siquidem apostoli lingua Gręca scripserunt) sed dogmata, sed religiones, sed falsæ opiniones de actione uirtutũ, per quas in cœlũ scandimus. Cæteræ autem scientiæ atq́ artes in medio sunt positę, quibus & bene uti possis & male. Quapropter conemur obsecro eò peruenire, aut saltem proximè quò luminaria illa nostrę religionis peruenerũt. Vides quàm mirabili ornamento uestes Aaron distinguantur, quàm arca fœderis, quàm templum Salomonis, per hoc mihi significari eloquentia uidetur, quæ (ut ait nobilis tragicus) regina rerum est, & perfecta sapientia. Itaque alij ornant domos priuatas, hi sunt qui studẽt iuri ciuili, canonico, medicinę, philosophiæ, nihil ad rem diuinã conferentes. Nos ornemus domũ dei, ut in eam ingredientes nõ ex situ ad contemptũ, sed ex maiestate loci ad religionẽ concitentur. Non possum me continere, quo minus, quod sentio, dicam. Veteres illi theologi uidentur mihi uelut apes quædam in longinqua etiam pascua uolitantes, dulcissima mella, cerasq́ miro artificio cõdidisse. Recentes uerò formicis similimi, quæ ex proximo sublata furto grana, in latibulis suis abscõdunt. At ego (quod ad me attinet) nõ modo malim apes quàm formica esse, sed etiam sub rege apũ militare, quàm formicarum exercitũ ducere. Quę probatum iri bonę mentis iuuenibus (nam senes desperandi sunt) confidimus. Nunc ad inceptum redeo. Quanquàm ea quę sequuntur, à superioribus nonnihil differant. Tractabimus enim de uerborum significatione, neque de omnibus uocabulis, sed quasi gustum quendam, & eorum maxime quæ ab alijs tractata non sunt: nam de omnibus dicere propè infinitum est.

*De Libertinis & Libertis. Cap. I.*

LIbertinus & libertus sola elegãtiæ gratia habent differentiã, quam nec grammatici nec iurisperiti (quod maxime pudendũ est) sciunt, quam ne eorum quidem aliquem, qui his temporibus merita bene scribendi laude celebrantur, inueni scientem: quod uideri cõtumeliose dictum, sed necessariò potius atque honeste. Vereor enim ne per facilitatem, qua semper candide quęcunq; studio inuestigassem, cum amicis communicaui, amici ipsi (si modo tales amici dicendi sunt) laudem mihi præripiant: quod crimen longe à me semper absuit. Et ex omnibus quæ in hoc opere præcipimus, profiteor nihil omnino ex aliquo huius ætatis uel audiuisse, uel legisse. Itaq; sic mihi meam ab alijs gloriã præripi moleste fero, ut illorũ à me præripi nefas puto. Nemo autẽ literatorũ erit, quorũ paucissimi mihi familiares non sunt, qui se hoc antea ignorasse, et à me uel uerbo, uel scriptis didicisse neget. Igitur libertinus relatiuũ est ingenui, libertus relatiuũ est patroni, licet unus idemq; sit & libertinus, & libertus. Per libertinum significamus conditionem hominis, sicut per ingenuum: Per libertum significamus priuatum quendam respectum, sicut per patronum. Ideoq; libertinus adiectiuum est sicut ingenuus: eoq; nõ fit à libertina libertinabus, ut à liberta libertabus. Libertus substantiuũ sicut patronus. Illudq; solemus definire, hoc nõ solemus: ut in iure ciuili, libertini sunt, qui iusta seruitute manumissi sunt. Quemadmodum econtrario ingenui sunt, qui libera matre nati nec postea serui facti sunt. Significatur enim (ut dixi) cõditio hominis per ingenuum & libertinum: ut, libertinus homo, libertina mulier, libertinæ conditionis: non autẽ libertus homo, liberta mulier, libertæ cõditionis. Hæc enim priuatum quẽdam significant respectũ ad patronum patronam'ue relata, id est, ad eum eam'ue qui antea dominus, aut quæ domina huius fuit, quum seruus ancilláue esset: ut, libertus Cæsaris, libertus Messalinæ, liberta Claudij, liberta Agrippinæ: nõ autem, libertinus Cæsaris aut libertina. Ideoq; interrogamus, hic ingenuus est an libertinus? non autem an libertus: & quum responsum est libertinus, interrogamus, cuius libertus? non autem cuius libertinus. Respondeturq;, est libertus meus, aut tuus, aut illius, aut Catonis, aut nullius. Atque libertus sine patrono patronáue non est. Libertinus esse potest, quamuis necesse est eum aliquando habuisse: quo factum est, ut dicamus colliberti collibertæq; quemadmodum conserui conseruæq;, quòd ij plures sub umbra unius patroni sint, sicut illi sub imperio unius domini: nõ autem collibertini aut coingenui: ad nullam enim alteram priuatam personam plures horum referri possunt, nec alij ab alijs distinguuntur. Colliberti à collibertis diuisi sunt, ut mei à tuis, & conserui à conseruis, quemadmodum conciues mei à conciuibus tuis, qui alterius ciuitatis es: condiscipuli mei à tuis, cõmilitones mei à tuis, qui sub alio uel præceptore, uel duce es. Libertinis uero atq; ingenuis hoc non cõtingit, quum non magis nexus mihi sit cum ingenuis meæ urbis, & tibi cũ libertinis tuæ urbis, quàm cum alijs quibusuis. Ideoq; nõ dicũtur coingenui & collibertini. Et libertus collibertusq; esse aliquando quis desinit, libertinus esse non desinit. Deniq; licet poteramus altero horũ nominũ esse cõtenti, tamẽ distinguere ueteribus placuit priuatum, respectũ à publico. Et ideo libertinitas dicimus nõ libertitas. Ex seruo tamẽ nõ quòd ad priuatũ dominũ refertur, fit seruitus, sed q; ad publicũ: dicimus enim nõ modo seruus tuus, seruus meus: sed etiã sine respectu patroni, ut hic seruus, et homo seruus, quod in liberto non fit. Cęterũ cogitanti mihi unde factũ sit, ut in tanta exemplorũ copia elegantiã hanc accuratissime custodientiũ, tamẽ tot hominum millia nunquã annotauerint: hoc existimo causæ fuisse, quòd frequẽter inuenirẽt sine mẽtione patroni, libertũ nominari, quo falli sopitę neglegẽtię fuit.

Si enim nonnũquam reperiebant liberto non apponi patronum, tamen reperiebant libertino nunquàm apponi, quanquàm semper adhæret liberto patronus uel nominatim, uel subintelligendo, ut in multis fit: quale est, uendidi patrimonium, suppletur meum: collocasti filiã, suppletur tuam: publicauit opus, suppletur suum. Ita hoc loco, quale apud Quintilianũ: Licet nihilominus amicum graue uirum, aut fidelem libertum lateri filij sui adiungere, uidelicet suum. Cicero pro Sextio, quũ ait: Quintũ fratrem auxilio seruorũ libertorumq́ꝫ ereptum à ferro Clodianorum, non genus seruile libertinumq́ꝫ, nec cuiuscunqꝫ seruos libertosq́ꝫ significat, sed suos ipsius. Quid attinet plura ex iure ciuili exempla repetere, quum etiam sint distincti tituli de libertis & libertinis? Quam differentiã qui ignorat (omnes autem leguleij ignorant) plurima & capitalia in ipso iure ciuili peccata committit. Seruius grãmaticus (si codex est fidelis) pro libertino posuit libertum in octauo Aeneid. Feronia mater Nympha Cãpaniæ, quam etiam suprà diximus. Hæc etiam libertorum dea est, in cuius templo raso capite pileũ accipiebant. Adijciam quod ait Suetonius in uita Claudij in ipsum Claudiũ: Ignarus temporibus Appij: & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos.

### *Inter Accessus & Accessio, Actus & Actio, Gestus & Gestio, quid intersit.* Cap. II.

ACcessus & accessio differunt. Siquidem accessus est aditio siue appropinquatio. Accessio autem adiectio atque incrementum: quæ differentia rara est in consimilibus nominibus. Satis enim & satio idem sunt, cultus & cultio, motus et motio, actus & actio, nisi quòd dicimus actionem causarum non actũ, & actum comœdiarum nõ actionem: cursus & cursio, abusus & abusio. Gestus quoque & gestio non parum differunt. Nam gestus est actio quædam & quasi pronũtiatio corporis. Gestio uero est administratio & actio, quamuis parum in usu est. Hæc autem duo de quibus dicere instituerã, ideo differũt, quòd uerbũ unde descendunt, dupliciter & regit, & significat: ut, accede ad ignem hunc, id est, adi atqꝫ appropinqua. Et, hoc calamitatibus meis pondus accessit, uel ad calamitates meas, id est, adiunctum est & increuit. A prima significatione nascitur accessus, cuius cõtrarium est recessus. A secunda accessio, ut Cicero: Accessionem adiunxit ædibus, id est, adiectionem & incrementum. Præter usum tamen superiorum Macrobius in cõmentarijs naturalibus dixit: Aut enim accessio, aut in læuã dextram'ue reflexio, aut sursum quis, aut deorsum mouet̃, aut in orbem rotatur. Et iterũ: Has solis portas physici uocauerũt, quia in utraqꝫ obuiante solstitio ulterius solis inhibetur accessio. Accessus ipse dixissem potius, Ciceronẽ imitatus, qui tertio de Orat. lib. ita ait: Vt luna accessu, & recessu suo solis lumen accipiat. Nam quòd febris accessio sæpe legit̃, ego pro incremento accipio, non pro accessu, alioqui aliquãdo legeremus accessus febris, si idem esset, quod nunquam fit. Plinius libro 23. Si id dandum non nisi in accessione senserit, alij in remissione, illi ut sudorem coërceant, hi quia tutius putãt. Accessionem, remissionemq́ꝫ pro cõtrarijs posuit, & si remissio imminutionem significat, profectò accessio significat incrementũ. Quia dixi nomina in us, & in io à supinis profecta, ferè eiusdẽ significationis esse, hoc exceptionis addo, quòd ea, quæ positionem habẽt in io, latius significare solẽt, nec actionẽ modo, sed rem etiã ac corpus: ut, aratio, possessio, sessio. Cic. in Philip. Hæ quondã arationes Cãpani, & Leontini agri populi Romani patrimonio grãdiferæ, & fructuosæ ferebãtur, id est, agri ad arandum idonei. Idem in eisdem: Quid possessiones datas, quid ereptas proferam? Idem de Oratore: Tot locis sessiones gymnasiorum, id est, tot sedilia. Ea tamen, quæ sunt in us, pro personis accipi solent. Conuentus non est cõuentio. sed

ſed homines,qui unum in locum conuenerunt. Conſeſſus non eſt conſeſſio,ſed homines uno in loco conſidentes.

*Obſeruatio,& Obſeruantia.* Cap. III.

OBſeruatio,& obſeruantia ſimili quodã modo,ut acceſſus & acceſſio differunt. Obſeruo nanq; duo ſignificat:unum eſt quod cuſtodio aliquid oculis,animoq; in modum ſpeculatoris,ne nos ſilentio,tacitoq; prætereat:ut, obſerua tranſeuntes,obſerua filium,obſerua Dauum,quid agat,quid loquatur,quaſi cuſtodi,& adnota. Et hinc fit obſeruatio,quaſi annotatio, & animaduerſio. Itẽ obſeruo nõ ſpeculãtis modo,ſed admirãtis,uenerãtisq;, & id tantũ in homines, non in res,quoties quẽ uel uirtute,uel dignitate ſuſpicimus,& colimus:unde fit obſeruantia,quæ eſt ueneratio quædã & honoris exhibitio. Quare melius obſeruationẽ,quàm obſeruantiã hi,qui nominãtur fratres,ſuum inſtitutũ nominarẽt.

*Potus,& Potio.* Cap. IIII.

POtus,et Potio nõ differũt niſi ob huiſmodi cauſam. Potus enim uini,aquę, ſimilium dicitur. Potio uero à medicis datur ægrotãti, quod Græcè dicitur φάρμακον. Nonnunquã tamẽ potio,pro potus accipitur. Seneca de trãquillitate: Aliquando uectatio, iterq;,& mutata regio uigorẽ dabunt,cõuictusq; & liberalior potio. Cicero in Tuſculanis: Quid quòd ne mente quidem rectè uti poſſumus,multo cibo,& potione repleti? Et alibi: Tantum cibi,& potionis adhibendum:ut,reficiantur uires,non opprimantur.

*Senes,Veteres,& Antiqui.* Cap. V.

SEnes uocantur,quantũ ad priuatã ipſorũ uitã,quòd uſq; ad ſenilem ætatem uixerunt. Veteres quantum ad publicum tempus,quòd alia ætate uixerunt, etiamſi ad ſenium non peruenerunt. Vnde quidam iuniores fuerunt ſeniores ueteribus. Antiqui utriq; dicuntur,ſed magis ueteres,quàm ſenes.

*Defectus,Culpa,& Defectio.* Cap. VI.

DEfectu medicorũ multi perierunt:plures tamen culpa eorũ. Is nanq; defectu medici perit,cui medicus præſtò nõ eſt. Culpa uero medici,qui moriturus nõ erat,niſi prętò ipſi medicus fuiſſet,quã maiorẽ partẽ eſſe arbitror. Hoc ideo dixi,quòd nonnulli pro culpa medicorum,aiunt defectu. Et uitia hominũ, rerumq; uocant defectus,quum dicere deberent uitia,uel culpas,uel mendas, ut menda libri. Defectio plurimũ à defectu diſſentit,quũ ſit receſſio aut militũ,aut ciuitatis à domino,uel à ſuperiore. Eſt enĩ deficere,deſiſtere,et à ductu alterius recedere,et quaſi rebellare. Et defectio quaſi rebellio: q̃ exẽpla paſſim reperiũtur.

*Rumor,& Fama.* Cap. VII.

RVmor,& fama idem ſunt,quorum alterum Latinum,alterum è Gręco eſt. Cicero in Philipp. Improbiſſimis rumoribus diſſipatis. Et nõ longè pòſt: Hoc triduo uel quatriduo triſtis à Mutina fama manarat. Et ſtatim pòſt: Famam iſtam fasciũ diſſipauerũt. Significatur autẽ his duobus nominibus,ſermo quidã in populo,ſine certo autore,de re aliqua recẽti ſiue bona,ſiue mala. Exẽplum rumoris de re bona ponamus. Liuius lib.2. Manat tota urbe rumor, Fabios ad cœlum laudibus ferunt. Frequẽter tamen fama etiã pro ſermone,nõ rei recẽtis,ſed iam inueteratæ,& pro opinione quadam:ut, fama eſt Athenas iam plus annorũ uiginti millibus fuiſſe cõditas. Et pro laude,& pro celebritate hominis:ut,fama Camilli,fama Scipionum,Metellorũ,Fabiorũ,& eorum quoq; qui uiuunt:ut,fama mea, fama tua,fama illius,pro quo non rectè dixeris rumor.

*Murus,Paries,Mœnia,Porta,& Ianua.* Cap. VIII.

MVrus,& paries quid differant,ſuperuacuum erat admonere,niſi his temporibus(ut ſunt omnia deprauata)murus,pro paries à pluribus uſurparetur,quanquã apud Græcos eodẽ ſono pronuncietur utrunq;, diſtinctũ tamen & literis

literis,& genere. Murus est urbis lapideus ambitus, qui Græcè dicitur τὸ τεῖχος. Paries uero domorũ, Grecè ὁ τοῖχος. Murus est etiã nõ urbis, sed urbis tamẽ similiũ, ut munitionũ, castrorũq;. Mœnia, pro muris accipi solent, & pro ædificijs ipsius urbis. Porta murorũ est, munitionũq;, atq; castrorũ. Ianua, parietis, ac domorũ.

*Gesta, & Acta.* Cap. IX.

GEsta, & acta hoc differũt, quia illa sunt in administratione magistratus, & in rebus maioribus, & ad Rempub. uel ad plurimos spectantibus: ut, gesta Alexandri, gesta Pompeij, gesta Cæsaris, Acta uerò etiam rerum priuatarũ, & minorum ac familiariũ. Vt Cicero: An in commentarijs, & chirographis, ac libellis se uno autore prolatis: ac ne prolatis quidem, sed tantũmodo dictis, acta Cæsaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi iussa, perpetuasq; leges esse uoluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo, nihil tam esse in actis Cęsaris, quàm leges Cæsaris. Quidem illud eiusdem ita legunt in Sallust. Quòd si de mea uita, atq; actibus huic conuitiatori respondero, inuidia gloriam consequetur. Reor scribendũ esse actis. Quòd si scribi potest actibus (ut est apud Lucanum: Licet ingenteis abruperit actus) minus miror, cur actus Apostolorũ magis, quàm acta dicamus. Idem tamen sunt actus, & actiones.

*Natalia, Natalis, Natalitius.* Cap. X.

NAtalia significant quod natalis, qui est dies natalitius, utrunq; cõuersum in substantiuũ ab adiectiuo, hic, & hęc natalis, & hoc natale, ut natalis horę tempus apud Quintil. in Gladiatore. Natalis uero magis conditionẽ sanguinis & familię, ut generosi natales, obscuri natales, ut idem Quintil. in eadẽ declamatione: Cuius interiecto mari non fortunã quisquã nosse, nõ natales, nõ patrẽ poterat. Plinius ad Messiũ: Nonnunq; candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiã mores arguebat. Hic pro ignobilitate accipiĩ, illic pro nobilitate.

*Præcepta, & Præceptiones pro eisdem accipi, Instituta, & Institutiones differre.* Cap. XI.

PRæcepta, & præceptiones indifferenter utimur pro disciplina. Instituta, & institutiones per differentiam. Instituta enim sunt mores cõsilio, & ratione sumpti. Nam mores bonos, & malos dicimus, & in morem, id est, similitudinẽ: ut, in morem leonis: in morem stagni, placidæq; paludis, inquit Vergilius: Institutum autem bonus mos: ut, faciã meo instituto. Licet institutum nonnunquam significet inceptum propositũ, ab instituo, quod est incipio. Instituta uero (ut in-
*Lib. 1. cap. 2.* stitueram dicere) boni mores sunt, cõsilio & ratione sumpti. Quintilianus: Nam is quanquàm triennium nutricibus dederit, tamen ab illis quoq; iam formãdam quàm optimis institutis mentem infantiũ iudicat. Cur autem ad literas non pertineat ætas, quę ad mores iam pertinet? Eandem rem appellans instituta & mores. Apud Valerium Maximum titulus est de institutis antiquis, quasi de moribus antiquis. Institutiones, sunt præceptiones, quibus instituuntur & docentur homines, ut libri ab eodem Quintiliano ac Lactãtio, multisq; alijs autoribus inscripti de Institutione oratoria, siue ab alio nomine atq; materia.

*Aduocatus & Patronus.* Cap. XII.

ADuocatus & patronus sic differũt, quod illud generalius est nomẽ, quàm hoc, ut nõ tantum significet eum, qui alterius causam agit: Siquidem quicunq; adest alteri in causa officij gratia, aduocatus appellatur, etiã si nihil dicat,
*Act. 4. scen. 6.* neq; agat: sed qui tantum paratus sit defendere. Vt Terent. in Eunucho: Tu abi, atq; ostiũ obsera intus, ego dum hinc transcurro ad forum. Volo ego adesse hîc aduocatos nobis in turba hac. Et Cic. quũ in alijs multis locis, tum pro Cecinna: Qui ad possidendum prædium contulit se cum aduocatis, quorum præsidio ab aduersarij iniuria tutus esset, qui et ipse uenit cum aduocatis suis, sed armatis, ad arcendum

arcendum Cecinnam à prædio. Patronus autem proprie est qui agit causam, sed accusati non accusantis. Quintilian. Quũ accusatori satis sit plerũq; uerum esse id quod obiecerit, patronus neget, defendat, transferat: accusator præmeditata pleraq; domo affert, patronus ex inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem, patronus ex eo refellit. Ex quo colligitur accusatorem nunquàm patronum esse. Verum quoniam non omnis lis circa accusationem & defensionẽ criminum uersatur, ut in mutuis, depositis, locato & conducto, similibusq;, in ea re tam arctor quàm defensor solet appellari patronus. Quippe quum uterq; non alterius oppugnãdę, sed suæ defendendæ partis gratia dicat, ut idem: Nec immerito quidem, quanquàm in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen patronorũ. Patronus etiam dicitur respectu liberti. Et nescio an hic ab illo, an ille ab hoc nominatus sit, utrunq; tamen à patre uenit. Vterque enim simile quiddã patris habet, & ut dominus manumissione serui liberat eum misera conditione, ita aduocatus hominem obnoxium potestate iudicum, & periculo litis, opera sua liberat. Propter quod clientem uocamus ipsum litigatorẽ, cuius causam agimus: & eũ qui sectator est sub tutela alterius, & penè famulus, quales sunt liberti in patronos. Et patrocinari tam uerbo quàm facto imbecilliorem protegere, à quo fit patrocinium.

*Facies & Vultus.* Cap. XIII.

FAcies magis ad corpus: Vultus magis ad animum refertur, atq; uolũtatem, unde descendit. Nam uolo supinum habebat uultum: inde dicimus irato & mœsto uultu potius quàm facie: & contrà lata aut longa facie, non uultu: à quo cõpositum est superficie, nõ sanè discrepans à suo simplici: ut, facies maris, facies terræ, quasi superficies: &, facies hominis, quasi primum illud quod intuemur in homine. Est tamẽ aliquãdo ubi utroq; uti liceat: ut, fœdata facie, et fœdata uultu: scissa facie, & scisso uultu: conuersa facie, & conuerso uultu: quæ exempla sunt plurima.

*Series & Ordo.* Cap. XIIII.

SEries ab ordine in significatione differt. Nam ordo est digestio, & in suo loco cuiusq; rei collocatio, ueluti in acie fit, ut pedites, ubi alæ equitum, ubi leuiter armati, ubi sagittarij, ubi fundibularij, ubi cæteri ex utilitate rei distribuuntur: & in argumentatione, ubi ponenda sunt firmissima argumenta, ubi infirmiora, ubi mediocria. Vnde in ciuitatibus, & Romæ præsertim ordines sunt: ordo consularis, prætorius, senatorius, equestris, adeò ut ordo quoq; pro ipsis hominibus accipiatur illius cõditionis. Cicero hoc ordine, pro in senatu, aut pro equitibus Romanis frequentissime dixit. Idem quodam loco ait: Qui apud omnes ordines esset gratiosus, id est, apud omnium ordinum homines. Series, est rerum quædam continuata progressio: ut, in serie orationis, id est, in continuato contextu. Quintil. Quod non nisi in conitextu orationis serieq; contingit. Vergil.

Ductęq; ab origine gentis
Fortia facta patrum, series longissima rerum. Statius:
Longa retrò series.

*Deus, Decor & Dedecus.* Cap. XV.

DEcus est illa (ut sic dixerim) honorificentia ex bene gestis rebus, unde decora militiæ, laudes, honores, honestamẽta militi in bello cõparata: cuius cõtrariũ est dedecus, proprie ignominia quædã, aut ignominię genus et infamis turpitudo. Vnde dedecoro. Cicero inquit de quodã: Magistratum ipsum dedecorabat, id est, turpificabat, & cõtumelia atq; ignominia afficiebat. Transfertur etiã ad animũ: quippe decus pro honesto, dedecus pro inhonesto accipit̃, ut idẽ: Sequitur decus, atq; honestum. Quintil. Satis dedecoris atq; flagitij castra ceperunt. Decor est quasi pulchritudo quædã ex decentia rerũ personarũq;, in locis,

temporibus,

temporibus,siue in agendo,siue in loquendo. Transfertur quoq; ad uirtutes:appellaturq; deorum,non tam ipsum honestum,quàm quod hominibus & cõmuni opinioni honestum uidetur & pulchrum, & probabile. Vnde uerbum decôro media longa. Nam decoro media breui à decus uenit.

*Iocus & Ludus.* Cap. XVI.

IOcus & ludus quid significent,tum ex Cicerone de Oratore, tum ex Quintiliano de Ridicul. colligi potest:ut sit iocus in uerbo,ludus in facto. Sed utrumque tamen patitur exceptionem,ut Iuuenalis: Quoties uoluit fortuna iocari. *Sat.1.*
Videlicet non de uerbo intellexit,sed de facto. Ouidius:

Hos ignara iocos tribuit natura puellis:
Materia ludunt uberiore uiri.
Mille fac esse iocos,turpe est nescire puellam
Ludere:ludendo sępe paratur amor.

Iocos pro ludo & ipse posuit. Ioca quoque pro iocos nonnunquam legimus. Cicero ad Atticum libro 14. Itaque ioca tua plena facetiarum. E diuerso ludus pro iocus. Horatius:

*Primo Sermon. Sat.1.*
Prætereà,ne sic,ut qui iocularia ridens
Percurram,quanquàm ridentem dicere uerum
Quid uetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores,elementa uelint ut discere prima:
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.

Hinc ludere pro iocari frequenter inuenitur. Cic. de Natura deorũ: Quũ uero deos nihil agere, nihil curare confirmat,membrisq; humanis esse præditos, aut eorũ membrorũ nullum usum habere,ludere uidetur. Plinius ad Valeriũ: Quũ alij diuum me,alij rapinis meis,meæ auaritiæ occursum per ludum acceptum dictitant. Plinius idem ad Fabium Iustũ:Ludere me putas,seriò peto. Ludere dixit pro iocari,& se non iaco agere,sed seriò. Quæ duo contraria esse Quintilianus autor est,inquiens: Iocum uero accipimus,quod est contrariũ seriò. Idem in eodem inquit:Ludere nũquàm uelimus:quod non tam pro eo, quod est iocari puto dixisse,quàm pro eo,quod est scurriliter & leuiter loqui, uel deludere alterũ, siue eludere. Nam composita à ludo ad uerbum quoq; & orationem pertinent, non modo ad actionem, ut in eodem opere Cicero: Sed uos ab illo irridemini, & ipsi uicissim illum eludetis. Ludere etiam dicitur uersibus scribere,sed non nisi in opusculis ferè, qualia sunt epigrammata,& hæc opuscula dicuntur lusus:& hoc ita sentire summos autores annotaui. Alludere est,quum aliud dicimus,& ad aliud sententiam latenter referimus,ut Vergilius:
Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis. Dum enim narrat ludos Aeneæ,alludit ad Augusti uictoriam, qua contra Antonium in his locis potitus est. Ludus item differt à lusu,siue lusione. Ludus enim tum periculũ, tum spem sibi propositam habet. Lusus nihil præter meram uoluptatem. Itaq; qui pila,qui trocho, qui tesseris,qui etiam quocunq; genere talorum delectationis gratia ludunt, lusum potius,quàm ludum exercent. Cicero: Et multis lusionibus nobis senibus talos relinquant,& tesseras. De uoluptate uidelicet senili locutus est, nõ de spe lucri: cuius spei causa pleriq; ludũt. Ideoq; ludũ talariũ dicimus, non lusum:& ludum aleæ:qui etiã lege prohibetur. Quidã & hunc lusum uocãt, ut Sueton. lib. 4. Ac ne ex lusu quidẽ aleę cõpendium spernens. Dicimus etiã ludũ scholã ipsam, ubi & periculũ,& spes est,& certè labor,atq; copulatio:ut Dionys. tyrannus regno eiectus,factus est ludi magister. Et, Camillus ludi magistrũ discipulos hostibus prodentem,eisdem pueris cædendum in urbem usq; præbuit. Est igitur ludus literarius tum aliarũ quarundã artiũ, tum schola grãmaticæ, quã triuialẽ sciẽtiam *Liuius 5. ab urbe condita.*

dicimus,

dicimus, quòd in triuijs, & compitis docetur. Hoc ideo admonui, quòd quidam imperiti triuialem scientiam appellant grammaticam, rhetoricam, & dialecticã: quadriuiales alias quatuor liberalium artium. Ludus igitur (sicut dicebamus) est aliarum quoq; artium sicut musicæ, ut apud Terẽtium de fidicina, quæ quotidie discebat in ludo. De grammaticæ schola (ut mea fert opinio) magis, quàm rhetoricæ intelligit Cicero de Oratore, quum inquit: Hoc in ludo non præcipitur, faciles enim causæ ad pueros deferũtur. Et statim pòst: Hæc est in ludo causarum ferè formula. Nam, ut inquit Quintilianus, Rhetores suas partes omiserunt, & grammatici alienas occupauerunt. Siquidem grãmatici Latini, rhetoricã etiam docent, quod indicant ipsius quoq; Ciceronis uerba, quum pueros non iuuenes nominat. Est & ludus armorum, qui idem (ut sentio) gladiatorius dicitur, ubi discunt gladiatores, ut apud Quintilianum: Quòd me diu pyratæ in carcere retentum, quia diuitem illius promiseram patrem, in ludum uendiderunt, tanquam decepti. Et iterum: Et inter debita noxæ mancipia contemptissimus tyro gladiator, ut nouissimè perderem calamitatis meæ innocentiã, discebam quotidie scelus. Ludos tamen gladiatorios frequentius, quàm ludum dicimus, quoties unũ, pluráue paria gladiatorũ ad spectaculum pugnatura producuntur. Quæ res munus gladiatoriũ appellatur, quia populo tãquam munus donatur. Et qui donat munerarius: & qui familiã gladiatorũ habet, gladiatoresq; domi in disciplina, (ut dixi) in ludu exercet, ac postea uendit, Lanista. Vocantur autem ludi gladiatorij sicut Ludi Apollinares, Ludi Circenses, Ludi seculares. Nam spectacula publica utique in honorem deorum, ludos antiqui uocabant, ut non absurdum sit solennitatem in natali die sanctorum, præsertim cum apparatu illo, & pompa, ludos uocari. Nam quo alio nomine uocemus illam spectaculi exhibitionẽ, qualis fit in multis Italiæ ciuitatibus, & (ut audio) in multis alijs prouincijs? Hæc de ludo, & de ludis hactenus. De lusu quoque aliquod afferatur exemplum Quintiliani: Nec me offenderit lusus in pueris, est & hoc signum alacritatis. Et iterum paulò pòst: Sunt etiam nonnulli acuendis puerorũ ingenijs non inutiles lusus. *Quintil. 4. cap. lib. 1.*

### *Libertas & licentia.* Cap. XVII.

Libertas in loquendo accipitur in bonum, quum quis non timide (quod seruile est) sed ingenuè, & liberè, hoc est, ut liberũ hominem decet, loquitur. Licẽtia uero in malum, quando hac libertate abutitur usq; ad temeritatẽ, & procacitatem, unde Quintilianus: Quæ in alijs libertas est, inquit, in alijs licentia uocatur. In agẽdo quoq; simili modo: ut, liberè fecit, liberè egit, id est, digna libero homine. Cic. sæpe de liberè dictis, ac factis loquitur: de licẽtia Clodiorũ queritur. Quintil. Porrò qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiã. Terent. Deteriores omnes sumus licentia. Est autẽ huius nominis significatio, impunita quædã facultas agendi quicquid uelis, de facto loquor: nam de uerbo iam dixi, quod dubitationẽ non habet. Ideo hoc dico, quòd uidetur uocari posse in dubium de facto. Siquidem Sallust. in Iuguthino ita ait: Romam legatos ire iubet, agendarum rerum, & quocũq; modo cõponendi licentiã illis permittit. Quod nescio an in malum accipi debeat, quasi & male, & cũ damno atq; dedecore regis possint componere. Quale est Quintiliani: An existimas hanc legatis peccandi dari licẽtiam, ut quæcunq; scelera in eo officio cõmiserint, cũ his omnibus hac una lege decidãt? An etiã in bonũ, ut solẽt dicere iurisc õsulti: Data est mihi licẽtia eũdi, redeũdiq; qualiter etiã pleriq; ecclesiasticorũ scriptorũ locuti sunt.

### *De Indulgentia & Venia.* Cap. XVIII.

Indulgentiam uulgò nunc accipiunt pro uenia: ut, indulgentiã deus tibi tribuat, uel deus tibi indulgeat: quod quis neget dici nõ latinè? Indulgere enim est cõcedere, & (ut sic dicã) obsequenter, delicateq; tribuere. Cuius rei admoneri

certe debuerant trito illo uersu, nescio cuius, sed certe inter autores minutos Latinissimi, & quo mille annis nemo carmen scripsit elegantius:
Indulgere gulę noli, quę uentris amica est. Nunquid in gulā nequaquā misericordes iubemur esse antè quàm peccauit? an ne cōmittamus, ut illa peccet? Quintil.
Lib. 1. cap. 3. Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes & mentis, et corporis frangit. Non ergo indulgentia, pro uenia accipienda est. Est enim uenia remissio culpę, ut idem: Peccaui, ueniam peto: & errare hominis est, & ignoscere patris. Melius qui è contrario ueniam, pro indulgentia accipiunt. Vt Vergilius primo Aeneidos:
Orantes ueniam, & templum clamore petebant.
Et Cicero pro Archia: Dabitis mihi hanc ueniā, id est, indulgebitis, cōcedetisq́ mihi hoc, si fortè peccauero. Nam apud hūc uix unquam indulgentia reperitur. Terentius: Da pater ueniā, sine te exorem. Hæc duo, pro utroq; posuit, id est, da ueniam, & sine, ut hoc, etiam si improbum sit, abs te impetrem. Et cum uenia tua dixero, hoc est, si quid erro, tamen cū pace tua, & (ut isti loquuntur) cum licētia tua dixero. Frequenter legimus, faciam tibi potestatem eundi, & redeūdi: quem in modum mallem ego dicere, quàm do tibi licentiam. Porrò dare potestatē est plus, quàm facere potestatē. Est enim dare potestatem, rem alterius arbitrio committere. Ex hoc ueniam dare, admoneor, ut dicam de pœnitere, quod nonnunquam pro pudere, siue tædere accipitur, ut Liuius lib. 1. Nec me eorum sententiæ esse pœnitet. Cicero de Senectute: Num igitur si ad cētesimum uixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret? Vergilius:
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum.
Quod qui exponunt pro parum uideatur, mihi non probantur.

*Ambitio, & ambitus.* Cap. XIX.

AMbitio in animo est, ambitus in actu. Nam qui præter modum cupit aut honores, aut laudem, ambitione peccat. Qui uero dilargitur pecuniā suā, aut populo muneribus, ludisq́ blanditur, aut cæteris artibus, quæ legitimæ non sunt, ad publicos honores tendit, ambitum committit. Cui similis est, quam hodie Simoniam uocant, à Simone Mago, nisi quòd hanc tantum in rebus sacris uolunt esse. Ambitus ab Ambio uenit, siue quòd is, qui non suæ uirtuti cōfidit, non rectè graditur, sed per circuitum: siue quòd Romani, qui honores peterent, singulos circuibant, prehensantes, rogantesq́, ut se in suffragijs adiuuarent: siue quòd, qui pro adipiscendis honoribus soliciti sunt, quum rogant, exordio quodam longiore & uerborum circuitu utuntur. Hæc omnia, quæ ambitus facit, ambitio facere compellit, à qua ambitiosi dicuntur, non ab ambitu. Nonnunquam ambitus pro affectu ambitionis accipitur apud Quintilianū, siue pro spe quadā fauoris, & quasi captatione misericordiæ: ut, Si iuuenis innocentissimus iudices uti uellet ambitu tristissimæ calamitatis, poterat allegare uobis amissam cū oculis cogitationum omniū temeritatem. Ab hoc etiam ambitiosus dicitur, ut apud eundem libro 6. Nō sum ambitiosus in malis, nec lachrymarum augere causas uolo, utinamq́ esset ratio minuendi. Ouidius lib. 3. de Ponto:
Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum,
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.

*Vicus & Suburbana.* Cap. XX.

VIcus pars urbis. Diuisa est enim urbs in uicos, quasi in membra minora, sicut Suburra, Carinæ, Exquiliæ uici Romæ, ut opinor erāt. Nam regiones circa 20. fuerant, hodieq́ tantum tredecim seruant nomina. Vici autem & olim, & nunc ultra mille. Extra urbem uerò frequentes uillę ac frequentes domus instar uici urbani uici uocātur, si modo suburbana nō sint. Tunc nanq; suburbana
non

nonnunquam & suburbia dicũtur plurali quidem numero: nam singulari significatur prædium in suburbanis, ut suburbanum meum, & suburbana mea, si plura sunt. Quale est in similibus: ut, fui in Cumano, in Tusculano, id est, in fundo meo Cumano, & prædio meo Tusculano: eramus in Formiano tuo, & in Pompeiano Varronis, id est, in uilla tua, Varronis. Cæterum (ut ad rem redeamus) hic uicus paganus ferè muris caret: nam si haberet muros, castelli nomen acciperet, quod à castrum descẽdit, quo significatur locus muris munitus, & (ut Seruius ait) urbs. In plurali uero notum est appellari locum, in quo milites tentoria fixerunt. Quanquam uarius mos est castrametandi. Veteres solebant illa fossa, ualloq; circundare, & alijs pro natura loci munitionibus. Oppidũ omnis urbs est præter Romam, quę peculiari nomine urbs uocari cœpta, fecit, ut cæteræ urbes oppida uocarentur, quia ipsa oppidum amplius non eñ. Vnde dicatur urbs, & oppidũ tum alij dixere, tum parum attinet de etymologia disputare, quæ plerunq; fallax est, & in primis (nisi fideli fundamento nitatur) friuola. Vicinia autẽ non tam homines, qui eundem incolunt uicum, significat, quàm qui propè domum tuam habitant. Vicinitas autem non homines, sed propinquitatem: proprie quidem uicinorum, abusiue uero etiam cæterarũ rerum. Nonnunquã continens pro contento: ut, laudanda uel potius amanda uicinitas.

*Commentarium.* *Cap.* XXI.

COmmentarij nomen quid significet, tertio Declamationum libro Seneca declarat, quum dicit: Sine commentario nunquàm dixit, sed cõmentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur. Et Cicero in Bruto: Non est oratio, sed capita rerum, & orationis cõmentarium paulò plenius. Et Quintil. Plerunq; autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, & utique initia scribant: cætera quæ domo afferunt, cogitatione cõplectantur, subitis ex tempore occurrant: quod fecisse M. Tullium suis cõmentarijs apparet. Sed ferũtur & aliorum quoq;, & inuẽti fortè, ut eos dicturus quisq; composuerat, & in libros digesti & causarum, quę sunt actæ à Seruio Sulpitio, cuius tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, commentarij, ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis uideantur esse compositi. Quintiliani uerba colligitur, nõ modo id quod dicebam, simulq; in plurali hoc nomen esse generis masculini, quum in singulari sit neutri, de quo mox etiam dicam, uerũetiam commẽtarios idem esse quod libros, quod Cicero confirmat: tum tertio libro de Finibus, dicens: Tu ipse quũ tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris cõmentarios? quosdam inquam Aristotelicos: tum 2. de Oratore: Tres patris Bruti de iure ciuili libellos tribus legẽdos dedit, ex libro primo fortè euenit, &c. Ac statim pòst: Vbi sunt hi fundi Brute, quos tibi pater publicis commẽtarijs cõsignatos reliquit? quòd nisi puberem te iam haberet, quartũ librum composuisset, & se in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset. Ecce eandem rem tribus uocabulis Cicero declarauit, libellis, libris, commentarijs. Quare ita sentio, omnes commẽtarios libros esse, sed non continuò libros cõmentarios. Nanq; ubi res sunt late, diffuseq; explicatæ, & non breuius quàm poterant tractatæ, libri tantum sunt, non commentarij. Vnde Cęsaris commentarij, in quibus ad exequendam historiam alijs uidetur subiecisse materiam, qui si fuerint singuli, commentarium uel cõmentarius, uel liber dicitur. Liuius 48. Quæri iussit ab eo, quem de his rebus cõmentarium à patre accepisset. Quum respondisset accepisse se, nihil prius, nec potius uisum esse quàm regis ipsius de singulis responsa accipere, librum poposcerunt. Si plures, primus & secundus commentarius, non primum & secundum commentarium, ut Hircius siue Oppius, qui accessionem adiecit Cæsaris Cõmentarijs, ait, proximus alter'ue commentarius, nunquàm commẽtarium. Ita mihi in magnis

autoribus uideor annotasse. Quidã tamẽ aliter faciũt, utiq; in alia significatione, quæ est (ut sentio) expositio & interpretatio autorum utroq; genere promiscue utentes, ut Aul. Gellius: Est adeò Probi grãmati commentarius satis curiose factus. Et iterum: Nonnulli grãmatici, qui cõmentaria in Vergiliũ composuerũt. Iterum quoq;: Noster Scaurus in primo cõmentariorum, quos in Gorgiam Platonis composuit, scriptum reliquit. Boëthius: Quod in his cõmentarijs diligentius expediuimus, qui à nobis in eiusdẽ Ciceronis Topica scripti sunt. Et iterũ: Quo autem modo de his dialecticis locis disputetur, in his commentarijs, quos in Aristotelis Topica à nobis translata conscripsimus, expeditum est. Quidam etiam talia huiusmodi opera cõmentum uocauerunt, ut Nigidius, Donatus, Priscianus, alijq; nonnulli. Seruius commentarium, commentariosq; pro homine accipere uidetur, quũ inquit, in 7. Aeneid. Dicit quidam cõmentarius, connexa legendum. Et in Georg. 1. Superfluo mouent quæstionem commentarij.

### *Cœnaculum, & Cœnatio.* Cap. XXII.

COenaculum locus ad cœnãdum in loco superiori: cœnatio locus ad cœnandum, sed in imo potius. Iuuenalis: Et algentem rapiat cœnatio solem. Verũtamen cœnaculum non tam pro loco cœnandi, quàm pro parte domus superiore accipitur, quæ frequenter hospitibus ad habitandum locari solet, qui totam domũ cõducere nõ possunt, & parte inferiore, siue illa taberna, siue officina sit, non habẽt opus. Cuius rei proferrem exempla, nisi abunde Varro sufficeret, dicens: Vbi cœnabant cœnaculum uocitabãt. Postquam in superiore parte cœnitare cœperunt, superioris domus uniuersa cœnacula dicta, postquàm ubi cœnabant, plura facere cœperunt.

### *Epulæ, Epulum, & Dapes.* Cap. XXIII.

EPulæ sunt cibi ministerio hominũ & in nostrũ usum cõparati. Epulum, solenniores quædã epulę, & proprie publicum cõuiuium in propatulo uniuersis ciuibus exhibitum, siue in dedicationem templi alicuius, siue in honorem deorum, uel in magnificentiæ ostentationem, siue in funere magni alicuius uiri. Cui simile est, quod hoc tempore fit, quũ publice pascimus pauperes, ut in mortibus propinquorum. Quod idem est penè quod parentare, si Hieronymo credimus, qui ita tertio libro in Hieremiã inquit: Mos autem lugẽtibus, ferre cibos, et præparare conuiuiũ, quę Græci περίδειπνα uocãt, & à nostris uulgò appellantur parentalia, eò quòd à parentibus ista celebrantur. Dapes uolunt esse uel deorũ, uel nostras in sacrificijs deorum.

### *Sementis & Messis.* Cap. XXIIII.

SEmentis est satio, siue (ut sic dicam) seminatio. Liuius: Campani sementẽ facere possent. Miror quare quum in alijs locis apud Hieronymũ plurimis, tum in Geneseos principio sementis pro semine positũ est. Messis tum ipsa messio est, tum seges iam matura. Cicero de Oratore: Qualem sementem feceris, ita metes.

### *Seges & Fruges.* Cap. XXV.

SEges est eorum seminũ, ex quibus cõficitur panis, nondum demessa. Nonnunquam cõtentum pro continente usurpantes, ipsam humum ad accipienda semina subactam, segetem uocamus, ut Vergilius:

Illa seges demum uotis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Fruges uero quicquid ex fructu terræ in alimoniam uertimus. Liuius: Eam gentem tradit fama dulcedine frugum, maxime uini, noua tamen uoluptate captam. Idem: Non arbore frugifera, nõ satis in spem relictis. Plinius titulum dedit de arboribus frugiferis.

Malleolus

*Malleolus & Sarmentum.* Cap. XXVI.

MAlleolus à sarmento sic distat, ut pars à toto. Est enim malleolus (ut placet Columellæ) in modum mallei rostra habēs, aptus plantationi. Quando autem arefacta sarmenta sunt cum malleolis igni reseruata, indifferenter uocantur. Nam & Annibalem legimus sarmenta cornibus boum alligasse, eaq; incendisse ut hostes falleret. Et nōnullis ciuibus Romanis, quòd domos haberēt plenas malleolorum ad capitolij, uel urbis incendia, fraudi fuit.

*Arbor & Frutex.* Cap. XXVII.

ARbor à frutice ita differt, ut frutex ab herba. Est enim frutex qui ad iustam magnitudinem arboris nō assurgit, & statura similis est multis herbis, sed non demoritur neque arescit ut herba, sed perennis est. Inter frutices est soboles quoq; illa arborū & plantula. Ab hac fruticari uerbū, quasi fruticē renasci ex arbore. Marcus Tullius ad Atticum: Excisa est enim arbor non euulsa: itaq; quàm fruticetur uides. Nam illud quod sæpe legimus fruticari pilum, translatum est.

*Acinus, Bacca, Pomum & Nux.* Cap. XXVIII.

ACinos inter & baccas hoc interesse puto, quòd acini inter fructus minutiores arborum fruticum'ue densius nascuntur: baccæ uero dispersius & rarius. Inter acinos enim numerātur grana uuæ, grana hæderæ, grana sambuci, grana ebuli, grana mali punici: addo etiam morum, & quicquid his est simile. Inter baccas uero, fructus lauri, fructus oliuæ, corni, loti, quam fabam Syriacā uocāt, myrti, lentisci, similiumq;. Supra hæc autem poma dicuntur duntaxat quibus uescimur. Cerasum uero uel (ut Seruio placet) cerasium, & prunum, & mespilum, poma, non acini neq; baccæ nominantur. Glans in numerum istorum nō uenit, syluestris enim & pastio porcorum est. Castanea in nuces refertur, unde Vergilius: Castaneasq; nuces: sicut pinus, corylus, siue à loco auellana, amygdalus, iuglans, & si qua sunt his similia, nec poma dicuntur, sed nuces. Nonnūquam acini & baccæ indifferenter ponuntur, ut Vergilius:

Sanguineis ebuli baccis minioq; rubentem.

*Crepitus, Strepitus, Fremitus, & Stridor.* Cap. XXXIX.

CRepitus, sonitus est uiolentus ex impulsu resultās. Vnde increpare, est cū eruptione uocis, & immani sonitu reprehēdere. Cymbala tympanaq; crepitant. Vnde fit crepitaculum. Tubæ quoq; & cornua, similiaq; crepant siue crepitant. Crepitus quoq; speciali uocabulo quid significet, malo me tacēte minus notum esse, quàm me dicēte nimis. Strepitus fit ex corporum tactu, siue collisione rerum, & multarum uocum in unum cōfusione, si modò non sit immodicus: tunc enim dicitur fremitus, ut ex alto mari sonus fluctuū, & in populo murmur: uocatur etiam fremitus: quin & indignantis, & excandescentis, & quasi humanam uocem præ iracūdia immutantis: uox oratioq; fremitus dicitur. Stridor est acrior, & quasi sibilans collisio. Strepitus tamen proprie pedum ambulantium, manuumq; aliquid pertractantium sonus est. Appellatur etiam fastus, & pompa diuitiarum, quasi à strepitu comitantium, ut apud M. Fabium: Hic quū me euocasset subitò trepidum, totoq; fortunæ suæ strepitu circunstetisset.

*Officium & Officia.* Cap. XXX.

OFficium est uirtutis actio, quod Græci *καθῆκον* uocant, uel, ut latius explicem, pro loco, pro tempore, pro rerū dignitate similibusq;. Inde illud est quod dicit̄ à multis, in familia bene instituta omnes in officio sunt, id est, omnes agunt, quod debent. Et, missi sunt legatis obuiam ciues officij gratia: & circunstabant Senatores Cæsarem sedentem in aurea sella officij gratia, id est, honoris gratia, quem legatis, Cæsari'ue exhibere debemus. Nihil enim tam nos decet q̄ merenti uel honorem exhibere, uel opem ferre. Quo factū est etiam, ut officina

significent beneficia, siue obsequia. Vnde illud Ciceronis: Odiosum sanè genus hominũ est officia exprobrãtium, quę meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. Et illud Quintiliani: Duxit me similis ætas, cui cerunt officia, cepit fides, amantem odisse non potui. Magistratus quoq; officiũ dicitur, siue quia honoris causa factus est, siue opis populo ferendæ, siue quia ius suum cuiq;, & quod cuiq; debetur, reddat. Cæteræ autem artes, quæ modo honestæ sint, suam rationem officium uocant: ut, officium grammatici est, officiũ medici, officium architecti.

*Histrio & Mimus.* Cap. XXXI.

HIstrio qui personatus in scena tragœdias agit, comœdiasq; uoce & corporis gestu. Mimus qui uel intra, uel extra scenã gesticulationes quasdã exercet, imitaturq; mores hominũ, ac naturas præsertim obscœnè. Nam mimorum scriptores, res obscœnas, ut amores tractant. Primum è Tusco quodam homine tractum nomẽ esse, T. Liuius ac Valerius Maximus autores sunt. Alterũ è Græco uenit ἀπὸ τοῦ μιμοῦμαι: Mimitam homines quàm poëmata uocantur.

*Actor & Autor.* Cap. XXXII.

ACtor & autor ita differũt, quòd actor dicit̃ orator, qui agit causam, quiq; gestum uultus & corporis agit. Vnde tum ipsa pronunciatio, tum oratio quæ habetur, tum oratio scripta actio est appellata. Item Comœdus & Tragœdus, id est, histrio, qui agit gestus in scena, & quod huic generi simillimũ est, qui agit Atellanas: & mimus omnis, actor uocari potest: & partes comœdiæ, actus dicũtur. Nam Comicus, Tragicusq; poëta ipse est comœdiarũ, tragœdiarumq; conditor. Autor autem est (ut sic dicam) factor. Nam factor in usu non est, nisi in quibusdam è Græco translatis. Et illud quotidianum, Credo in unum deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, Græcè est ποιητὴν, hoc est, poëtam. At nos poëtas cæterosq; operũ conditores, autores uocamus: & illum qui fecit aliquod opus, qui egit bellum, egit pacẽ, autorẽ operis, autorem belli, autorẽ pacis dicimus, nunquã actorem. Quidã originem eius è Græco repetũt αὐξάνω, sed à Latino quoq; facilius formari potest, nisi quòd nullum Latinum in or à supino descendens, est cõmunis generis ut autor. Nam quum est ab augeo (si modo unquam reperitur) auctor et auctrix facit, ut Seruio placet in Vergiliũ scribenti. Idem super Donati artem ita ait: Quæritur, autor utrum per se, an de uerbo oriatur. Sed sciendum est quòd à se nascitur. Nam illud quod est augeo, non nos seducat, quòd inde ueniat. Aliud enim est augere, aliud autorem esse. Ego uero à Seruio non omnino dissentio, quũ huius uocis nõ uideatur mihi origo esse, nec augeo, nec αὐξάνω: & inauditum est, significationis illius hic & hæc autor esse. Nunquam aliud (quantum ego sentio) significat quàm duo. Vnum quod dixi, & alterũ quod est huic simile, hominem, in quo est uis, potestas, & dignitas. Vnde autoritas dicta est, ut apud Liuium dicitur: Decreuerunt enim, ut quum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres autores fierẽt: hoc est, autoritatem (ut aiunt) suam, & decretum interponerent, ratum haberent, atq; ratificarent, siue comprobarent. Et alibi: Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas sine autore uoluerunt, in manu esse parentum, fratrum, uirorumq;. Et autores pupilli uocantur, in quorum administratione infirma ætas, resq; eius sunt. Ideoq; filios regum pupillos sub autoribus fuisse legimus. Vnde Paulus iurisconsultus: Etiamsi non interrogatus tutor, autor fiat, ualet autoritas eius, quũ se probare dicit, id quod agitur: hoc est enim autorem fieri. Et Pomponius: Etsi pluribus datis tutoribus, unius autoritas sufficiat, tametsi tutor autoretur. Quare autores sententiæ alicuius consilij uocantur hi quorũ sententiam, consiliumq; secuti sumus. Et duces militũ, autores uocabãtur. Vnde autorare. Liuius lib. 46.

Signo

Signo dato suo impressas tabellas misit, et uero pignore uelut autoratũ sibi proditorem ratus est, id est, obligatum & subiectum. Et Valerius Maximus lib. 4. Autorato socijs officio. Suetonius libro tertio: Delegendo uel autorando milite, ac legionum & auxiliorum discretione. Ex quo fit autoramentum uel quasi obligatio, nexusq́ue, uel quasi stipendium quoddam, & quasi pretium cuiusdam militiæ ac pugnæ, actionisq́ue, ut Quintilianus: Nec difficilem sanè, sub illo præsertim autoramento, habuisset missionẽ, sed noluit gladiator uiuere. Suetonius: Munus gladiatorum dedit, rudiarijsq́ue quibusdam reuocatis autoramento centenûm millium. Cicero: Quorum ipsa merces autoramentum seruitutis est. Seneca libro 7. epistol. Nullum sine autoramento malum est: Auaritia pecuniam promittit, luxuria uarias uoluptates, ambitio purpurã & plausum, & ex hoc potentiam, & quicquid potentia potest, mercede te uitia solicitant. Denique autor nihil habere commune cum augeo, neq́ue cum αὐξάνω auctio probat, quæ uenditio quædam est in publico, ac celebri loco. Et hinc auctionari, publice et ferè sub hasta uendere, non ea quæ ad esum spectant, sed ea quæ ad suppellectilem, atq́ue ad alios usus, nec ferè nisi quæ penes alium in usu fuerunt. Differt igitur auctus ab haustu, quia diuersam originem sortita sunt. Auctus enim est incrementũ ab augeo descendens, ut haustus ab haurio.

### *Pupillus & Orphanus.* Cap. XXXIII.

PVpillus est qui caret quidem patre, sed tantisper dum est in ætate, cui adhibetur tutor. Orphanus qui caret patre præsidioq́ue paterno, & qui summopere desiderat illius opem, quum sine eo male habeat. Gręcum tamen nomen est; non sanè à ueteribus usitatum.

### *Triclinium & Conclaue.* Cap. XXXIIII.

TRiclinium à tribus toris, mensis'ue appellatum est. Ibi enim comedebant, præcipue in conuiuium accepti, quum res ipsa postularet tres toros mensas'ue extrui. Qui autem huic ministerio pręerat, architriclinium uocant. Quintilianus quidem triclinium uocat, quod Cicero conclaue. Nam de eodem conuiuij loco, ubi Simonides artem memoriæ traditur inuenisse, ille sic ait: Vix eo limen egresso, tricliniũ illud supra conuiuas corruit, Hic sic: Hoc interim spatio conclaue illud dicitur concidisse. Est igitur triclinium conclaue discubitorium. Nam conclaue generalius est: quod est etiam pars quædam in penatibus remotior, in qua uel uiri colloqui, uel mulieres cõfabulari solent. Aulam autẽ, quod Græcum est, nostri semper transferunt atrium. Nam aulam pro olla, Plauto uetustissimisq́ue dicendum relinquamus.

### *Penus & Commeatus.* Cap. XXXV.

PEnus ea omnia contineri dicuntur, quæ ad uictum pertinent, sed priuatum, si modo domi reposita ac recondita sunt. Nam locum ubi ista reponuntur, Varrone teste, penarium appellamus. Quę uero ad uictum publicũ spectant (sicut alio loco diximus) commeatus uocatur, sed ex paucioribus cõstat, ut sumus diligentiores pro re priuata, quàm pro publica. Ferè nihil aliud continet cõmeatus, quàm annonam, & quicquid annonæ uicem habere potest. Quanquàm (ut iterum dixi) priuatorum etiam commeatus est, nec annona tantum frumẽtaria, Cicerone dicẽte libro 2. de Diuinatione: Aut si Epicuri de uoluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore. Nescio tamen an macellum non tantum pro loco, ubi caro uenditur, accipiatur, sed ubi & annona.

### *Ceruix, Iugulus, & Collum.* Cap. XXXVI.

CEruix est posterior colli pars, unde origo est omnibus neruis. Iugulus anterior, unde uox halitusq́ue procedit. Collum omnes partes in solidum complectitur. Et quoniam nerui, qui corpus erectũ rigidumq́ue faciunt, in ceruice sunt

collocati, dicimus hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem more ferocium boum: uel qui ceruice erecta & rigida est, cōtumaciam quandam & rigorē mentis præ se fert, tanquā nemini caput inclinare uelit, tali nomine uocatur, quasi duri capitis, duræq; mentis. Ceruices etiā dicimus pro ceruice: imò singulari numero neminem ante Hortensium dixisse Quintilianus est autor. Similiter quoniam in iugulo mortifera statim plaga est præ cæteris mēbris, eademq; pars corporis uulneri obnoxia, ad quam mucro inter ipsa arma facile subit, à ueteribus dicebatur, petere iugulum, ferire iugulum, pro eo quod est, petere mortem, inferre mortem. Quintil. Inituarusq; forensium certaminū pugnam, iam in schola uictoriam spectet, & iugulum petere, & ferire uitalia, aut tueri sciat. Cicero in Verrinis: Sua confessione inducatur, ac iuguletur necesse est.

*Lib. 8. cap. 3. de Ornatu.*

### *Sinus & Gremium.* Cap. XXXVII.

Sinus est intra pectoris brachiorumq; complexum: unde sinus uestium, quales erant tunicæ Romanorum, & modo quorūdam religiosorum supra cincturam laxitas illa uestis, quæ cingulum operit. Littora quoq; curua, et quasi brachijs mare amplectentia, sinus uocamus. Gremium est inter complexum femorum, feminum'ue: quo in complexu mulieres concipere solent. Et per translationem gremiū terræ appellamus, quum semen suscipit, cōceptumq; retinet, quasi uiuentem fœtum postea paritura. Quare quū lactantur infantes, ad sinum admouentur, pueri uero iam facti à sedentibus matribus, utiq; quum illis blandiuntur, ad gremiū accipi solent. Vt Vergilius de Cupidine sub imagine pueri Ascanij:
Hęret & interdum gremio fouet inscia Dido.
Quinetiam matres nutrices'ue quum super genua collocant infantem, aut extremis uestibus repositū, & ad uterū usq; sublatum gestant, in gremio magis quàm in sinu tenere aut gestare dicuntur. Vt idem de eodem:
Et fotum gremio dea tollit in altos Idaliæ lucos.

### *Socius, Comes & Sodalis.* Cap. XXXVIII.

Socius socio dicitur, comes comiti raro dicitur. Nanq; socius est par, comes uero minor, quippe qui sequitur, & ducem habet, ut Cicero: Nō comitem se, inquit, sed ducem præbuit. Et alibi: Neq; enim princeps tunc ad salutē esse potuissem, si esse alij comites noluissent. Ideoq; duces in bello quoties milites alloquuntur, cōciliandæ beneuolentiæ gratia, nō ferè appellant comites, sed socios, communicātes quodammodo ipsorum dignitatem cum illis, ut ediuerso quum eosdem commilitones uocant, communicantes eorum conditionem, ac sortem cum ipsis. Neq; enim dux cōmilito est militū, sed milites inter se cōmilitones, ut apud Vergilium Aeneas comites suos consolans ait: O socij.
Et autor ipse sua persona loquens de Achimenide, inquit:
Comes infelicis Vlyssi. Et iterum:
Vno graditur comitatus Achate.
Neq; rectè dixeris de Vlysse & Aenea hunc esse comitem Achatæ, illum Achimenidis. Idem tamen ait:
Arma deosq; parant comites. Et iterum:
Sacra deosq; tibi commendat Troia penates:
Hos cape fatorum comites. Nunquid dij erant comites Troianorū atq; Aeneę, an duces? certe dij penates comites erant cōfessione, tum Aeneæ, tum ipsorum quoq; deorū. Nam libro primo Aeneas ait: Raptor qui ex hoste penates
Classe ueho mecum. Et in tertio dij aiunt:
Nos te, Dardania incensa, tuaq; arma secuti:
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.
Sub te, id est, te duce: & te secuti sumus, id est, tui comites fuimus. Idem quoq; de
Græcis

Græcis dicendū est,& de eorum deis. Idem etiam de Sibylla,& de Aenea,quan quàm modo hic,modo illa dux erat aut comes: tamen quia sequebatur Aeneæ uoluntatem Sibylla,& quasi ministrā se præbebat,comes erat. Quia uero ducebat pręmonstrans iter,& declarans ea quæ ignorabat, dux eadem dicitur: tamet si aliquando comitem pro socio dicimus, ut Cicero in rhetoricis de illo uiatore, qui quum ante lucem surrexisset,comitem,inquit,suum inclamauit semel & sæpius: quum de eodem antea dixisset, In itinere quidem proficiscentem ad mercatum quendam,& secum aliquantū nummorū ferentem est comitatus,id est,insecutus. Quare peccauit tum Priscianus ad Iulianū scribens: Tibi ergo hoc opus deuoueo omnis eloquentiæ præsul,ut mihi(quantumcunq; deus annuerit)suscepti laboris gloriā te comite, quasi sole quodam dilucidius crescat. Quid magis absurdum, quàm quem dicas tuum solem, eundem appellare comitem tuū hoc ipso quòd sol est? Tum ille(parco nomini sacrosancti uiri)qui dixit, Ebrietas est comes libidin s & intemperātiæ,superbia comes est odij, diuitiæ sunt comites superbiæ. Nam potius dicendū erat,libido & intemperantia comes est ebrietatis: Sequitur enim libido & intemperātia,ebrietas antecedit. Odium comes superbiæ est: superbia comes diuitiarū. Cic. Est gloria comes uirtutis. Gloria enim sequitur honestatē, sicut umbra corpus. In eodem opere nuper à quodam perdocto uiro,illud: Iracundiam laudant,comitem fortitudinis esse dicunt. Emendatum sic erat: comitem fortitudinem,ut sciremus uerum esse,quod ait Quintilianus: Dum librariorū inscitiam insectari uolunt,suam confitentur. Idem Cicero alio loco: Cupiditas dicendi pacis est comes otijq; socia. Siquidem pacem sequitur dicēdi cupiditas. Quid ergo si hęc comes est,illa dux erit? dicemusq; pax est dux cupiditatis dicendi,& ebrietas est dux libidinis & intēperantiæ. Non est hic sermo quidem usitatus,sed potius per alia uerba, quorum tria nunc in mentem uenitūt: magister magistráue, pater mater ue, materies materiáue, ut ebrietas magistra est libidinis & intemperantiæ: superbia est mater odij: diuitię sunt materia superbiæ: quibus tribus ferè indifferenter uti possumus. In personis uero magis conuenit dux, aut in his rebus, quæ personis sunt similes, qualis est fortuna quę dea fingitur. Cicero non semel dixit, fortunā non ducem, sed comitem fuisse quibusdam Imperatoribus. Est pręterea(ut eò redeam unde egressus sum) alia differentia inter comitem & socium,quòd comes est qui utcunque sequitur alterius ductum: socius plerunque in negotijs, serijsq; rebus,& fortunę arbitrio subiectis,ut Cęsar in commentarijs: Itaque Androsthenes prętor Thessalię quum se uictoriæ Pompeij comitem esse mallet, quàm socium Cęsaris, in rebus aduersis omnem ex agris multitudinem seruorum, ac liberorum in oppidum coëgit. Verum huiusmodi differentia aptior est inter socium & sodalem. Est enim propriè sodalis in rebus leuioribus,ac sępe uoluptuosis. Quintilianus: Quo tandem patereris animo,si delicatus adolescens, præsertim splendidis opibus uel ex ætate mores,uel ex fortuna traxissem,& tēpestiua conuiuia, & peruigiles iocos aduocata sodalium turba solutus,atq; affluens agerem? M. Tullius: Epulabar modice cū sodalibus. Sodalitates enim me quæstore sunt institutæ. Idem alibi: Ego Plancium Laterensem & ipsum gratiosum dico,& habuisse in petitione multos cupidos sui gratiosos, quos tu si sodales uocas, officiosam amicitiā nomine inquinas uitioso. Caius autē sodales,inquit, sunt qui eiusdem sunt collegij,quos Gręci συσσίτους & ἑταίρους uocāt. A quo non sanè discordat apud M. Tullium Antonius,qui Norbanum quæstorem suum appellat sodalem. Comis est benignus homo & facilis,qui alijs non grauate inseruit.

*Pompa & Spectaculum.* Cap. XXXIX.

POmpa omnis, spectaculũ est, sed non contrà. Pompa quidẽ in prosperis est & in aduersis, qualis est in triũpho & in funere, quasi quidã solennis apparatus & ostentatio. Cic. Sed iam è pompa in uerã aciẽ descendamus. Vergilius:
Ad delubra iuuat solenneis ducere pompas.
Quintilianus: Quid enim si respondere iubeas orbitatem, cur in exequijs totos egerat census, quid sibi uelit ille funebrium longus ordo pomparum? Spectaculum uero, nunc illud est quod spectatur, ut:
Nocte pluit tota, redeunt spectacula manè.
Nunc ipsa spectatio, ut: O acerbum spectaculum. Nunc locus unde spectatur: ut, Sedebat in spectaculis: &, de spectaculis excitatus est.

*Senecta & Senectus. Iuuenta & Iuuentus.* Cap. XL.

SEnecta est senilis ætas. Iuuẽta autẽ iuuenilis, & (ut quibusdã placet) dea ipsa melioris ætatis & iuuentutis. At senectus idem est quod senecta. Iuuẽtus uero etiã frequentia iuuenũ, non solum ætas. Seniũ quoq; pro senectute accipitur.

*Continentia & Abstinentia.* Cap. XLI.

COntinentia ab abstinentia ita differt, quòd abstinentia iustitia est. Cõtinentia uero illa, quæ inter uirtutes quarta numeratur, quæ eadẽ dicitur tẽperantia & modestia. Est enim hæc quum à uoluptatibus nos continemus. Abstinentia quum abstinemus ab alienis, nulli uim inferentes, nihil cuipiam eripiẽtes. Cicero: Si una uoluptate cõtinuerit, in alia se effuderit. Rursus: Quod beneficiũ est, quò te abstinueris à nefario scelere? Nonnunq; tamen indifferenter, ut apud Valerium Maximũ titulus est de abstinentia & cõtinentia, ubi exẽpla istarũ uirtutũ promiscua sunt. Vt tamẽ sentio, cõtinentiæ dare poteris nomen abstinentiæ, potius q̃ ediuerso. Illud enim specialius uidetur, hoc generalius, quemadmodum temperantia putatur sub iustitia esse, uel ab ea non posse separari. Illa uero sine hac frequenter est. Quare rectè continentia uocatur abstinentia.

*Pecus pecudis, & Pecus pecoris.* Cap. XLII.

PEcus pecudis & pecus pecoris, propè nihil differũt. Significatur enim hoc nomine animal, quod sub imperio hominum ex pabulo terræ pascitur, ut bos (qui taurum, uaccamq; comprehẽdit, præter suum proprium significatum) equus, caballusue, qui asinariã potius opera exercet: Asinus nõ autem onager, nec lalisio. Mulus qui proprie generatus est ex Asino, & Equa. Nam hinnulus dicitur, qui patre Equo, matre Asina genitus est, quem quidam burdonẽ nominant. Camelus quoque, nam non tantum pascitur sub magistro, uerũ in quibusdam locis inter armenta. Et eius significatio nõ modò ad marẽ fœminamq; pertinet, ut passer & aquila, sed cum genere fœminino nonnunquam iungi inuenitur: ut camelos fœtas: quale est Bos, ut apud Vergilium: Ille meas errare boues, ut cernis. Quod ideo minus mirum est, quòd Lupus etiam apud Varronẽ & Ennium & Fabiũ Pictorem in genere fœminino reperitur, siue hic Lupus Lupam quoq; significet. Huic simile est bubalus. Cæterum & ipsi Cameli, & cætera quæ enumeraui armenta faciunt, licet quidam uelint tãtum esse Boum, quasi ab arando aramenta dicta, deinde sublata tertia litera armenta. Præterea Ouis, quæ marem fœminamq; significat. Capra cum qua Caper, siue Hircus. Porcus cũ quo Porca intelligitur. Vnde fiunt greges: ut, grex Ouium, grex Caprarũ, grex Porcorum. Ouidius Metamorphoseos quarto:
Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas
Pascebant. Vergilius tertio Georgicorum:
Hæc satis armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.

Idem

Idem tamen de ceruis primo Aeneidos dixit:

Hos tota armenta sequuntur. A tergo.

Vt minus mirandum sit, si de bobus gregem dixerit, ibi:

Aut aliqnam in magno sequitur grege:

Tamen ad distinctionẽ adiecit magno, sicut Horat. adiecit mugientiũ in Epod.

Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat erranteis greges.

Quasi grex sit generalius nomen, armentum uerò specialius, & illud sine apposito de pecoribus minutis intelligatur, cum apposito possit etiã ad maiora transferri. Vt Cic. in Philippicis: Fudit apothecas, cecidit greges armentorũ. Hæc omnia pecudes & pecora dixeris, quorum exempla tot sunt, quoties hoc uocabulum reperimus. Veruntamen pecus pecoris nonnunquam reperitur pro multitudine pecorum siue pecudum, sed gregalium potius, quam armentalium, ut Vergilius:

Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Melibœi?
Infelix ô semper ouis pecus. Et alibi:
Caprigenumq; pecus nullo custode per herbam.

Ouidius Metamorph. lib. 13.

Hoc pecus omne meum est, multę quoq; uallibus errant
Multas sylua tegit, multæ stabulantur in antris.
Nec (si fortè roges) possim tibi dicere, quot sunt.
Pauperis est numerare pecus: de laudibus harum
Nil mihi credideris: præsens potes ipse uidere,
Vt uix sustineant distentum cruribus uber.
Sunt fœtura minor tepidis in ouilibus agni.
Sunt quoq; par alijs ætas in ouilibus hœdi.

Cur dixit multę & harũ, quum nullum genus antea nominasset? nisi quòd intellexit oues & capras, quas postea nominat. Cic. in Verrem: Nominat iste seruum, quem magistrum pecoris esse diceret. Verg. tamen Georg. tertio ait:

Pascitur, itq; pecus longa in deserta sine ullis
Hospitijs, tantum campi iacet, omnia secum.
Armentarius Afer agit.

Armentarium pecoris dixit. Nonnunquã pecus pecoris significat ouem, nec solum uulgò ubi hęc animalia pecora dicuntur, uerumetiam apud graues autores, quorum est Plin. qui lib. 8. cap. 49. inquit: Est & in Hispania, & maxime Corsica non absimile pecori, genus mufionum caprino uillo quàm pecoris uelleri propius. Quorũ è genere & ouibus natos prisci Vmbros uocauerunt. Infirmissimum pecori caput. Et non longè pòst: Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octauo, boum tricesimo. Quintilianus: Cur in usum uestium sæpe pecori lanę detrahuntur? Præter pecudes autem cæterę quadrupedes ferę sunt: licet proprie uideantur ferę dici, quæ feritatem habent, ut Leones, Vrsi, Pardi, Lupi, Vulpes. Harum quæcunque mansuefactæ sunt, cicures uocantur, qualis Canis, qui nec pecus, nec fera est, licet, sit natura ipsa non tantum fera, sed etiam ferus: qualis Elephas, siue (quod usitatius est) Elephantus ad bella domitus, alioqui fera natura, de quo nomine idẽ, quod de Camelo fortasse dici potest, quòd & communis generis sit, & armentum faciat. Quidam suem domesticum tantum, cicurem uocant. Ego potius aprum dixerim, qui ex fero cicur est factus. Nec aprum modò, sed etiam Onagrum, Ceruum, Capreolum, Damã, Capream, Leonem quoque: deniq; quicquid cicurari potest. Cicurare enim (ut Varro ait) est mansuefacere. Quod enim à fero discretum est, id dicitur cicur: & ideo dictũ cicur ingeniũ obtineo, id est, mansuetum.

innatum à cico cicur uidetur. Cicum dicebant membranam tenuem, quę est in malo punico discrimen. Hęc Varronis uerba confirmat Cicero, ubi ait: Nam alię sunt feræ, alię cicures, alię natantes, aliæ uolucres.

*Collis, Iugum, Cliuus, & Promontorium.* Cap. XLIII.

COllis est (ut ita dicam) monticulus, siue per se, & à monte separatus, siue pars montis. Iugũ (ut etiã ita dicam) ipsa arduitas montis, & procliuis, ac prona supinitas, cui similis est in colle Cliuus, tamen mollis magis, et clemens, ut cliuus capitolinus, cliuus qui ducit ad Ianiculum, cliuus montis Auentini, quos omnes scimus esse in urbe Roma colles. Vnde quidã uocãt eam urbẽ Septicollẽ. Et antiquitus fiebãt festa quędã Septimontalia. Liuius: Itaq; quum per Castilinum euadere nõ posset, petendumq; montes, & iugũ Caligulæ superandum. Et alibi: Quantum in altitudinẽ egrediebantur magis, magisq; syluestria, & pleraq; inuia loca excipiebant. Vt uerò iugis appropinquabãt (quod rarũ in alijs locis esset) adeò omnia contecta nebula, ut haud secus, quàm nocturno itinere impedirentur. Promontoriũ locus est in mari prominens, ut Plinius lib. 26. Promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planũ. Liu. lib. 33. Aut aperientibus classem promontorijs. Idem 45. Adiunctaq; insula Euboea, & excurrente in altum, uelut promontorium, Attica terra sita.

*Officina, & Taberna.* Cap. XLIIII.

OFficina, est ubi opera fiunt. Taberna ubi opera ipsa, cæterę q; merces uenditantur. Officina est statuarij, fusoris, flatoris, cælatoris, excusoris, uitrearij, pictoris, sutoris, fabri, qui multiplex est, lignarius, & hic non unius generis, ferrarius, nec hic simplex, lapidarius, qui & ipse in multas diuiditur species. Taberna uocatur uinaria, lanaria, olearia, & mille huiusmodi: unde opifices, & tabernarij uocantur. Cicero pro Lucio Flacco: Opifices, & tabernarios, atque omnem illam fecem ciuitatũ, quid est negocij concitare? Nec negauerim aliquando unum, eundemq; locum officinam, & tabernam esse, ut sutrina, in qua calcei & fiunt, & uenduntur. Quędam igitur artificia (quanquam sola artificia sunt opificum) cætera quæstus, & operæ dicuntur: sed quædam huiusmodi semper habent suum nomen, ut hæc ipsa sutrina sutoris, & lignarij propriè fabrica, aurificis aurificina, cauponis caupona, tamen & eam, quæ uinum uenditat, cauponam uocamus. Quidã malunt dicere cauponã, pro loco. Argentarij argentaria, quod nomen quidam, pro artificio, & argentariũ pro artifice (qui idem est aurifex) accipiunt: atq; ita est in Hieremia. Titus autem Liuius, Cicero, Quintilianus, cæteraq; omnis antiquitas pro his accipit, qui campsores uulgò dicuntur, nõ illos dico minutos, qui nummularij, & mensarij à nobis, κολλυβιστὰς à Græcis dicuntur, qui ijdem trapezitę uocari possent. Nam colybistæ trapezas habent. Sed Plautus in Curgulione trapezitam, & argentarium pro eodem accipit.

*Auis & Volucris.* Cap. XLV.

AVis est, quæ oua parit, pennisq; est prædita, pręter unum uespertilionem, qui utroq; caret, quatuor enim pedes habet, & semimus est. Volucris est quęcunq; uolat, nec auis solùm, sed illę bestiolæ quoq; minutiores, ut apes, uespa, culex, tabanus, locusta, musca, cicada. Siquidem Quintil. apes uolucres uocat. Et Plin. non semel hoc signat, unde & Cupido uolucer dicitur.

*Indoles.* Cap. XLVI.

INdoles est non solùm in pueris, & adolescentibus significatio futurę uirtutis, ut apud Quintilianum: In primis annis laudaretur indoles. Cic. Vt enim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur. Et Valerius titulũ de indole fecit, nõ tantũ puerorũ, adolescentiumq; exẽpla repetens, sed etiã in uiris, et quidem præsentis uirtutis, ut idem Cic. de Offic. In quibus est uirtutis indoles,

indoles, commouentur. Idem pro Cælio: Si quis iudices hoc robore animi, atque hac indole uirtutis, & continentiæ fuit, Liu. de Lauinia iam matre, & post mortẽ Aeneæ res administrante inquit: Tanta in ea uirtutis indoles fuit. Lucanus:

Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis.

Indole quasi generositate quadam uirtutis, atque animi. Liuius ad malam quoque partem, & ad muta atque inanimata transfert, loquens de Annibale, sic: Cum hac indole uirtutũ & uitiorũ triennio sub Hasdrubale Imperat. meruit: Et alibi: Sicut in frugibus, pecudibusque nõ tãtum semina ad seruandũ indolẽ ualent, quantum terræ proprietas, cœlique sub quo aluntur: generosius in sua quicquid sede gignitur, insitũ alienæ terræ in id quod alitur, natura uertente se degenerat.

*Concio.* *Cap.* XLVII.

CONcio est populi multitudo congregata uel ex magistratus iussu, uel ex publici sacerdotis, uel interdum sua autoritate, & spõte propria ad audiendũ oratorem concionantem in bonum publicũ, cuius etiam oratio uocatur concio. In priore significato est Græcè ἐκκλησία, quam nos pro Latina uoce habemus. Multique ecclesiam nescio quo iure ædes sacras appellant, quum cœtum hominum, ut dixi, significet, non loca.

*Aliud Leges esse, aliud iura.* *Cap.* XLVIII.

LEges iuraque scripta sæpe inuenimus: ex quo datᷣ intelligi aliud esse leges, aliud iura. Sunt igitur leges aut principis, aut liberi populi, quæ à rege conduntur, alterius consensum non requirunt, quæ ad populum feruntur, quæque sine eius iussu ferè ratæ non sunt: quia rogari, id est, interrogari de his populus solet, rogationes etiam dicuntur. Iura autem magis generalia sunt. Siquidem & ius gentium est, & ius ciuile. Nam ius naturale dicere, quod natura omnia animalia docuit, ridiculum est. Appetitum coëundi, atque adeo nocendi imbecilliori animali, spoliandi, occidendi, quis ius esse dixerit? Ideoque M. Tullius in libro Officiorũ de iure naturali silentiũ egit, inter solos homines ius esse significans, idque gentium esse uel ciuile. In rhetoricis tamen ius naturale statuit, sed quod in homines tantũmodo cadat: cuius species sex esse uoluit, religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruantiam, ueritatem. Sed hæc hactenus. Ius ciuile dicimus tam leges, quàm plebiscita, senatusconsulta, decreta principũ, responsa prudentum: quod ultimum uelut interpretatio est superiorum: quod qui profitentur, iurisconsulti nominantur. Qui uerò legem fert ad populum, ferè orator est, aut præsidio oratoris indigens, ut appareat quantò præstantior orator est, quàm iuriscõsultus, quũ hic sit quasi illius scriba: aut ille præceptor, hic pædagogus: ille dux, hic ducis legatus atque assecla. Quid dicã de iurisperitis, hoc præsertim tempore, qui cũ maximo ab illis Consultis interuallo distent, se literatorũ arcem tenere arbitrantur? quorũ quanta sit eruditio, uel hinc colligi coniectura potest, quòd quoties Pauli, Vlpiani, aliorumue testimoniũ assumunt, legẽ nominant, quũ lõgè aliud sit, legẽ esse, & habere uim legis: quodque deformius est, unã legẽ in plures partiuntur: uerbi causa: Ad legem Aquiliam, quoties Scæuola, quoties Papinianus aliusue quis loquitur, etiam si bina uerba, & quidẽ à superioribus dependentia, toties nouã legem appellant: nõ ab aliquo legislatore unã legem, sed ab infinitis interpretibus legum, infinitas leges esse iudicantes. Etiã titulum de uerborũ significatione non legẽ, imò leges appellant: quo quid absurdius?

*Aceruus, Strues, Strages, & Sarcina.* *Cap.* XLIX.

ACeruus minutarum propriè rerũ congeries est, ut frumenti & leguminis ut salis. Interdum aliquantò etiã maiorũ, ut aceruus scutorũ apud Vergilium. Et ferè generale ad omnia est. Strues autem propriè lignorũ. Strages uerò

cadauerum interfectorum uno in loco, ac propriè iacentium multitudo, siue humanorum, siue mutorum. Sarcina utensilium, & eorum quę ad cultum, ad ornatum, & ad cæterum usum pertinent (ut sic dicam) fascis, quem quis in itinere faciendo comportare possit. Siquidem milites quum castra mouere uolunt, sarcinulas colligere dicuntur: & qui in aliam domum immigrant, sarcinas suas componere. Res enim nostras domi cistis capsisq; compositas, sarcinas uocamus, ut apud Quintil. Iacent relictæ sine hærede sarcinę.

*Inter Ministerium & Mysterium.* *Cap.* L.

MInisterium ministri opera est proprie, sed pro omni operatione quoq; accipitur, ut de rege Latino Vergilius:
Mœstusq; refugit
Fœda ministeria.
Mysterium uerò Græcum est μυστήριον arcana quędam res, & proprie diuinis uiris sacerdotibusq; tantũmodo cognita. Illud prius in numero plurali solet accipi pro ministris, sicut seruitia pro seruis. Nam seruitiũ, aut seruitus ipsa, aut seruitutis actio est, ut Dauus apud Terent. In Andria, Act. 4. sce. 1.
Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctesq; & dies
Capitis periculum adire, dum prosim tibi.
Afferamus etiam in alijs exempla. Sallustius: Interea seruitia repudiabat, quorum in initio ad eum magnę copię concurrerant, quia opibus coniurationis fretus, simul alienũ suis rationibus existimans uideri causam ciuiũ cum seruis fugitiuis cõmunicasse. Quintil. sæpe ministeria pro ministris dixit, ut ibi: Non torsit ministeria cæci. Et officia pro officialibus, obsequiaq; exhibentibus. Paulus iurisconsultus teste Labeone ait: Vrbica ministeria dicimus etiam, quę extra urbem nobis ministrare consueuerunt. Vlpianus deniq; concubinam, filios naturales alumnos constituit generali appellatione contineri, & si qua alia sunt eiusmodi ministeria. Liuius lib. 4. Frumento nanq; ex Hetruria priuata pecunia per hospitum, clientumq; ministeria coëmpto

*Scurra & Parasitus.* *Cap.* LI.

SCurra est, qui risum ab audientibus captat non salua dignitate personę. Parasitus, qui omnia ad uoluntatẽ eius loquitur, in cuius cõtubernio est: omnia assentatur, omnia illius facta, simul ac dicta laudat, nihil repugnat, nihil facere recusat uentris gratia, in quo summum bonum constituit, quorum magna copia in principum domibus est.

*Bucca, Gena, Mala, & Cilium.* *Cap.* LII

BVccam & buccas pro eodẽ accipimus. Oratores frequentius in singulari: unde illud usitatum: Dicam quicquid in buccã uenerit, id est, in os: sed nõ in labra, ut uulgus existimat, Quintiliano probante, qui ait: Ore enim magis, quàm labijs loquendum est. Sed uulgus errat atq; fallitur, quum legit buccam, & duas buccas: in illa accipiens unum os, in his duo labra. Verùm ego ostendi, os, ipsam concauitatem esse, unde uox prodit, non oram labrorum. Etenim Iuuenalis quũ ait, Bucca foculũ excitat: non de extremitate oris, sed de interiori parte dixit, quæ inflari solet, uentũq; concipere: Et iterũ de tubicinibus loquens: Notęq; per oppida buccę: de illa deformi utrinq; inflatione intellexit tubã inflantiũ, non de labris, quę latent, cùm tuba canit. Nam & Horat. quoq; quũ inquit: Quin illis Iuppiter ambas Iratus buccas inflet.
Nõ de labris locutus est, quæ inflari nõ possunt. Quod Plaut. apertius docet in Pœnulo: Nescias utrũ ei maiores buccę, an mammę fient. Quid aũt buccę significent, ex Plin. audiamus, simulq; quid malę, quid genę, quid cilium. Hæc enim

eodem loco tractat is, præterquàm quòd alibi dicit buccarũ sinus. Et iterũ buccarum inanitas, ita lib. 11. cap. 37. ait (sequar autem ipsius ordinẽ, seriemq́; libri) Quibus fragilia operimenta, ijs oculi duri. Omnia talia, & pisces, & insecta non habent genas, nec integunt oculos. Omnibus membrana uitri modo translucida obtenditur. Pauloq́; pòst. Sed quadrupedi in superiore tantũ gena, uolucribus in inferiore: Ac paulò pòst: Grauiores alitũ inferiore gena conniuent. At quadrupedes, quę oua pariunt, ut testudines, crocodili, inferiore tantũ sine ulla nictatione, propter prædurôs oculos. Extremũ ambitũ genæ superioris antiqui cilium uocauere, unde & supercilia. Hoc uulnere aliquo diductũ non coalescit in paucis corporis humani membris. Infra oculos malę homini tantũ, quas prisci genas uocabant, 12. tabularum interdicto radi à fœminis eas uetante. Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur pudor. Infra eas, hilaritatẽ, risumq́; indicantes buccæ. Et altior homini tantum (quem noui mores subdolę irrisioni dicauere) nasus. Non alij animaliũ nares eminent. Auibus, piscibus, serpentibus, foramina tantum ad olfactus sine naribus. Et hinc cognomina simorum, silonum. Septimo mense genitis sæpenumero foramina aurium, & nariũ defuere. Labra, à quibus Brunchi, Labeones dicti. Ex his Plinij uerbis apparet etiam in uultu partem uocari buccas, quę uento inflari solet, genam membranã illam, & quasi uestem, qua occulus integitur, & conniuet, id est, aperitur, & clauditur, hoc enim est conniuere. Malam uerò illud inter genam, & buccam, quasi rotũdam in speciem mali (nam utrunq́; horum uocabulorum primam longam habet. Malus uerò mala malum, primam breuem) cuius interior pars, quæ oris hiatum efficit, ubi molares affixi sunt, maxilla dicitur, nomen diminutiuũ, non re, sed uoce. Malam quoq́; genam dici Plinius idem fatetur. Ideoq́; dens ille intimus, & ipsi genæ affixus, geminus dicitur, qui quia maximè latet, ea re factũ est iam tritum uetustate prouerbium: genuino rodere dente, id est, latenter per inuidiam carpere famam alterius, & hoc (ut ille testatur) à posterioribus. Nam ueteres tantum membranã illam oculi, genã appellabant, quam uetustatẽ à posterioribus quibusdam seruatã reperimus, nec poëtis modo, ut draconis genę, pro oculis: continens pro contento, & Seneca in tragœdia de Oedipo loquens, inquit: Et per irati sibi genas parentis. etiã cõtinens, pro contento. Verum oratoribus quoq́;, ut Quintil. de cæco loquens: Illa perpetua nocte clausæ genę non custodierunt.

### *Pastio, Pastus, Pabulum, Esca, Pasco, Pascor, & Vescor.*

### Cap. LIIII.

PAstio uidetur significare cibũ, sed tamen potius ad alimenta pecudũ pertinet, quæ pasci dicimus, quanquàm suapte natura significat ipsam actionem pascendi, nunc frequentius cibum. Pastus homini competit. Varronis liber de Re rustica titulum habet de uillaticis pastionibus, uidelicet, quæ ad bruta pertinent. Cicero Tusculanarum lib. 5. Cum oblectatione solertię, qui est unus suauissimus pastus animorum. Pabulum est pecudũ quidem, & tamen aliorũ quoque brutorum, quantumq́; ego sentio, magis cibus herbaceus, fœniceusq́; ac palaceus, & stramentitius, similiumq́;, quàm ex seminibus. A pasco enim & hoc descendit, sicut pastio. Escam antiqui accipiebant etiam, quod dabatur auibus, piscibus'ue ad decipiendum, non solum pro cibarijs humanis, aliorumq́; animaliũ. Quomodo autem pasco neutrũ, & pascor deponens, idem significent, Priscianus uiderit, qui hoc sibi persuasit. Est enim pascor comedo, & uoro, semperq́; regit accusatiuum, illud uerò sine accusatiuo, ut:

Pascentes seruabit Tityrus hœdos.

Propriè pascere bestiarum est, sicut uesci hominum, nisi quòd hoc regit ablatiuum, & aliquando potũ quoq́; complectitur, ut Ancharsis apud Ciceronem:

Carne,

Carne, caseo, lacte uescor. Pro quo significato non recte dicam, carnẽ, caseum, lac pascor. Aliud ergo est pascor, aliud uescor.

*Incola, Inquilinus, & Accola.* Cap. LIIII.

INcola, qui in alterius regione habitat. & in aliena ciuitate atq; republica. Inquilinus, qui in alieno priuato, propriè tamen in conducto siue in urbe, siue ruri. Cic. de Offic. Peregrini, & incolę officiũ est, nihil præter suũ negociũ agere, nec esse in aliena republica curiosum. Idem in Philipp. Quę in uilla ista antè dicebantur, quæ literis mandabantur, iura Pop. Romani, monumenta maiorũ, omnis sapientię ratio, omnisq; doctrina: At uerò te inquilino nõ domino, personabant omnia uocibus ebriorum. hoc est in quo incola differt ab inquilino. Rursus incola ita differt ab accola, quòd incola, qui in loco: accola, qui ad locũ habitat: ideoq; quicunq; iuxta aquas sunt, accolę dicuntur, nec refert in suo, an in alieno: ut, accola Vulturni, accola Padi, accola Rhodani. At qui in montibus domos, urbesq; positas habent, incolæ dicuntur: qui iuxta montes, accolę. Nec immeritò legendũ est illud in psal. 104. Et Iacob incola fuit in terra Cham: non autẽ accola, quia uox Græca etiam consentit παρῴκησεν: licet multis alijs in locis apud Hieronymum quoque hoc uocabulum reperitur sic positum.

*Campus, Area, & Ager.* Cap. LV.

CAmpus est planicies terrę ampla, & grandis, ideoq; spatiosę plateæ, areæue, campi nomen acceperũt. Romę campus Martius: nam locus huiusmodi angustior uocatur area. Ager uerò, tum circumiectum ipsi urbi territorium: ut, ager Campanus, ager Leontinus, ager Faliscus: tum locus in rure, quem colimus siue arando, siue conserendo. Nam is, qui seritur frumentis, aruum nominatur. Verum in hoc secundo significato habet pluralem numerum: ut, omnes agros ciuium depopulatus est: in priore nõ habet, duntaxat dum loquimur de singularium urbium territorijs: non enim dices rectè sic: Antonius dedit militibus suis agros Campanos, & Leontinos: nam hoc pacto non complector nemora, saltus, pascua, desertos montes, sed sic potius: Dedit militibus suis agros Campanum, & Leontinum, id est, agrum Campanum, & Leontinũ: quo quidem modo complector omnia, quæ in territorio illo sunt. Ager etiam flumina, lacus, cæteraq; omnia includit.

*Sylua, Lucus, Saltus, & Nemus.* Cap. LVI.

SYlua, & lucus, saltusq; sic differunt, quòd sylua generalius nomen est: præterea solet esse cædua. Lucus nequaquã cæduus est, quin potius manu consitus, religiosus, atq; uel alicui deo, uel alicuius hominis cineribus consecratus. Ideoq; aut circa delubra numinum, aut circa sepulchra uirorum positus est. Saltus uerò, sylua inuia, nec transeuntibus peruia, in quo pasci, atq; æstiuare pecudes solent: aut si locus, aërq; patiatur, hyemare. Nemora autem uoluptatis causa comparata sunt, & plena amœnitatis.

*Femora, Femina, & Coxa.* Cap. LVII.

FEmora partem illam exteriorem significant. Femina partem interiorem, molliorem q;, quæ se contingunt: uel Femora partem anteriorẽ, Femina posteriorẽ. Liu. lib. 22. Quosdã & iacenteis uiuos succisis feminibus, poplitibusq; inuenerunt. A quo conficitur nomen femoralia, siue feminalia (utroq; enim modo scriptum reperio) pro braccis. Tamen nominatiuus femen nõ reperitur. Coxa pars supra femora, uertebrumq; ipsum, quoties uitiatũ est, aut os illud, quod in uertebro uoluitur fractum, coxa uitiata, fractaue dicitur.

*Crimen, & Flagitium.* Cap. LVIII.

CRimen non modò pro delicto, sed pro ipsa etiam criminatione. Cicero in Philipp. Hæreditatẽ mihi negasti obuenisse, utinã hoc tuũ uerum crimen esset.

esset. Flagitium propriè in libidine, quasi flagris dignum crimen; sed pro cæte/cæteris quoque peccatis accipitur: nec tantum turpibus, uerum his etiam, quę per negligentiã, imprudentiam, obliuionemq́ue cõmittuntur, ut idem in Bruto: Tantam'ne fuisse obliuionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem senserit quantum flagitij admisisset? id est, erroris.

*Vectigal & Fœnus.* Cap. LIX.

VEctigal non solùm ex publico, uerumetiam ex priuato capitur, ut in Paradoxis Cic. Ex meo tenui uectigali capio ego ducenta. Et iterũ: Non intelligunt homines quantũ uectigal parsimonia est. Paulus: Cæsę arundinis, uel pali compendium, si in eodem fundo uectigal esse consueuit, ad fructuarium pertinet. Ex omni tamẽ prædio uectigal est. Fœnus uerò ex solo ipso. Nam dicitur naturalis fructus terrę fœnus. Postea autem ad usuram translatum, quasi pecunia per se fructum producat sicut terra.

*Luctus.* Cap. LX.

LVctus est dolor, qui exterius proditur uultu ipso, atque aspectu. Sæpe ipse habitus, uultus, atque uestis, luctus est. Vnde de secũdo bello Punico post cladem illam Cannensem censuerunt Patres conscripti, ne fœminę ultra triginta dies in luctu essent: non uidelicet, ne in dolore (nõ enim imperare dolori possumus) sed ne in illo lugubri habitu. Et matronę Iunium Brutum anno luxere, tanto tempore item Publium Valerium.

*Otium.* Cap. LXI.

OTium uacatio à labore, quod notum est, cuius contrariũ est negotiũ. Sed quia hi qui studijs operã dant, necesse est, ut non negotiosi sint, factũ est, ut otium pro literario studio accipiatur, ut Quintil. Inquirendo, scribendóque talia consolemur otium nostrũ. Non desiderat otium solatiũ, sed labor: ergo pro labore studij otiũ accepit. Cic. Quid dulcius otio literario? id est, studio, & (ut ita loquar) negotioso otio? Tale quid habet apud Græcos σχολὴ.

*Amor & Charitas, Caritas & Penuria.* Cap. LXII.

AMor genus est, charitas species. Illud ad omnia pertinens, hoc autẽ ad homines. Demum & quidem pro dignitate, ac qualitate personarum. Maxima quidem charitas debetur parentibus, proxima filijs, et deinceps reliquis. Caritatem etiam pro penuria accipimus, sed frumenti quidem et annonæ caritatem dicimus. Penuriã uerò uini, aquæ, pabuli, pecorũ, pecunię, uirorũ, cæterarumq́ue huiusmodi rerũ. Vel penuria est (ut sic dicã) carentia omniũ rerũ. Caritas uero quę contraria est utilitati. Ideoq́ue Plin. Iunior ait, accessisse agris suburbanis caritatem. Et Quintil. quum ait: Itaque caritas annonę, rarum frumentũ, cædes ac direptio pecorũ: idem est, ac si dixisset caritas annonę, penuria frumenti.

*Seditio & Factio.* Cap. LXIII.

SEditio uel à seorsum sedendo, uel (ut Ciceroni placet) à seorsum eundo dicta, tunc est, quum populo secum discordante, res ad manũ uocatur. Qualem ciuitatis statum Vergilius describit, sic dicens:

Ac ueluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sæuitq́ue animis ignobile uulgus:
Iamq́ue faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.

Similiter dicitur seditio in exercitu, in classe, in schola, & si quid est tale. Factio est diuisio ciuium in diuersa studia, quũ aliqui se principes & primarios in ciuitate efficere conantur, inter quos æmulatio est, qui & factiosi dicuntur, pro se quisque quàm maximam potest ciuium multitudinem (qui clientes uocantur) ad se trahens, sibiq́ue quouis pacto per fas, nefasq́ue concilians, quæ pestis intestina cunctas ciuitates duntaxat Italiæ infecit.

Bellum

*Bellum, Prælium, Pugna, & Certamen.* Cap. LXIIII.

BEllum est tum ipsa pugna, tum totum tempus, quo in militia sumus, quam illiterati guerrã uocant. Præliũ ipsum tantũmodo armorũ certamen. Nam & pugna, certamenq; etiam citra arma fit. Interdum etiam fit nudis uerbis.

*Copia & Copiæ.* Cap. LXV.

COpia, facultas, potestasq; est: ut, faciam tibi copiã inspiciendi libros meos, id est, dabo tibi facultatem, uel faciam tibi potestatem: ut enim alio loco dixi, semper iunctũ est cum uerbo facio, duntaxat apud oratores. Nam poëtę cum aliis uerbis, & præcipuè cum do. Vt Vergilius:

Affari extremum miseræ data copia matri. Et iterum:

Postquàm introgressi, & coràm data copia fandi.

Sine his autem duobus uerbis, copia plerunq; pro abundantia accipitur. Vnde dicta est copia orationis, & copia pecuniarum, & copia frumenti. In plurali quoque pro eodem significato: ut, noui copias tuas, omniũ rerum copias habeo. Peculiariter tamen appellamus militũ multitudinem, ut copię Pompeij, copiæ Cæsaris, copiæ aduersariorum: pro quo imperiti dicunt gentes aduersariorum, gentes nostræ. Et in hoc etiam significato nonnunquam in singulari, ut Pompeius ad Domitium: Neq; solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris. Idem ad eundem: Etiam atq; etiam hortor, ut cum omni copia quàm primũ ad me uenias. Sallustius: Postremò ex omni copia Catilinæ neq; in prælio, neq; in fuga quisquam ciuis ingenuus captus est. Vergil. in 2. Aeneid.

Et quæ sit me circum copia, lustro.

*Elogium.* Cap. LXVI.

ELogium est testificatio de aliquo siue honoris, siue uituperationis causa. Vituperationis, ut Quintil. Non est iudices, quòd putetis ideo nullũ adiectum ad exhæredationem iuuenis elogium, quia de scelere constaret. Et alibi: Si exhæredatum à se filium pater testatus fuerit elogio, propterea quòd is meretricem amaret. Multa sunt huiusmodi exempla apud iurisconsultos, sed unum suffecerit Modestini, ubi huius nominis (nisi ab altero adiecta sit) interpretatio reperitur. Cuius hæc uerba sunt: Desertorem auditum ad suum ducem cum elogio, id est, cum uituperatione mittat. Honoris causa, ut M. Tullius: In quod elogium plurimę consentiunt gentes, uirum esse ciuitatis primariũ, &c. Et iterum: Quid elogia sepulchrorum? Quæ qualia sint, Sueton. in Claudij uita ostendit, dicens: Nec contentus elogiũ tumulo eius uersibus à se compositis insculpsisse, etiam uitæ memoriam prosa oratione composuit. Seneca in Declamationibus: Decessit negotiator, testamento omnium bonorum reliquit formosam uxorẽ hæredem, & adiecit elogium, quia pudicam comperi. Pro simplici autem sententiæ suæ testificatione, Cicero: Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat uelle suam mortem dolore amicorum, & lachrymis uacare.

*Condictio, & Conditio.* Cap. LXVII.

COndictio à condico nascitur. Conditio à condo. Illud rarius est, quod ita Iustinianus (si credimus hominem Græcum Romanis iura potuisse præscribere) definit. Condicere est denuntiare prisca lingua. Nunc uerò abusiue dicimus condictionem actionem in personam, quam actor intendit sibi dari oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denuntiatio fit. Ergo condictio erit uel hæc actio, uel illa denuntiatio. Conditio uerò multi his temporibus male (ut pleraq;) usurpãt, accipientes pro mẽtis qualitate, ueluti hic est homo mansuetę & bonę cõditionis: quod antiqui dicebãt boni & mansueti ingenij. Nos quoq; mansueti animi, & mansuetæ mentis: nos cum dico, de illis dico, qui Latinè loquuntur. Nam homo bonę conditionis, Latinè dicitur, si ad fortunas referatur,

tatur, nō si ad mores. Vt, ille est uir magnę, paruæ, mediocris cōditionis, id est, dites, pauper'ue, aut inter hos medius. Ego sum positus in hac cōditione, id est, fortuna, ac sorte. Cic. O miserā conditionem administrandi cōsulatus. Huic significato illud penè par est, quum inter plura eligendę sortis est oblata electio, ut apud Mar. Fabium: Oblata est à iuuenibus tyranno conditio, ut dimitteret alterum ad uisendam matrem, ad diem præstitutum reuersurum, ita ut nisi accurrisset ad diem, de eo, qui restiterat, pœna sumeretur. Dicimus igitur offero conditionem, uel fero, uel pono conditionem. Nunquàm ferè per aliud uerbū. Quæ conditio dum placuit, etiam ferè semper dicimus, accipio conditionē. Vt apud Terentium amatores Chrysidis tulerunt mulieri conditionem, si uellet eis morem gerere, se daturos illi pretium, liberalemq́ꝫ mercedem. Ipsa uerò accepit conditionem, hoc est, pactioni, promissioniq́ꝫ assensit. Ab illo significato non longè absunt, offero electionē, do optionem. Hęc tamen solent esse inter plura, illud uerò in uno frequentius, ut offero electionem utrū uelis eligendi, & do optionem, quod uelis potissimum optandi: deinde tu aut eligere te dicis, aut optare. Offero conditionem Chrysidi, unam scilicet.

*Frondes & Folia.* Cap. LXVIII.

FRondes arborum sunt tantum. Folia autem & arborum, & herbarum, & florum quoque.

*Excubiæ, & Vigiliæ.* Cap. LXIX.

EXcubiæ diurnę, & nocturnæ. Vigilię tantummodo nocturnæ.

*Suffragia.* Cap. LXX.

SVffragia sunt (ut sic dicam) uoces, quę dicebantur ad comitia, in tabella'ue scribebantur, quibus suam quisq́ꝫ declararet uoluntatem de aliquo eligendo in magistratū: qualis est hoc tempore electio summi pontificis, & eius quē Cæsarem Augustum Christiani non erubescunt appellare, à damnatis nominibus tyrannorum, qui non modo oppressere Rempublicā, ut nemo iam possit uocari rex Romanorum, sed sub eorum gladio, REX uerus cœli & terræ occisus est. Et postea isti insani, & nostræ religionis immemores, uocant diuum Augustum, diuū Claudium, diuū Traianū, quasi uulgus atq́ꝫ homines possint principes referre in deos. Sed hæc omittamus, hoc tantum dicentes, Romanos non agnoscere regem aliquem. Et quum cæterę gentes in libertatem se asseruerint, hoc multò magis nobis licere. Suffragia igitur (ut dicebam) sunt uoces in electionibus, quod suffragium, quia cui præstamus, nimirū eidem gratū facimus: hinc factū est, ut suffragiū, pro auxilio sæpe ponamus, et suffragor, pro auxilium fero. Refragor repugno, propriè quidē in dictis, sed nonnunquam & in factis.

*Catulus, Pullus, Hinnulus, & Fœtus.* Cap. LXXI.

CAtuli sunt ferarum siue immitium, siue mitium. Nam & catulos muriū legimus. Pulli uerò pecudū. Fœtus auium & pisciū, quanquàm & hoc generalius nomen est. Vnde fœtificare, pro parêre: & fœtura, pro partu, ad omnia animalia muta pertinet. Ceruorū hinnulos dicimus, capreolorū quoq́ꝫ, caprearum, damarū, leporū, similiumq́ꝫ. Catulos quoq́ꝫ serpentū, ut Verg. de colubro:
Catulos tectis atq́ꝫ oua relinquens.
Immaniumq́ꝫ piscium, qui non edunt oua. Propriè tamen catuli sunt filioli canum. Vergilius:
Sic canibus catulos similes.
Cicero de Diuin. Erat autem mortuus catellus eo nomine.

*Lues, & Pestis.* Cap. LXXII.

LVes, & pestis hoc differunt, quo genus, & species. Nam quum in urbe, aut in agro febris, aliud'ue genus morbi sæuit, siue solos homines, siue sola pe-

cora, siue utrosque corripiens, lues dicitur: interdum etiã si arbores ac sata. Pestis uerò aut citò occidit, aut citò abit, ab eo, quem inuasit, quæ eadẽ dicitur pestilentia. Nonnunquã tamen pro lue ponitur, atque ad animi uitium sæpe transfertur.

*Corpus, & Caro.* Cap. LXXIII.

CORpus potius, quàm carnem nostrum uiuentiũ dicimus, & hominẽ corpulentũ potius, quàm (ut aliqui loquuntur) carnosum. Quintil. in 6. Corpulento litigatori, cuius aduersarius item puer circa iudices erat, ab aduocato latus, quid faciam? te ego baiulare non possum. Item in primo: Ossa detegunt, quæ ut esse & astringi neruis suis debent, sic corpore operienda sunt. Idem in quinto: Neruisque illis, quibus causa continetur, adijciunt, inducti super corporis speciem. Et alibi: Hæret astricta nudatis ossibus cutis, & in fame sua homine consumpto iam membra sine corpore. Cic. ad Gallum: Ego hîc cogito cõmorari, quoad me reficiam. Nam & uires, & corpus amisi. Sed si morbũ depulero, facilè (ut spero) illa reuocabo. Quod etiã significauit Mart. quum ait:

Viuebant laceri membris stillantibus artus,
 Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Videlicet quòd in corpore illius non erat caro.

*Lamina & Bractea.* Cap. LXXIIII.

LAminam tam ferream, æream, plumbeam, stanneam, quàm aureã, argenteam, electream, aurichalceam dicimus. Bracteam potius ex his posterioribus: aut certe bractea tenuis est, & sua sponte plicabilis. Lamina uerò crassior, ex quo armatura cõficitur, & qua incensa olim homines torquebantur: nec crepitat ut bractea præ tenuitate. Vergil. in sexto:

Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice, sic leni crepitabat bractea uento.

Veruntamen ita tenuis nonnunquam bractea est, ut crepitare non possit, ut illa ex qua fit auratura, & argenteatura.

*Munimenta, & Monumenta.* Cap. LXXV.

MVnimenta sunt munitiones castrorum, cæterarumque rerum, quæ contra aduentum hostium muniunt siue uallo, & fossa, siue alio quouis modo, quo sunt milites (ut dixi) ab hostium aduentu muniti. Monumenta, i mutata in u, sepulchra, statuę, tituli, libri, cæteraque, quæ nos alicuius rei præteritę moneant. Nam de futuro (ut quidam uolunt) ideo sepulchra appellari monumẽta, quòd nos nostræ ipsorum mortis admoneant, falsum est. In honorem enim mortui illa tantummodo fiunt, non in publicam præceptionẽ, uixque monumenta dixerim, nisi literæ aut alij tituli appareant: quæ si desint, magis sepulchrum, quàm monumentum erit. Liuius lib. XLVIII. Vtrobique monumenta ostenduntur, & statuę. Nam & Linterini monumentũ, monumentoque statua superimposita, quam tempestate disiectam nuper uidimus ipsi: & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuæ sunt: quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtę Quinti Ennij.

*Opera, & Opus.* Cap. LXXVI.

OPera est actio, ut dabo operam, & in iure ciuili de operis libertorum. Cic. de Offic. Non male præcipiunt, qui seruis uti iubent, ut mercenarijs iusta præbenda, operã exigendã, id est, laborẽ & operationẽ corporis: siue (ut ait Vlpianus) operę sunt diurnum officium. Opus est finis fructusque operæ. Vnde opera autorum dicuntur, & opera publica, ipsa publica ædificia. Nonnunquã uidetur opus pro opera accipi, ut Vergil. Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit: quasi ad operas. Sed (ut uidere uideor) quoties non ad laborem corporis, sed laborem animi, & artem, industriamque respicimus, magis opus quàm opera dicendum

tendum est, ut in opere rustico, in opere faciendo, in opere fabrili, in opere textorio. Hanc differentiam ita ponit Seruius: Hoc opus, & hæc opera tunc dicimus, quando negotium ipsum significamus, quod geritur. Si autem fœminino genere dixerimus operas, ipsas personas quæ aliquid faciũt, sicut custodia dicitur, quę custoditur, ut, Cernis custodia qualis. Nam ut hi qui custodiuntur, custodię dicantur, usurpatũ est: unde male est in usu, custodiæ audiuntur. Hæc Seruius. Sed non absolute defuit opus, & operam: utrunq; autẽ horum nominũ in eodẽ posuit loco Terent. In Heaut. Act. 1. Scena 1. Quod in opere faciendo operę cõsumis tuæ, si sumas in illis exercendis, plus agas. Operę autem pretium ab opera est, ut uersus indicat Iuuenalis Saty. 6.

Est operępretium penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentq; die: id est, fructuosum est, & ad rem pertinens, ideo uel quia decens, uel quia utile, uel gloriosum, uel quia iucundum. Ab hoc nomine Liuius exorsus est, dicens: Facturus'ne operæpretiũ sim, si res gestas populi Romani ab initio perscripsero, nedum scio, nec si sciam, dicere ausim.

*Solatium, Consolatio, & Solamen.* *Cap.* LXXVII.

SOlatium & consolatio idem sunt, nisi quòd illud re, hoc uerbis fit. Quintil. Cæcitatis miserę solatium est habere rem uidentiũ. Idem: Itis obuiam consolationibus: & (quod omnem modum feritatis excedit) captatis in magna calamitate laudari. Nec mirum, quum consolari sit oratione, Solari uerò semper ferè aliter. Nolo afferre plura male utentium exempla, quę facilè quilibet sibi inueniet. Cicero tamen de amicitia ait: Ipse me consolor, & maxime illo solatio, quòd eo errore careo, quo in amicorum discessu plerięq; angi solent. Vtrunque recte dictum est. Quid enim non recte Cicero dicat? Nam quum se tanquam alterum, quasi colloquio à mœrore reuocet, debuit dicere consolatur. Quia uerò oratione non utitur, solatium dicere potuit. Solamen idem quod solatium est, sed magis poëticum. Vergil. in Aeneid. 3.

Solamenq; mali de collo fistula pendet.
Quo tamen Boëthius, & quidam alij utuntur.

*Affectus, Affectio, & Affectatio.* *Cap.* LXXVIII.

AFfectum nusquam uideor reperisse apud M. Tullium, frequentissime affectionem. Contrà apud Quintil. frequentissime affectũ, raro affectionem: ut illo loco (si modo non est mendosus) ubi ait: Cupiditas causa sceleris fuit, quæuis eius ira quantum efficiat in animis hominum, talis affectio. Nescio an sit affectus. Et in alio loco: Illa uerò frigida, & puerilis in scholis affectio. Affectionẽ Cicero modò sic diffinit: Affectio est animi & corporis ex tempore aliqua de causa mutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia quæ in eodẽ genere reperiuntur. Modò sic: Affectio est quædam ex temporum, aut ex negotiorum euentu aut administratione, aut hominum studio commutatio rerum, ut non tales, quales antè habitæ sunt, aut plerunq; haberi solent, habendæ uideantur. In Tusculanis idem autor, & alibi: Voluntatem hominis affecti ad uirtutem, atque ipsam uirtutem animi, appellari affectionẽ ait, qualis non est affectus, qui Græcè dicitur πάθος, quod ipse Cicero interpretatur, perturbationem malens dicere quàm morbum, quo nomine sæpissimè utitur. At Quintil. non perturbationem, sed affectum nominat: neque ipse aut solus, aut primus, sed plerique ante eum, ut Seneca, Plinius, Rutilius, Columella, Valerius, Liuius, alijq; multi. Ita enim ille ait: Quod Græci πάθος uocant, nos uertentes recte ac proprie affectũ dicimus. Illa igitur (ut ego quidẽ sentio) affectio Græcè πάθος dicitur, quam nostrates philosophi in Latinum uertentes appellant dispositionem. Aliquibus tamen uideri posset definitio illa Ciceronis

hunc quoque significatū qui est πάθος complecti. Quibus, quia ad rem non multum attinet, nō sane repugno: cum præsertim omnes ferè iurisconsulti omnesque ecclesiastici scriptores affectionem pro affectu accipiant. Est autē affectus pars illa animæ qualitatis, quæ è regione rationis est. Quicquid enim in anima præter partem illam memoriæ ratio non est, affectus est: & rursus, quicquid non est affectus, ratio. Ab hoc fit affectio, quo etiam Cicero ipse sæpe utitur in libris ad Herennium: Non tam affectanda quàm superiores, sed tamen adhibenda nonnunquam. Apud eundem nunquàm (nisi me incuria fefellerit, aut memoria fallat) legi affectationem, frequenter apud Quintil. & cæteros, ut ibi: Nihil odiosius affectatione, id est, affectu, conatuque æmulandi alterius uirtutem, quam asse qui nequeas refragante natura, uel nimio affectu, nimioque conatu alterius uirtutem æmulandi: ita ut turpe sit ac deforme, sic auide æmulari.

*Latebræ, & Latibula.* Cap. LXXIX.

LAtebræ hominum propriè dicuntur, Latibula ferarum. Quintil. Et quamuis odio euersoris nostri euocatus è latebris suis populus subsellia nō implet. Cic. Videant, ne quæratur latebra periurio, id est, excusatio periurij. Latibula nonnunquam hominum. Latebræ etiam ferarum. Liuius lib. XLVII. Inter uepres in latebris ferarum noctem unam delituit.

*De Luce & tenebris, Die ac nocte.* Cap. LXXX.

LVce & tenebris, pro die ac nocte accipere solemus. Differt tamen prima luce, à prima die. Nam ibi intelligitur prima pars diei & quasi diluculum, hîc autem prima dies. Ita primis tenebris, & prima nocte. Ibi de prima parte noctis loquimur, hîc de nocte ipsa. Ideoque ante lucē melius dicimus, quàm ante diem, si diluculum significamus. Nam ante diem, pro ante tempus dici solet, præterquàm si de certo die loquamur: ut, ante diem decimum, uel ante sextum Calendarum Nouembrium, id est, sexto die ante Calendas Nouembris. In quo loco præceptum Pauli inserere nō inutile fuerit, qui ait: Ante diem decimū Calendarum, & post diē decimū Calendarū, æquè utroque sermone undecima dies significatur. Verum nō quemadmodū ante lucē melius, quàm ante diē pro diluculo dicimus: sic ante tenebras, quàm ante noctem pro crepusculo, sed ediuerso potius. Reperitur autem luci pro luce, ut uesperi pro uespere, & ruri pro rure. Cicero in Philipp. Quis enim audeat luci, & in militari uia? Diem pro diurno tempore, itemque pro certo tempore uolunt esse masculini generis, notaueruntque Vergilium indifferenter accepisse. Ego tamen & apud hunc, & apud cæteros pro tempore ipso semper annotaui esse fœmininum: ut, ipsa dies facit hominem prudentē: &, multa dies magnam dat hominibus rerū experientiam. Vnde Pædianus uult fieri dieculam, pro paruo tempore. Et apud iurisconsultos bima, trima, quadrima die, pro tempore biennij, triennij, quadriennij, quod iurisperiti non intelligunt. In certo tempore Pædianus idem consentit debere esse generis masculini. Dicemus ergo hesterno die, & crastino: nō hesterna die, & crastina. Ad diem non uenit, ad diem non affuit, id est, die præstituto.

*Orator, Rhetor & Declamator.* Cap. LXXXI.

ORator qui causas orat uel in iudicijs, uel in cōcionibus, qui Græcè dicitur ῥήτωρ, id est, rhetor. Nos tamen rhetorem professorē rhetoricæ uocamus, nō oratorē. Mirorque, cur in hoc tam facili promulgatoque nomine exponēdo Victorinus errauerit. Declamator est, qui studens apud rhetorem, in cōuentu scholasticorū fictam causam orat, id agens, ut in ueris postea causis possit orare. Ipse quoque rhetor, & quicunque alius etiam extra scholam hoc ipso genere utitur, siue ut alios, siue ut se exerceat, declamator uocatur. Nonnunquam tamen more Græco reperimus poni, ut Cicero libro secundo de Natura deorum: Hæc

quum

quum Cotta dixisset, tum Velleius, Ego, inquit, incautus, qui cum Academico, & eodem rhetore congredi conatus sum. Nam neq; indisertum Academicum pertimuissem, neque sine ista Philosophia rhetorem, quamuis eloquentem. Rhetorem dixit uel oratorem, uel rhetoricum.

*Peregrinus & Hospes, Diuersorium & Hospitium.* Cap. LXXXII.

PEregrinus & hospes hoc differunt, quòd peregrinus uocatur qui in ciuitate sua nō est: Hospes qui in aliena est. Vel peregrinus, qui ex nostra ciuitate oriūdus nō est: Hospes qui in nostra est. Cic. Vos soli in hac urbe hospites estis, uestrę peregrinantur aures. Quintil. Attica anus Theophrastū hominē alioqui disertissimū, annotata unius affectatione uerbi, hospitem dixit. Nec alio id se reprehendisse interrogata respondit, ꝙ quod nimiū Atticè loqueretur. Pro hoc imperiti dicunt forenses, aut extranei (loquendum enim mihi barbarè est, ut barbariā emendem) Hospites igitur sunt tam qui in priuato alicuius hospitio sunt, quàm qui in publico, quòd diuersoriū, uel tabernam meritoriam appellamus, tamq; qui recipit, quàm qui recipitur. Vnde Ouidius:

Non hospes ab hospite tutus.

Cicero: Per dextram istam, quam hospes hospiti porrexisti. Sed ille receptor proprie uocatur, qui priuatim & amicitiæ causa recipit, ut idem: Fuit mihi cum illo uetus hospitiū, id est, amicitia familiariter uel mihi hospitandi apud illū, uel illi apud me. Vnde hospitales homines, qui amore nō pretio hospitiū suū cōmunicant. Hospitiū & priuatum, & publicū dicitur. Liuius: Tarento Annibali per dolum prodito ait hospitia tantummodo Romanorū à militibus fuisse direpta. Certe priuata, non publica. Cicero: Ex hac uita sic decedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo: Commorandi enim natura diuersorium, non habitandi dedit. Pro eodem posuit diuersorium, & hospitium.

*Conciuis, Conterraneus.* Cap. LXXXIII.

COnciuis qui eiusdem ciuitatis est: Conterraneus qui eiusdē terrę, hoc est, territorij. Maior est enim terra, quàm urbs oppidum'ue, cuius habitatores uocantur ciues. Cic. Eorum qui in hac terra fuerunt, magnamq; Græciam, quę tum florebat, institutis & præceptis suis erudierunt. Plinius tamen Catullum conterraneum suum uocat, uel quòd ex diœcesi illa, uel quòd ex urbe sit Veronensi. Vterq; enim dictus est Veronensis. Nam illius nepos, & per adoptionem filius fuit Nouocomensis, & ideo Plinius Secundus & ipse dictus est. Quidam librum nuper sic inchoauit: Fauonius ciuis meus, optime princeps, & consul tuus. Quū dicere debuisset, conciuis meus. Dominus enim ciuitatis, ciuē suum uocat, quia nō potest appellare conciuē. Quemadmodū miles socium in militia, nō militem suū uocare potest, sed cōmilitonem. Et discipulus eum, qui unà eidem præceptori dat operam, non discipulum suum, sed cōdiscipulum. E diuerso præceptor nō uocat auditores suos, cōdiscipulos suos, sed discipulos. Et dux in bello, non cōmilitones, sed milites suos appellabit. Licet Cæsar, & quidam alij appellauerint milites suos commilitones, comparandę beneuolentiæ gratia ut apud Vergil. Aeneas qui sub eo erant, socios uocat. Hic ergo homo priuatus non debuit quenquam suum ciuem appellare, sed conciuem: nec rursum aliquem principem consulem dicere. Nonnunquam tamen inuenitur ciuis pro conciuis, ut Lælius apud Lucanum:

Hic ciuis meus est, in quem tua classica Cæsar

Audiero. Dicam tamen municeps meus, pro eo quod est, cōciuis meus, quia cōmuniceps non inuenitur. At quoties nō apponimus pronomen, rectius sine appositione loquimur. Audite ciues, succurrite milites, legite discipuli, etiam si mei fuerunt conciues, commilitones, condiscipuli. Quòd si quando per hæc

rebus quæ non senescunt loquaris, pristinũ, nõ priscũ decebit: ut, Pharos & Tyrus nunquàm in pristinum statũ redibunt. Maria in freto Messanensi laborant, ne montes, si Lucano credimus, repetant pristina confinia. Atqui tantum temporis est, ex quo illuc mare irrupit, ut memoriæ non inueniatur proditum. Padus post quingentos, & eo amplius annos solet reuerti in pristinum cursum.

*Prosper, & Felix.* Cap. LXXXVII.

PRosper qui dat: Felix qui recipit prosperitatem. Sidus Veneris (si credimus mathematicis) prosperum est: natus sub illo sidere felix est. Dicimus ergo propriè homines quidem felices: deos autẽ, tempora, loca, actiones, fines, successus prosperos, & si qua sunt similia. Vtrunque tamen aliquando recipit exceptionẽ. Nam & nõ semel legimus prosperã alicuius ualetudinẽ. ut Suet. de Cæsare: Fuisse eum propspera ualetudine, id est, bona, & quasi felici. Et de Tiberio, ualetudine prosperrima usum esse ait. Sallust. Sed postquàm res ciuibus, muris, agris satis aucta, satisque prospera uisa est. Rursus Vergil. Sis felix, nostrumque leues quæcunque laborem. Pro eo quòd est, sis prospera & benigna.

*Saluber, & Sanus.* Cap. LXXXVIII.

SAluber, siue (quod usitatius est) salubris, dicitur aër, cibus, potus, locus, multaque huiusmodi: idem ferè quod salutifer siue salutaris. Sanus homo dicitur, cæteraque animalia. Res salubris præbet sanitatem, homo uerò recipit. Potest & præbere, tuncque saluber, quasi salutifer dici: sed in utroque etiam aliqua reperitur exceptio. Siquidem sanum aërem, sanũ cibum, sanũ locum uocamus, quasi salubrem & præbentẽ sanitatem. Contrà salubris pro sano. Sallustius: Genus hominum salubri corpore, uelox, patiens laborum, plerosque senectus dissoluit. Liuius: Grauiore tempore anni iam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse cœpere. Martialis dum describit uitam beatam, inquit:

Lis nunquàm, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici.

Hi tres quos produxi loci, idem nomen habent coniunctũ cum corpore. Quare non ausim dicere, ut dixit Boëthius in translationibus suis, Aeger an saluber. Nam de æquali suo Cassiodoro, qui apud nonnullos in pretio est, nunquã ideo facio mentionem, quia cum regibus suis Theodorico, & Alarico, quorum scriba fuit, Gotthicum sonat & barbarum.

*Iucundus, & Gratus.* Cap. LXXXIX.

IVcundus & gratus sic differunt, quòd iucundus propriè in prosperis, Gratus in aduersis. Iucundum uoco, non qui lætus est, sed qui lætitiæ est alteri, ut prosper ac saluber. Vsque adeò potest quis tristis, mœstusque esse, & tamen iucundus, ueluti quum hostis meus in dolore est, tunc mihi iucundus est, & ego gaudens, sum illi minime iucundus. Quare non rectè locutus est, qui ait, iucundos nos faciat suæ interesse cõmemorationi: sed ad differentiã. Cic. ad Sulpitiũ consolantẽ de morte filiæ inquit: Seruius tamen tuis omnibus rebus interfuit, cuius officia etsi aliquando iucundiora, nunquam tamen gratiora. Idem ad Lucceium: Amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus & optatus. Dicerem iucundum, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem. Idem ad Atticum: Fuit mihi sæpe & laudis nostræ gratulatio tua iucunda, & timoris consolatio grata. Idem tamen libro 4. inuectiuarum: Est mihi iuncunda in malis, & grata dolore uestra erga me uoluntas. Iucunda dixit, quasi lætitiæ plena & uoluptuosa, qualis est in prosperis. Grata quasi plena affectus, ac fructus. In iucundo enim quædam gratia est delectationis, in grato uerò etiam commodi. Quippe aspectus

rosarum, liliorum, uiolarum, florumq́ꝫ, ac similium iucundus est. Aspectus plenæ messis, uberum olearum, grauium fructu uitium, pinguiumq́ꝫ pecorum gratus: & pueritia filiorum, atque infantia iucundior: adolescentia uerò, ac iuuentus gratior, utpote utilior. Idem de Officijs libro secũdo: Quanquam enim quod præsens, tanquam in manum datur, iucundius est, tamen hæc in posterum gratiora, muri, naualia, portus, aquarũ ductus, omniaq́ꝫ quæ ad usum reipub. pertinent. Hieronymus nonnunquam his duobus nominibus cum ea quam ostendi proprietate & distinctione usus est.

*Plura, Complura, Plerıq́ꝫ, & Plerunq́ꝫ.* Cap. XC.

PLura & complura sic differunt, quòd plura possunt esse duo: Cõplura duo esse non possunt: illud comparatiuum est, hoc uerò minimè: ideoq́ꝫ non regit casum. Plerıq́ꝫ modo autores pro maxima parte accipiunt, modo pro nõnullis. Sallust. In diuisione orbis terrę, plerique in parte tertia Africam posuere. pauci tantummodo Asiam & Europam. Paulò pòst: Plerosq́ꝫ senectus dissoluit, nisi qui ferro, aut bestijs interiere. Nam morbus haud sæpe quenquam superat. Quintil. Videas plerosq́ꝫ ita paratos, id est, nõnullos. Plerunq́ꝫ magis à priore significato, quàm à posteriore uenit, id est, pro eo quod est ferè semper. Quintil. in Amatore: Excussa sunt plerunq́ꝫ languentium uitia uerberibus, id est, nonnunquam. Tamen in hunc sensum hæc dictio (siue nomen, siue aduerbium sit) rarò reperitur. Seruius quidem nescio an unquam utatur aliter.

*Clarus, & Præclarus.* Cap. XCI.

CLarus & præclarus figuratè accipiuntur pro eo, qui tanquã fulgore quodam famę, & gloriæ resplendet. Vnde clarissima & præclarissima gesta dicimus. Sed præclarus nonnunquam pro bono reperitur apud Ciceronem: sicut apud eundem Luculentus pro magnus, ut in Philippicis: Luculentum uulnus accepit. In eodem opere ait: O præclarum custodem ouium (ut aiunt) lupum. Non claritas in custode desideratur, sed probitas: ergo præclarum pro bono posuit. Idem in Lælio: Cum illo uerò quis neget actum esse præclare? Et paulò pòst: Cum illo quidem (ut suprà dixi) actum est optime, mecum incommodius: nam non suprà dixerat actum cum illo optime, sed præclare. Verum ideo sic dixit, quia præclare & optime, idem roboris & uirium in significatione obtinent. Eoq́ꝫ κράτιστον (quod est optimũ) & apud Græcos accipi solet, & à nobis transferri præclarum.

*Festus, & Festiuus.* Cap. XCII.

FEstus dies, potius quàm festiuus: Res festiua, potius quàm festa. Nam festus festa festũ, ad diem festũ pertinens: Festiuus festiua festiuũ, res iucunda & lepida: ut, oratio festiua, dictum festiuũ, frondem festiuã legimus: non quę ad festum comparata sit, sed quæ iucunda & læta. Nam & festam frondem uocamus, quæ festis adhibetur. Festiuum multi pro festo accipiunt.

*Venale, & Vendibile.* Cap. XCIII.

VEnale et uẽdibile hoc habẽt differentię, quòd illud significat rẽ uenditioni expositã, hoc rẽ quę facilè potest uendi. Hæc domus est uenalis, id est, ꝓscripta, uel exposita uenditioni. Et hoc de Curione significat Lucan. quũ dicit, Venali Curio lingua: id est, pretiũ, non ueritatem honestatemq́ꝫ sequens ex suæ linguę facundia. Cic. in Bruto: Horũ ætati propè cõiunctus L. Gel. non tam uendibilis orator, ꝗ̃ ut nescires, quid ei deesset. Et in eodẽ: Nam populo non erat satis uendibilis præceps quædam, & cum idcirco obscura, et peracuta, tum rapida, & celeritate citata oratio. Et alibi: Nam ut sint illa uendibiliora, hæc uberiora, certe sunt. Vendibile dixit pro gratum, & quod animos hominum solicitet, ritu rerum, quæ ad se alliciunt emptorem. Hoc à uendo uenit, illud à ueneo.

De Sciens feci, Prudens feci, & similibus. Cap. XCIIII.

SCiens feci,& prudens feci. Item insciēs,& imprudens, atq; ignorãs feci,hoc est,quòd quum facerem aliquid,sciui me facere illud,aut ignoraui. At scienter feci, idem est quod cum sciētia ac doctrina feci, semperq; in laude est scienter quid fecisse. Sciētem uero quid fecisse tum laudare, tum uituperare solemus pro rei qualitate, Si ergo scienter facere semper laudabile est, ediuerso inscienter facere semper est uituperabile. Prudēter quoq; facere,opus prudentiæ nimirum est, imprudenter uero stultitiæ. Tamen quid imprudenter facere,ignoranter'ue,raro in usu est,in cuius locū uelut succedit per ignorantiã, & per imprudentiam factum,per se neq; laudi,neq; uitio dandum. Idem enim est per imprudentiam siue per ignorantiam fecisse aliquid boni,uel mali:quod imprudentē,ignorantemq; fecisse, quorum neutrum aut præmium meretur,aut pœnam.

Marinus, Maritimus, & Transmarinus. Cap. XCV.

MArinum piscem dicimus, & auem marinam, & deum marinū, uel deam, uel nympham marinã. Nominatim quoq; Vitulum marinū, Lupū marinum, Turdum marinū, Turturem marinū: Præterea colorē marinū, casum marinum. periculum marinum,sonum,fluctum. Aquam marinam non maritimã: nauem marinam,quidam etiam nauem maritimam. Rursus oram maritimam, gentem maritimã,res maritimas,bellum,maritimū,non transmarinū, nō marinum. Item hominem,gentem, urbem,triumphum transmarinū, non trãsmaritimum. Horum omniū hæc differentia est,quòd marinū uocatur,quod incolit mare,aut ex mari est. Maritimū, quod mare accolit,& ad mare est,uel ad mare fit. Transmarinum,quod trans mare est. Transmaritimū enim foret, quod trans loca maritima esset,idem proprie quod mediterraneum.

Frequens, & Celebris. Cap. XCVI.

FRequentem locū dicimus,quem frequentare multi solent,ut urbs frequēs, oppidum frequens,platea frequens, ubi multi homines aut habitant,aut diuersantur. Quando autem de persona,aut de re animata loquimur, duobus modis dicitur,uel de sola,sic: Sit miles frequēs spectator præliorum, id est,creber & assiduus. Vel de turba,sic: frequens populus, frequēs senatus,id est,copiosus & multus. Et quidem cum nomine collectiuo in singulari, cum cæteris uero in plurali:ut,frequentes ciues,frequentes senatores,hoc est,multi & numerosi. Verum tamen quū dico,sis frequens,innuo actionem:quū dico frequens locus, passionem. Ille frequentat,hic frequentatur. Cui simile est celebris semper passiue positum,tam ad rem quàm ad personã relatū. Locus celebris,quòd celebratur. Homo celebris,quòd cū honore celebratur et colitur: Propter quod in hanc ducor opinionem,ut locus celebris propiè sit honoratorū frequentia cultus:nō ita frequens,neq; frequētia: quo nomine qualiscūq; hominū multitudo,significatur: quòd ex uocabulo hinc ducto probatur, quod est celebritas, quæ tum hominū cœtum honoratorū declarat,tum dignationē ipsam,atq; honorē. Quintil. Ante omnia futurus orator,cui in maxima celebritate, & in media Repub. uiuendum est,assuescat iam à puero nō reformidare homines:neq; illa solitaria,et uelut umbratili uita pallescere. Cicero: Itaq; nos qui in maxima celebritate, atq; in oculis quondam ciuiū uiximus,nunc fugientes conspectū sceleratorū hominum, quibus omnia redundant,abdimus nos & sepe soli sumus. Idem in alteram significationem: Hac celebritate famæ quum esset iam absentibus notus, Romã uenit, Mario & Catulo consulibus. Quare improprie,licet frequentissime dicitur, locus celebris,an desertus, quasi cōtrarium sit celebrem esse ab illo desertum esse: ubi enim baiuli, aut aleatores, aut lenones, scorta'que esse consueuerunt, quis eum locum proprie dixerit celebrem? non aliter, quàm celebrem meretricem,

aut nobilem: ut sæpe legimus, & singularem improbitatem, & unicam turpitudinem, ut in bonum, ita & in malum.

*Ferus & Ferox.* Cap. XCVII.

FErus homo, qui animum ferinum obtinet, ut Leonis, Vrsi, Pardi, Lupi. Ferox qui peranimosus est ad decertandũ cum altero, & ad uim alteri faciendam atq; ad nocendum.

*Corporeus, & Corporalis.* Cap. XCVIII.

COrporeum est existens ex materia, atq; substãtia corporea, & ediuerso incorporeũ: ut lapis est res corporea, uirtus incorporea. Corporale uero existens in materia, substantiaq; corporea, & ediuerso incorporale: ut domus, fundus, mancipium, corporalia sunt, non corporea, Legatum, hæreditas, iura incorporalia sunt, non incorporea. Nanq; hîc de qualitate agimus, quæ inest substantiæ, ibi de ipsa substantia, quas res diligentius exequemur in dialecticis nostris. Et sanitas, uires, pulchritudo, bona corporalia appellantur, non corporea. Præterea (ut alia ratione hanc differentiã distinguamus) corporeus & incorporeus non nisi cum hoc nomine res, aut substantia iunguntur, aut ubi res subintelligitur, ut lapis est res, siue substantia corporea, non autem est corporeus. Virtus est res incorporea, non autem uirtus incorporea. Omnia autem corporea aut tanguntur, aut uidentur, id est, omnes corporeæ res, non autem sic, res incorporeæ.

*De Lassus, Laxus, Lapsus, Fessus, Defessus, Fatigatus, Defatigatus.* Cap. XCIX.

LAssum quod labore fatigatum est, tam animo, quàm corpore: ideoq; ad ea demum spectat, quæ laboris molestiã sentiunt. Laxum uero magis ad inanimata, quæ sunt, lenta, mollia, flexibilia, non dura, non rigida: ut, laxi rudentes, laxi funes, laxæ chordę. Lapsus à labendo, quod uel corpore, uel per translationem animo & opinione labitur. Fessus idem est, quod fatigatus siue animo, siue corpore. Defessus defatigatusq; qui ita fessus, atq; fatigatus est, ut nõ queat amplius, & sępe à labore, atq; incepto quod instituerat, desistat, ut in Bruto Cicero: Et ne defatigaretur, orauissent. Et de Oratore: Profectò nunquã conquiescam, neq; defatigabor antè quàm illorũ ancipites uias rationesq;, & pro omnibus, & contra omnia disputandi percepero.

*Bonum & Bonitas.* Cap. C.

BOnum generale nomen est, honesta pariter atq; utilia complectens: ut bonum animi, bonum corporis, bonum fortunæ. Bonitas uero non (ut multi opinantur) idem utiq; quod bonum honestũ, sed idem quod benignitas. A primo fit bonus uir, bonus seruus, bonus iudex, id est, iustus, & exequens officij sui debitum: ab hoc bonus pater, bonus dominus, bonus deus, bonus Aeneas, hoc est, benignus & clemens, quã alterã iustitiæ partẽ esse constituunt, uocantes eandem beneficentiã. Nam iustitiã partiuntur in duas partes: Iustitiã, quæ est seueritas: & beneficentiã, quã ego uoco bonitatẽ. Ergo qui planè bonus esse uult, plane q; iustus, bis bonus sit necesse est. Et hoc quidẽ ad uirtutẽ pertinet. Est autẽ & alia bonitas, nõ ex industria, sed ex natura, tam homini quàm quibusdã alijs rebus attributa. Cic. Quæ & bonitate naturę multi assequũtur, & progressione dicendi, id est, excellentia & dote naturæ. Quintilian. At in solo fœcundo plus cultor, quàm ipsa per se bonitas soli efficiet. Non dixit plus bonitas cultoris, quàm bonitas soli, quia excellens cultor industria fit, non natura. Nonnunquã tamen bonitas pro iustitia, siue pro honesto accipitur. Cicero de Officijs tertio: Quum enim bonitatem alicuius, fidemq; laudant, dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices. Quintilian. in 12. Quod si in mediocribus etiã patronis conuenit hęc, quæ uulgo dicitur bonitas: cur non orator ille, qui nondum fuit, sed potest esse, tam sit moribus, quàm dicendi uirtute perfectus? Nonnunq; etiam bonũ accedit

ad

ad naturam uirtutis & bonitatis. Nam quum dicimus de æquo & bono, non de summo iure loquimur, sed quasi de bona æquitate.

*Lubricus.* Cap. CI.

LVbricus locus est, in quo nequeas insistere, nec ingredi, quales sunt herbæ perfusę sanguine, ut apud Vergiliū de Niso, & Homerum de Aiace Oilei, aut aliter humectatæ, marmora leuigata, lapidesq́ uel humore cōspersi, terra glaciata, aqua gelata, pauimēta, cęteraq́ huiusmodi lubrica dicūtur. Inde per translationem adolescentiā uocamus lubricā, in qua qui sunt, uelut in glacie facilè labūtur. Anguilla quoq́, cōgrus, murena, & similia lubrica sunt. Alio tamē modo uidetur Cicero dixisse lubricos oculos, & imitatus eum Lactant. in lib. de Dei opificio. Ita enim ait ille de Natura deorū: Sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut declinarent, si quid noceret: & aspectū quò uellent, facile cōuerterent. Dicti sunt oculi lubrici eo modo, quo à quibusdam pes lubricus, pro eo quod est in lubrico. Ita oculi quasi in lubrico positi sunt, ut uix queant cōsistere: quale est quū dicimus: Spargo humū floribus, pro eo, quod est spargo humi flores: & sterno lectum pallio, pro eo, quod est sterno pallium lecto.

*Aequalis, & Aequabilis.* Cap. CII.

AEqualis quid sit, notum est, ut in illo: Sintq́ pares in amore, & ęquales. Sæpe accipitur pro coætaneo, siue coæuo. Vt Vergilius:

Aequalemq́ ab humo miserans attollit amicum. Lib. 5. Aen.

Cicero: Ego Qu. Maximū, eum qui Tarentum recepit, senem adolescens ita dilexi, ut æqualem. Et iterum: Nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodum restant, sed cum uestra etiā ætate, atq́ uobiscū. Aequabilis, idem quod æqualis in priore significato, ut idem: Non ius æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat. Iterum: Et uox reducitur in sonum quendam æquabilem, atq́ constantem.

*Perfidus, & Infidus.* Cap. CIII.

PErfidus qui fidem uiolat: infidus cui non est fidendum: hoc à fido descēdit, quod habet primam longam, siue fido à fidus: illud à fides, quod habet primam breuem. Ideoq́ hæc duo adiectiua uario accentu efferuntur.

*Moratus, & Morigeratus.* Cap. CIIII.

MOratus, qui moribus bonis est pręditus: Morigeratus, participiū ex morigeror, quod est morē gero, id est, obsequor, & obedio. Vnde morigerus, obsequēs, obediens & facilè morē gerens. Quod Accursius nō intelligēs (quid autē intelligat, si ignorat, quid sit morē gerere?) pro glossa scriptū reliquit, Soluat Apollo: quasi aut ænigma esset, aut Apollo soluere ænigmata soleret, magis quàm proponere soluenda. Et alibi: Primipilus, inquit, nomen Græcum.

*Proteruus, Procax, & Petulans.* Cap. CV.

PRoteruus, procax, & petulans, multum similitudinis habent, & quasi aliud alio magis increscit, tam in factis, quàm in dictis. Tria hæc, tum quandā lasciuiam, libidinemq́ declarant, tum iniuriā: nam & proteruā, petulantemq́ eodem loco de inhonesta fœmina apud Ciceronē legimus pro Cælio: Si uidua libere, proterua petulāter, diues effuse, libidinosa meretricio more uiueret. Proteruam minore gradu, quàm petulantem significauit. Petulans, pro libidinoso, lasciuoq́ accipi notum est: ut, Petulansq́ iuuenta. Et Ouidius:

Quinetiam ut possem uerbis petulantius uti,
Non semel ebrietas est simulata mihi.

Id est, lasciuus, & licentius. Procaces quoq́ meretrices legimus, qualis Bacchis Terentiana, cæteræq́ impudicæ mulieres, quæ pudori suo (quæ una dos fœminarum est) ne uerbis quidem mordacibus simul & turpibus parcunt, à seipsis, suęq́ conditionis fœminis capientes principiū. Proteruia, leuior quędam cōtumelia,

Procacitas maior, Petulantia maxima Cicero in Sallustium: Ne idem incidã uitium procacitatis, quod huic obijcio. Et iterum: Nõ enim procacitate linguę, uitę sordes eluũtur. Atq; iterum: Nam quòd ista inusitata rabie petulanter in uxorem, filiamq; meam inuasisti. Et iterum in eadem: Desine bonos petulantissima insectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti. Sallustius in Ciceronẽ: Grauiter, & iniquo animo maledicta tua paterer Marce Tulli, si te scirẽ iudicio animi magis, quàm morbo petulantia ista. Et iterum: Bibulum petulantissimis uerbis lædis. Hæc eadem nomina in factis quoque nonnunquam reperiuntur, ut si si quis ambulans per impotentiam mentis, obuium cubito feriat, aut cum contumelia sibi cedere cogat, hunc proteruum dicimus. Et Vergilius Austros procaces uocat. Et ab eodem: Hœdiq; petulci Floribus insultent: dictum est, quòd hœdi soleant iniuriam facere, per animositatem quandam transcendẽdo sepes, & in alia loca penetrando, quę iniuria petulantia est.

*Orbus, & Cœlebs.* *Cap. CVI.*

ORbus est quicunq; aliqua re chara priuatus est. Propriè autẽ parens amissis liberis, quasi amissa luce oculorũ. Vnde illud frequens, parẽs liberorũ an orbus? Et hinc orbitas, quę est illa qualitas patrũ post amissos liberos, ut uxoris uiduitas post amissum maritũ. Quintil. de patribus, in ipsos loquẽs pro uxoribus, ait: Non habet orbitas uestra lachrymas super ardentes rogos, tenetis incõcussam, rigidãq; faciẽ. Contrariũ huic est, quũ dicitur orbus, quasi orphanus, ut apud Terent. Orbę qui proximi sunt, uxorẽ ducant. Et hinc orbitas apud M. Tulliũ lib. 3. Orat. quasi orphanitas: Deplorauit enim causam & orbitatẽ Senatus, cuius ordinis à consule, qui quasi parens bonus, atq; tutor fidelis esse deberet, tanquã ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis. Cœlebs, tam qui caruit semper uxore, quàm qui nunc caret, & inde cœlibatus.

*Diuturnus, Diutinus, Præcox, Serotinus, Prematurus, Maturus.* *Cap. CVII.*

DIuturnus, & diutinus nihil differunt. Vtrunq; enim & in bonum, & in malum reperitur, & utrunq; à diu, siue diutius uenit. Sed unum eo modo formatur, quo à die diurnus, à nocte nocturnus. Alterũ quomodo à serò serotinus, à mane, siue à Matuta, quæ dea est, matutinus, utq; aliqui utũtur à uespere uespertinus. De diuturnus plurima exẽpla sunt. De diutinus apud Cice. perpauca. Ad Brutũ sic scripsit: Libertatis desiderio, tædioq; diutinæ seruitutis. Quintil. Non sic cõfundunt obuios grauibus catenis colla stridẽtia, nec diutino squalore concreta facies. Quia dixi serotinus à serò, uideor significasse serò pro uespere, non pro eo, quod est tarde, siue post tempus. Hęc enim tria serò significat, quæ tamẽ penè idem sunt. Vna & uera significatio est pro uespere, quod est post occasum. Altera quæ hinc nascitur, quæ est post tempus. Quod enim post solis lucem est, id uere, potest post tempus dici. Cicero: Quũ accusator Milonis identidem interrogans, instaret, quo tempore Clodius esset occisus, urbane respondit, serò: non tam horam intelligens, quàm tardius occisum, & post tempus, quo debuisset occidi. Tertia significatio est, pro tarde, non pro tardus, ut apud Senecam in Hercule furente:

Serò nos illò referat senectus.
Nemo ad id serò uenit, unde nunquàm
Cum semel uẽnit, potuit reuerti.

Serotinus igitur quum à primo significato (ut quibusdam placet) uenit, qui dicũt horam serotinam, tempus serotinam, pluuiam serotinam, tum à posterioribus. Appellamus enim ut pręcoces uuas, pręcoces ficus, pręcocia poma, quę ante legitimũ, consuetumq; tẽpus, siue citò maturescunt, ita serotinas uias, serotinas ficus, serotina poma, quæ post legitimũ tẽpus, cõsuetũq; cæteris pomis, uel tardè

maturescunt

maturescunt. Praecox quoque ingenium per translationem dicimus, quod nimis citò maturitatem consecutum, nimisq; citò uidetur adoleuisse. Ideóque ait Quintil. libro 1. cap. 4. Illud ingeniorũ uelut praecox genus nõ temere unquàm peruenit ad frugem, id est, nõ ferè unquàm ad perfectionem, tanquã ad frugem, fructumq; peruenit. Pręcox quasi ante tempus excoctũ. Huic simile ac dissimile est, pręmaturus, quod est antè quàm sit maturus & ante maturitatem: ut, segetes praematurae, frumenta praematura, poma pręmatura, id est, nondum matura. Et per translationem pręmaturus sum militiae, pręmatura aetas, pręmatura legatio, pręmatura allocutio, pręmatura postulatio, id est, immatura. Quanquàm maturum ipsum in frugibus propriè dicitur, & id uno modo. In personis uero figurate, & hoc duobus modis. Vno sic: Ego sum maturus audiendae philosophiae, tu es maturus rei militari, id est, perfectionem temporis habeo ad hanc rem. Vnde senilis aetas uocatur matura, quasi omnino perfecta, & tempus debitũ assecuta. Altero sic: Ego sum homo maturus, id est, perfectis moribus: & in hac significatione non componitur. Inde maturesco, maturus fio. Et maturo maturas, maturum, facio, uel perficio, atq; festino. Vt Vergil. Maturate fugam. Cicero ad Herenniũ in aetate maturrima dixit, pro in aetate festinatissima. Et maturè aduerbium pro citò.

*Annuus.* Cap. CVIII.

ANnuus eodem modo dicimus, quo diurnus: spatium diurnum, spatiũ annuũ, unius diei, unius'ue anni. Annuus quoq; quomodo quotidianus. Febris quotidiana est, quae singulis diebus uenit. Ita apud Vergilium:

Atq; annua magnae Sacra refer Cereri.

Id est, singulis annis. Et duo illi Epicurei philosophi annua febri quo die nati fuerant, corripiebantur: qua febri & mortui sunt, atq; eodem quidem die. Dictũ est est ergo annuum, quasi anniuersarium. Nam ut festa, ita febres quibusdam, quorum etiam Augustus fuit, anniuersariae sunt.

*Capitalis.* Cap. CIX.

CApitale odium, quod caput & uitam alterius petit. Cicero: Cum his tribunus plebis capitali odio à Qu. Põpeio, qui tum erat consul, dissideret. Item capitale supplicium, capitalis morbus, qui caput alterius petit. Capitalis autem homo, capitale uitiũ, capitale peccatũ, nõ quod petat alterius caput, sed cuius caput, aut propter quod caput cõmittentis peti debeat ad poenam, ut idem: Capitalis Ethocles, uel potius Euripides. Et alibi: Fieri ait in ciuitate uitia capitalia.

*Meritorius.* Cap. CX.

MEritoriam tabernam, diuersorium atq; hospitium mercenariũ uocamus, quò cuique introire licet danti mercedem. Nam merere, mercede operari, laborare, atq; alteri inseruire est. Ideoq; merere, in militia est exerceri, propriè tamen spe stipendij, ac praemij, quod dicitur stipendia facere. Hinc meretrices dictae, suam & ipsae militiam exercentes, ac stipendia sua facientes. Et inde adiectiuum meritorius, meritoria, meritorium, unde scorta mascula, pueri meritorij uocantur: nam puellae non uocantur meritoriae: quippe proprium suum habentes nomẽ, quod est meretrix. Quidam aiunt hos pueros, dici Catamitos, quod mihi non uidetur, sed potius concubinos: meritorij nanque, ut meretrices, pretio merent. Cicero in Antonium: Ingenui pueri cum meritorijs, scorta cum matribus familiâs uersabãtur: ingenuos liberos dixit. Meritorios ergo non liberos: quos mango, qui ideo homines mercatur, ut uendat, cõmodare etiam abutẽdos pretio solet: siue illi dominorũ permissu, aut ipsi suo iure prostant. Appellamus corpus meritorium tam puerum meritorium, quàm meretricem: orationem quoq; meritoriam, quasi uilem, & male coëmptam.

Infensus

*Infensus, & Infestus.* Cap. CXI.

INsensus uehementer iratus, & odiū gerens. Infestus uehementer molestus, atq; in aduersum uadēs. Inde infestare incursibus crebris molestia afficere: & signa infesta quæ in aduersum tendunt, hoc est, uexilla in hostem euntia, ut molestiam inferant. Molestare autem rarius reperitur, quàm infestare. Modestinus iurisconsultus ait: Ab Aurelio Sempronio fratre meo, neminem molestari uolo.

*Præsens.* Cap. CXII.

PRæsens non modo quod est huius temporis, sed etiam alterius, ut Cicero: Ego incolumitati ciuium primum, & postea dignitati: ille præsenti potius dignitati, quàm futuræ consulebat. De mortuo loquitur: ergo nō nūc præsenti, sed tunc. Quintil. lib. 12. de ipso Cicerone iam defuncto loquens ait: Postea uero quàm triumuirali proscriptione consumptus est, passim qui odorāt, qui inuidebant, qui æmulabātur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsuro inuaserunt. Præsentis potentiæ, quæ tunc erat præsens. Neque in præteritum modo, uerum etiam in futurum, ut Horatius:

Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat:
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis autor.

In præsens, id est, in suum tempus. ut dixi, & quando tempus dicendæ rei aderit, nisi accipiatur pro impræsentiarum. ut idem secundo carminum:

Ode 16. Lætus in præsens animus, quod ultrà est,
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu: nihil est ab omni Parte beatum.

Præsens quoq; dicitur subitus, & non dilatus in alterum tempus. Vt Vergilius: Præsentemq; uiris intentant omnia mortem. Iuuenalis: Pœna tamen præsens, & presens ultio. Vnde presentissimum, periculum, & presentissima medicina, remedium presentissimum, uenenum presentissimum, quod etiam presentaneū uocatur. Presentissimū, quia statim aut sanat, aut occidit. Et quoniam ea quæ præsentem uim affectumq; exhibent prestantiora, ac potentiora cæteris uidentur: ideo in hunc quoq; sensum accipi solet, ut presens animus, dicitur prestans atq; excellens. Et præsens remediū, presensq; uirtus, id est, potens, & in primis efficax. In rem præsentē, nō tempus, sed locum significat, ut Cicero Offic. libro primo: Vt si cōstitueris cuipiā te in rem presentem esse uenturum, id est, ad locum de quo controuersia est. Liuius libro 38. Responderi legatis utriusq; partis placuit, missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginiensem, & regem in presenti disceptarent. Idem libro 48. Eodem anno inter populum Carthaginiensem, & regem Masinissam in re præsenti disceptatores Romani de agro fuerunt. Val. Maximus libro 7. Qu. Fabius Labeo arbiter à senatu finium constituendorum inter Nolanos, & Neapolitanos datus, quum in rem præsentem uenisset, utrosq; separatim monuit. Ad tempus, duobus modis sumitur. Vno ad conditionem temporis, necessitatem, opportunitatem. Cicero pro Milone: Quàm ad tempus apte simulationes. Quintilianus: Fingere nimirum ad tempus uidebor, & rem nimium manifestam imprudenter complorare. Altero ad spatium temporis: ut, silebo ad annum, latebo ad tempus, id est, usque ad annum, & usq; ad tempus quoddam, uel in tempus. Vt Quintilianus: Optimum emendandi genus, si scripta in aliquod tēpus reponantur, ut ad ea post interuallum uelut noua atq; aliena redeamus, id est, usque ad aliquod tēpus. Nam sepe subintelligitur usque, ut idem: Neq; id ueteribus Romanis dedecori fuit, argumentum est sacerdotum nomine & religione durans ad hoc tempus saltatio, id est, usque ad hoc tempus.

*Stultus, Fatuus, & Stolidus.* Cap. CXIII.

STultus qui imprudens est, & improuidus: multiq́ non insipientes homines aliquãdo stultè agunt. Fatuus, planè insipiens est, tractum à sapore ciborũ: Nam quum illi non sapiunt, fatui dicuntur. Ita homo qui non sapit, fatuus uocatur. Martialis:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpe petet uina, piperq́ coquus.

Melior huius uocabuli uidetur hæc causa, quàm ea quæ quibusdã placet, fatuos dictos qui furore quodã (quali uxor regis Fauni Fatua nomine, corripi solebat) futura prædicunt: ut illa faciebat. Stolidus est, qui proximè accedit ad naturã sensumq́ pecudum.

*Beatus.* Cap. CXIIII.

BEatus qui rebus omnibus ad uitæ usum, ornatumq́ spectantibus abundat. Ideoq́ locupletes sanè omnes beatos uocamus, ut apud Iuuenalem: Vetulæ uesica beatæ. Et Cicero: Sint florentes, sint beati. Et alibi: Crotoniatæ quondã quum florerent omnibus copijs, & in Italia quum in primis beati nominarẽtur. Vnde apud inferos in Elysijs campis beati uocantur, & à nobis qui apud superos uiuũt: ut penè idem sint felices & beati, felicitas & beatitudo. Felices, inquã, omnium bonorum compotes. Sunt & aliæ res pro sua quæque natura beatæ. felicesq́, ueluti de uoce apud Quintilianum: Ornata erit pronunciatio, cui suffragatur uox facilis, magna beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra, auribus sedens. Beata dixit pro eo, quod est plena, & perfecta. Et alibi: Nam uocis, quantam in nullo cognoui, felicitas.

*Mollis homo, Molle opus.* Cap. CXV.

MOllis homo dicitur, & molle opus, hoc in laudẽ, illud in uituperationẽ. Vergilius: India mittit ebur, molles sua tura Sabæi. Idem:

Excudent alij spirantia mollius æra:
Credo equidem uiuos ducent de marmore uultus.

Quod non sine ratione factum est. Nam qui nõ fuerit seuerus, fortis, & cõstans, & in morẽ rei duræ patiens, resistensq́ fortunæ uel aduersę, uel blandæ, hic mollis est, similis ceræ, & tenellis plantis: quũ præsertim qui mollicula mẽbra habẽt, ferè molli sint mente, ut pueri, fœminæq́. Cõtra autem milites, nautæ, agricolæ, ut corpore, ita animo indurati putantur: hoc igitur modo mollis accipitur in uitium. In laudem uero, quod ut uitio datur durũ, ut durus cibus, durum cubile, durum solum, ita durum ingenium, ueluti durus equus ad domandum, durũ ingenium ad docendum, & (ut sic dicam) sculpendum, eadem ratione molle dicetur, quod non est durum, eritq́ laudabile. Quintilianus de signis loquens, inquit: Illius opera duriora, huius molliora. Dicũtur autem signa opera sculptilia, siue fusilia, siue cætera eiusmodi ad effigiem animalium fabricata: quemadmodum tabulæ, opera pictorum. Siquidem in tabulis antiqui pingebãt, non in parietibus. Hęc talia magis dicentur mollia, quæ fiunt, quàm ingenium, quod facit.

*Crudus.* Cap. CXVI.

CRudus uocatur, non qui cibũ indigestum habet in stomacho, sed qui egrẽ difficileq́ digestibilem, & à quo offenditur, uel tanquam nimio, uel tanquam noxio, ut Cicero de Roscio: Qui in cœnam non ueniret, quod esset crudior. Et Quintilianus: Crudo oratori declamandum non putat. At cibo indigesto ferè & oramus, & negocia agimus, uel magis, q̃ digesto. Siquidẽ digesto, & modificato cibo iterũ refici malumus, quàm cætera facere. Appellamus autẽ hominẽ crudũ, pręsertim qui est truci aspectu, quòd eius aspectu oculi nostri offendunt, ut stomachus cruditate cibi, uel quòd facies crudũ habẽtis animũ insuauis,

& fœda est,ut facies crudum stomachum habentis,siue crudum cibum in stomacho. Est etiam crudū idem quod recens. Vnde crudus dolor,crudum uulnus. Et recrudescere dolor, & uulnus dicitur, quasi renouari. Et cruda poma dicimus, quæ nō sunt matura,ut Cicero:Poma,quæ cruda sunt,ui auelluntur: quæ autem cocta,& matura,decidunt.

Libri quarti finis.

# LAVRENTII VALLENSIS IN QVINTVM LIBRVM ELEgantiarum Præfatio.

TErtius iam mihi,& propè quartus annus agitur peregrināti semper,& per omnia maria, terrasq; uolitanti,proxima etiam æstate,& quidem tota militiam experto:quod utrum honestiore,an magis necessaria causa fecerim haud equidem scio. Illud tamen uel me non affirmante,indubitatū cūctis esse non ambigo, quæ maxima atq; adeò sola studiorū præsidia sunt,ea mihi omnia defuisse,literatorum consuetudinem,librorum copiam, loci opportunitatem, temporis otium,ipsam postremò animi uacuitatem. Quorū singula quū plurimum incommoditatis afferant,quum desunt,quid tandem putandum est,uniuersa fecisse? Tametsi repugnauimus assiduè,& quoad licuit necessitatibus reluctati sumus. Interq; nauigandum, peregrinandum,militandum, frequēter ad studia respeximus:ita ut si nihil lucri in literis(quod optabamus) certè(quod proximum est)nihil damni faceremus:quod si non contigit, iacturam hanc multarū rerum notitia,quas uel uidimus,uel sumus experti,fortasse pēsabimus. Hac enim præcipuè uia Homerus informandum esse uirum sapientem præcipit,Vlyssis exemplo. Ita neque Odysseam inchoat:

Dic mihi Musa uirum captę post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum uidit,& urbes.

Quanquā quid tergiuersamur, quid blāda, aut inani excusatione nos fallimus? qualescunq; redierimus,nihil tamen quo dotem filiæ iam me absente adultæ amplíare queamus,attulimus,& collocandi iam tēpus est,satiusq; multò quàm primum nuptui dare, quàm diutius custodiendo, pudicitiæ periculum adire. Mira enim est puellæ,uel procorum, uel amatorum multitudo. Ipsa quoq; teneri amplius nō uult. Et (quod me ualde solicitū facit)alios magis incipit amare, quàm patrē. Quare non uacat comparare plura, quò splendidius,ac magnificētius collocemus. Sed nanq; talenta, quæ ante profectionē nostram parta, ac reposita erāt, in dotem dabimus:quod quū satis esse debeat,tamen plus est multò quod posthac temporis accessione adijcere possemus. Et certè similia impedimenta (ut de morte taceam)extimescenda sunt. Ne fortè(quod dij omen auertant)uel absente patre,uel mortuo,filia(ut quæ ea ætate,atq; adeò ea mēte sit) prostet. Sufficiāt igitur huic operi quatuor superiora uolumina, quintūq; hoc de uerbis, accedente sexto de notis autorum. Quòd si etiam plura scribendi facultas,tempusq; suppeteret,nescio an faciendū putarē. Cum sciam,ea quæ uel optima,atq; pulcherrima sunt,nisi compendij gratia iuuentur, ut pontificales olim cœnæ longitudinis fastidio laborare,simulq; huius,de qua loquor,materiæ,neminē(de prudentibus loquor) uniuersum corpus aggredi esse ausim,suam sibi unusquisq; particulam ad scribendum delegit, siue ne longiore opere legentibus fastidiū moueret(quod enim uocabulū non suā habet in significando elegantiā?)siue immensitatem,

sitatem, infinitatemq́ uoluminum ueritus. Quibus rebus me quoq; motū fuisse fateor, cum mea sponte, tum illorum exemplo maxime, ne semper impefectum, ne semper inclusum habere, ne semper efflagitantibus opus negare uideamur: neue quibus obsequi, & à quibus laudum suffragia nancisci cupimus, eisdem iustæ quærelæ: iustaq́ uituperationis materiam præbeamus. Tum eò quòd insidiatores, & fures re expertus (ut secundo libro dixi) cauere debeo, quos nunc multò plures esse ac fore amici ostendūt: quæ causa Prisciano (ut ipse testatur) fuit, ut festinantius opus illud de arte grammatica ederet. Hac eadem nos causa, & cæteris, quas enumerauimus, sumus adacti, non modo ut festinātius libros nostros, uerumetiam ut pauciores ederemus. Et illi tantùm æmulorum insidiæ nocebant, mihi etiam præter cætera fautorum, atq; amātium studia nocent. Tradatur ergo aliquando uiro puella, cōtenta hac (quantulacunq;) dote. Non enim formosam esse credibile est, quæ maritum, nisi magnitudine dotis conciliante non inuenerit, uirgo præsertim. Maritū autem puellæ cœtum literatorū intelligimus, à quo sanctitatem uxoris, pudoremq́ & custoditum esse cupimus, & custodiri debere testamur. Sed ad promissam uerborū disputationem (cuius hoc libro locus est) descendamus.

*Disco, Edisco, Dedisco, Dedoceo, & Instruo.* Cap. I.

Disco & edisco manifestè differunt. Nam discere est, ut intelligas: ediscere uero, ut memoriter complectaris. Ideoq́ caput apud Quintilianum, quod inscribitur de ediscendo, ita incipit: Illud ex consuetudine mutandū prorsus existimo in his, de quibus nunc differimus ætatibus, ne omnia, quę scripserint ediscāt, & certa, ut moris est, die dicant. Dedisco, quod didici, obliuiscor. Dedoceo te, ostendo falsum esse, quod doctus es, docēs quod uerum est, ut apud eundem in secundo: Et quidem prius, ac difficilius opus dedocendi, quàm docendi. Illud quo quidā utuntur, instruo, quale est: Instruam te in uia hac, qua gradieris, nobis apud idoneos autores incōpertum est. Dicimus enim instruo classem, instruo aciem, instruo causam, instruo militem: non autem discipulum, aut mētem alicuius, nisi eo modo, quo instruimus ea, quæ dixi.

*Excogito, Reperio, Inuenio, Offendo, Nactus sum.* Cap. II.

EXcogitare, est per cogitationem inuenire, idq́ ad res tantum incorporeas pertinet: ut, excogitauit argumēta, rationes, figuras, causas. Est ergo excogitare & inuenire, consilij: reperire uero fortunæ. Vnde Ouidius:

Tu non inuenta, reperta es. Sed iam usus obtinuit, ut idē sit reperio, quod inuenio. Est autē inuenire uel cōsilio, uel casu, siue corporea, siue incorporea reperire. Offēdo ferè quod reperio, neq; solū reuertēdo, & ad statū rerūpub. uel priuatarum pertinet: ut, offendes rempublicam perturbatam consilijs nepotis mei: Verumetiam sine his, ut idem Cicero: Sed tamen neminem tam maleficum offendi, qui illum negaret Antonij dignum senatu. Nactus sum etiam pro inueni, seu reperi frequenter accipitur. Vt idem in Paradoxis: Eum tu hominē terreto, si quē eris nactus, istis mortis aut exilij minis. Et de Senectute: Vitis quidē quæ natura caduca est, & nisi fulta est, fertur ad terrā, eadem ut se erigat, clauiculis quasi manibus, quicquid est nacta, complectitur.

*Desipio, Desipisco, & Resipisco.* Cap. III.

DEsipio, siue desipisco significat, uel quòd aliquid à communi sensu, sapientiaq́ minus habeo, uel quòd à meo sensu destituor. Quod ferèuitium aut ex ætate uenit, aut ex morbo, aut timore, aut amore, aut simili aliquo affectu. Cuius contrariū est resipiscere: & senes quidem iam dementes nūquàm resipiscūt:

cæteri autem resipiscere, id est, ad priorem mentis statum, uel ad meliorem mentem redire solent. Terentius: Multò omniũ nunc me fortunatissimum puto esse gnate, quum te intelligo resipuisse.

*Prohibeo & Inhibeo.* Cap. IIII.

PRohibeo uel generale nomen est, uel ante rem inceptam. Inhibeo autem re iam incepta. Illud uetat, ne quid facias, uel ne quid incipias: hoc ne pergas re, desistasq́ ab incepto. Vergilius:

Quod genus hoc hominum? quæue hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ. Idem:
Parcite iam Rutuli, & uos tela inhibete Latini.

*Vtor, Fungor, & Fruor.* Cap. V.

VTor & fruor aperte differũt, sed non ea ratione qua quidã uolunt, omnia sua imperita cõfundentes, qui aiũt nos uti humanis, frui uero diuinis: imò & diuinis utimur, & humanis fruimur. Quis enim mihi usum diuinorum interdicat? quis rursus uetet me frui rebus meis, labore & industria paratis? Aut quis dicat me frui sacris, cum in illorũ uersor usu atq; administratione? Vel quis neget, quum uoluptati operã do, me frui his rebus unde capio uoluptatẽ. Quòd si dicerent, debere nos frui rebus diuinis, uti uero humanis (quanquàm ne in hoc quidem illis accedo) fortasse audirem. De rebus enim, nõ de uerbis disputarẽt. Nũc uerbum exponũt, non res. Sed hos cum sua imperitia, & (quod fœdius est) cum sua pertinacia relinquamus. Vti igitur est alterius rei gratia: Frui nullius, sed (ut sic dicam) propter se. In illo iter est, in hoc meta. Hoc alterius finis, ad quẽ illud tendit. qui hoc habet, quiescit & contentus est: qui utitur, nunquã cõtentus est, semperq́ ulterius tendit. Ideoq́ reprehẽsus est Annibal, qui cum posset uti Cannẽsi uictoria, frui maluit. Vtor armis, utor domo, utor libris, utor studio, diligentia, operaq́, ut ex hoc postea, emolumẽti aliquid boniq́ consequar. Fruor bonis meis, fruor tuo aspectu, tuo colloquio, tuo cantu: hoc est delectationẽ, uoluptatemq́ percipio ex hac re, atq; ex huius rei usu. Nonnunquam eadem re duo pariter, hic utitur, ille fruitur, ut si alter ad focũ sedeat sanitatis causa, alioqui id non facturus, alter uoluptatis: hic non tẽdit ultrà, sed apud finem ipsum quiescit: ille non contentus præsenti cõditione, ad ulteriora tendit: qualis Annibal si fuisset, nec tam præsenti uictoria requiescere, quàm progredi maluisset, nõ eum Adherbal scire uincere, sed uictoria nescire uti, dixisset, id est, qui frui illa, quàm uti maluerat. Dicimus tamen nonnũquam utimur pro fruimur, uerecundiæ cuiusdam causa: ut, utor pane triticeo, utor palmulis, utor ficis, quasi uiuendi potius causa edamus, quàm edẽdi causa uiuamus. Deniq; frui est delectationẽ capere ex utendo. Itaq; in idem recidunt, idemq́ efficiunt frui, delectari, uoluptatẽ capere. Quo fit, ut non fuerit causa, cur recentiores hoc uocabulum frui, unde uenit fruitio, solis rebus diuinis dare uoluerint. Habet enim hoc uerbum duo supina fruitum, & fretum: quorum primum uix in usu est, nisi apud eos, qui uerborum nouitatibus & gaudent, & gloriantur. Secundum significat confisum, ut fretus fortasse familiaritate, quæ est ei tecum, ausus est cõfiteri. Adiungimus etiam alterum uerbum ad personam (de utor dico) significatq́ conuersor: ut, opera tua utor. Idem Cicero ad Cęlium: Fabio uiro optimo, & homine doctissimo, familiarissimè utor. Et inde fit usus: ut, usus mihi fuit tecum, id est, conuersatio, familiaritas, & consuetudo. Quintil. Mulierem cum qua longa consuetudo, seu longus illi fuerat usus. Atq; quia solemus aliqua re ideo uti, ut ex ea fructũ percipiamus, factũ est, ut dicamus usum pro utilitate & fructu, tam in singulari, quàm in plurali: quorũ exemplorum plena sunt omnia. Fungor autem idem est, quod officium, munusq́ ago: ut, fungor magistratu, fungor prætura, fungor legatione, fungor officio

delegato, fungor munere iudicis. Fungor autē uita, quod fungor officio uitæ, & munere administrandi, gubernandiq́ corpus, munere, inquam, assignato nobis ab imperatore deo. Inde defunctus est uita, id est, finiuit officiū uitę. Vergilius: O tandem magnis pelagi defuncte periclis. Titus Liuius: Defuncta morbis corpora salubriora esse cœpere. Defunctus periculis, quòd finita sunt pericula: & defuncta morbis corpora, quòd finiti sunt morbi corporum. Legimus etiam defunctus morte, id est, mortem finiuit. De potior dixi alio loco.

*Sto, Sedeo, Sido, Sisto, & Stator.* *Cap. VI.*

STare est non ire, in his dūtaxat, quæ eunt sine pedibus, aut quæ erecta non sunt: ut, nauis stat, flumen stat, currus stat, sol stat, unde est solstitiū, & iustitium, quia ius stat, forumq́ clausum est. Anguis etiam & piscis, & lacertus, & auis in aere stant. Quædā ediuerso dicuntur stare, quæ erecta sunt, quandiu non cadunt. Sed hęc fere sunt inanimata: ut, arbor stat, simulachrum stat, domus stat, colūna stat. Quædā uero non dicūtur stare, nisi nec eant, & erecta sint: ut: homo, equus, uolucrisq́ stat. Nanq́ homo quum sedet, & ęquus quum recūbit, & auis quum cubat, non stant, nec tamen eunt. Illud tamen notandum aliter dici sedere de hominibus, aliter de auibus. Nam cætera nō sedent, nisi simia, & si quid est simile. Ipsum uero sedere auium, est in loco altiori esse, ut passer sedet in tecto, hirūdo sedet in pertica, cornix sedet in arbore. Nec recte dixeris, stat in arbore, sed tali potius quodam modo cornix stat, non cubat. Vergilius:

Alitis in paruæ subitam conuersa figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras.

Quintil. lib. 2. cap. 4. Vt si quæratur, an sit credibile super caput Valerij pugnantis sedisse coruum, qui os oculosq́ hostis Galli, rostro atq́ alis euerberaret. Deniq́ eodem modo dicitur sedere auis supra rem quāpiam, ut homo super equū, aut iumentum: non dicitur stare, aut manere, sed sedere, quocunque modo, aut quocūq́ corporis habitu, gestuq́ compositus sit. Sidere autem à sedere multum distat. Est enim sidere deorsum descendere, pessumq́ ire. Vergilius:

Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.

Id est, ab alto demittuntur, unde subsido, insido, ut idem: Subsidere ualles. Et iterum: Subsedit dubius. Nam (ut ego sentio) à sedeo præteritū mutuatur. Inde insido quoq́ insedi, et resido resedi, assido assedi. Siquidē assidere est apud aliquē, ut ægrotū, ut regem sedere. Cum enim Sallust. inquit: Consul postq́ assedit: magis ab assido q̄ ab assideo pręteritū hoc esse, significatio potest esse documento. Vt autem à sedeo distat sido, ita à sto sisto: ut, siste lachrymas, siste fugā, siste gradū, id est, fac stare gradū, stare fugam, stare lachrymas. Atque ut illa superiora idem præteritum habent, uel alterum ab altero mutuum sumit: ita hæc duo idem supinum, uel sisto à sto, uel sto à sisto accipit, quod est statū. Vnde fit stator, quod magis à sisto, quàm à sto descēdit: ob idq́ Iupiter stator uocatus est, qui Romulum orantem, ut fugam suorum sisteret, audiuit. Quare nescio, cur Hieronymus contra Iouinianum dixerit, offendet Iouem statorem, qui libenter sederit, quasi Iupiter stator à stando dicatur, & non à sistendo. Nimirum oblitus historiæ est, ut super Ionam fabulę, ubi ait: Ex Iope Iudęæ portu Andromedam à Perseo liberatā. In quo eorum manifestus est error, qui quum legunt, quòd Ionas surrexit, ut fugeret in Tharsis, & uenit Iopen, opinātur hanc esse Andromedæ urbem, quum sit in India ciuitas Tharsis, unde illa fuit, ut ipse quoque Hieronymus meminit. Ouidius libro primo de Arte amandi:

Andromeden Perseus nigris portauit ab Indis.

Et Sappho ad Phaonem:

Candida si non sum, rapuit Cepheia Perseum,
Andromeda patriæ fusca colore suæ.

Eadem obliuio eiusdem fuit, quòd Gallos matris deûm in Osee ait esse ex gente Gallorũ, qui à Romanis ob ignominiam illius nationis uindice animo effœminantur, quũ à Græcis hoc antea, ut tunc fuerit factitatũ. Sistere dicimus etiam pro repræsentare, & præsentiam corporis exhibere, dictum ab eo quòd non tantum comparare quis debet, nisi & manserit: unde de iudicio sisti, hoc est, de sistendo aliquẽ in iudicio. Cicero ad Atticũ: Des operã, id quod affirmasti, ut te ante Calendas Ianuarias, ubicunq; erimus, sistas. Et hinc stator, nũtius tabellariu'sue consulis. Idem de Officijs libro tertio: Vas factus est alter eius sistendi, ut si ille non reuertisset, moriendum esset sibi. Vergilius:

Et patrio te lumine sistam.

Appeto, & Expeto. Cap. VII.

APpeto cum affectu: Expeto cum ratione. Appeto qualiacũq;: Expeto honesta, planeq; bona. Vnde de rebus expetendis scripsere philosophi, quæ scilicet peti debent: non autẽ de appetendis quo deriuatur appetitus, qui immensa, & immoderata cupiditas dicitur. Quare qui dixit, Omnia bonum quoddam appetere uidentur, mallem dixisse expeteret.

Vendico, & Vindico. Cap. VIII.

VEndico idem est quod (ut sic dicam) approprio, ac meum esse dico. Quintilianus: Circo usitatum nomen Pœni sibi uendicant. Et iterum: Rusticus petit partem bonorum, orator sibi totum uendicat. Et ferè hoc uerbum postulat datiuum, & hũc frequentissime ex pronominibus primitiuis: ut, hunc agrũ ego uendico mihi, tu uendicas tibi, frater uendicat sibi. Vindico ulciscor, unde uindicta, quoties iniuriã contumeliam'ue illatam punio. Interdũ uindico, idem quod ab iniuria, contumeliáue, siue iactura facienda, defendo. Cicero pro M. Marcello: Nobilissimamq; familiam iam ad paucos redactum penè ab interitu uindicasti. Idem de Senectute: Et est senectus natura loquacior, ne ab omnibus eam uitijs uidear uindicare: uitijs, id est, uituperationibus, quemadmodum criminibus, pro criminationibus. Dicimus uindicare in libertatẽ, aut in seruitutẽ, quasi asserere in libertatem, aut in seruitutẽ, non (ut quidam uolunt) uendicare: ut Liuius libro 23. Intermori uehementioribus, quàm quæ pati possit, remedijs ciuitatẽ sine re in ipsa uindicta libertatis perituram. Et in secuudo: Præmiũ indici pecunia ex ærario, libertas & ciuitas data. Ille primùm dicitur uindicta liberatus. Quidã uindictæ quoq; nomen tractum ab illo putant: Vindicio ipsi nomen fuisse. Ego nescio an uendico reperiatur, sed tantum uindico.

Explodo, Complodo, Supplodo. Cap. IX.

EXplodo non tantũ significat eijcio, sed eijcio manibus, & quidem cum sono pulsantibus, qualiter quempiam è domo, è theatro, ex aliquo concilio iniectione manuũ, atq; pulsatione eijcimus. Quod apparet ex alijs à plodo compositis, complodo, & supplodo. Est enim complodere aduersas manus inuicem collidere, quod fieri pluribus de causis solet, uel ad testificandum, more fœminarum, dolorem, uel præ gaudio, uel per subitam admirationẽ, uel si quæ sunt aliæ causæ. Supplodere est pedem terræ incutere, quod interim solet in oratore laudari. Itaq; quũ dicit Cicero. Quoniã Pyrrhonis, Aristonis, Herilli iampridẽ explosa sententia est: appositissimo uocabulo (ut semper) est usus. Non enim dixit eiectam sententiã eo modo, quo cætera eijciũtur, sed quasi pulsatione manuũ, tanquã ipsi illi huius sentẽtiæ autores è cœtu ab ipso cœtu, iniectis in eos manibus, eiecti sint, ut apertius alio loco iudicat: Histrio si paulùm se moueat extrema numerũ, aut si uersus pronũtiatus est una syllaba breuior, aut lõgior, exibilat et explodit.

De

*De Dico, & quibusdam compositis ab eo.* Cap. X.

DIcere proprie est oratorum, & eleganter, facundeq́ue loquentium. Quintilianus libro 10. Nam mihi ne dicere quidem uidetur, nisi qui disposite, ornate, copioseq́ue dicit. Cicero de Officijs: Vt non modo Græcarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantulum se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad iudicādum, id est, in oratoria arte, & in philosophia. Omnes ferè codices habent discendum pro dicendum. Quod exemplum ideo subieci potissimū, ut uulgus emendarem. Vnde dictio uocatur oratoria & facūda oratio. Nam ab illo generali huius uerbi significato fit dictio, quæ est uocabulum siue uerbum. Ex hoc ipso uerbo dico, duo frequētatiua oriuntur, dicto & dictito: sed posterius potius frequentatiuū est, & idem est quod frequentibus temporibus, frequentibusq́ue locis dico & narro. Alterū autem est, quod dico, si id alter scribens excipiat, & manu styloq́ue notet, ut Cicero ad Atticum quadam epistola testatur, se illam nō scripsisse, sed reparandi lateris gratia obambulantem dictasse. Et Quintilianus delitias dictandi appellat, sentiens delicati, nō laboriosi esse dictare, nec accurate dictando scribi. Ita dicta sunt dictito & dicto, à dico, ut uētito, & aduento à uenio, & eadem penè ratione significant. Nam uentitare est frequenter uenire: aduentare uero proximū iam esse ueniendo. Victitare autem eodem modo dicitur, significatq́ue non frequenter uiuere, sed uesci, & quasi uictu uti, siue tali genere uictus frequentissime & ferè semper uti: ut, Sarmatę uictitant lacte. Dictum & dicta de omni sermone intelliguntur, sed specialem quoq́ue significationē habent pro dicaci sermone: unde dicta est dicacitas, quum Quintilianus ita definit: Dicacitas sine dubio à dicendo, quæ ex omni genere cōmuni dicta est. Propriè tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Dicacitas igitur (ut dicebam) sermo cum risu aliquos incessens: Dictū uocatur, quod Græcè σκῶμμα dicitur: quale est Ciceronis: Nisi fortè iure Germanū Cimber occidit. Germani, quos Frācos nunc dici Hieronymus ait, & Cimbri nationes sunt olim inter se dissidētes. Cicero autem de quodā cui nomen erat Cimber, à quo frater occisus est, loquitur, captans risum ex hac ipsa ambiguitate sermonis. Et illud Terentiani Thrasonis in adolescentulum, quod Gnato uetus dictum credidisse se simulat, id est, ueterem facetiam, ac uetus ridiculum: Tute lepus es, & pulpamentum quæris. *In Eunuch.*

*Lib. 6. cap. de risu.*

Valerius Martialis ad Domitianum:

Consueuere iocos uestri quoq́ue ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem

Qualia aūt sunt dicta, quæ in ipsum triumphantem milites iaculari solebant, illud quod Cæsari dictatori fuit decantatum, erit exemplo.

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Illud subegit, & Cæsarem, in quem dicitur, mordet, & alijs apud quos dicitur, risum mouet.

*Adorare, & Supplicare.* Cap. XI.

ADorare ab oro, quod est ore precor, cōponitur: supplicare à plico, quòd genu, poplitemq́ue, aut ceruicem plicamus, quum à potentiore aliquo magnum quid precamur. Et tamen adorare sine ore, hoc est, sine uoce fit, non sine plicatione genuum, ac gestu corporis. Supplicare sine plicatione genuū, ac gestu corporis, non sine ore, & uoce. Hinc est, quare supplicare tantum homini datur, adorare etiam mutis: unde elephas & phœnix, & alia quædā irrationalia solem adorare dicuntur. Nosq́ue rebus mutis, & sensu carentibus nō supplicamus, sed adorationis honorē exhibemus, ut regū statuis, signi, uestibus, literis, alijsq́ue similibus.

similibus. Et præcipue picturis, imaginibusq́;, tum dei, tum sanctorũ, tum ipsius etiã crucis, quã sapiẽtes adorãt, stulti etiã orant. Quod de cruce, idẽ etiã de sudario dico, cæterisq́; similibus: idem de reliquijs sanctorũ, quorũ corpora præsentia adoramus, animas uero absentes oramus. Si quid autem ad hæc muta, quæ uidemus, dicimus, salutatione utimur, non precatione, quale est: Salue sancta crux.

*Assurgo.* Cap. XII.

ASsurgent sani, ut stent, aut ut obuiam eant: assurgũt ægroti, ut sedeant, aut ut cubito innitantur. Vtroq; modo, in alterius honorem aut officij, aut beneuolentiæ causa hoc agentes. Ideoq; fere adiũgitur datiuus: ut, aduenienti magistratui omnes assurgimus etiam morbo affecti, uidelicet ob honorem. Et, pater quum iaceret in lecto, redeũti à peregrina militia filio assurrexit, optatissimũ illud caput amplexurus: nempe ob charitatem.

*Tollo.* Cap. XIII.

SVstuli filium ex uxore, id est, habui filium: Item sustuli filium, id est, educaui: & ab utroq; fit sublatum. Primum est à tollo, pro capio: secundũ à tollo pro educo. Paulus: Tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt. Itaq; si castratum libertũ iureiurando quis adegerit, dicendũ est, non puniri patronũ hac lege. Quint. Cupidus ego liberorũ uxorẽ duxi, filiũ sustuli, natũ educaui, in adolescentiã perduxi. Aliud est igitur hic sustulisse, & educasse. Et alibi: Qui ex duobus legitimis, alterũ in adoptionẽ dederat, alterũ abdicauerat, sustulit nothum, id est, habuit: quanquã parũ propriè significo, quod uolo. Nam ut fœmina quũ mater fit, dicit, peperi filium: ita uir quum fit pater, dicit, sustuli filiũ. Terent. Quicquid peperisset, decreuerũt tollere, id est, educare. Idem: *In Andria act.1. scena 3.* Meministi me grauidã esse, & mihi te magnopere interminatũ, si puellam parerem, nolle tolli. Chremes. Scio quid feceris, sustulisti. Eodem modo dicimus, tulit filium, ut sustulit. Suetonius in Domitiani uita: Deinde uxorẽ Domitiani, ex qua in secũdo cõsulatu suo filiũ tulerat, repudiauit. Alia duo significata notiora sunt, quorũ alterũ est, summouisse, ut Verg. Iubet & sublata reponi Pocula. Alterum, in altum tulisse. ut idem: Et sublatum surgit in ensem.

Quæ duo declarantur ex illo in Neronem epigrammate:

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?
  Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Hic sustulit matrem, quia occidit, & de medio abstulit. Ille sustulit patrem, id est, supra humeros sumpsit, & ab incendio eripuit.

*Prouoco, & Lacesso.* Cap. XIIII.

PRouoco, in malam partem dicitur, & in bonã. De mala notum est. De bona uero, Cicero ad Brutum: Tuis literis amantissimis sum prouocatus. Lacesso plerũq; in malũ, ut idem: Sed iustitiæ primũ munus est, ne cui quis noceat, *1. Offi.* nisi lacessitus iniuria. Sed nonnunquã in bonũ, ut idem quinto Tusculanarum: Tuis me amantissimis lacessisti. Et ad Atticum lib. 13. Cum ipse homo nũquàm me lacessisset, id est, nũquàm me libris suis prouocasset ad respondendum. Est autem prouocare & lacessere, tentare ad pugnam & ad concertationem.

*Hio, Hisco, & Dehisco.* Cap. XVI.

HIare est aliquid sua sponte, & externa aliqua ui diffindere, ut tellus æstu, & ligna ariditate, aut nimio calore hiant. Hiscere est tantum oris, & quidem humani, & accipitur pro eo quod loqui, aut os aperire ad loquendũ, sed ferè per negationem: ut, coram illo non auderes hiscere: aut per interrogationem: Quid nunc habes, quod hiscere audeas? Ouidius tamen poëticè dixit:

Hiscere nempe tibi terra roganda foret.

Cũ oratores soleant potius dicere dehiscere, id est, deorsum pessumq́; se aperire.

Do

Do & Habeo fidem. Cap. XVI.

DO fidem, non est (ut nunc multi loquũtur) des fidẽ uerbis illius: &, nõ dedit fidem illi secũ tantis uerbis loquẽti. Hi uidentur significare, quòd non credatur illius uerbis, quòd Latinè dicitur, fidem habere, loquẽdumq; sic potius: Habeas fidẽ uerbis illius. Nam dare fidem, est alquid sanctè promittere. Vt Terentius Grauidaq; facta, dat fidem uxorem sibi fore hanc. Vergilius: Accipe, daq; fidem, id est, accipe sponsionem factam à me, & tu mihi uicissim da tuam. Quintilianus: Fidem habeas hominibus, quos mentiri alius affirmat. Atticus ad Ciceronem: Neq; dedi, neq; do infideli cuiquàm fidem, id est, nõ promisi uerè ex animo: quia ipse meretur, ut uicissim fallatur.

Præ se ferre. Cap. XVII.

PRæ se ferre, est dicto factoue, & ipsa statim fronte, qualem opinionẽ de aliqua re aut homine habeas confiteri. Quintilianus: Fiduciã igitur præ se ferat orator, semperq; ita dicat, tanquã de causa optime sentiat, id est, ex ipso aspectu oratoris, ex ipsa uoce, ex ipsa tota oratione eluceat fiducia: quemadmodum qui pugnaturi sunt, in uultu, & gestu indicant tacitam uel formidinem, uel fiduciam, hoc est, prę se ferunt fiduciam, uel formidinẽ. Cicero: Nam ille qui accipit iniuriam, meminit, & præ se fert, id est, ait se accepisse iniuriam, mentemue se habere persequẽdæ iniuriæ ostendit. Iterum: At beneficio sum usus tuo, quod quanquàm illud ipsum, quod commemoras, prę me semper tuli, malui tamen me tibi debere cõfiteri, quàm cuiquã minus prudẽti non satis gratus uideri. Præ se ferre & confiteri, pro eodem posuit. In eundem sensum accipi solet præfero, item præ me duco, præ me gero, ante me duxi. Idem: Et tamen quũ ita uiuit, neminem præ se ducit hominẽ: ubi accipitur præ se, ante se, uel in cõparatione sui. Et alibi: Præ se utilitatẽ gerit. Et alibi: Tamen iniuriã à te in me factam, semper ante me duxi.

Rationem habeo, & Ratio constat. Cap. XVIII.

RAtionẽ habeo, idem est quod respectum habeo, sed tãtummodo in bonũ: ut, habenda est ratio salutis, ratio salutis, ratio honoris, ratio rei familiaris: non autem infirmitatis, turpitudinis, incõmodorum, ut quosdam annotaui scribentes: &, tu facis contra rationẽ ualetudinis, id est, non habes respectũ ualetudinis, sanitatis, inquã, non ægritudinis: quæ duo hoc significat nomen. Quę exempla, quia passim inueniuntur, omitto. Cicero ad Mariũ inquit inusitatius: Pudori tamen meo malui cedere, quàm salutis meæ rationẽ ducere. Et in 2. Officiorũ: Siue ratio cõstantiæ uirtutisq; ducitur, aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quã eam assequamur. Et hoc fit cum genitiuo. Cum ablatiuo autẽ præposita prępositione cum, habet aliã significationẽ, ut Cicero in Catone maiore. Rationẽ habet cum terra, quæ nunquã recusat imperiũ, id est, negotium, & cõmercium habet cum terra. Quod probatur ex illo in Tusculanis: Quis est omniũ, qui modo cum Musis, id est, cum humanitate, & doctrina habeat aliquod cõmercium, qui se non hunc mathematicũ maluit, quàm illũ tyrãnum? Idem ad Att. Nunc uero quoniam ea quæ putaui præclara, expertus sum, quàm essent inania: cum omnibus Musis rationẽ habere cogito. Rationẽ constare (ut breuiter dicã) est ęquã legitimamq; rationem aut ostendi, aut apparere ostendi posse. Plinius Iunior: Mihi & tentandi aliquid, & quiescẽdi illo autore ratio cõstabit. Et iterũ: Mirum est quàm singulis diebus in urbe ratio constet, aut constare uideatur pluribus, cunctisq; non cõstat. Vlpianus: Planè ne si defendẽdi gratia aliquid fecerit, rationẽ ei cõstare oportet, id est, rationẽ eum iustã aut ostẽdere, aut facilè posse ostẽdere.

De E & Ex, diuersisq; nominibus & uerbis & eisdem appositis. Cap. XIX.

E Republica est, id est, pro Republica est. Quintil. At hoc nemo dubitauit, quin si nocentes mutari in bonã mentem aliquo modo possint, sicut posse

conceditur, saluos esse eos, magis è Repub. sit, quàm puniri. E Republica dicẽdum, ut in Oratore Cic. testatur, non ex Repub. Tollitur enim x, sicut in omnibus fit ferè quæ ab r, incipiũt, ut è regione, id est, ex opposito, uel ex aduerso, atq; è contrario, non ex regione: è re mea, è re tua, è re nostra. Liuius libro 33. Perinde ac si non postulauerint, quæ è re sua essent, sed suaserint, quæ nobis conferent utilia esse. Similiter è dignitate, ex utilitate, ex usu, pro eo quod esset, pro dignitate, uel ad dignitatẽ, utilitatem, uel usum. Cicero: Ex tua ac Reipub. dignitate facies. Et alibi: Legem (ut æquũ est) ex utilitate Reipub. considerate. Terentius: Quod ex usu fiet. Cæsar in Comment. Vtrum prælium cõmitti ex usu sit. Ex tempore dicere, est ex improuiso, & impræmeditatũ dicere, nec domi cõpositam orationem afferre. Hinc uocatur extemporalis oratio. Persius autem ait: Ex tempore uiuitur. Ex tẽpore quoq; agere. Cicero Offic. 2. Quos credimus expedire rem, & cõsilium ex tempore capere posse. Aliter idem tertio eiusdem operis libro dixit: Vnius generis quęstiones sunt hę omnes, in quibus ex tempore officiũ quęritur: ex tẽpore, quasi ex temporis conditione. E renibus laborabat idem inquit, hoc est, morbum in renibus patiebatur. Ex uinculis causam dicere, est alligatum respondere criminibus, ut ex equo pugnare, est in equo sedentem pugnare.

*Aestimo & Existimo, Cogito & Excogito.* Cap. XX.

AEstimo & existimo à plerisq; confunduntur, quum diuersa sint, sicut cogito, & excogito. Antè enim est cogitare, deinde excogitare, licet non quicũq; cogitat, statim & excogitet. Ita prius rem æstimamus, deinde qualis sit, existimamus. Aestimare enim est cõsiderare. Existimare uero iudicare. Quint. Cõsumptis affectibus, nõ reperiens quos digne modo uultũ patris posset exprimere, uelauit eius caput, & suo quisq; animo æstimandũ. Cicero de legibus: Sisenna eius amicus, omnes adhuc scriptores, nisi qui fortè nondum ediderũt, de quibus æstimare non possumus, facile superauit. Et in Verrinis: Expendite hæc, atq; æstimate. Vnde dictum est æstimare, pro taxare, ab æs æris, & τιμὰ Gręcè, quod est prætium Latinè. Ouidius tertio de Tristibus libro:

Quod quicunq; leget (si quis leget) æstimet antè,
  Compositum quo sit tempore, quoq; loco.

*Coniuro, & Conspiro* Cap. XXI.

COniurare, & conspirare, ferè in malum accipiuntur, quoties in patriã, aut bonum principem coniuratio fit, atq; conspiratio. Sed si honesta causa id fiat, in bonum etiam accipi debent. Nam & Mutius Sceuola ad Porsennam regem, inquit: Tercenti coniurauimus principes iuuentutis Romanæ, ut in te hac uia grassaremur. Et Cicero ad Cæsarem pro Ligario, fratrum cõspirationem dixit, quasi unanimitatem. Verum conspiratio, ut in hoc ipso loco, nonnunquam nemini perniciosa est, in neminemq; grassatur. Cõiuratio semper in alterius perniciem grassari solet.

*Cordi est, & In animo est.* Cap. XXII.

COrdi est, & in animo est, differũt. Nanq; hoc secundũ, notum est significare in animo habeo, uel animus est mihi, uel uolo, atq; constituo, ut ad Terẽtiam Cicero: Nam mihi erat in animo, mittere ad Dolabellam. Illud uero, est, delectat & placet. Vt idem: Itaq; nõ tam me ista sapientiæ, quam modo Fannius cõmemorauit, fama delectat, falsa præsertim, quàm quòd spero amicitiæ nostræ memoriam sempiternã fore: idq; mihi eò magis est cordi, quòd ex omnibus seculis uix tria aut quatuor numerantur paria amicorum. Quo in genere sperare uideor Scipionis & Lælij amicitiã posteritati notam fore, id est, eò magis me delectat, & placet. Terentius: Si tibi hę nuptiæ sunt cordi. Et alibi: Quia uterq; utrique est cordi, id est, nuptiæ iucundæ sunt tibi, & uterq; alterum amat.

Inuerto,

*Inuerto, & Interuerto.* Cap. XXIII.

INuertere est quasi in cõtrarium uertere, ut interiora uestis aut pellis, aut aliarum rerum exteriora facere, præpostereq́ uerba pronuntiare, ut pro lauo uola. Interuertere est rem aut commodatam, aut depositam, aut creditam, callide, doloq́ ne domino restituatur, efficere: ut Cic. in Verrem: Candelabrum, quod rex Aegypti Ioui Capitolino dono tulerat, à Verre, qui illud à rege commodato acceperat, interuersum esse conqueritur. Marcellus iurisconsultus: Si duo, inquit, hæredes rem apud defunctum depositam dolo interuerterint.

*Compertum est, & Exploratum est.* Cap. XXIIII.

COmpertum est mihi, & exploratũ est mihi, idẽ est quod scio per inuestigationem: similiter comperi, & exploraui. Constitutũ est mihi, deliberatũ est mihi, decretum est mihi, idem quod apud me cogitando firmatum est, similiter constitui, & decreui. At non ita deliberaui. Possum nanq; deliberasse, & nihil tamen cõstituisse. Quintil. in ægro redempto: Oderitis licet confessionem meam, deliberaui, hoc est, dubitaui & hæsitaui. Itaq; differt an dicamus, senatus deliberauit, an senatui deliberatum est, id est, decreuit. Plinius Iunior: Tum ego si fixum istud tibi, ac deliberatum est, sequar te. Cic. in Verrem: Deliberatũ autem est, si res opinionem meam, quam de uobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maxima culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. Exploraui tamen pro inueni ferè accipitur, quum exploro idem sit, quod inquiro sagaciter: unde dicuntur exploratores. Idem fit in nõnullis alijs, ut exigo, quod est uehementer, & iure quodam postulo: inde exegi & exactum, pro postulando obtinui, & postulando obtentum. Tale est quęsitum, pro partum, à quęro.

*Fœnero, Fœneror, Mutuo, & Mutuor.* Cap. XXV.

FOenero tibi dicitur, sicut mutuo tibi: fœneror abs te, sicut mutuor abs te. Qui mutuat pecuniam, dat mutuò. Qui fœnerat pecuniam, dat ad usuram. Qui mutuatur pecuniam, mutuò accipit. Qui fœneratur pecuniam, ad usuram accipit.

*Gradum facio, & Gradum iacio.* Cap. XXVI.

GRadum facere, non est transitum facere, sed aliquam rem gradum & quasi scalam ad alia facere. Ideoq; à quibusdam dicitur, gradũ iacere, ut si riuũ transire, si in arborem fenestram'ue, aut tectum scandere uelim, & saxo & scamno, aliqua'ue alia re gradum facio, ut apud Quintilianum: Nanq; & illud frequens est, ut ea, quibus minus confidimus, quum tractata sunt, omittamus: interim sponte nostra uelut donantes, interim ad ea, quę sunt potẽtiora gradum ex his fecisse contenti. Hoc eodem modo Ambrosius in libris Officiorum utitur. Cicero contra Rullum: Nunc quasi gradum quendam, atq; aditum ad cætera iactum intelligetis. Idem pro Cluentio: Antequàm ad hoc nefarium facinus accederet, aditum sibi alijs sceleribus antè muniuit.

*De Certum est.* Cap. XXVII.

CErtum est, non modo accipitur pro manifestum est, ut Quintil. Nempe legem esse certum est: sed etiam pro deliberatum, & constitutum est. In quo secundo plerunq; adiungitur datiuus cum infinitiuo: ut, certũ est mihi ire in Hispaniam. Nonnunquam datiuus subintelligitur, ut apud Vergilium:

Certum est in syluis inter spelęa ferarum Male pati.

*Liceor, Licitor, & Addico.* Cap. XXVIII.

LIceor uidetur carere pręterito, tamen quasi præteritũ habeat, format à se frequentatiuũ (sed eiusdẽ tamen significationis) licitor: unde sunt participia licitans, & licitaturus. Vtriusq; igitur uerbi significatio est, pretiũ deferre in au-

ctione facienda, hoc est, in uenditione quæ publicè fit. Hinc unũ compositũ fit polliceor, non multũ à primitiua significatione dissidens. Est enim polliceri ultro aliquid promittere. Ita qui licentur, aut licitantur, ultro pro re emenda pretium, alius alio maius pollicentur, ut sibi potius, quàm alteri uenalia addicãtur. Nam tali modo uendere, addicere est. Et inde apud Iurisconsultos de in diẽ adiectione titulus est, quem nostri iurisperiti emendant de in diem addictione nõ uerbũ modò, sed sententiã quoq;, atq; ius ipsum corrũpentes. Afferamus ergo exempla utriusq; uerbi. Vlp. Si res eius uenierit, et existat qui plus liceatur, an in integrũ propter lucrum restituendus sit? Et quotidie prętores restituunt, ut rursum admittatur licitatio. Caius: Licitatio uectigaliũ, quę calore licitantiũ ultra modũ solitę cõditionis inflatur, ita demũ admittẽda est, si fideiussores idoneos, & cautionem is, qui licitatione uicerit, offerre paratus sit. Ad conducendũ uectigal inuitus nemo compellitur. Et ideo complecto tempore cõductionis, licitatores alloquendi sunt. Licitatores uectigaliũ ad iterandam conductionẽ, anteq; superiori conductioni satisfaciant, admittendi nõ sunt. Paulus: Si uenditor simulauerit meliorẽ allatam conditionẽ, cum minoris, uel etiam tantidẽ alij uenderet, utriq; emptori in solidum erit obligatus. Sed si emptor alium non idoneum subiecit, eiq; fundus addictus est, nõ uideo, inquit, quemadmodũ priori sit emptus, cum alia cõditio, & uera subsecuta sit. Sed si neuter subiecit emptorẽ, maiore autẽ pretio addictum est prædiũ ei, qui soluendo non est, abiitũ est à priori emptione, quia ea melior intelligitur, quam uenditor comprobauit, cui licuit non addicere. Quibus ex uerbis intelligitur, quid sibi uelit illud Ciceronis in Offic. lib. 3. Non licitatorẽ uenditor, nec qui contra se liceatur, emptor opponet. Idem pro Cecinna: Quum esset (ut dicere instituerem) constituta auctio Romę, mulier mandat, ut fundum sibi emat: Ebutio negocium datur, adest ad tabulam, licetur Ebutius, deterrentur emptores, multi partim gratia Cęseniæ, partim pretio, fundus addicitur Ebutio, pecuniã argentario promittit Ebutius. Quo testimonio nunc uir optimus utitur sibi emptum esse, quasi uerò aut nos ei negemus addictũ, aut tum quisquã fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cæsenię, cũ id plerisq; scirent, omnes ferè audijssent, cũ pecunia Cæsenię ex illa hæreditate deberetur, eam porrò in prædijs collocari, maximè expediret. Essent autẽ prędia quę mulieri maximè conuenirent, ea uenirent, liceretur is, quem Cæsenię dare operam nemo miraretur. Quintil. de pastu cadauerũ: Si nobis nihil ex cõmeatu nostro partiris, nos uicinę ciuitati uendemus, liceat seruire ubi frumentũ est. Non exigua res est: pro uita, pro sepultura, pro innocentia licemur. Idẽ in Aegro redemptor: Omnes facultates in pretia collegi, rus, seruulos, penates, & omnia utiliora properanti festinatione parentis addixi. Inde addicti apud ueteres dicebant qui prætoris pronunciatione ac iussu, quũ soluendo non essent, creditoribus uendebantur. De quibus magna apud Liuiũ fit mentio. Et addictus morti, destinatus dicitur. Cic. Offic. lib. 3. Et is qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulasset, uas factus est alter. Aliquando sine auctione fit licitatio, ut apud Curtium de Dario, qui pollicebatur pretium pro capite Alexandri, si quis eum dolo occidisset, ita inquit: Et quum habeatis arma, ita licitamini mihi hostium capita. Si quid tamen inter liceri, & licitari differt, id est, quòd liceri uidetur aut sine respectu esse aliorum emere uolentium, aut tantum semel deferre pretium. Licitari uerò cum multis, & sæpius augere pretiũ, ut emere uolentes deterreas ab emendo.

### *Audio, & Exaudio: Oro, & Exoro.* Cap. XXIX.

AVdio, et exaudio, indifferenter ponunt pro duplici significatione. Vna, pro eo, quod est auribus accipio, altera pro eo, quod est audita petẽti cõcedo: ut, uisa

ut, uisa sum audire uocem militis, &c: Vox quoq; per lucos uulgò exaudita silenteis. Item:

Audijt, & cœli genitor de parte sinistra
Intonuit læuum, & nulli exaudita deorum
Vota, precesq; meæ.

Audio tamen frequenter accipitur pro eo, quod est credo, accedô, pareo præcipienti, sed ferè cum negatione, & frequentius per participiũ, quod transit in nomen, quod est audiendus, ut apud Quintil. Nec audiendi quidam, quorum est Albutius, qui tres modò primas esse partes uolunt: quia memoria, atque actio natura non arte contingant. Audiendus non est, idem est, quod audiri non debet. Ideoq; licebit dicere: Neq; uerò quosdam, quorũ est Albutius, audire debemus. Sine participio Cic. Tuscul. lib. 1. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à dijs raptum ait propter formam. Sine negatione. Idem in eodem: Endymion uerò (si fabulas audire uelimus) nescio quando in Lycio obdormiuit. Sed cõiunctio hęc, tacitã quandam in se habet negationẽ. Aut certè idem hoc loco dicemus, quod diximus lib. 3. de ullus. Sed nõnunquam sine negatione aptè dicitur, ut apud Liuiũ: Ciuem tuũ non audisti arma capere, ac sequi se iubentem Annibalem. Paulò pòst: Audisti castra prodi, & arma tradi iubentẽ. Audio insuper, pro fateor, quę similis significatio superiori est. Ideoq; sępe sic scriptũ legimus: Audio, & fateor, quasi posterius declaret primum. Exoraui hoc munus, idem est, quod orãdo impetraui. Exoraui patrẽ, exorando induxi: quod licet etiã pueris notũ sit (quippe Terentiũ legentibus, ubi hoc uerbũ millies est, nec unquam reperitur aliter acceptum) tamen quidam sic loquuntur: Exoramus te deus. Lib. 3. cap. 4.

*De Lego, & Perlego, multisq; alijs à per, compositis.*

*Cap.* XXX.

Lego, & perlego differunt, & multa huiusmodi. Legere quid sit, notũ est. Perlegere uerò ad finem usq; legere, ut Quintilianus in 12. Ideoq; opus est intueri omne litis instrumentum, quod uidere non est satis, perlegendum erit. Ouidius: Perlegis? an coniunx prohibet noua? Lactant. in prooemio libri quinti: Non iniuste petere uidemur, ut si quis erit, qui inciderit in hęc, si leget, perlegat. Ita differt Scribere, & perscribere, quę exẽpla sunt plurima. T. Liuius lib. 1. statim in prooemio: Facturus'ne operępretium sim, si à primordio urbis, res gestas Po. Rom. ab initio perscripsero. Perferre, usq; ad constitutũ finẽ ferre. Verg.

Nec spatium euasit, nec totum pertulit ictum.

Et multi ferunt literas, sed eas uel negligentia, uel dolo, uel casu non perferunt. Cic. Sed nuntius ille, qui literas accepit, nõ pertulit. Seneca in Tragœdijs:

Leue est miserias ferre, perferre autem graue.

Id est, ad spatium temporis in miserijs esse leue est, ad finem uerò usq; uitę graue est; ut in illo simili exemplo Martialis:

Nam uigilare leue est, peruigilare graue.

Hoc est, partẽ noctis uigilare, leue est: usq; ad finẽ uerò, & totam noctem insomnẽ ducere, graue: quod dicitur etiã pernoctare. Vnde & pernox, quod à peruigilãdo ita differt, quòd hoc interdiu quoq; fieri potest, illud uerò tantũmodo noctu: quanquàm pernoctare facere uigilantes possumus, id est, totã noctẽ ducere. Peruigil draco dictus est, non quòd pernox esset, sed quòd nunquàm dormiret, semper uigilans. Peragere reum, est nõ tantum agere reum: nisi peruenias ad illius condemnationẽ. Dicitur enim accusator reum condemnasse, quũ illum condemnandum curauit. Vlpianus: Peregisse autẽ quis reum nõ aliter uidetur, nisi & condemnauerit. Perorare, finẽ orationis orare. Vnde peroratio, finis orationis dicit. Sed quia in hac parte utimur plerunq; affectibus, ideoq; usurpamus

interdum

interdum perorare pro ipsa commotione affectuum, ut Quintilianus: At ista legem recitat, & in cadauer filij perorat, id est, indignationem commouet. Persuadere, est suadendo inducere: ut Cicero in Philippicis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim, ea uelim reprehendas, si potes. Vnum, ne quinquenniũ Cæsari imperium prorogaretur: alterũ, ne pateretur fieri, ut absentis eius ratio haberetur. Quorum si utrumuis persuasissem, in has miserias nunquàm incidissemus. Suasit ergo, & non persuasit Cic. Pompeio. Ideoq; dicere solemus: Sic mihi persuadeo, nõ autẽ, sic mihi suadeo. Persuasum habeo, persuasum est mihi, nõ autẽ suasum habeo, suasum est mihi. Idẽ ad Brutũ: Persuasum est adolescenti, et maximê per me, nisi Antonio eiecto, rempublicã stare nõ posse. Ille tamen qui alijs, siue alios (utrũq; enim dicimus) persuasit, nõ persuasor eius sententiæ appellari solet, sed autor. Cicero libro Officiorum tertio: Atq; huius deditionis, ipse Posthumius qui dedebatur, suasor & autor fuit: quasi dixisset suasor, & persuasor. Apud Quintil. autẽ, cæterosq; sui temporis dicitur persuasio, pro certa opinione, atque sententia quam nobis persuasimus, ut lib. 1. Si qua publicè est recepta persuasio. Quæ (quantum ego quidem sentio) id significare uidetur, quod Christiani dicunt, fidem. Et si originem Græcam inquiramus, nescio an cõmodius dicamus persuasio, quàm fides, præsertim re ipsa pro nobis faciente. Fides enim proprie Latinè dicitur probatio, ut facio fidem per instrumenta, per argumenta, per testes. Religio autem Christiana non probatione nititur, sed persuasione, quæ præstantior est, quàm probatio. Nam sæpe probationibus non adducimur: ut malus seruus, malus filius, mala filia, mala uxor, optimo consilio, quod confutare non potest, non tamen acquiescit. Qui persuasus est, planè acquiescit, nec ulteriorem probationem desiderat. Non enim solum sibi probatũ putat, sed sese cõmotum ad ea exequenda intelligit. Sed quia fides etiam pro (ut sic dicam) credulitate accipitur, quale est, habeo tibi fidem, rectè etiam nostra religio nominata est fides, sicut à Græcis πίστις. Verum eò, unde egressi sumus, reuertamur. Persuadere est in effectu. Suadere autẽ in actu. Itemq; disuadere. Itaq; nonnulli peccant, quũ dicũt, dissuasi hoc illi, pro eo quod est, reuocaui ab opinione, in qua erat. Siquidem pro hoc sensu dicimus, persuasi, ne faceret: sicut ediuerso, persuasi, ut faceret. Quare & suasor, & dissuasor nisi persuadeant, nihil effecerunt. Quintilianus: Ergo pars deliberatiua, quæ eadem suasoria dicitur, de tempore futuro consultat, quærit etiã de præterito, officijs constat duobus, suadendi & dissuadendi. Non dixit persuadendi, quoniam non est officium oratoris positum in euentu, qualis est persuasio: neq; est eius ars persuadendi, sed suadendi & dissuadẽdi in deliberatiuo genere. In uniuersum autem bene dicendi, quod est in actu, non in euentu. Præterea deliberatio uocatur suasoria, quoniam utrinq; suadetur: qui enim dissuadet, nil aliud quàm in contrarium suadet. Cic. in Cat. maiore: Dissuasimus nos. Deinde, ut scias finẽ, euentumq; dissuasionis, subiunxit: Itaq; lex popularis, suffragijs populi repudiata est, id est, dissuasimus, et dissuadẽdo ne fieret, persuasimus. Quantum errant philosophi nostri, quorum Albertus unus est, qui quum de comparatione dialecticæ, & rhetoricæ disputant, huius uerbi significationem nescientes, quisquis illos leget, intelliget. Permanere, est usq; ad finem manere. Plinius Iunior: Tunc demum lente, cunctanterq; ueniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alij dissimulanter & furtim, alij simpliciter & liberè.

*De quibusdam alijs à Per, Præ, uel Re, compositis.* Cap. XXXI.

LOcuti sumus nõnihil de prepositione per, quando componitur: addamus adhuc aliquid amplius. Nonunquã hæc per cõpositionẽ in malũ accipit, periurus, perfidusq;, qui iusiurandũ, fidẽq; uiolat. Pertinax, qui nimis est tenax.

Perfuga,

Perfuga, qui ad hostes trāsit. Perditus, qui in omne scelus est traditus. Percitus, qui iracundia, furoreq; est incitatus. Peruersus, qui uersatur in malo, & à bono uersus est. Perpessus, laboriose passus. Saepe accipitur quasi per medium, ut perlucidum, siue pellucidum, id est, per cuius medium fulgor emanat. Perspicuum per cuius medium, licet opertum sit, oculos dimittimus, & per eius mediū uidemus, ut aqua, glacies, laterna, uesica, uitrum, crystallus, gemma. Sed perspicuum plerunq; ad mentem refertur, ut id quod ais perspicuum est, id est, tale, quale uitrum, aut crystallus. Perlucidum magis ad corporea. Plautus in Aulularia: Ita is pellucet, quasi laterna Punica. Seneca de tranquillitate: Quid pellucenteis ad imū aquas, et circumfluentes ipsa conuiuia? Quintil. Sed ut inter se iuncti, atque ita cohaerentes, ne commissura pelluceat. Aliquando, sed figurate, ad mentem refertur, ut apud M. Tullium in Bruto: Ita reconditas exquisitasq; sententias mollis & pellucens uestiebat oratio. Idem est pellucens, & translucens, adeò, ut Plinius maior ferè nunquàm utitur perlucens siue perlucidus, sed trāslucens siue translucidus, quod etiam figurate ad mentē refertur, ut apud Quintilianum lib. 8. Similiter illa translucida, & uersicolor quorundam elocutio res ipsas effoeminat, quae illo uerborum habitu uestiantur. Perfluere, per mediū alicuius fluere, ut si lagena male materiata, maleq; cōpacta sit, perfluit, id est, per eius mediū humor qui intus est, fluit. Terentius: Hâc atq; illâc perfluo, id est, in modum nō fidelis lagenę, quae mihi cōmittuntur, effundo. Plinius idem saepius utitur transfluo pro perfluo, quę idem sunt, ut perfuga & trāsfuga. Perpluere, per medium alicuius pluere, ut haec domus perpluit, hoc tectum perpluit. Quintilianus in sexto: Quum coenaculum eius perplueret. Frequentissime accipitur pro ualde, ut alio libro ostendi, permagnum, pergraue, periucundum. Quo in loco notandū est, quòd cum prae in eadem significatione reperiatur, tamen quaedam uocabula cum prae coniunguntur, non cum per, ut praepotens, pręcelsus, praelatus, praefulgens, praediues, prędulcis, praelongus, prędurus, pręclarus, praecultus. Quòd si quid inter has prepositiones interesse uelis, id erit, quòd uehemētius auget prae. Nam prelongus homo, praelonga oratio, ea dicitur, quae enormi longitudine est: & praepotens, praecelsus, & similia, maiorem in modum potens, cellusq;, & quasi pręter modum, morem'ue aliorum potens, ac celsus. Vnde etiam pręcox fructus, pręter morem cęterorum coctus, siue ante cęteros. Vnde uuę, ficusq; pręcoces dictę, & pręmaturus, ante quàm sit tempus maturum collectus. Quidam tamen pręcoquus dicunt, ut Martialis:

Vilia maternis fueramus pręcoqua ramis:
 Nunc in adoptiuis persica cara sumus.

Eadem prępositio iuncta cum uerbo, nonnunquam habet penè nihil diuersum à sui simplicis significatione, ut pręludo, pręcido, pręmorior, pręcingo. Idē sunt enim quod ludo, cedo, siue incido, morior, cingo. Cuius naturę est etiā re, ut reseco, recido, recingo, repurgo, refodio, repromitto, reuinco: quę sępe uix quippiam à simplicibus dissentiunt in significatione. Per, in obtestationibus, atq; adiurationibus ferè solet separari à suo accusatiuo interiecto nominatiuo, qui frequentissimè est ego, ut Vergilius:

Per ego te has lachrymas, dextramq;, tuamq;.

Quintil. in Mathemat. Per ego has te optime pater (si uis) tantū fortes manus.

*Inter Prosequor, & Persequor.* Cap. XXXII.

PRosequor, & persequor multi nesciunt distinguere, qui ne falli possint, ita accipiāt. Prosequi nō ferè carere ablatiui comitatu, ut prosequor te oculis, charitate, odio, honore, uersibus, cantu, cōuitijs. Significaturq; actio declarans alterius affectum in alterum. Persequor uel in malam partem, id est, insequor,

& insector

& insector: uel in bonam, cum perseuero exequi, quod agere cœperam.

*Partio, & Impertio, & Partior.* Cap. XXXIII.

PArtio, & partior quidam pro eodem legunt. Sed mihi uidetur rarò reperiri partio sine, in, & partior cum in, quando est deponens, sed quando est passiuũ. Est nanq; impertio, idem quod impendo, uel partem do. M. Tullius: Huic rei aliquid temporis impertias, quasi impendas. Idem: Laboris mei laudem nemini impertio, quasi partem do. Reperitur aliquando mutata constructione, ut apud Terent. Plurima salute Parmenonem suũ impertit Gnato, quasi plurimã salutem Parmenoni suo impertit Gnato: Eo modo quo dicitur, dono tibi hunc equum, & dono te hoc equo. Huius passiuum est impertior, ut Cicero: Atque etiã uiro forti collegę meo laus impertitur. Partior idem est, quod partes facio, partesq; distribuo, sicut sortior, sortem facio, sortem'ue recipio. Vergil.

Et socios partitur in omnes.

Quintil. Partire uel gratis, dum quo respiremus, afferas. Partiri itaq; de partibus dicimus. Impertio magis de re incorporea, & quasi communico. Impertiri tamẽ aliqui dicunt, pro impertire, ab ipso deponente partior.

*In manu est, & in manibus,* Cap. XXXIIII.

IN manu est, in manibus est, utrunq; accipitur pro eo, quod est in potestate, sed dupliciter, de pręsenti, & de futuro. De præsenti, Cicero: Non est istud in manu mea. Et filius in patris, & seruus in domini manu dicitur esse. Vnde mancipium, & manumissio. Lucanus:

In manibus uestris quantus sit Cæsar, habetis. Vergilius:

Terra autem in manibus uestris. De futuro, Sallust. Verumenimuero pro deorum, atque hominũ testor fidem, uictoria in manu uobis est, uiget ætas, animus ualet. Contrà, illis annis atq; diuitijs omnia cõsenuere. Tantũ incepto opus est, cætera res expediet. In plurali tamen frequentius, quũ dicimus, uictoria in manibus est, quasi iamiã tenetur. Etiam dicimus in manibus est, in alia significatione, pro eo, quod est, inter manus est, aut quia admirationi est, aut quia nondum operi summa manus imposita. Quando est admirationi, Cic. in Catone Maiore: Est in manibus laudatio: quam cũ legimus, quem philosophorũ non cõtemnimus? Quando res nõ est consummata. Idem in eodẽ libro: Septimus mihi liber Originum est in manibus, omnia antiquitatis monumenta colligo.

*Præditus sum, & Affectus sum.* Cap. XXXV.

PRæditus sum bono dicitur, & præditus sum malo: sicut affectus sum malo, & affectus sum bono, id est (ut breuiter magis, quàm optimè dicam) habeo bonum, & habeo malum: ut, præditus sum humanitate, uirtute, diuitijs, dignitate, uiribus: qui sermo est usitatissimus, nunquam tamen cum ablatiuo, & prępositione à, uel ab, ut fit in affectus: ueluti, ego sum à rege magnis honoribus affectus, non autẽ sum præditus à deo magnis uiribus. De malo rarius. Cic. pro Sylla: Ni uerò unum me uis ferum, præter cæteros, me asperũ, me inhumanũ existimari, me singulari immanitate, & crudelitate præditum. Idem pro Rabirio: Senectute affectus, morbo præditus. Contingit idẽ in singulari, ut in proximo exemplo: Existimari me singulari immanitate. Sępeq; legimus, ille est singulari improbitate, tu es singulari stultitia. Similiter fit in alijs tribus, quatuor'ue: notabilis nobilis, insignis, & eximius. Quintilianus: Hunc tu animũ modo inter libidines, ac scorta perdebas, macie notabilis, pallore deformis, solaq; impatientię tuę fabula notus. Nobile scortum, quasi in ordine meretricio excellens, uel maximè inter alia notũ, ut apud Liu. Nobilis ille clade Romana locus. Et apud Ciceronẽ Cuius præter cæteros est nobilitata crudelitas. Et latrones uocamus insignes, qui maiore manu, maioreq; audacia grassant̃. Et insignis improbitas, insignisq;

stultitia

stultitia dicitur, quemadmodum singularis, eximiaq́ stultitia, quod rarius est. Cicero Verrinarum quarto: Sin hanc uos in rege tam eximiam iniuriam, tam acerbam neglexisse audient.

*Descendo.* *Cap.* XXXVI.

DEscendo in prælium, descendo in forū, descendo in campum dicimus: nō quia de loco superiore in inferiorem descendimus, sed quia de loco tuto in locum discriminis: opinor, quòd qui in loco celsiore se tenet, pugnam detrectare existimatur, quem quum relinquit, & in locum æquum uenit, atq́ descendit, mentem se pugnandi habere declarat. Ideoq́ non ferè dicitur in forū descendere, nisi qui pugnandi, & defendendæ litis causa uenit in forum, non rerum uenalium coëmptor, ac negociator. Et in campum descendere, non nisi qui litis, dignitatis'ue causa (sicut in campo Martio fiebat) certaturus uadit. Nec in prælium pugnam'ue descendere, quòd in loca inferiora descendat. Non enim locus est pugna, & prælium, quum nihil intersit qualis locus sit, planus, an montuosus, in quem se confert, qui in pugnam descendere dicitur, ut apud Vergil. (Satis autem erit in re perspicua unum exemplum protulisse)
Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Thyrrenamq́ manum totis descendere campis.

*Amo, & Diligo.* *Cap.* XXXVII.

AMare est generalis significati, idem quod diligere, nisi quòd putetur plus quiddam esse in amando, quàm in diligendo, ut Cicero ad Brutum: Lucius Clodius ualde nos diligit, aut (ut ἐμφατικώτερον dicā) ualde nos amat. Et iterum: Sic igitur facies, & me aut amabis, aut quo contentus sum, diliges. Idem ad Dolabellā: Quis erat, qui putaret ad eum amorē, quem erga te habebā: posse aliquid accedere: tantū tamen accessit, ut mihi deniq́ nūc amare uidear, antea dilexisse. Adamare est amatorie amare, ut Quintil. multis in locis, sed unus suffecerit: Me quidē marite si quis interroget, omnes liberos suos tanquam adamauerint, amant. Videbis oculos nunquàm à facie, uultuq́ deflectere, comere caput, habitumq́ componere, suspirare quum recesserint, exultare quū uenerint, conserere manus, pendere ceruicibus, non osculis, nō colloquijs, non præsentiæ uoluptate satiari. Amicus cū honesta res est. Amica quando ad uirū refertur, inhonesta: ut, hęc amica mea est, id est, cōcubina. Ego uerò ipsius nō amicus, sed amator sum. Ideoq́ apud Terēt. dicitur: Here, putaui hunc Pamphilū amicū, amatorem uirū. Ne putares amicū in malam partē accipi, adiecit amatorem. Sed apud prosam hoc obseruatū semper inuenies, apud poëtas fortasse non semper.

*Declaro.* *Cap.* XXXVIII.

DEclaro frequentius ad facta pertinet, quàm ad dicta. Cic. Declarauit id modo temeritas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina & humana peruertit. Aliquando etiam in dictis. Idem ad Ligarium: Postea uerò quàm magnā spem habere cœpi, fore ut breui tempore te incolumem haberemus, facere non potui, quin tibi & sententiam, & uoluntatem declararem meam. Et in eadem epistola: Quando quid sentirem, exposui, uellem tua causa, re potius declarare quàm oratione. Interdum accipitur pro significo, ut idem lib. 1. de Finibus: Nullum uerbum est, quod idem declaret Latinè, quod Græcè ἡδονὴ, quam uoluptas declaret, id est, significet, uel ostendat, uel indicet.

*Ingredior.* *Cap.* XXXIX.

INgredior componitur quidem ex in, sed diuersa ratione, nunc ad locum, ut ingredior forum uel in forū. Qui modus loquēdi nemini ignotus est. Nunc in loco, quod est ambulo, & incedo. Vergilius:
Continuò pecoris generosi pullus in aruis.

Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Cicero libro quinto ad Atticum: Si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, aduola. Idem est ergo ingrederis hoc loco, quod graderis, quod est ambulas.

*Consulo te & tibi, Consulto, Consultor, Consultus, & Inconsultus.*

*Cap.* XL.

Consulo te, consiliū peto à te, uel interrogo, & inquiro. Quintil. Quid per fidem facere uultis? Iuuenem quem de parricidio consuluit pater ille seruatus, miror hercule (non dixisse uolui) sum ueneficus, sum parricida. Idem: Ergo quod primum est, ut quod imitaturus est, quisq; intelligat, & quare bonum sit, sciat, tum in suscipiendo onere consulat suas uires. Et iterum: Ego aures consulens meas. Consulo tibi, consilium do tibi, uel prouideo tibi: sed hoc frequentius, & magis proprie in rebus, ut consule uitæ tuę, consule ualetudini, consule dignitati, consule saluti, cōsule rebus tuis: adeò frequentissimè, ut quum dicitur consulere uolo mihi, & liberis meis, intelligatur potius de corpore, & de rebus externis, quàm de animo. In plurali autem numero interdum reperitur, sine apposito tamen, ut cōsulunt senatores, quod frequentius dicimus cōsultant, id est, deliberant. Nisi enim adsit qui consiliū petat, & qui consilium det, non erit deliberatio, siue cōsultatio. Atq; ut consulunt dicimus, pro cōsultant, hoc est, quòd altera pars petit, altera dat consiliū: ita econtrario nonunquā cōsultare est unius nō plurium, sed ita si apud se duas partes sustinet, secumq; deliberat. Hinc duo nomina nascuntur, consultor & consultus. Consultor ferè pro eo qui aliū consulit, accipi solet: nōnunquam tamen pro eo qui alij consulit. Sallust. in Iugurtha: Simul ab eo petiuit, uti fautor, consultorq; sibi adsit. Et iterum: Ita cupidine atq; ira, pessimis consultoribus grassari, neq; facto, neq; dicto abstinere. Consultus, est homo prudens, ac sciens, dignusq; à quo consilium petas. Cæterum non occurrit mihi ubi repererim, nisi aut participium, ut ibi: Consulti medici dixerunt eundem esse languorem: aut nomen pro iurisconsulto, ut Horatius:

Eris tu, qui modò miles,
Mercator, tu consultus, modò rusticus.

Quintil. in septimo: Scripti & uoluntatis frequentissima inter consultos quæstio est. Liuius tamen libro I. ait de Numa Pompilio: Consultissimus uir, ut illa quisquā ætate esse poterat, omnis diuini, atq; humani iuris. Et in decimo: Callidos solertesq; iuris, atq; eloquentię consultos. Horat. primo Carminum:

Parcus deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro.

In compositione frequens est, sed adiectiuū, ut apud Quintil. O inconsultam muliebrē semper amentiam, id est, imprudentem, inconsideratā, et nullius consilij. Alterum quoq; cōpositum, si compositum est, iurisconsultus, quod etiā dici solet iurecōsultus. Nonnunquam in simplici, ut Ouid. primo de Arte amandi.
Sit tibi credibilis sermo, consultaq; uerba.

*Ago gratias, Habeo, Refero, ac Reddo gratias.* *Cap.* XLI.

Agere gratias, est uerbo, quod quidam barbare dicunt regratior. Habere gratias in animo, quum memorem accepti beneficij mentem, animumq; habeo, & inuicem gratificandi uoluntatem. Referre, siue reddere gratias, est facto: ut, si tu à me subleuatus aut pecunia, aut patrocinio, aut manu, alio'ue subsidio, uicissim me aliquo modo subleuaueris, gratias retulisti, reddidistiq;: licet Seneca nolit malas referri posse, sed reddi. Cic. tamē in Sallust. ait: Nam quòd ista inusitata rabie in uxorē & filiā meā inuasisti (quę se facilius mulieres abstinuerunt

runt à uiris, quàm tu uir à uiris) satis docte ac perite fecisti. Nõ enim sperasti me mutuam tibi gratiam relaturũ, ut uicissim tuos cõpellarem. Quanquam Cicero nunquàm fere ait reddere gratiã, sed referre. Porrò hoc exemplum in aliũ quoq; usum attuli, quod uidetur significare gratiã etiam uerbo referri, nõ solum facto. Sed multum tamen differt ab illo, agere gratias, quo tantum innuitur confessio accipientis beneficium. Qui uero refert gratiam, reddit beneficium, & interdum maleficiũ, siue facto, siue dicto, quoniam dicendo nõnunquam prosumus æquè atq; faciendo. Plancus ad Cic. Immortales ago tibi gratias, agamq;, dum uiuã. Nam relaturũ me affirmare nõ possum. Tantis enim tuis officijs nõ uideor mihi respondere posse. Ecce respondere officijs, & satisfacere beneficijs, est gratias referre. Cæterum frequentius est refero gratiam, quàm habeo gratiã. Item frequentius habeo gratiam, quàm ago gratiam. Vix enim audiuimus ago gratiam, sed gratias. Et raro refero gratias, sed gratiam. Cuius rei testimonium est illud in libro quadragesimosexto Titi Liuij: Satiatusq; tandem complexu filij, Renunciate, inquit, gratias regi me agere, referre gratiam aliam nunc non posse, quàm ut suadeam, non ante in aciem descendat, quàm ut in castra me redisse audierit. Dicimus item ago grates, sed sæpius apud poëtas, qui necessitate uersus, ago gratias dicere non possunt. Nonnunquam etiam apud oratores, ut Ciceronem: Aliquantoq; pòst suspexit ad cœlum, & Grates tibi, inquit, ago summe Sol, uobisq; reliqui cœlites: nisi legendum est gratias, & non grates pro eodem significato, siue pro eo quod est, reddo gratias. Seneca in tragœdia, quæ inscribitur Agamemnon, dixit:

Reddunt grates tibi grandæui, Lassiq; senes compote uoto.

Reddunt grates, id est (ut ego interpretor) agũt gratias. Quis enim referre possit gratiam Deo? quod etiam fando nunquàm cognitum est, præterquàm apud quosdam recentes, nihil nisi barbare loqui scientes. Sed gratias agimus. Raro etiam gratiam dijs habere dicimur, quoties agnoscimus, apudq; nosipsos fatemur ab illis beneficium accepisse, citra spem gratiam referendi, ut in Andria Terentius: Pol dijs habeo gratias, quod in pariundo aliquot affuerunt liberæ.

### *Gratulor, & Grator.* Cap. XLII.

GRatulari, est uerbo testari te gaudere fortuna, ac felicitate alterius apud eũ ipsum, qui affectus est felicitate. Nonnunquam apud teipsum ob tuam felicitatem. Ideoq; ferè postulat datiuum: ut, gratulor tibi ob tuam præturam adeptam: gratulor manibus meis, quibus ut te contingerent, datum est. Quintil. Non efficiet tamen infandum præsentis reatus, indignumq; discrimen, ut misera puella non gratuletur sibi, quòd ipsam pauper accusare iam potest. Poëtæ nonnunquam prætereunt datiuum, utiq; quum fuerit pronomen, quæ fuit causa, ut quidam existimarent, quorum est Apuleius, hoc uerbũ idem significare, quod gaudeo. Ouidius in Heroidibus:

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris.

Gratulor inquam tibi, uel mihi, uel nobis. Idem tertio de Arte amandi:

Prisca iuuent alios, ego nunc deniq; natum Gratulor.

Gratulor subintellige mihi. Et interdum etiam oratores. Quintilianus in pastu cadauerum. Gratulemur iam, quòd nulla ciuitas fame laboret: subintellige nobis. Verba autem Apulei hæc sunt in apologia, de magia: Eo tempore, quod nõ negabunt in Getuliæ mediterraneis montibus fuisse, nisi pisces per Deucalionis diluuia reperirentur. Quod ego gratulor nescisse istos legisse me, prætermisit datiuum, atq; gratulor, pro gaudeo accepit. Quod tantum abest, ut approbẽ, ut possit gratulari quis, quum minimè gaudeat, atq; adeò doleat (quod frequenter usu uenit) utiq; inter falsos amicos, quum alter inuidus atque æmulus tacitè

quidem dolens,quòd alter honoribus auctus sit,tamen illi gratulatur. Fortè & Apuleius subintellexit mihi. In eadem significatione accipitur grator, sed poëticum,historicumq́ue est. Vergil.

Inueni germana uiam,gratare sorori.

Titus Liuius lib.7. Tuum sequentes currũ,Iouis optimi maximi templũ gratantes,ouantesq́ue adire. Dicimus aliquando gratulari pro eo,quod est, gratias agere,sed nõ ferè nisi dijs immortalib.ideoq́ue propriè idem est,quod supplicare. Sic quidẽ triumphantes in Capitoliũ ascendebant,Ioui optimo maximo, cæterisq́ue dijs gratulatum. Eiusdem quoque significationis fortassis est grator, quod significat Liuius lib.10.dicens: Itaque prętor extemplò edixit,uti æditui ædes sacras tota urbe aperirẽt, quo circumeundi,salutandiq́ue deos, agendiq́ue grates per totam diẽ populo potestas esset. Nec mirũ,si dicimus gratulari,gratari ue dijs,quasi ostendere nos illis aggaudere, quũ dicamur etiã eosdẽ salutare, quasi salutẽ illis optare,quod hominibus conuenit,non dijs.

### *Fingo,& Effingo.* Cap. XLIII.

Fingere propriè est figuli,qui formas ducit ex luto. Inde generale fit uocabulum ad cętera,quę ingenio, manuq́ue hominis artificiosè formantur, prǽsertim inusitatè,& nouè. Effingere est ad alterius formã fingere,& quodam modo fingendo reprǽsentare. Cicero secundo de Oratore: Tum accedat exhortatio, qua illũ,quem delegerit,imitando effingat,atque exprimat. Quintil.lib.10.cap.1. Nam id quoque est docilis naturę,sic tamen,ut ea,quę discit,effingat. Et iterũ:Nã mihi uidetur M. Tullius, quum se totum ad imitationẽ Grecorum contulisset, effinxisse uim Demosthenis,copiã Platonis,iucunditatem Isocratis. Vnde cunctum est nomen effigies,figura ad uiuam alterius similitudinem, uel ad ueritatis imaginem facta,tam in picturis,quàm in sculpturis.

### *Obeo,Oppeto,& Defungor.* Cap. XLIIII.

Obeo legationem, exequor munus, & officiũ legationis. Obeo prouinciã, exequor officium prouinciale. Ita obeo mortẽ, exequor uel peragro mortem,uel adeo mortem,quemadmodũm dicitur, quis obijsse diem, pro adiuisse. Item obijt diem suum,idem est,quod mortuus est, & uiuit ad diem fati, ut apud Quintilianum: Nunciatum est Marcellum diem suum obijsse. Prętermittimus autẽ nõnunquam illum accusatiuũ dicentes, Marcellus obijt. Quod idem fit in illis significatione similibus uerbis,oppetijt,& defunctus est,atque etiam in decessit,& si qua sunt alia. Nam in priore subintelligitur accusatiuus mortẽ, in posteriore ablatiuus,uita. Quid signi? quòd sępe reperimus hęc nomina esse his uerbis adiuncta. Est aũt oppetere frequẽtius quidẽ mori,nõ fatali,sed illata morte. Interdum tamen & fatali. Cic. de Offic. lib. 1. Et Aiax traditur millies mortem maluisse oppetere, quàm mulieribus (si Circe, & Calypso mulieres appellandę sunt) ut Vlysses fecit,inseruisset. Idem de Diuin. Aequius esse censuit se maturam oppetere mortem,quàm P. Africani filiam adolescentem fœminam emisit, ipse paucis diebus pòst est mortuus. Sine accusatiuo apud Vergil.

O terq́ue, quaterq́ue beati, Queis ante ora patrũ,Troię sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Defunctus quoque dicitur,quasi perfunctus munere uiuendi. Ideoq́ue ut dicimus, perfunctus est,siue defunctus officio prętorio, munere ædilitio, cura tribunitia: ita defunctus uita,id est,ab hac administratione,ab hoc munere,ab hac procuratione cessauit,ut apud eundem: Defuncta corpora uita.

Detulit autem (quod tertio loco posui) in idem significatum accipio, quod est accusauit, ubi subintelligitur reus, ut Quintil,

Diuitem detuli reum pauper, inimicus occisi pater.

Vestigo, Peruestigo, & Inuestigo. Cap. XLV.

PEruestigo & inuestigo, nō solum quæro, sed etiam (& quidē frequentius) quęrendo inuenio, ut sit Vestigo quæro: Inuestigo & peruestigo, quasi acquiro. Ductū aūt est hoc uerbū à uestigijs, tanquam signis indicijsq́ quibus ad rei notitiā peruenimus. Cicero tertio de Oratore: Ipsa tractatio & quęstio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione uestiges. Idem in eodem libro secūdo: Nosse regiones intra quas uenias, & peruestiges, quod quæras. Idem pro ligario: Sed quoniam diligentia inimici inuestigatum est, quod latebat, confitendum est, ut opinor. Terentius: Nihil tam difficile est, quin quærendo inuestigari possit.

Nutrio, & Alo. Cap. XLVI.

NVtriri, est & paruulorum ut crescant: unde nutrices dicuntur, nutritijq́, qui curam infantium habent, habuerunt'ue: & adultorū, ut uiuant. Alij quoq; in eodem significato: unde lex illa XII. tabularū: Liberi parentes alant, aut uinciantur. At in rebus incorporeis frequentius, ut crescant. Quintilianus: Sed alere facundiam, uires augere eloquentiæ possit: Perinde ac si dixisset, Augere facundiam, augere uires eloquentię possit. Cic. Sed nec illa extincta sunt, alunturq́ potius, & augentur cogitatione, & memoria mea. Coniunxit & ipse hæc duo sicut solemus in multis, quæ similia sunt, ut possum & licet, ut munus & officium, ut mens animusq́: Vergil. Hos successus alit, id est, quasi horum animos successus augescere facit.

Spero, & Confido. Cap. XLVII.

SPero pro credo usitatum est, siue de præsenti loquamur, siue de præterito. De præsenti, Quintil. Facilis (ut animaduertere uos spero) defensionis meę cursus est. De præterito, Idem: Et innocentiā quidem puellę satis (ut spero) defendimus. Et Cic. Spero iam probatam esse amicitiam nostram. Similiter confido pro credo, tum in præterito, tū in præsenti, tum in futuro. In pręterito: Quoniam probatam rationem officij mei uobis esse cōfido. In pręsenti: Quanquam à Cratippo nostro principe huius memoriæ philosophorū, hæc te assidue audire, atq; accipere confido. In futuro: Ita fore cōfidimus. Hęc exēpla ex Cic. sunt.

Dico & Fero sententiam, Dico & Fero legem. Cap. XLVIII.

DIco sententiā consiliarius, fero sententiam iugex. Quorum exempla frequentiora sunt, quàm ut à me repeti debeant. Nonnunquam tamen dico pro fero, ut apud Quintilianum: Apud iudices quidem secundum legem dicturos sententiam de confessis præcipere, ridiculum est. Iuris quoque consultos hoc uerbo in hunc sensum frequentissime usos uidemus. Dico leges, aliud q̄ fero leges. Est enim ferre ad suos: dicere ferè ad uictos. Vt Liu. lib. 46. Nihil ea mouerunt regem tutam fore bellis Asiam ratum, quando perinde ac uicto, iam sibi leges dicerentur.

Circumsto, & Circumsisto. Cap. XLIX.

CIrcumsto, & circumsisto, utrunq; facit circumsteti: sed primum pro circundo, alterū pro inuado & irruo, & quasi terrificatione aggredior. Vergil.

Circumstant animę, dextra lęuaq́; frequentes. idem:

At fessi tandem ciues infanda furentes

Armati circumsistunt. Et alibi:

At me tum primum sæuus circumstitit horror.

Quintilianus in Apes pauperis: Quum me euocassent subitò trepidū, totoq́ fortunæ suæ strepitu circumstetissent. Nonnunquam non terrificandi, sed terroris auferendi gratia ponitur, ut Cæsar in Commentarijs: Si quis grauiore uulnere accepto deciderat, circumsistebant: hoc est, socij iacentem exhortabantur, te-

la hostium arcentes. Nonnunquam etiam, ut circumsto accipitur: ut apud eundem: Et mercatores in oppidis uulgus circumsistit, quibusque ex regionibus ueniant, quasque ibi res cognouerint, pronunciare cogit. Quo etiam modo apud Quintilianum accipi potest.

### *Vsurpare.* Cap. L.

VSurpare est uti siue usitari tum dicto, tum facto. Cic. in Oratore: Pòst inuenta conclusio est, qua credo usuros illos ueteres fuisse, si iam nota atque usurpata res esset, qua inuenta omnes usos magnos oratores uidemus. Hoc etiã sic dicere licebat in eandem sententiã. Pòst inuenta cõclusio est, quam credo usurpaturos illos fuisse, si iam nota atque usurpata res esset, quam inuentam omnes usurpasse magnos oratores uidemus. Idem: Quod semper usurpamus in omnibus dictis, ac factis minimis, ac maximis. Cùm hoc decere dicimus, illud nõ decere. Idem: Praeclare enim hoc est usurpatum à doctissimis, quorum ego autoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes habenda esset oratio. Sed quum apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sunt, cur ego simulem, me si quid in his studijs operae posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis uiris, nisi sapientem liberum esse neminem. Vsurpatum & dictum pro eodem accepit, sicut doctissimis & eruditissimis. Quid multa? cum frequenter iurisconsulti utantur usurpo pro dictito, nam pro factito, minus dubium est.

*In parãdoxis.*

### *Praestò sum, & Adsum.* Cap. LI.

PRaesto sum, idem est quod adsum, nec alteri ferè uerbo cohaeret, nisi uerbo substantiuo, & huic simplici: nam praestò adsum, magis poëticum est. Quid igitur significat adsum? Tria: unum naturaliter, duo per quendam flexum et deriuationem. Primum est, praesens sum, quod modo cum ablatiuo iungitur, in, praepositione seruiente, ut apud Ciceronem de Oratore: Paulus in pugna non adfuerat. Modo cum datiuo, ut apud eundem in Philippicis: Omnibus his pugnis Dolabella adfuit. Et apud Quintil. Nã in libris Obseruationũ à Septimio editis, adfuisse Ciceronẽ tali causę inuenio. Secundum est hinc ductũ, quod saepe corrogamus, qui nobis adsint periclitantibus, quales sunt aduocati, quorum officiũ est adesse in iudicio. Sed ipsum illud adesse, fauere est, pręsidioque esse, ideóque dicimus adesse, pro eo quod est, esse praesidio. Vergilius:

Modo Iuppiter adsit. Et iterum:

Adsis ô tandem, & placidus tua numina firmes.

Et in prosa, Quintil. Nunc omnes in auxilium deos, ipsumque in primis, quo nec pręsentius aliud, nec studijs magis proprium numen est, inuocem: ut quantum nobis expectationis adiecit, tantum ingenij aspiret, dexterque, ac uolens adsit. Idem: Si tamen pater, qui diuisit patrimonium, & reos parricidij defendit, sic agat, quod contra legem sufficit. Parricidium obijcitur iuuenibus quorũ pater uiuit, atque etiam liberis suis adest. Tertium est aduenio, seu magis aduenià. Nam propè idem sunt, iam ueniet, & iam praesens erit. Itaque aderit accipitur pro utroque, siue pro utrouis. Vergil.

Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus. Iterum:

Huc ades ô formose puer. Et,

Huc ades ô Galathea, quis est nam ludus in undis? Et iterum:

Huc ades ô Meliboee, caper tibi saluus, & hoedi.

Vbi si eadem foret significatio, quae est in illo praesens sis, hic ades, non huc diceretur. Ergo huc ades, pro adsis, idem est, quod huc ueni. Has easdem significationes habet praestò sum, & eadem ratione. In prima, Ciceronis exemplum est in Bruto: Quibus quidem causis tu etiam Brute praestò fuisti. In secunda

eiusdem pro Murena: Ius ciuile didicit, multũ laborauit, uigilauit, præstò multis fuit. Et pro eodem: Tu interea Romę scilicet amicis præstò fuisti. In tertia, eiusdẽ ad Herenniũ: Hirundines æstiuo tempore præstò sunt, hyeme pulsæ recedunt. Et in epistolis frequenter: Stator tuus mihi cum literis præstò fuit. Et propriè accipi solet hoc ultimũ, pro eo quod nunc dicimus, cõpareo, ut si quis aliqua dignitate, imperioúe affectus alteri sic iubeat: Cras mihi ad hunc locum, & hanc horam pręstò sis, id est, compareas, & te repræsentes, atq; exhibeas mihi.

*Fleo, Gemo, Ploro, Plango, Eiulo, Lamentor, Vociferor.*

Cap. LII.

FLere est lachrymis, ideoq; tantum hominum, sicut ridere. Gemere est in pectore, quum prę angustia in sonum prorumpit. Ideo & iumenta sub nimio pondere gemunt, & inanimata quoq; quum nimis onusta sunt, gemere dicuntur. Vt apud Vergilium:

Gemuit sub pondere cymba.

Plorare est uoce flebili, & effusa dolorem suum aperire. Vnde implorare, est plorando opem orare. Plangere est percussione, ac uerberatione pectoris, capitis, uultus, aliorumúe membrorum se in dolore affligere: regitq; post se accusatiuum. Ideoq; per translationem dicuntur fluctus plangere littora: quasi ad declarandum dolorẽ, in modum lamentationis. Eiulare est uoce sublata flere, quod magis mulierum est proprium. Vociferari est uoce effrenata, non modo dolorem, sed etiam indignationem (quanquam indignatio doloris genus est) ostendere. Interdum sine affectu, sed tamen uehementius exclamare. Lamentari est uoce querula, & tristi oratione cladem testari suam. Quę exempla lecturis hoc opus inuestiganda relinquimus.

*Existit, & Extat.* Cap. LIII.

EXistit atq; extat, quorũ uerborũ unũ atq; idem præteritũ est, simile quiddã significãt, quod est eminet, & superest. Sed primũ cum motu, alterum sine motu, ut illud sit prodit, uel exurgit: hoc uerò superstat. Cicero de Diuinatione: Atque delapsus in flumen nunquam comparuisses, me contremuisse timore perterritũ, tum te repentè extitisse. Et iterum in eodẽ libro: Summersus equus uoraginibus non exstitit. Adhuc iterum in eodem: Vocem ab æde Iunonis ex arce extitisse. Atq; iterum: Neq; diu ulla uox extitisset. Et in secundo: Anguẽ ab ara extitisse. Et iterum: In Lysandri statuæ capite Delphis extitit corona. De rebus quoq; mutis existere dicimus, ut idẽ in Lælio: Existit hoc loco quæstio subdifficilis. De extare exemplum unum Vergilij suffecerit Georgicorum tertio:

Stant circunfusa pruinis
Corpora magna boum, confertoq; agmine cerui,
Torpent mole noua, & summis uix cornibus extant.

Quo fit, ut de libris, qui demortui non sunt, dicamus extare: ut, extant paucissimi Varronis libri, plurimi non extant. Nam ut de homine, qui adhuc uiuit, loquimur, superest, quasi non subter est, sub terra humatus: ita de rebus, extant, quasi extrà stant, nõ intrà & in tenebris latent. Cicero in Oratore: Quæ (ut scis) extat oratio. Et de Senectute: Et tamen ipsius Appij extat oratio.

*Conciliare amorem & beneuolentiam nos dici, inire autem gratiam.*

Cap. LIIII.

COnciliamus amorem nobis alicuius, conciliamus beneuolentiam: non autem conciliamus nobis gratiam. Rursus inimus gratiam, non autẽ inimus amorem, aut beneuolentiam. Quarum omnium orationum eadem ferè sententia est, ac si hoc uerbo uterer contraho, uel comparo: nisi quòd inire gratiam, est magis fauorem comparare, quàm amorẽ, ut apud Quintilianũ: Quinetiam hoc

timeo, ne ex eo minorem gratiã hic liber ineat, quod pleraq; nõ inuenta per me, sed ab alijs tradita continebit. Reconciliari tamen, & in gratiã redire, idem sunt: quoties amici interposita aliqua offensa, quũ aliquandiu fuerunt inimici, in pristinam redeũt beneuolentiam, ac familiaritatem. Sed redire in gratiam etiã cum inanimatis solemus, ut Cicero de Senectute: In gratiam cum uoluptate redeamus. Præterea conciliamus nobis laudem, famam, honores, similiaq́;, non autem inimus. Quintil. lib. 11. Nam & plus autoritatis afferunt ea, quæ non præsentis gratia litis sunt cõparata, & laudem sæpe maiorẽ, quàm si nostra sint, conciliant. Rursus ineo rationem, ineo fœdus, ineo pacem, ineo societatem, ineo bellum, ineo pugnam, ineo uiam, quasi capesso, atque ingredior: quod non ferè nisi in re momentosa, aut graui grandi'ue dici solet. Nam nõ ita recte loquar, ineo prandium cœnam'ue, ut ineo conuiuium. Vnde principium rei maioris initium uocatur, ut initiũ rationis, Quintiliano quoq; testante, qui ait libro quarto ab initio. Quod principium Latinè uel exordiũ dicitur, maiore quadam ratione Græci uidentur procœmium nominasse, quod à nostris initium modo signatur. Et huius uerbi participium absolutè positum, sine regimine, maioribus rebus adhibetur: ut, ineunte pueritia, ineunte adolescentia, ineunte ætate, ineunte uere, ineunte æstate, hyeme ineunte, ineunte anno nouo. Non autem dormitione ineunte, conuiuio ineunte, die ineunte, nocte ineunte, hora ineunte, sed incipiente: nisi dicamus illud ipsum ineunte, certis nominibus debere adiungi, quæ sunt ea, quę modò exposui.

### *Obruo, Ingurgito, & Crapulor.* Cap. LV.

OBruere est operire, siue aqua: ut, obrutus undis: siue terra: ut, Obrue uersata Cerealia semina terra: siue per translationem ad animũ, ut Quintil. Tot uoluptates obruere possunt unum dolorem. Sed de multo uino potando etiam obruere dicimus, sicut ingurgitare de absumendis multis cibis. Cic. pro Deiotaro ait: Vino se obruisse, nudumq; saltasse. Et in Antonium: Vt fratrem imitetur, se obruit uino. Et in eundem idẽ: Quum se cibis ingurgitasset. Ingurgitare aliquando utrunq; complectitur, sicut crapulari non modò in uino, uerumetiam in cibo, unde fit crapula. Vt idem in eundem: Edormi inquã crapulam, & exhala.

### *Deuenio, Peruenio, Deuoluo, Despicio, & Dispicio.* Cap. LVI.

DEuenimus in montem, deuenimus ad diuitias, minus usitatum, ac minoris rationis est, quàm peruenimus in montem, peruenimus ad diuitias. Similiter ediuerso, deuenimus in planũ, deuenimus in uallem, quoties ab editiore loco profecti sumus, usitatius, probabiliusq́;, quàm peruenimus in planum, peruenimus in uallem. Ita deueni in paupertatem, quasi descendi, & delapsus sum in humiliora. Deuoluo, deorsum uoluo: ut deuoluere rogos, deuoluere trabes, deuoluere saxa, deorsum præcipitare. Despicio, deorsum aspicio, sicut suspicio, sursum aspicio. Inde per translationem quũ quis aliũ contemnit, ac paruifacit, despicere uidetur, quasi infra se, & ad pedes suos proiectũ aspicere, quemadmodum & suspicere est uenerari, quasi supra nos aspiciamus illum esse collocatũ. Nam dispicere est prouidere, & circumspicere mente, tanquam in omnẽ partem lumina mentis intendere, omniaq; discernere. A quo dispicientia dicta est, circumspectio, & prouidentia, & consideratio diligens, atq; discretio.

### *Occupo.* Cap. LVII.

OCcupare est locum tenere, aut capere, & ui capere, ut apud Liuium libro 33. Nam & ipsis uocantibus urbem hanc accepi, non occupaui, id est, non ui accepi, aut mea sponte accepi, sed aliorũ rogatu. Sæpe uerò ante capere est, & (ut aliqui loquũtur) præoccupare. Vnde schema illud, occupatio appellatur, quoties quę dici ab alio poterant, ea ipsi pręueniendo dicimus in nostram

partem,

partem, ne nobis postea officerent, retorquentes. Cic. Officiorũ lib. 1. Sunt autẽ nulla priuata natura, sed aut ueteri occupatione, ut ij qui quondã in uacua uenerunt. Certe primi illi qui uenerunt in uacua, non potuerunt in aliena ire, ut isti aiunt: qui uolunt occupare, utiq; in aliena re se possessorem facere. Proprie est enim occupare, quod in medio, siue in medium, atq; in commune positum est, ante cæteros capere. Quod testatur Quintil. inquiens: Multa nihilominus, quæ libera fuerant, transeunt in ius occupantiũ, sicut uenatio & aucupatio. Inde occupatus dicitur, qui ante negotio aliquo detentus nõ potest negotio alterius operam dare. Cicero: Nemo adhuc me conuenire ualuit, quin fuerim occupatus, hoc est, cui causarer me quibusdam alijs negotijs antè præuentum. Atq; hinc uocatur occupatio, quum alicui necessariæ rei, & cui ante omnia operam dare debemus, cum diligentia uacamus.

*Peto, Posco, Postulo, Flagito.* *Cap.* LVIII.

PEtere est in bonum, et in malum: quod declaratur per ipsam rem aut bonũ, aut malum significantem. Vt, medicus sanitatem ægri petit, pater laudem filij, tu diuitias, ego uoluptatem peto. Item multi filij petunt mortem patris, serui mortem dominorum, medici longitudinem morbi. Petere autem uitam alterius, itemq; petere caput alterius, petere famam, petere pudorem, accipitur in malum, quod illa in hominis perniciem petas, siue quòd ea oppugnes. At quũ non in rem sed in personam refertur peto, utiq; cum ablatiuo in malam partem accipitur: ut, peto te gladio, peto te ueneno, peto te insidijs. Nam illud apud Vergilium: Malo me Galathea petit lasciua puella:
Idem est quod, malo me incessit, & pomorum iactu percutere me solet. Et ideo quasi audaciæ culpæq; sibi conscia dicitur: Et fugit ad salices. Ab hac significatione absunt alia uerba, posco, quod est propriè rem debitã, & honestam peto. Inde reposco, quod est rem meam, & quod mihi reddi debet, peto. Postulo est quodam modo requiro, ut res, tempus, locus, persona, causa postulat, & tanquã rem iustam peto. Curtius: Postulabat autem magis quàm petebat, nisi accipiamus, ut Varro apud Seruiũ uult, humiliter petebat. Sic enim ait: Poscere est, quũ aliquid pro merito nostro deposcimus. Petere uerò est, quũ aliquid humiliter, & precibus postulamus. Expostulo, quod est cum querela apud amicos requiro, & quasi officium amicitiæ in alio desidero, ut Terent. in Adelph. Quam ipsi fecerunt ultro iniuriam, expostulant. Sed frequentissime post se habet ablatiuũ, seruiente præpositione cum: ut, quid habes, quod mecũ expostules? Flagito uehementer, & plus quàm postulo, ut Cicero pro Quintio: Quanquàm hæc causa postulat, etsi postulat, non tamen flagitat. Quintilianus ad Triphonem: Efflagitasti quotidiano conuitio, ut libros quos ad Marcellum meum de Institutione Oratoria scripseram, iam emittere inciperem. Quæ uerba etiam Ciceronis sunt in epistola ad Quintum fratrem.

*Labo, & Labor.* *Cap.* LIX.

LAbo & labor ita differũt, quòd labare est ruere, & repentè cadere, ut apud Vergilium: Labat ariete crebro Ianua.
Labi uerò leniter, sensimq; deorsum ire, ut labuntur flumina, labitur cœlum, labitur anguis, labuntur ab æthere pennæ, labuntur dij à cœlo, non labant. Quintilianus: Vt numen, & deus delabi sideribus, & uenire de liquido puroq; aëre uidebatur. Cic. Non quasi unum ex hac urbe missum, sed quasi de cœlo diuinum hominem in hanc urbem delapsum intuentur. Ideoq; dæmones magis è cœlo labarunt, quàm lapsi sunt. Angeli uerò assiduè ad nos labuntur. Labi quoq; dicuntur, qui in lubrico imprimentes uestigia, ad terram feruntur, non cum ruina, sed lentius & cum aliqua mora, tametsi nonnunquam lapsus, pro ruina accipiatur, & per translationẽ de corporeis ad incorporea: de eo, qui aut per infirmitatem

animi, aut per imprudentiam deliquit, dicimus, lapsus est, quasi pes animi unus, ambo'ue. qui sunt fortitudo, & prudentia in lubrico lapsi sint. Et elabi quoque, periculũ fugere dicitur eo modo, quo anguis lubricus, muræna'ue, aut anguilla manu prehensa lapsu fugit: quod est, è manu elabitur. Ita qui è medio periculo euasit, elapsus dicitur. Verg. Ecce autẽ elapsus Pyrrhi de cæde Polites. Sed hîc non est translatio, utpote in re corporea, erat translatio in incorporea. Quintil. Seruiũ quidem Galbam miseratione sola, qua nõ suos modo paruulos in concionem deduxerat, sed Galli etiam Sulpitij filiũ suis ipse manibus circum tulerat, elapsum esse, tum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. Cicero: Hic Tito fratre suo Censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est, id est, accusatorum quasi prehensantium manus effugit. Translatum quoq; illud Terentianum est à labo, non à labor. Labascit, uictus uno uerbo, quàm cito? Labo primam breuem habet, labor primam longam. Hinc labor laboris, & laboro laboras prima breui, quod an ab altero illorum deriuetur, an ab utroque potius, liberum opinaturis relinquo. Hoc tamen non omittens, inelaboratũ dici, quod non artificio satis excultum est. Illaboratum uerò, quod sine labore uidetur factũ. Illud uitio dari solet, hoc laudi. Quintil. de Cicerone ita ait: Quum interim hæc omnia, quæ uix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu est oratio, præ se fert tamen felicissimam facilitatem.

*Deligo, & Eligo.* Cap. LX.

DEligere & eligere sic differunt. Deligere est, quod magis idoneũ ad rem agendum est, cernere. Eligere uerò uel ad nostrum emolumentũ, uel ad illius, qui eligitur dignitatem. Delegit sibi sæpe Pop. Rom. Imperatorẽ ad bella, ut Pompeium ad bellum Mithridaticum. Imperator quoq; deligit milites, non eligit, ad rem uidelicet bellicam idoneos, et inter eos agit delectum, qui cui rei sit magis commodus. Et agricola delectum agit inter tauros, quos scindendo solo, quosq; procreandę soboli destinet. At si ex multis daretur optio, quem sibi uellet, eligeret, non deligeret. Ideoq; semper ferè dicitur in eodem sensu, datur tibi, siue offertur optio, & datur tibi, siue offertur electio. At Cicero: Deligere, inquit, oportet, quam uelis diligere: de uxore loquens, deligere dixit, quasi ad res domesticas administrandas. Nec inficias eo, posse fieri, ut in aliquem cadat delectionis, & electionis nomen, ut in ipsum principem, quem ad honorẽ pariter, & ad rempublicam bene gerendam assumimus. Cæterum deligo sine præpositione accusatiuũ habere solet: ut, Populus Romanus delegit Cn. Pompeium imperatorem. Eligo alterum accusatiuum sine præpositione, alterum cum præpositione: ut idem, Populus elegit in principem sibi Octauium. Cicero inquit: Quos Cæsar in Senatum elegerat. Porrò utrunq; horum uerborum tam in superiores, quàm in inferiores cadit: ut illud quod modo dicebam, quos Cæsar in Senatum elegerat. Et sacerdotes eligunt sibi pontificem: & clerus episcopum. Rursus consul milites deligit, & milites imperatorem, nautæ gubernatorem, discipuli præceptorem sibi deligunt. Nam inter collegas paresq; aut ferè pares dicitur cooptare. Liuius: Dictatorem dici placet. Dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Aemilium cooptat. Vt Cicero in Bruto: A quo in collegium augurum fueram cooptatus. Illud non est silentio transeundum, duobus tantum dici modis deligere, præterquàm per hoc uerbum ipsum. Vno, agere delectum: altero, habere delectũ, nunquàm facio delectũ. Qui duo modi differũt ab ipsa significatione deligendi, quòd deligimus aliquando unũ tantum. Agere uerò, uel habere delectum, ad multa semper refertur. Apud Quintil. legi, facere pro agere, quod haud scio, an uitio librariorum

factum

factum sit, an etiam sic dicere liceat. Ita enim legitur: Proprietates ingeniorũ dispicere prorsus necessarium est. In his quoq; certum studiorũ facere delectũ, nemo dissuaserit. Nanq; erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio iuris, & nonnulli rus fortasse mittendi.

*Percontor, Interrogo, & Sciscitor.* Cap. LXI.

PErcontari significat interrogare, quãuis suapte natura spectet ad finẽ coarguendi, ut Quintil. testatur, dicẽs: Quid enim tam commune, quàm interrogare, uel percontari? Quorum utroq; indifferenter utimur, quum alterũ noscendi, alterum arguendi gratia uideatur adhiberi. Interrogo igitur (ut ego interpretor) noscendi gratia adhibetur. Percontor uero arguendi. Sciscitari (ut ipsa uox indicat) sciendi causa interrogare est.

*Debello, & Expugno.* Cap. LXII.

DEbellare, est bello uincere, aut bello capere. Expugnare pugnando capere, uel potius pugnãdo, & oppugnãdo uincere, quod significauit Liuius libro 45. Haud paulò facilius quàm antè dux unam, tunc una duas naues expugnauit, cepitq;. Sed debellamus potius homines. Vnde debellatũ esse dicimus, pro eo quod est bello certatũ, belloq; res parta est, aut perdita. Expugnamus autem opera, molesq;, ut castra, ut urbes, ut castella, ut naues. Quocirca miror illud in psalmo: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerũt mihi: pro eo quod est oppugnauerũt, siue impugnauerũt me. Si enim non potuerũt mihi, profectò non expugnauerunt, sed oppugnauerunt tantum. Græcè autem ἐπολέμησαν magis ex oppugnauerunt, siue impugnauerunt, quàm expugnauerũt. Pro eodem tamen significatio interpres accepit, nisi librariorum uitium est.

*De compositis à Re.* Cap. LXIII.

FIgo, inde refigo, quod fixum erat, educo. Tego, inde retego, quod tectum erat denudo. Texo, inde retexo, quod erat textũ, reddo non textũ, & quasi infectum, quod erat factũ. Claudo siue cludo, recludo, quod clausum erat aperio. Velo, reuelo, uelamentum tollo. Signo, resigno, quod erat signatum obsignatum'ue relaxo, uel patefacio. Et multa alia huiusmodi sunt, multa non sunt: ut, repeto, reposco, renouo, repræsento, reuello, remoueo, remaneo.

*Præparo, & Apparo.* Cap. LXIIII.

PRæparare & apparare ita differunt, quòd præparare est antea parare sibi, quæ utilia sunt, aut fore credit. Apparare ad dignitatem quãdam, ac uerius pompam. Ideoq; oratores præparant, quibus obtinere causam possint. At procemium apparatum reprehenditur, quòd plus pompæ, ad ostentationis, quàm utilitatis habere uideatur. Cicero Officiorum primo: Facilè totius cursum uitæ uides, ad eamq; degendam præparat res necessarias, ut pastũ, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Idem de Oratore tertio: Illa quæ in apparatu fori appellantur insignia. Quanquã apparatus uidetur interdũ significare utrũq;, ut apparatus belli, quasi præparatio. Sed ut dicimus naues non modò instructas, sed etiam ornatas, quòd quò res instructiores ad bellum, eò pulchriores sunt, ita apparatum belli uocamus, ubi instrumenta bellica etiam adornata sunt.

*Præsum, & Præsideo.* Cap. LXV.

PRæsum & præsideo differunt. Ab hoc fit præses, sicut à desideo deses, à resideo reses. Ab illo uero præsens, quod à suo uerbo in significato recedit, de quo antè diximus. Præesse, est præpositum esse rei cuipiam gerendæ, atque administrandæ. Præsidere, est ad opem præstandam præesse, quam propriè præstãt homines iniuriam quidẽ patientibus, aut in discrimen adductis, Dij uero beneficentiã fauoréq; inuocãtibus. Aliquãdo tamen indifferẽter. Sueton. de Tiberio:

Præsedit & Acciacis ludis: quasi dixisset, præfuit. Cicero pro Sylla: Noli animos eorum ordinum, qui præsunt iudicijs, offendere. Idem pro eodem: Quã ob rem uos dij, & patrij penates, qui huic urbi, atq; imperio præsidetis. Idem pro Milone: Vos inuicti, & in ciuis inuicti periculo centuriones atq; milites, uobis nõ modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio pręsidentibus, hęc tanta uirtus ex urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur? Quint. in 10. Nam beneuolum auditorem inuocatione dearũ, quas præsidere uatibus creditum est, & intentum proposita rerum magnitudine, & docilem summa rerum celeritate comprehensa facit. Et non longe pòst: Quem pręsidẽtes studijs deæ propius audirẽt. Vnde tam dij quàm homines pręsides dicti sunt: illi quidẽ in suo quisq; numine, suaq; ui: hi uero in sua quisq; prouincia aut ab rege, aut à populo sibi commissa. Idem Quint. Quòd omnia sic egerit, ut genitũ præside bellorum deo incredibile non esset, quasi cuius in manu esset imperium bellorũ, aut auxilium: ut apud Liuium libro 6. Dij deæq; omnes qui capitoliũ incolitis, siccine uestrũ militem, ac præsidem sinitis uexari ab inimicis? pręsidem dixit pro auxiliatorẽ, ac defensorem: ut alibi etiam sæpe. Pręses (ut definit Vlpianus) is est, qui maius in prouincia imperium habet omnibus post principem. Hinc præsidiũ dictum est auxilium principale. Nam subsidiũ id, quod in auxiliũ succedit, dicitur. Et milites qui ad tutelã oppidi, castelli, similiũq; collocati sunt, præsidiũ uocãtur: ut, impositum est præsidiũ Caietæ. Nam pręsul antiquitus is dicebatur, qui primus erat inter Salios, id est, Martis sacerdotes, Romę duntaxat, à saliendo dicti in portandis anculibus.

### *Assentor, Adulor, Blandior.* — *Cap.* LXVI.

ASsentari, adulari, blandiri ita differunt, quòd assentari est insidiose, & conciliandę alicuius utilitatis gratia, effusius, & plerunq; falsò quempiam laudare: adulari uero inseruire, & captare, ut fauorẽ emereamus quoquo modo uel uoce, uel gestu: estq; tractum ἀπὸ τ̃ δούλου, quod est seruus. Et sanè adulari seruile est, non liberale, & ingenuũ. Blandiri propriè ad tactũ pertinet, & per abusionem ad alios sensus transfertur, nonnunquã etiam ad animũ. Quintil. Tu nõ cogitas, quemadmodũ suspensa manu sonãtem blande cardinẽ flectas. Idem: Blandiar paulisper iudices calamitatibus meis, & sic agam, tanquã inuenerim utrunque sanum. Ideoq; idem quodam loco penè pro eodẽ posuit hæc duo posteriora uerba. Transeo oblatam nolenti munerũ uacationem, & blandius, quàm militiæ disciplina postulet, adulatum militi tribunum. Adulatum blandius dixit, ne aut blandius blanditum, aut adulantius adulatum diceret, si tamẽ adulantius reperitur. Et alibi: Et animalium quoq; sermone carentium ira, lętitia, adulatio, & oculis, & alijs signis corporis deprehenditur. Sunt enim muta animalia hominũ serua, quæ signa maxime apparent in canibus, de quibus inquit Verg. *Hinc canibus blandis rabies uenit.* Nam assentari nõ cadit in muta animalia, nisi credimus hoc modo coruũ à uulpe fuisse deceptũ, quum optimũ cibum ore gustaret.

### *Excuso, & Causor.* — *Cap.* LXVII.

EXcusare apertã significationem habet: itemq; causari. Excusamus crimen obiectum, quod quum uidetur satis purgatũ, recentes dicunt, habeo te excusatum. Veteres dicebant, accipio excusationem, sicut in illo: dum quis mihi tulit conditionem (uerbi gratia) an uelim negotiari in sua pecunia in commune lucrum, dicam, accipio conditionem. Est & altera huius uerbi significatio, quæ à priore defluxit, quoties id quod in causa fuit, ut peccaremus, afferimus in excusationem. Nec dicemus (ut aliqui loquuntur) accuso, sed excuso: quãuis potius uideatur ratio exigere, ut per accuso, q̃ per excuso loquamur: ueluti si latrones, aut flumina impedimento fuerint, ne ad diem adesse possem, dicã eo modo quo Quint. Tu tamẽ si interpellatus tẽpestatibus serius uenisses, excusares mare, &

ambiguos

ambiguos flatus: & tibi bonam causam habere uidereris, quũ diceres ante non potui. Excusares dixit, non accusares. Liuius lib. 6. Exactæ iam ætatis Camillus erat, comitijs iurare iam parato, in uerba excusandæ ualetudinis solidæ, consensus populi restiterat. Et libro 47. Vbi dies uenit, citariq́ꝫ absens est cœptus, L. Scipio morbum, causæ esse cur abesset, excusabat. Lucanus in 8. Littusq́ꝫ malignum Excusat. Causari, est causam rei gestæ afferre. Suetonius: Syllanũ item socerum ad necem, secandasq́ꝫ nouacula fauces compulit, causam in utroqꝫ, quòd hic se ingressum turbatius mare nõ esset secutus. Aliquando penè, quod illa significatio superioris uerbi (de excuso dico) in secundo significato. Quintil. Nec causanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris uestigia, & sacra quædam patris eius memoria: causanti pupillo, quasi excusanti acerbitatem tutoris. Cui simile est illud Papiniani: Iussus rationem reddere, & liber esse, si hæres causabitur accipere rationes, nihilominus liberum fore, id est, si impedimenta prætendet. Vergilius:

Causando nostros in longum ducis amores.

Id est, impedimẽti causas afferẽdo. Vlpianus: Proscribere palã sic accipimus claris literis, ut planè rectè legi possint, ante tabernã scilicet, uel ante eum locum, in quo negociatio exercetur, nõ in loco remoto sed euidẽti, literis Græcis, an Latinis: puto secundũ conditionem, ne quis causari possit ignorantiam literarũ. Et alibi: Causari tempestatẽ, ac uim fluminum. Vbi liceat dicere, excusare ignorantiam literarum, & excusare tempestatem, ac uim fluminum.

*Mando, Præcipio, Iubeo, Impero, Edico, Indico.* Cap. LXVIII.

MAndare, est cuiuis personæ gerẽdum aliquid exequendumq́ꝫ cõmittere, ut Quintilian. Mãdata tamẽ tua fili perago, id est (ut nũc loquimur) commissionem, non autẽ iussa. Nam deforme alioqui esset, si filius iuberet, imperaretq́ꝫ patri. Præcipere, est tum magistrorũ, quod est præcepta tradere, tum magistratuũ, & superiorũ personarũ. Sallust. in Catilin. Iudices rerum capitaliũ quibus præceptum erat. Idem in Iugurth. Micipsa pater meus moriens mihi præcepit. Iubere frequenter idem est, quod imperare, ut Quintilian. Pater me iussit. Et alibi: Nam quãuis infestũ latronibus mare iussus intraui. Neqꝫ dissimulauerim magnas fuisse causas patri, cur hoc mihi imperaret, quod ipse facere non poterat. Pro eodẽ accepit iubere, & imperare. Hîc tamen annotandũ est, quòd sicut eleganter dicimus, impero mihi, ut apud eundẽ: Imperauit sibi, ne quas admitteret amplius preces, ut etiam permisi mihi, permisisti sibi: ita non eleganter dicas, iussi mihi. Præterea quũ ita dicamus imperata, ut iussa, huic apponimus uerbum exequor, perago, & si quid est simile. Illi autem ferè unum uerbum, quod est facio, ut apud eundẽ. Neqꝫ ipse hoc periculũ ignoro, expertus non leui documento, quanti steterit mihi, quòd semel imperata nõ feci. In hoc etiã hæc uerba differunt, quòd impero tibi hãc rem, dicimus. Iubeo uero præter hanc constructionẽ, potest habere & illam, cuius exemplũ modo protuli, pater me iussit. Est etiam iubere, nõ planè imperare, sed quasi hortari, ut idem: Spera tu, iube sperare matrẽ. Cicero etiã frequẽter hoc modo loquitur, ut pro Deiotaro: Literis, quas ad me Terracone misisti, bene sperare iussisti. Cui simile est Terentij: Iubeo te saluere. Vergilius in 5. Reddiq́ꝫ uiro promissa iubebat. Quàm quæso decorum fuisset, ut regi milites, ac comites sui imperarent? Edicere est magistratuũ, regum'ue. Vnde edictum consulum, sunt literę consulum, quibus aliquid iubẽt, atqꝫ imperant. Nam indicere, propriè denuntiare est: ut, indictum est bellum, indixi bellum fortunæ, indixi bellũ uoluptatibus, indixit Romulus spectaculum. Liuius: Indici deinde finitimis spectaculum iubet. Iterũ: Indixit in posterũ diem ut adessent. Idem: Indicto iustitio. Iterum: Delectusq́ꝫ, & iustitium indictum est.

Introcludo

*Introcludo, & Intercludo.* Cap. LXIX.

INtrocludo te, id est, in interioribus claudo. Intercludo te, iter tuum impedio, & quasi iter cludo. Vergilius:

Interclusit hyems, & terruit Auster euntes.

Cicero: Qui iter Pœnorum cadaueribus corporum suorum intercludendum putauerũt. Qua ratione etiam dicimus intersepio. Quintilianus: His textis ne uniuersi mellis pondus effluat, intersepta onera clauduntur. Quasi circunsepta, uel quà effluere mella poterant septa.

*Ex sententia, & Ad uotum habere.* Cap. LXX.

EX sententia aliquid habere, & ad uotũ, licet illud uideaẽ rationis esse, hoc affectus, eodẽ tamen ferè significationis ueniũt, ut Quintil. Habes'ne uxorem ex animi tui sentẽtia? Et alibi: Et ad omne uotũ fluente fortuna lasciuit otiũ.

*Facere iter uel uiam, & Iter habere.* Cap. LXXI.

ITer facere, uiã facere, uiã munire. Item iter facere, & iter habere differũt. Iter facere est (ut imperiti loquuntur) itinerare, et (ut periti) ingredi iter, aut uiã, ut Cic. de Senect. Masinissam quũ pedibus iter ingressus est, in equũ non ascẽdere: quum in equo, ex equo non descendere. Idem lib. 1. Offic. Tempus à natura ad eligendũ, quam quisq; uiam uiuẽdi sit ingressurus datum est. Viam facere propriè est, ubi non erat uia, uiam, & transitũ aperire. Quintil. Seratur igitur non sementis, sed cãpis, non uti fontes angustis fistulis colligãtur, sed ut latissimi amnes totis uallibus fluant, ac sibi uiam (si quãdo non acceperit) faciat. Quod nõ probe dixeris muniat. Est enim munire uiam, repurgare, reficere, ac substruere, interdum lapidibus, quales sunt uiæ Romanæ à plerisq; portis in multorũ dierum iter silicibus stratę. Cic. pro Milone: Ideóne Appius ille cęcus uiam muniuit, nõ qua populus uteretur, sed qua sui posteri latrocinarẽtur? Et per translationẽ de corporalibus, ad incorporalia. Quintil. libro 3. Propterea quòd plurimi autores, quamuis eôdẽ tenderent, uias tamen diuersas munierunt, & in suam quisque induxit sequentes. Dicimus etiam ut uiam, ita ripam munire, alueum munire, aditum munire, quum illa reficimus, uel reparamus. Cicero etiam aditum munire, pro uiam munire dixit pro Cluentio: Aditum sibi alijs sceleribus antè muniuit. Iter habere, est iter aliquem esse factur ũ. Cicero: Habebat iter ad Hiatrũ regem. Pro Flacco, & ad fratrem: Et quòd ille in Sardiniam iter habebat.

*Propono, & Ostendo cum alijs uerbis.* Cap. LXXII.

PRopono præmium, propono metum, ostendo spem, ostendo metum, ferè in eadem significatione, hoc est, hinc hortor, illinc deterreo, nisi quòd proponere est potius potestatem, imperiumq; habentis. Ostendere uerò consilium dantis. Cicero: Quis est, qui proposito tanto præmio non excitetur? Idem: Propositis mortis, & exilij minis. Item: Spem, metumq; ostendere. Atq; iterum: Magnum huic urbi periculum ostenditur.

*Pacificatus, Pacatus, & Placatus sum.* Cap. LXXIII.

PAcificatus sum, pacẽ feci: pacatus sum, in pace sum, uel ab armis recessi. Placatus sum, ab indignatione animi ad lenitatem redij, uel animo leni sum.

*Parem esse, & Paria facere.* Cap. LXXXIII.

PArem esse, idem est, quod sufficere alicui operi, siue resistendo illi, siue exequẽdo. Cic. ad Att. lib. 11. Tum interpellat fletus, repugno quoad possum. Sed adhuc pares non sumus. Quintilianus in Geminis languentibus: Nunc infelix non par est dolori, nunc non inuenit ulla solatia, ex quo uidetur, sibi filium perdidisse uicturum. Idem: Non fallit nos nefande quid captes hoc, quòd supra silentium trahis alta suspiria, quòd in prorumpenti uideris exclamatione deficere; mendacio paratur autoritas, & in fidem erupturæ uocis affertur, ut fateri uidearis

dearis inuitus:dic tamẽ,par est huic rei matris integritas,ut mentiaris? Lucanus:
Hunc habuisse pares Phœbæis ignibus undas.
Et hoc in resistendo. In exequendo autem, idem Quintilianus: Aspicio par laboribus corpus. Nonnunquam par idem est, quod decens, ut idem: Si propter matrimonia uiolata urbes euersæ sunt, quid fieri adulterio par est? Paria facere, est quod alibi amissum est, uel quod aliunde acceptum, alibi, uel aliunde compensare. Idem Quintil. Paria tecum facio Respub. quæ propter me unum ciuem perdideras. Et alibi: Sic paria faciemus. Tu illic eris uicarius meus. Plinius Auũculus: Nascuntur & alio modo terræ, ac repente aliquo mari emergunt, uelut paria secum faciente natura, quæq; hauserit hiatus, aliquo loco reddẽte. Plinius Iunior ad Priscum lib. 13. Habuerũt officia mea in secundis, habuerunt in aduersis. Ego solatium relegatarum, ego ultor reuersarum, non feci tamen paria: atq; eò magis hanc cupio seruari, ut mihi seruandi tempora supersint. Seneca: Vt statim tibi soluam, quod debeo, & quantum ad hanc epistolam paria faciamus.

*Solicito.* Cap. LXXV.

SOlicito te, uel quòd spem, metum'ue tibi ostendo, ut solicitare plebem: uel inquieto, & tibi curam iniicio.

*Gratum facio, & Gratificor.* Cap. LXXVI.

GGratum facio, & gratificor (si quid differunt) ita differũt, quanquã utrunque est ex gratum, & facio, non tamen utrunq; compositum. Differũt autem ita, quòd gratũ facere est quiddam minus, & propè idem quod obsequi, & inseruire, ut Cicero: Si hunc iuueris, gratissimum mihi feceris. Gratificari quiddam maius. Vnde deum gratificari hominibus dicimus, non autem gratum facere, quasi idem sit, quod benficia cõferre.

*Deduco, Reduco, Comitari, & Assectari.* Cap. LXXVII.

DEduco, & reduco generalem habent significationẽ, sed in hoc specialem, quoties alicui officij gratia prestamus comitatũ: ut, deduxi Catonẽ in Senatum, cumq; ut domũ reducã, hic expecto. Sed propriè hoc est inter homines non multũ dignitate, & autoritate distantes. Comitari uero minorũ potius erga maiores. Cæterũ deducere, & reducere, est quasi ad certũ locum. Assectari uero, quasi comitatũ præstare (nõ tantũ in itinere, aut nauigatione, aut militia, sed fere per urbẽ, ut Cic. de Orat. 2. Quũ ædilitatẽ Crassus peteret, eumq; maior natu, & cõsularis Sergius Galba assectaretur, quòd Crassi filiã Cn. filio suo despõdisset.

*Satio, & Saturo.* Cap. LXXVIII.

SAtiare ad omnes sensus attinet. Saturare ad unum gustum. Nam figuratè locutus est Cicero: Iracũdiam meã satura tuo sanguine: quasi sitim meam satura. Satiare frequenter ad animum transfertur.

*Incedo, & Ambulo.* Cap. LXXIX.

INcedere est ambulare, inde incessus, siue tardus, siue festinus, siue cõmotus, & incõpositus, immoderatusq;. Propriè tamen subl.mior quidam, & fastum præ se ferens. Vergilius:
Regina ad templum magna stipante caterua Incessit. Et iterum:
Et uera incessu patuit dea. Quod Seneca quodam loco declarat: Tenero acmolli passu suspendimus gradum, nec ambulamus, sed incedimus.

*Aduersor, & Auersor.* Cap. LXXX.

ADuersor tibi, & auersor te. De primo nihil dubij est: secũdum sumit significationem à gestu, quoties ab aliqua re, quam detestamur, uultum auertimus. Quintil. in 11. Aspectus enim eodem semper uertitur, quò gestus, exceptis quæ aut damnare, aut concedere, aut à nobis remouere oportebit, ut idem illud uideamur uultu auersari, manu repellere. Maro:

Dij talem terris auertite pestem. In Deuteronomio,& alijs pluribus locis est: Gentes quas dominus uersatur,id est,detestatur,atq; abominat,& à quibus prae odio uultũ auertit. Multi tamen indocti scribũt,leguntq;, aduersatur dominus.

*De Leuo,& compositis suis.* Cap. LXXXI.

LEuo est alleuo,& molestiã,laboremq; extenuo. Nam pro illo significato, quod est sustollo, notum est: ut Liuius libro 21. Mox aqua leuatur uento, quum super gelida montium cacumina concreta esset. Subleuo, auxiliũ,defensionemq; praesto. Cicero: Zopyrus,qui se naturam cuiusque ex forma prospicere profitebatur,derisus à caeteris est, qui illa in Socrate uitia non agnoscerent, ab ipso autẽ Socrate subleuatus,cùm illa sibi signa ratione à se deuicta diceret. Alleuo in altum tollo,uel de imo,& ubi quid iacet,atq; proiectum est,sursum tollo. Quintilianus: Vidi multos,quorum supercilia ad singulos uocis conatus alleuarentur. Idem: Homini in aquam lapso,atq; ut alleuaretur oranti. Inde per translationem ad qualitatem fortunae,ut idem: Quare non petit ut miserum putetis,nisi & innocens fuerit. Non petit,ut afflictum alleuetis, nisi & probauerit sese infeliciorem,quòd patrem amisit,quàm quòd oculos. Etiam nonnũquam subleuo pro alleuo,ut apud Suetonium de Vespasiani uita: Dumq; surgit ac nititur,inter manus subleuantiũ extinctus est. Eleuo imminuo,& extenuo, ut idem Quintilianus: Nam quis ignorat,quin id longè sit honestissimum,ac liberalibus disciplinis,& illo quem exigimus animo dignissimum,non uendere operam,nec eleuare tanti beneficij autoritatem, cum pleraq; hoc ipso possint uideri uilia, quòd pretium habent? Nusquàm memini in alium sensum reperisse me. Nam Hieronymus testatur quodam loco Esaiae: Eleuatum est super limina templi,debuisse transferri sublatum est: sed ad tollendam ambiguitatem (ne quis putaret sensum esse talem,qualis est,sublatũ est mihi pallium) ad aliud uerbum recursum fuisse. Proprium tamẽ erat sublatum,ut idem Quintilianus: Tunc te fas est sublatis ad coelum manibus proclamare,Mathematice,mentitus es.

*Perpendo,Expendo, Appendo,Impendo,& Impendeo.* Cap. LXXXII.

PErpendere, est exactè ponderare,atq; examinare: non autem (ut aliqui uolunt) intelligere,atque animaduertere. Cicero: Quid in amicitia fieri oportet,quae tota uirtute perpẽditur? Expendere,eiusdẽ ferè significationis est. Idem in Verrem quinto: Deinde haec expendite,atq; aestimate. Idem officiorũ primo: Quae cõtemplantes expendere oportebit,quid quisque habeat sui,eademq; moderari,nec uelle experiri,quàm se aliena deceant. Appendere est tum suspendere,ut notum est: ut,appendi uuas: tum ad lancem, stateramúe ponderare. Idem in Antonium: Vt iam pendatur pecunia, non numeretur. Et in prooemio orationum Aeschinis,ac Demosthenis à se translatarũ figuratè ad incorporea transtulit: Ea putaui non annumerari lectori debere,sed tanquam appẽdere. Impendo habet participium praesentis tale,quale est ab impẽdeo, ut admoniti simus cauendum esse,ne ista nos fallat ambiguitas. Quale est apud eundem de Senectute: Mortem igitur impendentem omnibus horis timens,quis possit animo consistere? Hoc participium est ab impendeo,non ab impendo. Est autem impẽdêre, supra caput iamiam casurum pendêre,ut nubes impendent. Et gladius ille equina seta appensus supra Dionysij conuiuae caput imminens impendebat. Impendêre,ab impendere,apice distinguendum.

*Rapio,Eripio,& praeripio.* Cap. LXXXIII.

RApere manifestam significationem habet, quum de alijs rebus loquimur: Quum uero de personis, duobus modis accipitur. Vno, qui ad res quoq; pertinet: ut apud Vergilium:

Quid faceret? quò se rapta bis coniunge ferret?

Rapta

Rapta dixit pro ablata. Et alibi: Raptas sine more Sabinas. Altero, pro eò quod est uim afferre, siue uitiare, uel si nō asportet, nec fœminam loco deducat: quod proprie de uirginibus, quæ uitiatæ sunt, dicitur, ut apud Senecā, qui eandē legem non eisdē uerbis repetit, quodā loco sic retulit: Rapta raptoris aut mortē, aut indotatas nuptias optet. Alio loco sic: Vitiata uitiatoris aut mortē, aut indotatas nuptias optet. Ab hoc uerbo duo cōposita sunt, eripio & præripio: quorū primū quoties habet cum accusatiuo datiuū, ferè in malam partē accipitur: ut, eripuisti mihi omnes bene uiuendi facultates. Quoties uero ablatiuū cum præpositione à uel ab siue abs, plerunq; in bonam: ut, eripuisti me à periculo: interdū in malam: ut, eripuisti à me filiam. Quod uerbū ita differt à præripio (præterquàm quòd nunquā hoc postulat talem ablatiuū) quòd qui alteri aliquid eripit, potest id nō in suos usus eripere: ut, eripuit illi uitā. Qui uero præripit, in suos proprios usus rapit: neq; propositio illa antecessionē tēporis declarat. Cicero pro Gallo: Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator: tu illi, ne solus. Nō hoc intelligit Cicero, quòd Demosthenes huic aut aliquid eripuerit (ut qui auferre nihil posset nondum nato) aut priorē se fecerit. Non enim Demosthenes primus oratorū antiquitate tēporis dicitur, sed facultatē: neq; hunc solus Demosthenes ætate antecessit, eò quidē magis, quòd hic ipse æqualis Ciceroni non potuisset inuicē antiquissimo illi aliquid antè auferre. Ergo ille præripuit tibi, id est, rapuit tibi istā dignitatē, ut summus orator esse uideatur, futurus etiā solus, nisi tu partē in te illius laudis transtulisses, essesq; tu dignus nomine oratoris, quamuis non æquandus Demostheni, quo nomine adhuc post illum præter te dignū uidimus neminem. Nonnunq; hoc uerbū significat antè capere, sed magis in passiuo: ut, immatura morte præreptus nō potuit præstare, qualē promiserat regē. Sunt autē hæc uerba Plinij iunioris de uiris illust. quasi dixisset, immatura morte præuentus.

*Titubo, Nuto, ac Vacillo.* Cap. LXXXIIII.

Titubare est pedibus non ualentis insistere, quales sunt ebrij aut infirmi, aut uulnerati, aut decrepiti senes, ut apud Quintilianum: At non tua culpa fames cœpit, sed uulneratum iugulasti, titubantem strauisti, fumantem incendisti. Transfertur etiam ad animum, ut apud eundem: Neq; ulla unquam tanta fuerit dicendi facultas, quæ non titubet, aut hæreat, quoties ab animo uerba dissentiūt. Titubare quoq; lingua, & dentes dicuntur: hinc linguæ & oris titubantia. Nutare est proprie alicuius male solidatæ molis ruinam minantis. De animo quoque dubitante, & nesciēte, quò se potissimum conferat, nutare dicitur. Vacillare, est alterno motu inconstantem esse, ut idem: Est & illa indecora in dextrum, & sinistrum latus uacillatio alternis pedibus insistentium. Cicero: Cum ex eo in utrāq; partem toto corpore uacillante quæsiuit. Vnde & naues utiq; uacuæ uacillant. Et idem Cicero de quodam præ infirma ualetudine non recte scribente inquit: Vacillantibus literulis. Ad animum quoq; transferimus, ut apud Iurisconsultos, de fide testis uacillante, qui inconstantia, & diuersa testimonia dixerit.

*Vaco, Vacat, & Careo.* Cap. LXXXV.

Vacas sapientiæ, das operā sapientiæ, uacas sapientia, cares sapiētia. Quanquā carere propriè, est uacare quibus indiges: quod significauit Cicero, quū inquit: Satiatis uerò & expletis iucundius est carere, q; frui: quanq; nō caret is, qui nō desiderat. Impropriè tamē dicimus, cares culpæ, cares periculo, cares damno. Cum nomine tamen significante actionem quandam siue qualitatem adiungimus à præpositionem: ut uacas à labore, uacas à componendo, uacas ab agricultura, uacas ab omni molestia. Similiter per nomen, uacuus sum ab omni occupatione, atq; ob omni solicitudine. Hoc autē uerbū quum est impersonale, quæri potest, quid significet. Quintil. inquit: Non, imò oderit reum uerba aucupantem,

pantem, & anxium de fama ingenij, & cui diserto esse uacet. Hic uidetur uacet, accipi pro eo, quod est, curæ sit. Idem alibi: Tunc inchoare hæc studia uel nõ uacabit, uel non libebit. Hîc uidetur esse pro eo, quod est, tempus uacuũ erit. Nam libebit, idẽ est, quod curæ erit. Et ne quis auderet immutare, licebit, pro libebit: Plinius Iunior (quanquã infinita sunt huiusmodi exempla) quærens, quòd non posset operam dare admirãdo cuidam philosopho, ita ad amicum scribit: Quò magis te, cui uacat, hortor, quum in urbem proximè uenies (uenies autẽ ob hoc maturius) illi te expoliendũ, limandũq; permittas. Quid igitur duas has significationes huic tribuimus uerbo, cum prçter id, quod ambiguũ erit, utrũ potius significetur, superuacuũ uideatur dicere, uel uon uacabit, uel nõ licebit: satis sit dicere, nõ uacabit: quo uidebunt fortassis illa duo significari? Quare exponamus, ut cæteros locos, ita & illũ, cui esse diserto uacet: uacet uacuũ est, hoc est, uacuũ tẽpus est, uel si uis, cui est uacuus animus: quod significauit Vergil. quũ inquit: Sed si tantus amor casus cognoscere nostros.

Hoc quantum ad uoluntatem, quod est, si libet. Deinde quãtum ad facultatem temporis, uel uacuitatem animi:

Et uacet annales nostrorum audire laborum. Dixerat enim:

Et iam nox humida cœlo

Prçcipitat, suadentq; cadentia sydera somnos.

Quasi non uideretur tempus illud tantam narrationẽ pati, aut ipsa Dido eo tempore æquo animo posse audire, quod audire cupiebat.

*De Consciſco, Asciſco. Desciſco.* Cap. LXXXVI.

CONsciscere, fere ad mortem pertinet. Plerũq; enim sic legimus: Mortem sibi ipse consciuit: mortem tibi ipse consciscis: mortem mihi ipse cõsciscam: cogam te ad mortem tibi per teipsum consciscendam. Asciscere est remotũ aliquid quasi scitè uocatum capere. Cicero de Oratore: Expertes esse prudentiæ, quam asciuerunt. Idem in Oratore: Quòd minime politæ, minimeq; elegantes sunt, asciuerunt aptũ suis auribus opimum quoddam, & quasi adipale dictionis genus. Desciscere, est ab imperio se, ductuq; alterius subtrahere, ut milites à duce, populi à domino, discipuli ab opinione magistri, quã prius sequebãtur, præsertim ad alterius uel imperium, uel sententiam se transferentes.

*Aſſeuero.* Cap. LXXXVII.

ASseuerare est inter ipsa argumenta, probationesq; admiscere uim animi, motumq;: quod declarat Quintilian. quum inquit: Altera ex asseueratione probatio est, ego hoc feci, tu hoc mihi dixisti, & ô facinus indignum. Et alibi: Quũ præsertim quorundã probatio sola sit in asseueratione, & perseuerãtia.

*Exhibeo, Facio, uel Faceſſo negocium.* Cap. LXXXVIII.

EXhibere illi negociũ, facere, uel facessere negocium, est alterum molestia, ac labore afficere, frequenter quidem per accusationem, ut Cicero Offic. 3. Criminabatur etiam quòd Titum filium, qui postea Torquatus est appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare iussisset. Quod quum audisset adolescens, negocium uidelicet exhiberi patri, hoc est, patrẽ accusari, uel molestia, laboreq; affici. Nam negocium sçpe pro labore apud hunc præsertim legimus: ut, Quid negocij est, ista poëtarum portenta conuincere? quomodo? quid operis? quæ exempla passim reperiuntur. Idem de Natura deorum: Dij nec habent negocium ipsi, nec alteri exhibent. Quintilianus libro quinto: Vt uulneratus, aut filio orbatus, non fuerit alium accusaturus, quando si negocium innocenti facit, liberet eum noxa, qui admiserit, id est, si innocentem reum facit. Cic. ad Appiũ: Quum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negocium facesserent, id est, accusarent, insectarentur, ad poram uocarent.

*Deturbo, Exturbo, & Disturbo.* Cap. LXXXIX.

DEturbare, est deorsum cum uiolentia deijcere. Vergilius: Puppi deturbat ab alta. Exturbare è loco eundem in modum deijcere. Disturbare, dissipando, diruendoq́ disijcere. Quintil. Non enim discussos alicuius operis angulos, aut disturbatos parietes obijcimus. Cicero: Vt dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex Senatus sententia ædificatam domum.

*De Admoueo, & Amoueo: Aduerto & Auerto: Aduersus & Auersus.* Cap. XC.

ADmoueo manum, appono manum. Amoueo manum, remoueo manū. Aduerto oculos, mentem'ue: aliquò oculos, mentē'ue conuerto. Auerto oculos, aut mentem: alicunde cōuerto oculos, aut mentem. Aduersus, oppositus, opposito pectore, atq; obiecto. Auersus, terga ostendens. Vnde illud Tullianum aliquantò obscœnius, sed ad rem declarandam pertinens: Et aduersus, & auersus impudicus es.

*Consternere, & Consternari.* Cap. XCI.

COnsternere est corporis. Consternari autem animi, quum mens turbata est, & de statu mota, & quasi humi strata. Ideoq́ sæpe coniungi animū uidemus, ut consternatus animo. Sallustius tamen primo Historiarū inquit: Equi sine rectoribus exterriti, aut saucij cōsternātur: quum sit usitatius cōsternuntur.

*Non placeo, Displiceo, & Placeo mihi.* Cap. XCII.

NOn placeo mihi, & displiceo mihi, ab illo placeo mihi diuersæ significationis sunt præter negationem. Nam ea prima aperti intellectus sunt, ut de Oratore Cicero: Nunquam mihi minus, quam hesterno die placui. Et in Philippicis: Cūq; deuia languerē, & mihimet displicerē. Tertiū est idē quod superbio dote aliqua, bono'ue, qđ mihi adsit, & glorior, & mihi eo nomine cōfido, plerunq; cū inferiorum contēptu. Quintil. Placeas licet tibi, opum tuarum fiducia diues, si mihi idem inuidere non expedit, pares sumus. Penè in hunc sensum accipitur, Mirari se. Nam id efficere in alterū, laudabile est. Vnde apud eundem de Socrate dicitur: Nam ideo dictus est εἴρων: id est, agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientum. De seipso crebrius in uitium est. Idem: Quòd se silentio parricida miraretur. Martialis Valerius:

Ipse ego, quem dixi, quid dentem dente iuuabit
 Rodere? carne opus est, si satur esse uelis.
Ne perdas operam, qui se mirantur, in illos
 Virus habe, nos hæc nouimus esse nihil.

Se mirantur dixit, quasi sibi placent, uel de se magnifice sentiunt.

*Moror te, & Maneo te.* Cap. XCIII.

MOror te, & maneo te, à quibusdam exponuntur, pro expecto. Sed mea tamen sententia, magis poëticè, quàm oratoriè. Vergilius:

Et tua progenies, mortalia demoror arma.

Terentius: Quem hîc manes? Oratores potius accipiunt, moror te, pro retineo te, & in mora teneo. Ideoq́ hæc duo uerba sæpe iunguntur, ut apud Quintil. Quid me adhuc pater detines? quid moraris abeuntem? Maneo pro eo, quod est, futurum est, ut ipse accipio, apud ipsos interdum etiam poëtas. Vergil.

Te quoq; magna manent regnis penetralia nostris.

Id est, tibi futura sunt. Cicero: Cuius te fatum, sicut Curionem manet: hoc est, cuius fatum tibi futurum est, sicut fuit Curioni.

*Conflaui, Contraxi, & Dissolui æs alienum.* Cap. XCIIII.

COnflaui æs alienũ, & contraxi æs alienum, idẽ est: quod factus sum debitor alienæ pecuniæ. Dissoluo æs alienum, idem est, quod contraxeram æris alieni, restituo, ac pluribus soluo: uel quasi catena, qua ligabar, me soluenda pecunia, dissoluo. Quintil: Non ego æs alienum luxuria contraxi. Cice. Patri persuasi, ut æs alienum filij dissolueret: Quibus exemplis plena sunt omnia.

*Migro, Decedo, Discedo, & Recedo.* Cap. XCV.

MIgro decedoq́;, sic à discedo recedoq́; differunt, quòd migrare est domicilium mutare, & aliò se ad habitãdum cõferre, relicta priore habitatione. Et est apud Iurisconsultos titulus De migrãdo. Similia huic sunt, emigrare, demigrare, cõmigrare. Remigrare aũt, reuerti in pristinũ domiciliũ. Transmigrare, est in longinquioris loci domiciliũ, habitationem'ue migrare. Immigrare, in domum aliquã habitandi gratia ire. Eapropter homines qui moriuntur, migrare dicuntur. Sed rectius cũ apposito, quàm sine apposito, ut multi faciunt, nescientes Ciceronem cũ apposito solere loqui, ut de Repub. lib. 6. Antequàm ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem. Et Quintilianus in Corpore proiecto: Seu quũ ad infernas sedes anima migrauit. Etenim qui moriuntur tanquã domicilium corporis relinquentes, aliò ad habitandũ duntaxat anima, se transferunt. Contrà; nequaquã milites, quum castra mouent, aut detestatione mutationibus'ue decedunt, migrare dicuntur, utpote ubi domiciliũ non habuerunt, nec in domiciliũ se conferunt. Decedere quanquàm accipiatur nonnunquã pro eo quod est discedere, aut recedere, tamẽ proprie est, à mandato custodiæ suæ loco recedere. Vnde cõsules, procõsules, præsides, prætores dicuntur ex prouincia decedere. Itẽ præsidia de urbibus, atq; castellis. Sine appositione intelligitur pro mori, quasi à custodia, & gubernatione corporis proficisci. Cice. de Senectute: Vetatq́; Pythagoras sine iussu imperatoris, id est, Dei, de præsidio, & statione uitæ decedere. Idem de republica: Ideoq́; & tibi Publi & cæteris omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius à quo ille est nobis datus, ex hominum uita migrãdum est, ne munus humanũ assignatũ uobis à deo defugisse uideamini. Eo igit̃ modo dicit̃ decessit, quo dicitur defunctus, ut subintelligatur uita. At in excedo additur uita, non subintelligitur. Idẽ in Antoniũ: In ipsa cura, & meditatione obeundi sui muneris, excessit è uita.

*Precor, & Imprecor.* Cap. XCVI.

PRecari quid significet certũ est, quũ meum accusatiuũ habet: adiuncto aũt datiuo, idẽ est, quod imprecari, hoc est, optare alicui deos precando, bonã fortunã aut malã. Qui datiuus sæpe subintelligitur, ut apud M. Tull. in Pisonẽ: Vt omnes sui ciues salutem, incolumitatẽ, reditum precarentur. Quo mihi cõtigit, an quo tibi proficiscenti euenit, ut omnes execrarẽtur, male precarentur: Et Quint. Inde fugiẽtia uela longo uisu prosecuti, facilẽ emptionem, secundos uentos, placidũ mare, nõ sic si ipsi nauigaremus, precati sumus. Cum datiuo, idem: *In præfat. lib. 1* Sed si tantopere efflagitantur, quàm tu affirmas, permittamus uela uentis, & oram soluentibus bene precemur. De imprecamur uerò, hoc eiusdem sit exemplum. Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos, pauper sit, & amet quãcunq; meretricẽ, & amare non desinat. Quod crebrius accipitur in malum.

*Habeo orationem, Facio sermonem.* Cap. XCVII.

HAbui orationem, non feci orationem. Feci sermonem potius, quàm habui, nonnunquam etiã habui. Cicer. de Senect. Cyrus quidem in eo sermone, quẽ moriens habuit, quum admodũ senex esset, negat se unquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quàm in adolescentia fuisset.

Polliceri

*Polliceri, Conuenire, & Audire habeo.* Cap. XCVIII.

TAntum habeo polliceri, inquit Cic. ad Lentulum. Idem in Catone Maiore: Neque eos solum conuenire habeo, quos uidi, sed etiam quos audiui, & legi. Idem de Oratore: Audire habeo, quid hic sentiat. Quod (ut ipse interpretor) idem est, quod pollicendum, conueniendũ, audiendum est mihi. Quod probatur ex illo, licet diuerso loquendi modo, qualis apud Quintil. Adeò ludibrijs miseræ sum diuersitatis implicitus, ut impetrandum à uobis habeam odij mei fauorem, id est, impetrandus mihi sit à uobis odij mei fauor. Quod licet cõmutare in superiorem modum, sic, ut impetrare habeam odij mei fauorem, sicut contra illum in hunc, sic, tantũ habeo pollicendum, neq; eos solum conueniendos habeo. Audiendam habeo huius sententiam, uel habeo pro uolo, ut non mirum sit, quare aliqui legant, aueo. Sed non rectè legere eos, ex illis Cæsaris Augusti uerbis ostenditur, quũ dixit: Quid aliud habeo quàm deos immortales precari?

*Mereor bene uel male de te, Demereor, & emereor.* Cap. XCIX

MEreor de te, est aliquid in te confero. Si beneficij quidẽ, bene mereri de te dicor. Sin aũt offensionis, male de te mereri. Nonnunquam utrunq; reticemus, sed in ambiguũ sensum: ut, quid de te sum meritus? Nonnunquã per negationẽ, sic, homines nihil de me meriti, id est, qui nihil in me beneficij, aut officij contulerunt. Quibus exemplis oẽs M. Tullij libri scatent. Demereor quoq; pro bene de aliquo mereor, accipitur, sed cum accusatiuo, ut Ouid. Heroidum:
Dic mihi, quid feci, nisi non sapienter amaui?
Crimine te potui demeruisse meo.
Et Quintilianus: Simul ut pleniore obsequio demererer amãtissimos mei. Emereor, idem penè est quod mereor, præteritum eius emeritus. Vnde emeriti stipendia, qui militia perfuncti sunt, nominantur. Et in significatione passiua, stipendia emerita. ut idem. Emeritis huic bello stipendijs. Et per translationem à Vergilio emeriti boues dicuntur, & quædam alia. Emeriti autem senes solent habere eos, qui pro se laborent, qui dicũtur pro alio opus agere. Quintilianus de apibus inquit: Habeam qui pro me opus agerent.

*Refero, & Fero.* Cap. C.

REtulit Pompeius ad Senatũ, id est, consuluit. In eadẽ tamen sententia Pompeius ad populum tulit. Ex illo fit Senatusconsultum, ex hoc rogatio, quæ instar est legis. Dicimus preterea refero tibi acceptũ, pro eo quod est, fateor me hoc abs te accepisse: neq; id modo in bonã partem, uerũ etiã in malã, ut pro Deiotaro Cicero: Vitam acceptã refert clementiæ tuæ. Idẽ in Antoniũ: Omnia deniq; quæ postea uidimus (quid aũt mali nõ uidimus?) si rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Idẽ est, fero tibi acceptum, siue pro eo quod est, habeo pro recepto abs te, quod mihi debebas, etiã si solutio nulla intercesserit. Vnde fit acceptilatio, quam Iustinianus per interrogationem, & responsionem fieri uult. Retuli expensum, id est, rationẽ de impensis confeci, uel exhibui.

*Exhorreo, & Abhorreo.* Cap. CI.

EXhorreo hanc rem, idem est quod expauesco. Abhorreo ab hac re, idem est quod perquàm alienus sum ab hac re. Hoc semper postulat huiusmodi ablatiuum, illud uerò nunquam, sed accusatiuum.

*Bene agi cum aliquo quid sit, & quid actum esse.* Cap. CII.

BEene mecum agitur, idem est, quod in bona conditione sum. Item, præclare tecum agitur, optime cum illis agitur, melius cum hominibus ageretur, si paruo contenti essent: Ita male mecum agitur, & peius, incommodius'ue. & pessime. Cicero: Cum illo uerò quis neget actum esse præclare, mecum incõmo

prędare actũ eſſe dixiſſe, quòd ſuorũ librorum aurũ ab omni ſcoria eſſet, ac fęce cõpurgatum: nihilq́ꝫ foret, per quod cõciues ſui per eius ſcripta falli poſſent. Necꝫ immeritò Plinius Iunior ad amicum ita ſcribit: Ita enim magis credã cętera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognouero. Quomodo igitur non ſit beneficium id offerre, quod ſolet beneficij loco poſtulari? Quòd ſi hoc non præſtatur aut iam defunctis, aut tale beneficium reſpuentibus, profectò his præſtatur, ad quos ipſa magnorum autorum emendatione multa in primis utilitas peruenit. Ideoq́ꝫ ab optimis quibuſcꝫ cuiuslibet artis profeſſoribus præceptum eſt, ut eorum ipſorum quos diſcentibus ad imitationem proponunt, etiam uitia (ſi qua fuerint) oſtendant. Huiuſmodi igitur ego & exemplis, & rationibus adductus, faciendum mihi putaui, ut unum librum hunc de Notis ſcriptorũ cõponerẽ, nõ quo illos carperẽ (nam præter quàm quòd hæc inhumana uoluptas foret, certe & alibi maior mihi hæc facultas daretur, & de hac ipſa re penè infiniti libri conſcriberentur) ſed quo prodeſſem aliquid linguã Latinam diſcere uolentibus, nõ modo ex noſtris pręceptis, ſed ex aliorum quocꝫ erratis, ubi & de noſtro nõnihil ad rei teſtificationem admiſcebimus. Dedimus aũt noſtrorum librorum ſuã cuicꝫ materiã, ut ſi per ſe opus nõ multum ſibi fauoris pararet, ipſa certe uarietas cõmendatione blandiretur. Ex hoc pręſertim uolumine, in quo & uniuerſa quę in ſuperioribus ſingula continentur, & de pluribus præſtantiſſimisq́ꝫ autoribus pronunciatur, iudiciumq́ꝫ contra eos fit. Sumus aũt ijdem ſimul & accuſatores, & iudices, ſed qui aliorum pariter accuſationem, iudiciumq́ꝫ ſubeamus, niſi legitime & autoris, & iudicis fuerimus officio functi. Sed iam in forũ deſcendamus.

*In Nonium Marcellum de Alumnus.* Cap. I.

Alumnus eum ſignificat, Nonius Marcellus inquit, & qui ab aliquo alitus eſt & qui aliquem aluit. Cui in prima ſignificatione ſuffragor, in ſecunda refragor. Nec illius exempla ſecum facere oſtendam, ſed mecum: quę ſunt, tum Ciceronis in Verrem: Italia autem alumnum ſuum ſeruitutis extremo ſummoq́ꝫ ſupplicio fixum uideret. tum Varronis: Et ecce de improuiſo ad nos accedit cana ueritas Atticę philoſophię alumna. Quorum exemplorum (ſalua Nonij pace) utrunqꝫ ſignificat educatum, non educatorem. Nam Cicero quidem Italiam quaſi altricem, & illũ ab ea alitum dixit. Varro uerò non modo alio locutus eſt, quàm Quintil. ubi ait: Verba omnia, & uox eius alumna urbis eſſe ſolet, ut oratio Romana planè uideatur, nõ ciuitate donata. Vult enim uerba noſtra, & uocẽ uideri debere natam, & alitam intra Romã, Varro inter Athenas atcꝫ in ſinu altricis philoſophię. Adijcit etiam Nonius alumnum ſignificare dominum, ut apud Vergilium:

Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Seruabat ſenior, qui Parrhaſio Euandro
Armiger antè fuit, ſed non felicibus æquè
Tum comes auſpicijs, charo datus ibat alumno.

Dure nimis (ne dicam ineruditè) uir ſanè eruditus expoſuit, quaſi neſciamus nõ domini mortẽ à ſeruo, uel comite Vergiliũ feciſſe deplorari, ſeu quod eſt plus, quàm ſi uel Euander ipſe fuiſſet occiſus, ac multò triſtius ab altore ſiue nutritio mortem eius quem aluerat, & quem loco filij habebat: qualis Phœnix ille Homericus in Achillem fuit, quẽ, quoniam educaſſet, filium ſemper appellat, pro alumno. Et certe armigeri magnorum principum ſemper & ipſi magni uiri fuerũt. Siquidem (ut taceam de Phœnice qui bonę parti Myrmidonum imperabat) Patroclus auriga Achillis, princeps erat: & Sthelenus Capanei regis filius auriga Diomedis, & Meriones inter primos duces Cretenſium auriga Idomenei, & Hectori aliquis fratrũ ferè aurigebatur currũ: Talis fuerat Acetes Euan-

dró. Ergo non erat seruus, aut seruo similis apud Euandrum, multò minus apud filium, sed patri similis, & pro patre, præsertim illo absente. Duo autem hæc nomina, quæ ab eadem litera incipiunt, armiger, & auspicium, quæ apud Vergil. modo legimus, nō nota omnibus etiam explicemus. Armiger est, qui in prælio gerit tela domini sui, ut scutum, ut arcum, lanceam, & cetera huiusmodi. Imperiti armigerū uocant armatum equitē. Auspiciū est, uel à pastu auiū, uel ab inspectione auium. Sed quia consul antè quàm iret in expeditionē, capiebat auspiciū: hinc factum est, ut dicamus auspicia ducum, atq; principum, quæ à solo duce capiuntur. Et hinc auspicari non modo auspicium capere, sed etiam incipere: nec in bonā tantum partem (quod frequentissimū est) uerum in malā quoq;, ut apud Plinium: At homo infeliciter natus, manibus pedibusq; deuinctis, animal cæterisq; imperaturum, à supplicijs uitam auspicatur. Nam quando nō est uerbum, ferè in bonum accipitur, ut apud Terentiū: Haud auspicatò me huc attuli, id est, non feliciter, quasi auspicijs repugnantibus. Quod declarat Quintilianus de Achille (ut opinor, loquens, qui ad mortē quam dij futuram denuntiauerant, cupiditate ulciscendi Patrocli ruebat. Sic nanq; ait: Eant nunc poëtæ antiquarū fabularum conditores, & se ad exhortandā amicitiæ fidem, magna quædā composuisse carminibus putent, si dixerint aliquos per maria, terrasq; asperiorē fortunam amicorum tantum secutos, aut principem Græciæ uirum in ultionē interfecti amici inauspicata bella gessisse. Et alibi: Itaq; ut apud illos Homer. sic apud nos Vergil. auspicatissimū dederit exordiū. Auspex qui præerat nuptijs celebrādis, quia auspiciū pro nuptijs capere solebat: adhibebatq; hic pro parte mariti, ut pronuba quæ præest & ipsa nuptijs celebrādis pro uxore: aliquando etiā magis propriè pro eo qui dux militiæ est, ut primo Carminū apud Horat.

*In eundem de Citare.* Cap. II.

CItare, idē inquit, pro laudare accipitur, ut Cic. Citetq; Salamis clarissimæ testis uictoriæ. Nescio cur id dixerit: nō enim tantus uir, tā parua nesciuit, nisi putet se acutiorē uisum iri, si clara faciat obscura: citāt testes nō laudant. Nā Salamis (qui fuit locus uictoriæ Themistoclis) nihil laudis meret, quippe qui nihil egit, sed testis fuit, quia interfuit, uel quia in ea posita sunt trophæa uictoriæ, quę rem gestā testificantur transeuntibus. Ergo si testificari locus potest, potest meritò ut testis citari, nō tamen tāquā uenturus, sed ad quē eant, qui testimoniū desiderant. Vel citent Salaminij, cōtinens pro cōtento: uel citentur autores, & libri qui de hac Salaminæ uictoria meminerunt, testimoniumq; dicunt.

*In eundem de Capio.* Cap. III.

CApio secundum eundem in passiuo significat propitiationē, ut apud Lucretium:

Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Capere, facere. Terentius in And. Non si capiundos mihi inimicos sciam esse omneis homines. Capere, perpeti: Terētius in Heautontimorumeno: Dum abs te absum, oēs fuere mihi labores, quos cepi, leues. Capere, tollere, tenere. Vergilius Georgic. 4. Hi tibi nate prius uinclis capiūdus. Varro in Meleagris: Quē idcirco terra nō cepit, & cœlum non recipit. Idē in Eumenidibus: Stolam, calceosq; muliebres propter positos capio. Capere, eligere. Terentius in Hecyra:

Quum illum in generum cepimus: Vergil. in Georgicis:

Ante locum capies oculis. M. Tullius de Offic. Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros. Capere, delectare, sustinere, habere, decipere, circumuenire, occupare, detinere, sauare, accipere, complecti, inuenire: singulorumq; exempla subijcit, quæ ipse (ne longior essem) prætermisi. In quibus non est illius probabilis

expos

expositio. Nam quis credat autores uni dictioni tot significata, & quidē pro se quenq; noua dare uoluisse, tanquam linguam ipsam confundere cuperent? Cur igitur ita locuti sunt? Nempe quòd nihil interest inter has significationes, capio hostē, capio generum, capio saxū. Praeterea duae proprietates in hoc uerbo notandae sunt. Vna, quòd habet reciprocū quendam usum, ut idē sit, cepi uoluptatem, & cepit me uoluptas. Cicero: Magnum cepi ex literis tuis uoluptatē. Quintilianus: Nec me tanta capiebat uoluptas, quòd fluentia ceris mella conderem. Plin. ad Caluisium lib. 8. Capio aliquam uoluptatē, quòd ulla uoluptate nō capiar. Cepi somnum, captus sum somno, uix dicitur, sed dici posset, ut oppressus uidelicet qui opprimitur somno, capitur somno. Cepi delectationem, uix unq̄, delectatio cepit me, sed in passiuo potius, captus sum delectatione. Et itē in caeteris, quae ad delectationē pertinent. Captus sum amoenitate loci, dulcedine uocis, specie mulieris, amore pecuniarū, spe bonorum, magnitudine sublimitateq; materiae. Ista enim omnia delectant, ideoq; subintelligi solet delectatio, quale ipsum illud Marci Tullij: Quòd insit aliquid probi, quod capiat ignaros, id est, delectet. Ergo probitati inest delectatio, ut sit ita exponendū: cuius probi delectatio capiat ignaros, siue ignari capiantur delectatione. Habet, inquit Terentius, captus est, subintellige amore, siue pulchritudine foeminę, id est, delectatiōe: non aūt (ut testatus sum) actiue, cepi amorē. Nec longè ab hac ratione abest illud, captus sum oculis, pro orbatus sum oculis. Nec hoc unquā reperies, nisi in passiuo, & nunq̄ ferè nisi de oculis dici. Misericordia cepit deos, nō dij misericordiam, dicimus, id est, nō delectatio, sed dolor ille ex alieno malo. Et, merita mea ceperunt deos, ut ait Lucretius: qui sermo rarus est, id est, admiratio, uel delectatio, uel affectus eos cepit. Capio dolorē tamē potius, q̄ cepit me dolor, dicimus. Non quia nō possumus etiam sic dicere, sed quia habemus aliū in usu modum magis propriū. Tenet me dolor, sicut tenet me desiderium. Delectatio enim uidetur tantū capere, nec diu permanere, dolor aūt & desideriū tenere quasi permanendo. Item, cepi indignationem, cepi siue cōtraxi molestiā, potius, quàm cepit me indignatio, cepit me molestia. Contrà, cepit me taedium, cepit me obliuio, cepit me odium, potius quàm retrorsum. Vergilius:

Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.

Terentius: Neq; agri, neq; urbis odium me unquā cepit. Cicero: Propter quod tantū odij cepit eloquentia, ut homines studiosissimi quasi ex turbulētissima tēpestate se in studiū traderent quietum. Idē: Vt eos iustitiae capiat obliuio. Plinius tamen libro 7. naturalis historiae ait: E praealto tecto lapsus, matris & affinium propinquorumq; cepit obliuionē. Altera proprietas, quòd capere significat uel sponte, uel non sponte accipere. Sumere tamen sponte, atq; hinc est illud, cepi labores, cepi molestiam, cepi dolorē, cepi uel suscepi inimicitias, suscepi curas, suscepi sumptus, accepi calamitatē, accepi cladem, accepi damnum, accepi iniuriam, accepi contumeliam, accepi repulsam, accepi uulnus quod nunquàm ferè aliter dicimus, non sustinui, non perpessus sum uulnus, sed ferè semper accepi, nisi more poëtico, ut apud Ouidium lib. 2. Metamorph. Nullam patiere repulsam. Cicero: in domum multiplicatam honoribus non solū repulsam retulit, sed etiam ignominiam, & calamitatem: quum dixit, nequaquam contra hoc, quod praecipio facit. Nam sumo suppliciū, sumo poenam, nō in me, sed à me in aliū infligi intelligitur. Ideoq; adiungitur ablatiuus cū prępositione de. Cicero: De illo paulò pòst supplicium sumitur. Quintil: Vt nisi occurrisset ad diem, de eo qui restiterat, poena sumeretur. Potest tamen quis de se etiā sumere suppliciū, eruntq; tanquā duae personae, quae agit, & quae patitur. Porrò quia sumere est ultro, quasi nō permissu aliorū capere, eò fit, ut intelligatur pro nimiū, & interdum pro arro

ganter sibi tribuere, ut Cic. de Offic.1. cap.lib.1. Orationem aũt Latinã e... les profectò legendis nostris pleniorẽ. Nec uerò arrogãter hoc dictũ existimari uelim. Nã philosophandi scientiam concedens multis (quod est oratoris propriũ) apte, distincte, ornateq́ dicere: quoniã in eo studio ætatẽ cõsumpsimus, si id mihi assumo, uideor in meo iure quodãmodo uendicare. Assumpsisse sibi ait eam laudẽ, quæ nisi uera esset, ac palàm uera, propter rei magnitudinem, arrogans uideret. Ergo assumere, est multũ & pene nimiũ sibi tribuere. Idem pro Plancio: Quanq̃ non mihi tantũ sumo iudices, neq́ arrogo. Inde ineruditorũ uocabulum præsumptuosus. Deniq́ quodã loco Valerius Max. ita planè horũ uerborũ proprietatẽ distinxit, ut hanc differentiã penè præcipere uideat, quũ de Catone Censorio loquitur: Qui ensem de medijs hostibus recepit: quanquã hoc aliqui filio Catonis tribuunt, inquientes, ut nõ coactus acciperet, sed sua sponte sumere uideretur. Quare si Latinè & nos loqui uolumus, dicamus dominũ Iesum carnẽ quidẽ humanam sumpsisse, mortẽ uerò accepisse. Meo iure, quod modo apud Ciceronem legimus, si quis fortè desiderat, exponamus. Significat aũt idẽ quodammodo, quod mea autoritate, meaq́ licentia, & cõcessa mihi ab hominibus libertate, ut idẽ pro Archia: Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas: suo iure inquit, quòd poëta erat, & probatissimus poëta. Idẽ est pro meo iure, ut idẽ alibi: Pro meo iure hoc dico, uos eo me priuastis: quasi cõfidenter dico. Est enim efficiens causa, nõ finalis: qualia cætera sunt hoc modo dicta, pro mea in uos beneuolentia, pro uestra in me humanitate, pro tua mansuetudine, pro sua pietate, ubi efficiens (ut dixi) causa intelligitur, non finalis.

*In eundem de Contendere.* Cap. IIII.

CONtendere, idem ait, est festinare, ut Vergilius: Quæ proxima littora cursu Contendunt petere. Contentio est perseuerantia, uel elatio. M. Tullius de Officijs lib.1. Ex contentione uocis, & submissione, & cæteris similibus facilè iudicabimus. Salustius historiarum quarto: Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt. Contendere, cõtinuare. Cicero de Oratore secundo: Id quod eius scripta declarant, & contentiones uocis, & remissiones continuarentur. Et in tertio: Nihil perniciosius est, quàm sine intermissione contentio. Præterea ait, contendere esse astringere, intorquere, cõparare, certare, extorquere, proripere, uel dirigere signum. Iterum pro festinare, intendere. Sed neq́ præcepta, neq́ exempla satis distincta sunt. Quid enim differt: cõtentio est perseuerantia, & contendere est continuare. Quum præsertim eadem exempla utrobiq́ subijcias. Quid iterum Vergilianũ illud: Contendunt petere. Et illud Salustianũ: Ire contendunt. Quæ duo idem declarant, quod tendunt uel pergunt ire, siue petere. Iam uerò apud Ciceronẽ cõtentio nõ est perseuerantia, neq́ contendere cõtinuare, sed intentio, atq́ intendere: indifferenter enim dicimus hoc loco cõtentio, & intentio, cõtendere, & intendere. Nã plurimi falluntur, accipientes intentionẽ pro uoluntate, atq́ proposito. Afferam ad hoc probandũ ex M. Fabio exemplũ, per quod & ipsa res, de qua agimus, probabitur: Neq́ grauissimus aũt in musica sonus, nec acutissimus orationibus cõuenit. Nam & hic parum clarus nimiumq́ plenus, nullũ afferre animis motum potest: & ille prætenuis, & immodicę claritatis, quũ est ultra neruũ, tum neq́ pronuntiatione flecti, nec diutius ferre intentionẽ potest. Nã uox ut nerui, quò remissior, hòc grauior, & plenior: quò intentior, hòc tenuis & acuta magis est. Sic ima uim nõ habet, summa rumpi periclitat. Medijs ergo utẽdũ sonis. Hi quoq́ quũ augenda intentio est, excitandi: quũ summittenda, sunt temperandi. Manifestum ergo est, quid sit intentio, cuius etiã similitudo neruorum manifestius docet, unde similitudo sumpta est. Nã ut neruus in cithara, aũt neruus in arcu quò magis

magis intenditur, eò uehementiorē sonū, uel ictum efficit: quò magis relaxatur, eò remissiorem: ita & uox quæ utique usum neruorū corporis exigit, quos uidere licet in acutissime exclamātibus maximè intendi, tanquā in cithara aut in arcu, siue contendi, quæ (ut dixi) idem sunt, atque idem esse ex uerbis utriusque autoris, quos nominauimus, liquet. Neque uerò quisquam negauerit continenter esse, quod continue, siue continuate quod Marcellus ait, sed à contineo uenit. Contentus uero, à contendo, licet & continuo faciat contentum.

*In eundem de Cursus.* Cap. V.

CVrsus, inquit, idem est quod uolatur, ut Vergilius: Cursumque per auras Dirigite in lucum. quasi non figurate dicamus de uolatu cursum, & de cursu uolatum: ut ille apud Terentium, festinatò seruum ire iubens, inquit, uola, pro eo quod est curre. De nauigatione quoque festina dicimus cursum, ut M. Tullius: quo cursu frumento onustas naues petentes Rhodum uiderit. Et Quintil. nauigationem dixit fugam, siue naues fugientes, quæ uelocem cursum cōficerent, quū inquit: Inde fugientia uela longo usu prosecuti. Is enim qui fugit, uelocissime currit. Eoque Vergilius inquit,
Pedibus timor addidit alas.
Idem quoque Quintil. inquit: Multa sunt & Græcè, & Latinè nō denominata. Nā & qui iaculū emittit, iaculari dicitur: qui pilam, aut sudē, appellatione priuatim sibi assignata caret. Et ut lapidare, quid sit, manifestum est, ita glebarum, testarumque iactus non habet nomen. Vnde abusio, quæ κατάχρησις dicitur, necessaria est. Quare ad hanc Quintil. formulā non aliter nauē uelociter euntem, & auem uelociter uolantem currere dicimus, quàm iaculari sudem. Illud aūt apud oratores obseruari, uolitare potius, quàm uolare pro discurrere dici solere, ut apud eūdem: Me per omnia maria uolitantem. Et apud Cic. Qui per forū uolitant. Quale est reptare. Nam quum repere sit animaliū carentium pedibus, & uentre euntium, licet quædam reptilia pedes habeant, ut lacertæ, tamen reptare hominem dicimus, qui segniter, lente, & quasi testudineo passu incedit, quales sunt, qui in hortis, aut uinetis, similibusque locis spatiantur. Horatius:
An tacitum syluas inter reptare salubres.
Plinius ad Bebiū: Scholasticis porrò dominis, ut hic est, sufficit abunde tantum soli, ut releuare caput, reficere oculos, reptare per limitē, unam semitam terere, omnesque uiticulas suas nosse, & numerare arbusculas possint. Idē: Frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus est. Terentius in Adelphis:
Perrepetaui usque omne oppidum, ad portam, ad lacum: quò non?

*In eundem de Carpere.* Cap. VI.

CArpere, inquit, pro attenuare, & aperire. Vergilius: Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ.
Hoc ne puellæ quidem ipsæ dicerent. Nam ut carpimus linum uirens ex humo, quum uellimus: ita puellæ sinistra manu de colo pensum trahentes, sensimque uel lentes carpunt. Et ut decerpimus rosam primis digitis, sic puellæ primis & ipsæ digitis decerpunt particulatim linum, lanam'ue. Iterum carpere, celeriter præterire. Vt Vergilius: Et acri Carpere prata fuga. Et in eodem: Carpere mox gyrum incipiat. Quasi in primo non celeritas illa magis intelligatur per hoc, quod dixit fuga, qui est celer cursus, quàm per illud carpere. Et in secundo significetur uelociter præterire. Aliud nanque est ire in gyrum, aliud præterire, quod de equo, & sessore utrunque poëtice dictum est.

*In eundem de Accipere.* Cap. VII.

ACcipere pro pascere, idē inquit. Terentius: Accipit homo nemo melius prorsus, atque prolixius. Et hunc imitatus Seruius in Vergilium:

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

Vrbanius profecto & lautius loqui poterant. Pecora gregatim, altiliaq́ dicuntur pasci, nō homines. Nos enim quoties accipimur, siue excipimur in cōuiuiū, nō ad saginam, sed ad iucunditatē illā atq; apparatū inuitamur. & minima pars cibis assignetur. Vnde cōuiuere dicimur eo tempore, nō comessari, aut cōpotare, aut (quod deformius est) compascere, siue compasci. Siquidem Terentius de Thrasone, non tanquam de saginatore locutus est, sed tanquam de splendido apparatore conuiuiorum. Et Vergil. Helenum regem uult regiam quandā magnificentiam in exhibendo conuiuio declarasse, non solum (ut ita loquar) pastionem, & (ut dixi) saginam. Fateor tamen accipere, nonnunquam significare in domum suam, honoris & amicitiæ gratia aliquem conuiuam capere: ita tamen, ut subintelligatur in conuiuium: ut, acceptus sum à te lautè, id est, acceptus sum in conuiuium, uel tractatus. Nam frequenter in contrarium dici reperimus. Ego abs te miseris sum acceptus modis. Hoc apud Terentium, & apud Ciceronem. Ex quo illud laudatur Architæ, qui cùm uillico factus esset iratior, Quo te modo, inquit, accepissem, ni iratus essem?

*In eundem de Graue.* *Cap. VIII.*

GRaue, inquit, significat grauidum. Vergilius:

Donec regina sacerdos Marte grauis.

Circumlocutio fecit, ut intelligatur grauida. Nam si dicam, regina, aut Helena est grauis, nemo prorsus intelligat, sed addam ex rege, aut ex marito, fortasse intelligatur esse grauida. Ita apud Vergilium: Martę grauis, pro, semine Martis impleta: Graue plenum. Vergilius:

Non insueta graueis tentabunt pabula fœtas.

Si accipit fœtas pro grauidas, superuacaneū est exponere graueis, p plenas. Per illud enim quod prægnātes sunt, plenę esse intelligūt. Graues uero esse, per epitheton quod appositum est, quippe grauidę oēs graues, ut ipsa quoq; uox indicat, nam à grauis fit grauidus. Sin accipit fœtas pro his, quæ pepererunt, ut puerperas mulieres, quæ proximis diebus matres sunt factæ, graues lacte dicemus, quasi onustas, nō quasi plenas. Durū sit nanq; appellare oues, caprasúe plenas lacte, sed ubera plena lacte, ut est apud eundem per translationem grauida:

Et grauido superant uix ubere limen.

Quòd si quādo reperiatur grauis pro plenus, hoc tamē in loco nō ita accipitur. Hunc eundē quem ego protuli uersum, & ille affert, quasi de grauido, & nō de graui sit quæstio: nec poëtæ modò uerumetiā oratores sic loquūtur, ut Quintil. Luctantur intra uiscera animæ, & uterum funeribus grauidum in os agunt. Sed ad graue reuertamur. Grauis, inquit, plenus. Vergilius.

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè uirum quem

Conspexere, silent.

Virū pium, & benemeritū, appellare plenū pietate, & plenum meritis quis audeat? Non ergo ita exponendum est, ut nec est utendum. In quo paulò post meam sententiam ostendam. Graue, inquit, grandæuum. Vergilius:

Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes.

At ego potius accipio grauis prudentia & moribus, quomodo proximè grauis pietate & meritis dicebatur. Multa præterea significata dat huic eidem nomini, quæ profectò forent infinita si ad illum modum, poëtarum omniū exponamus exempla. Quod longe abest, tum ab utilitate discentium, tum ab ipsa rei natura. Etenim graue, suapte natura ponderosum significat: ut, graue saxū, grauis sarcina, grauia arma, graue scutū, quod scilicet grauat nos in ferēdo, & quod ægrè, & cum molestia fertur. Inde per abusionem transferimus ad senectutem, ad mor-

bum

bum, ad laborē, ad dolorem: quia hi qui molestiā ex senectute, morbo, cæterisq; sentiunt, quasi onere intolerabili premuntur, quod cupide uelut graue pondus à se uellent deponere. Neq; solū ad molestias corporis translatio hæc fit, uerumetiam ad molestias animi: ut, grauis cōtumelia, grauis iniuria, grauis mœror, grauis iactura, quæ animum genere quodā ponderis premūt. Itaq; unus modus est, quę corpori, aut animo molesta sunt, ea grauia appellare. Eoq; molestia à mole, id est, à re magna magniq; ponderis uocitata est. Alter modus est, quòd quēadmodum grauia saxa, & grandes trunci nō facile loco mouentur, sed ad omnem temporis mutabilitatē hærent: ita homines constantes, ac præditi sapientia, merito per figuram graues nominantur, quòd nec precibus, nec minis, nec uanitate, nec promissis, ab æquo & iusto summouentur: ut hi faciunt, quos leues uocamus, qui in similitudinem pulueris & palearum ad omnem auram uentilantur. Sciamus tamen grauis tunc regere datiuū, quum est in priore significato: ut, tu es grauis mihi. Quare nō probe quidā legunt apud Ciceronē de Officijs: Quod ætati tuæ esset aptissimū, & autoritati meæ grauissimū. Nam hoc grauissimū superuacuum est. Cæterum quid mirer, si in his quæ sunt altioris intelligentiæ fallitur, quum leuioribus, atq; apertis hallucinetur Marcellus?

Leuis. | Cic. locus castigatur.

In eundem de Inficiator. Cap. IX.

INficiatores, inquit, sunt falsi criminis obiectores, ut Cic. de Oratore lib. 1. Vt si ille inficiator probasset Iudici antè petitam esse pecuniā, quàm esset cœpta deberi: hoc de reo dictum est à Cicerone, nec reo criminis, sed pecuniarū. Ille uero accipit non tantum pro accusatore, sed pro actore etiam & accusatore falsi criminis. Vbi enim pecunia & petitor nominantur, ibi nulla est criminatio. Inficiator igitur is significatur, qui negat se uel debere quod actor petit, uel commisisse quod accusator obijcit. Vnde status coniecturalis dicitur inficialis, in quo semper reus inficiatur, uel inficias it. Inficiari enim, & id quod dixi, inficias ire, est uerbo negare. Nam negare est aliquando etiam facto, ut Vergil.
Egregij forma, sed queis fortuna negarat
In patriam reditus. Veto notum est aliud esse, quàm nego, & (ut breuiter signem) contrarium est illis impero, & iubeo. Non est autem huic nomini nisi accusatiuus casus & unum uerbū eo, is, it. De inficias loquor, cui simile est suppetias, pro eo quod est auxiliū: ut in duodecimo Cōmentariorū Cæsaris: Et nuntiabantur auxilia magna equitatus oppidanis suppetias uenire. Et in eodē: Suisq; rebus timens elephātisq; 30. relictis suis finibus oppidisq; suppetias profectus est. Et iterum in eodem: Atq; suis fugientibus, suppetias ire contendit. Suetonius de Vespasiano: Legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugauerunt. Suppetias pro auxiliū: Plautus in Epidico: Sed memento, si quid sæuiunt senes, suppetias mihi cum sorore ferre. Idem in eodem, nominatiuo est usus: Auxilia mihi, & suppetię sunt domi.

Inficiator. | Reus criminis, et pecuniae. | Actor. | Accusator. | Petitor. | Status coniecturalis & inficialis. | Inficiari q[?]. | Veto | Inficias & suppetias ) eo. | suppetias venire. | suppetias profectus. | suppetias ferre. | suppetiæ sunt domi.

In eundem de Incisim. Cap. X.

INcisim, inquit, quasi simul. Cic. in Oratore: Hęc quidē duo binis pedibus incisim, deinde membratim dicere solebas. Quid magis contrariū, q̄ incisim, id est, minutatim, & simul, quod est coniunctim? quasi nesciamus, quid sint cola, cōmata, & periodi, de quibus Cicero pluribus in locis disputat, apellans ea incisionem, membrorum circuitū, siue ambitum, siue cōprehensionem, siue continuationē, siue circūscriptionē. Cuius ultimi (quod multis nominibus Cicero uocat) duo genera Quintil. facit: priora aūt sic definit: Incisum, est sensus non expleto numero cōclusus, plerisq; pars mēbri: ut, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas. Fiunt aūt ex singulis uerbis incisa. Membrum est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens.

Lib. 9. cap. 4.

In eundem

*In eundem de Candeo.* Cap. XI.

QVid ergo? nihil'ne bene dixit Marcellus? imò uerò aliquid, atq; adeò multa, sed nunc bene dictis non est locus, tametsi in his, quæ laudari queunt, nõnihil interdũ desidero, ut candet, ignotum est. M. Tullius de officijs: Candẽte carbone adurebat capillum. Candet, candidũ est. Vergil. Aeneid. 4.

Candentis uaccæ media inter cornua fundit.

Sed hîc (ut dixi) nonnihil desidero. Nam & excandescere hominem dicimus, quũ uehementer irascitur. Præterea ostendenda est passim causa, quamobrem unũ uerbũ plura significet, ut in hoc: Quũ enim ignis obstantia exuperat, ac fumum uincit, candorẽ flammæ concipit, uel quòd sol quantò candidior, tantò ardentior: ita animus dum ira concitatus est, inflammatus, incensus, & excandescens dicitur: uel quòd mare uentis confractum, & in morẽ aquæ ebullientis in lebete, uel ipsa aqua lebetis ebulliens, spumas albentes ciet: ita animus simili perturbatione percitus, excandescere dicitur, ut tanta cõmotio mentis significetur, quanta est uel maris, uel aquæ ad ignem iam albescentis, quod ex unius à Quintiliano expositi uocabuli patescet exẽplo: Vertex (inquit) est cõtorta in se aqua, uel quicquid aliud similiter uertitur. Inde propter flexum capillorũ, pars summa capitis: ex hoc inquam in montibus eminentissimum recte dixeris, hæc omnia uertices, proprie tamen unde initium duxit. Quare nemini debet mirum uideri, cur interdum una uox plura significet.

Lib. 8. cap. 2.

*In Seruium de Lætus.* Cap. XII.

LÆtum Seruio placet multa significare, fœcũdũ, pingue, grauidũ, pulchrũ, uiride, & multa alia. idq; apud Vergil. modò: quòd si alios quoq; poëtas exposuisset, adhuc alia multa significata adiecisset. Sed ipse rationẽ reddã, cur in uarios sensus abutamur, cũ unum natura significet. Lętum id appellamus, quod aspectu gaudiũ promit. Nã gaudere, proprie est intrinsecus: Lætari extrinsecus. Recte igitur animata dicuntur læta, quoties lætantur. Et quia natura sic cõparatum est, ut quæ bona corporis habitudine sunt, alacriora: quę uerò debili, tristiora sint: eò fit, ut pinguia uocemus læta, ut lætas oues, lætos greges, læta armenta. Transferimus hoc ad similia, ad segetes, ad uites, ad oliueta, ac cæteras arbores. Vnde sicut ex illis superioribus domini percipiunt fructus, & quemadmodum illa, ita hęc quoq; qualia sint, declarat aspectus: appellãturq; lętę segetes, lętę uites, lęta oliueta, lęta arbusta, eò quidẽ magis, quòd multi uolunt hęc animata esse. Vel lęta dicimus ab effectu, quòd nos lætos faciunt, ut locũ tutũ, quia nos tutos efficit. Ideoq; non appellantur homines lęti ob fœcunditatẽ, pinguedinẽ, pulchritudinẽ, grauitatem, & similia: sed tantum ea, quę in nostros usus cedunt, aut (si ita cõtingat in nostram delectationẽ) lętitiam nobis uoluptatemq; parientia. Hanc igitur regulã tenentibus, hoc nomen & apud autores inuentum facile intelligitur, & multifariam sine ambiguitate in utendo suppeditabit.

*In eundem de Accuso & Incuso.* Cap. XIII.

ACcusare (ut idem cum multis alijs uoluit) est maioris de minore: Incusare est minoris de maiore, uel paris de pari: quorum singularis inscitia uehementer est castigãda. Apud quẽ enim autorũ obseruatio ista reperietur? Nõ'ne apud ueteres adolescẽtuli solebant probitatis simul & eloquentię laudẽ capessere ex magnorũ uirorum accusatione? Atq; (ut ait M. Fabius) crediti sunt etiam clari iuuenes obsidẽ reipublicę dare, malorum ciuium accusationẽ: quod significauit Cicero, quum dixit: Quàm est illa misera, quàm dura seruitus, adolescentibus paulò loquacioribus seruiendum est. Nunquid Demosthenes quum tutores suos adolescentulus in iudicium uocauit, aut Cicero quũ Verrẽ reũ fecit prætorium uirum, ipse quæstorius non accusauit? maleq; locutus est, dicens, accusa

cusationem suam semper, nunquàm incusationē. Et hoc quidem de accusando: Quid aūt de incusando? Certe si illud non est de maiore in maiorem, neq; hoc erit de minore in maiorem: & alioqui nullo unquam in iudicio auditum est nomen incusationis: quid porrò extra iudicium? Vergilius inquit:

Quem non incusaui amens hominum'ue deûm'ue?

Dij quidem maiores Aenea sunt, homines uerò Troiani duntaxat minores. At est apud Terentium pater ad filium loquens: Quid me incusas Clitipho? Hoc enim isti exemplum ponunt, cæterorum exempla omittunt, quæ contra eos faciunt, quæ sunt infinita, ut Cæsar Commentario primo: Hæc quum animaduertisset Cæsar, conuocato consilio, omniumq; ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus, uehementer eos incusauit. Sed (ne multis morer) accusare, est uel apud iudices, uel apud alium quēuis, etiam apud illum ipsum, quem accuses, significare atq; ostendere aliquem peccasse. Incusare uerò reprehendere mores alterius, & pleruncq; cū querela, quòd ab illo iniuria sis affectus. Et ita apud Vergilium, Terentium, Cæsarem, cæteros q; autores accipiendum est.

*In eundem de Barba, & Barbæ,* Cap. XIIII.

BArba, idem inquit, hominis est. Barbæ uerò quadrupedū. Sed non est barba tantum hominum, neq; barbæ tantum quadrupedum, quin & barba quadrupedum, & barbę hominum utiq; multorum dicuntur. Horatius:

Vtq; lupi barbam uarię cum dente colubrę

Abdiderint furtim terrę. Plinius libro uigesimonono. Rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitiorem: eadem præcisa, non abire eos in alienum gregem. Nam illud Vergilianum: Striaq; impexis induruit horrida barbis: Magis de hominibus dictum est, quàm de hircis. Et illud:

Nec minus intereà barbas incanaq; menta

Cyniphei tondent hirci. Ad multos hircos refertur, perinde ac si diceremus caudas, quum tamen singulę singulis hircis sint, ita & barbę aliorum quàm quadrupedum, ut Plinius in 30. Quum Geminos transit sol cristis, & auribus, & unguibus gallinaceorum, si luna rasis barbis eorum.

*In eundem de Nuntius, & Nuntium.* Cap. XV.

NVntius, inquit idem, est qui nuntiat: quod aūt nuntiatur, licet neutro dicatur, tamen inuenitur & masculino. Miror cur ita dixerit. Ego quidē nusquam hoc nuncium legi: at ne ipse quidem, ut opinor, quum Festus Pompeius uetustior eo autor, ita scribat: Nuntius & res ipsa, & nuntius dicitur.

*In eundem de Arceo, Abigo, Abigeus, Abactor, Abigeatus* Cap. XVI.

ARcere idem ait esse prohibere. Sed mihi uidetur potius esse uetare, ne accedant hi, qui ueniunt. Iuno septem tantum annos arcuit Troianos ab Italia, quam ubi contigerunt, non arcebat ab ea amplius, sed in ea esse prohibebat. Transfertur (ut pleraq;) de corporeis ad incorporea. Cic. in Paradoxis: Quæ uis enim est, quę magis arceat homines ab improbitate, quàm si senserint nullum in delictis esse discrimen? Contrarium huic uerbo est abigere, quod significat à loco fugare, atque expellere: ut, abige muscas à facie mea scribentis, abige canes à popina tua, abige sturnos sonitu à uinea. Quintil. Ibo in littus miser, plancitibus aues abigā. De pecoribus uero idē quod de cęteris animalibus accipiendum est: quę si nobis odiosa sunt, abigimus, id est, expellimus, ut oues, capras, asellos, ab hortis, à uinetis, à pratis. Quod si ita non sit, sed furto tollimus, utiq; gregatim abigere aliud significat, id est, furto tollimus, utiq; gregatim abigere aliud significat, id est, furto tollere, aut etiam latrocinio, ut apud eundem, Adhuc spolia transeuntium, & abacti pecorum greges sub hoc titulo defendebantur. Vnde abactores uocantur pecuariorum animalium fures, latrunculi'ue

culi'ue. Hos quidam abigeos uocant. Vlpianus autem inquit: Abigei proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, uel ex armentis subtrahunt, & quodamodo deprædantur, & abigendi studiũ quasi artẽ exercent, equos de armẽtis, uel oues de gregibus abducentes. Cæterum si quis ouem oberrantẽ, uel equos in solitudine relictos abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. Hic abigeũ à nõ abigeo distinguit loco, nõ numero. Claudius numero, nõ loco, inquiens. Quantitas discernit furem ab abigeo: Nam qui unam suem surripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus. Hic furem ab abigeo separat, ut superior fecit. Macer nõ separat, quum ait: Abigeatus crimẽ publici iudicij non est, quia furtum magis est, sed quia plerunq; abigei & ferro utuntur, si deprehendantur, ideo grauiter puniri eorum admissum solet. Quomodo autẽ hi iurisconsulti inter se conueniant, aut non cõueniant, nihil ad hoc tempus. Hoc tantùm dixerim, nõ modo fures, siue furtim aliqui solent abigere armenta uel greges, sed etiam latrunculi, qui facta prædonum manu in alienum agrum incursionem exercentes, pecora etiam interdum abigunt, & abigei nominari possunt. Præstare (quo uerbo sæpe & iurisconsulti, & oratores utuntur) est prohibere ne alicui fiat aliquid incommodi, & si non prohibuerint, satisfacere: ut, uenditor debet præstare uitium rei, quàm uendit, id est, prohibere, atq; efficere, ne emptor damni quid faciat, alioqui satisfacere. Neq; illud in alterum modo, uerumetiam in nosipsos. Cicero in Tusculanis: Quum id quod ab homine non potuerit præstari, euenerit, id est, caueri & prohiberi.

*In eundem de Innocuus, & Innoxius.* Cap. XVII.

INnocuus, inquit Seruius, est cui non nocetur. Innoxius, qui non nouit nocere. Vellem exempla recitasset, quibus ostenderet eam expositionem innocui ueram esse. Nanq; illud Vergilianum quod eum impulit in hanc opinionem:

Donec rostra tenent sic consedere carinæ
Omnes innocuæ.

Non est accipiendum, quòd subsederunt tales, ut eis nihil noceretur, sed uel more poëtico, quòd nihil peccauerunt, quasi innocentes homines (Nocentes enim sunt quicunq; ab honesto recedunt, etiã si nemini noceant) uel quod non nocuerunt neq; sibijpsis, neq; uectoribus, aut nautis.

*In eundem de Instar.* Cap. XVIII.

INstar montis equum diuina Palladis arte.

Instar, id est, ad similitudinem, Seruius ait. Quid similitudinis equo ad montem? quòd si etiam similis esset, non tamen eum magnum potius, quàm paruum esse, quod Vergilius senserit, intelligeremus. Archimedes ille geometricus, globũ ad similitudinẽ cœli fabricatus est, in quo effigies cœli aderat, magnitudo nõ aderat. Idẽ fit de tabula illa depicta ad similitudinẽ orbis terrarum, quam non ausim dicere depictã instar orbis terrarũ. Neq; alia multa huiusmodi: ut, instar Antonij ambulas, instar patris scribis, instar languidi sedes: sed ad similitudinẽ, uel in similitudinem, uel in modũ, uel in morem, uel tanquã, & similia. Instar potius significat ad æquiparationem, uel ad mensuram, ut apud Vergilium:

Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis instar.

Cicero: Hexametrorum instar uersuum. Nam illud apud eosdem: Instar mortis ducunt: & fulminis instar: significat æquiparationem doloris in morte, & impetus ex fulmine. Quod si quando reperiatur proximè accedere ad significationẽ similitudinis, admoniti simus, ut nimiam utendi licentiam deuitemus: Nam ego sic auderem uix uti, ut Seruij familiarissimus Macrobius cum sæpe aliâs, tum statim in procemio Saturnaliûm ita inquiens: Vt quæ indistincte atque promiscue ad subsidium memoriæ annotaueramus, in ordinem instar membrorum cohærentia conuenirent.

In eundem

*In eundem de Paßim, ubiq;, & usquam.* Cap. XIX.

PAssim, inquit, significat ubique. Mihi autē aliud uidetur ubiq;, quàm passim. Nanq; in prato ubiq; est herba, nō passim. Contrà, grex passim pascit, potius quàm ubiq;: quippe aliquid interualli, est inter pecudem & pecudem: nō ita inter herbam & herbam. Est autem passim, quasi passu distante, uel sparsim, quemadmodum dicimus passis manibus, & passis crinibus. Quod accipi solet etiā pro crebro, dum de rebus mentis loquimur. Lactantius tamen pro ubiq; accepit, quum inquit: Creditur ei passim tanquam cognitæ ueritati. Neq; solū pro ubiq;, sed etiam (quod usitatius est) pro undiq;: Cumq; is numerus, condendæ urbi parum idoneus esse uideretur, constituit Asylum: eò passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quiq; sine ullo conditionis discrimine. Vsquam, duo hæc potius significat, in loco simul, & ad locum, ut Terentius in Eunucho: Occidi, neq; uirgo est usquam. Cicero in Philippicis: Nec uerò usquam discedebam.

*De aduerbijs in im exeuntibus.* Cap. XX.

ADdamus de quibusdam aduerbijs in im uocem exeuntibus. Priuatim nihil differt à priuate, si priuate dicere liceret: nihil separatim à separate, si hoc reperiatur: nihil properatim, à properanter: nihil dissimulatim à dissimulanter. Vbertim idem est, quod copiose. Affatim quod abunde. Raptim quod festinanter. Cursim quod currendo. Tamen aliud est generatim, quàm generaliter. Hoc enim significat, omnia simul quæ sub genere sunt amplectendo: illud uero per singula genera, seu magis per singulas species. Siquidē species genera uocamus: ut, quot sunt genera arborū, uitiū, potius, q̄ quot sunt species. Vergil. Generatim discite cultus. Varro: Nō in uolucribus generatim seruatur analogia. Nō ex aquilis aquilæ, neque ex turdis procreātur turdi. Sic ex reliquis sui cuiusq; generis. An aliter hoc fit, quàm in aëre, quàm in aqua? non hic conchæ inter se generatim innumerabili numero similes. Eodem modo, ut generatim per singula genera dicimus, ita summatim per singulas summas: aliquando dicimus summatim & generatim, nō per singulas summas, generaq;, sed per unā, unumue: ut, dicam de hac re summatim. Cicero de Oratore lib. 2. Infinitū mihi uidetur id dicere, in quo aliquid generatim quæritur, hoc modo: expetendane esset eloquentia? expetendi ne honores? Cæterum quomodo differat ab illis ad summam, in summa, postea reddam. Viritim, per singula capita uirorū: ut, Gracchus diuidebat uiritim sex modios frumenti. Tamen de uno aliquādo dicimus, ut apud Curtiū: Si quis uiritim dimicare uellet, prouocauit. Nominatim, per nomina singulorum: ut, assignati sunt coniurati nominatim custodi carceris. Et de uno etiam: ut, tenens cruentum pugionem Brutus, nominatim Ciceronem inclamauit. Membratim, per membra. Cæsim, per incisiones gladij. Punctim, per punctiones, infixionesq; gladij, siue incidendo, & pungēdo. Strictim, stringendo singula uel certū aliquid. Captim, hinc & hinc decerpēdo, non ipsam seriem sequendo: Tractim, trahendo, non interrumpendo seriem. Cateruatim, gregatim, turmatim, manipulatim, per diuersas cateruas, diuersos greges, diuersas turmas, diuersos manipulos. Domesticatim, uicatim, regionatim, oppidatim, municipatim, prouinciatim, per uarias domos, uarios uicos, uarias urbis Romæ regiones, uariaq; oppida, uaria municipia, uarias prouincias. Venio nunc ad id qđ promiserā. In summa, & ad summā, magis modo utendi differunt à summatim, quam significato. Quintilianus in Corpore protecto: In summa nō recedo. Fas est mihi etiam inuitis parentibus pie facere. Cic. de Offic. Ad summam (ne agam de singulis) communem totius generis humani societatem, congregationē, & conciliationē colere, tueri conseruare debemus. Differt aūt Ad summam & ad summum, quòd secundum ad numerum refertur, ut idem Cicero pro Milone:

Vnus

Vnus, aut ad summum duo, inuenti sunt, qui Milonis causam non probarent, id est, non plures quàm unus, aut duo ex omnibus. Idem ad L. Messenium: Noli enim existimare mihi non solitudinem iucundiorem, qua tamen ipsa uti non licet, quàm sermones eorũ, qui frequentant domũ meam excepto uno, aut ad summum altero: hoc est, excepto uno, aut (ut multum) duobus. Quintilianus in sensu priore solet uti tali genere dicendi per aduerbiũ, semel. Deniq; ut semel finiam, sic ferè componendum, quo modo pronunciandum erit. Et alibi: Et ut semel omnia complectar. Et iterum: Et ut semel quod est potissimum, dicam, secretum in dictando perit, id est, ut in summa dicam. Cuius rei causa est ipsum illud semel, quod significat una uice pro omnibus, ita ut postea non oporteat quid addi. Ideoq; solet accipi pro immutabiliter, & irreuocabiliter. Quod enim semel tantum fit, id non habet regressum ut iterum fiat. Idem in Mathematico: Quid hæc fulgentium siderum ueneranda facies, quòd quædam uelut infixa, ac cohærentia perpetua, semelq; capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetuntur erroribus? Vergil. Qui, ne quid tale uideret, Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Ouidius: Nulla reparabilis arte Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Lucanus: Dixitq; semel nascentibus autor Quicquid scire licet.

Semel, inquit, ut nullum postea uerbum addat. In eundem sensum idem Quintil. accepit Breuiter, ut in Geminis languentibus: Breuiter tamen longæ crudelitatis explicanda sæuitia est, ex omnibus quæ pertulit, leuissimum fuit, quòd occisus est. Plinius maior: A reliqua uerò Gallia latere Septẽtrionali montibus Gebenna & iugeribus agrorum, cultu uirorum, morum dignatione, amplitudine opum, nulla ei prouinciarum præferenda, breuiterq; Italia uerius quàm prouin-

Plin. lib. 10 cap. 29 cia. Et iterum de luscinia, quæ uulgò dicitur philomela: Nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc uariatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur, reuocatur, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipsa murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, ubi uisum est, uibrans, summus, medius, imus. Breuiterq; omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit.

*In eundem de Tandem, Demum, & deniq;.* Cap. XXI.

TAndem idem ait, poni non necessitatis, sed ornatus causa, ut in illo Verg. Sed uos qui tandem: quibus aut uenistis ab oris?

Nec cuius ornatus, aut quare sit ornatus, explicat. Idẽ sentit Priscianus, dicens: Tandem non solùm pro aduerbio temporali, sed etiam pro coniunctione expletiua inuenitur, ut Cicero Inuectiuarum libro primo: Quousq; tandem abutẽre Catilina patientia nostra? Mihi quidem nullum ornamentum uidetur esse in superuacuis, & nihil agentibus uerbis. Quanquàm apud Græcos dictiones nõ nullæ sunt, quæ aut numerum, aut sonum implent: quod in hac dictione nõ est, quæ habet potius urgens quiddam & accelerans, eoq; ferè per interrogationẽ, quæ exempla uulgò sunt plurima: ut Cicero in Catilinam, cuius oratio sic incipit: Quousq; tandem abutêre Catilina patientia nostra? Quo exemplo usus est Priscianus. Quidam tamen inter primos huius ætatis docti, solent citra interrogationem hoc aduerbio uti, non tam autoritatem sequentes eiusdem Vergilij

Aeneid. 1 & eodem loco:

Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas iter. Et Horatij, qui ait:
Lib. 1. ep. 18 Quamuis Scæua satis per te tibi consulis, & scis
Quo tandem pacto deceat maioribus uti,
Disce docendus adhuc: quàm Ciceronis in Catone maiore dicentis: Qua tan-

dem spe sibi tam audacter obsisteret, respondit, senectute. Et pro Roscio: Quum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset in eo. Nonnullisque alijs in locis. Sed tamen utrunque interrogationem habet, & eam directam latenter ad secundam personam. Nam hic qui loquitur, uerba alterius refert. Siquidem Pisistratus à Solone sic quaesiuit: Qua tandem spe mihi tam audacter obsistis? Et Fimbria ab illo (quisquis fuit) sic petiuit: Quid tandem in eo accusaturus es? Neque uero legem illius dictionis scribo, sed usum frequentissimum trado. Sine interrogatione autem quid significet, nemo ignorat, ut Vergilius:

Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras. *Aeneid. 4.*

Eiusdem significationis sunt demum, & denique, ut notum est. ut idem Vergilius:

Tunc demum optata gemina super arbore sidunt.

Cicero: Quum excessisset è uita, tum denique uiueret. Sed plerunque quum sint multa enumerata, tum subiungimus denique, significantes hoc ultimum esse omnium, ut idem Vergilius:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.

Et Cicero: Quum sibi non multitudinem militum, non idoneos Imperatores, non pecuniam sibi praestò esse uiderent, non denique ullam rem quae pertineat ad bellum administrandum. Demum solet accipi pro solum, siue pro omnino, praecipuéque iunctum cum is, & cum ita. Cicero in Sallustium: Et demum magna uoluptas est Crispe Sallusti, aequalem ac parem uerbis uitam agere. Marcus Fabius: Illud ingeniorum uelut praecox genus, nō temere unquam peruenit ad frugem. Hi sunt qui parua facilè faciunt, & audacia prouecti, quicquid illic possunt, statim ostendunt. Possunt autem id demum, quod in proximo est, uerba continuant, haec uultu interrito nulla tardati uerecundia proferunt. Et iterum: Tum illa quoque ex causa, quòd mentem tantae rei intentam uacare omnibus alijs, etiam culpa carentibus curis oportet. Ita enim demum libera, ac tota nulla distringente, atque aliò ducente causa, spectabit id solum, ad quod accingitur. Et alibi: Iacebat haec insomnis, inquieta, quum diceret, iam statim apparebit, iam statim ueniet, nunquàm tamen tardius uenit. Miseram me fili, proxima nocte iam ueneras. Ecce iam medios sidera tenent cursus, indignor, irascor. Ita mihi demum satisfacies, si apud patrem fuisti. Ideo autem dixit solum, siue omnino, quòd Plinius uidetur accipere pro omnino de hirundine, dicens: Ea demum sola auium, non nisi uolatu depascitur. Quidam uolunt ab is & demum componi idem. Ouid. pro demum, posuit denique, lib. tertio sine titulo. *Lib. 1. cap. 4.* *Declam. 10.*

Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est.

### *In Macrobium de Stella & Sidus.* Cap. XXII.

STella & sidus differunt, si Macrobio credimus, ita scribenti: Nunc uideamus, quae sunt duo haec nomina, quorum pariter meminit, quum dicit: Quae sidera & stellas uocatis. Neque enim hic res una gemina appellatione monstratur, ut ensis, gladius: sed sunt stellae quidem singulares, ut erraticae quinque, & caeterae quae non admixtae alijs, solae feruntur. Sidera uero quae in aliquod signum stellarum plurium compositae feruntur, ut Aries, Taurus, Andromeda, Perseus, uel Corona, & quaecunque uariarum genera formarum in coelum recepta creduntur. Sic & apud Graecos aster, & astron diuersa significant. Et aster stella una, astron signum stellis coactum, nos sidus uocamus. Haec differentia (Macrobij pace) nusquam reperitur, ut apud eundem Ciceronem de Vniuersitate: Itaque nesciunt hos siderum errores. Et iterum: Toto igitur orbe constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, & singulos adiunxit ad singula. Et libro 2. de Natura deorum: Nam quum duo sint genera siderum, quorum alterum spatijs immutabilibus ab Ortu ad Occasum commeans, nullum cursus sui uestigium inflectit. Alterum autem continuans

conuersiones duas eisdem spatijs cursibusq́; cōficiat. Quintilianus in Mathematico: Quid hęc fulgentium siderum ueneranda facies? quòd quædam uelut infixa ac cohærentia perpetua, semelq́; sede capta sede collucent, alia toto sparsa cœlo uagos cursus certis emetiūtur erroribus. Quod non sensisse Ciceronē (ut Macrobius uult) documēto est, quòd non proposuit stellas: Debet enim species generi, pars toti præponi: ut, dicam de prudētia, & de uirtute huius: dicam de facie Helenæ, & eiusdem pulchritudine, non autem ediuerso. Fateor tamen nūquàm stellam Arietē dici, Taurū, Andromedam, Perseū, sed sidus. Et hinc est quòd dicimus hybernū sidus. Et illud Quintiliani: Nos graue huius anni sidus afflauit.

### *In Aulum Gellium de Resciscο.* Cap. XXIII.

RESciscere Aulus Gellius uult esse rem occultā, inopinatam, insperatamq́; cognoscere. Miror de hoc solertissimo uerborū inuestigatore atq; censore, qui uocabulum hoc de facili difficile, de claro obscurū, de trito nouum, de exposito abstrusum fecerit, ne dicam falsò exposuerit. Nunquid si uideā hominem cœlo uolātem, ut fecisse Dædalus, Perseusq́; fertur: aut aliquem è terra prodire, qualis Tages fuisse ab Hetruscis creditur: aut Satyrū aliquem semiuirū, semicaprumq́;, quem se uidisse nonnulli scripsere: aut arcana quædam naturæ peruestigauero, dicā resciuisse? non opinor. Est igitur propriè resciscere, rem postquàm gesta est, scire quam nesciebas, quum gereretur, pręsertim ad te, tuos'ue pertinentem, ut Terent. in Adelphis: Hem tibi, resciuit omnē rem, id nūc clamat scilicet.

### *In eundem de Deprecor.* Cap. XXIIII.

DEprecor suppliciū, idem Aulus Gellius ait dictum esse, quasi detestor, uel execror, uel depello, uel abominor. Ego autem ita dici puto deprecor, ut & imprecor. Precor tibi bonū, precor tibi malum: sic, deprecor liberationem, & deprecor pœnā: illam, ut potiar: hanc, ut uitem. Ouidius libro primo de Ponto:

Sępe precor mortem, mortem quoq; deprecor idem,
Nec mea Sarmaticum contegat ossa solum.

Deprecor dixit, quasi precor mortem non dari mihi in hac terra. Nec mirum id fieri in deprecor, quū fiat in magis usitatis, ut in defendo. Siquidem dicimus defende me, quod ferè dicitur, & nonnunquam defendo ictus, ut Cicero de Senectute: Vestitaq́; pampinis, nec modico tepore calet, & nimios solis defendit ardores. Cum præsertim mos Romanis sit etiam mala precandi, ne ueniant. Vnde templa Timori, Pallori, Febri, alijsq́; similibus fuere dedicata, & ijs (ut ita dicā) numinibus fiebant sacra, quod etiam Vergilius probat:

Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Neq; solum deprecari est uoce, sed etiam per ea quæ instar uocis obtinere solent uultum gestumq́;. Etenim Bucephalum, qui præter unum Alexādrum omnem alium recusabat sessorem, non inepte dixeris deprecari alios sessores præter regem. Denique deprecor magis significat uel dicto, uel facto recuso, quā illa quæ Aulus Gellius attigit.

### *In Priscianum de Situs.* Cap. XXV.

Aeneid. 7. SItus (Priscianus inquit) dicitur pro negligentia, ut Vergilius:

Sed uicta situ, uerisq; effœta senectus.

Sed non ita est, potiusq́; sordes illa, & illuuies, qualis nascitur inter opaca domus, quæ diu non repurgatur: unde inquit M. Fabius: Excitanda mens, & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis aut languescit, & quendam uelut in opaco situm ducit, aut contrà tumescit inani persuasione. Huiusmodi igitur quidam situs sedet in uultu, capite, totoq́; corpore uetularū, & habitu, præsertim inopū, qualem illum Vergil. intelligit, & Lucanus de malefica anu ait: Fœda situ macies. Quod etiam pędorem possumus appellare, ut idem Lucanus: Longusq́; in carcere pædor.

Et Cicero

Et Cicero in Tusculanis: Pædores muliebres. Et iterum: Barba pędore horrida. Miror Priscianũ hoc in loco à definitione Seruij desciuisse, qui hoc uocabulum propriè definiuit, inquiens: Situs propriè est lanugo quædã ex humore procreata. Fit autem in locis carentibus sole. Situs uero pro loci qualitate manifestũ est, ut de situ Messanæ, & de situ Syracusarum, & similium.

*In eundem de Docilis, & Docibilis.* Cap. XXVI.

DOcilis, idem inquit, est, qui facile docetur. Docibilis est, qui facilè discit, quomodo penetralis est, qui in intimis est partibus: Penetrabilis, qui facilè penetratur. Non occurrit, ubinam legerim docibilis. Est enim consuetum magis perceptibilis, nisi magis apud Ecclesiasticos, atq; in alium sensum: Et erũt docibiles dei, dictum est quasi dociles. Nam Cyprianus super illud Pauli, Episcopum non litigiosum, non cõtentiosum, sed mitem, & docibilem esse debere, ait: Docibilis autem ille est, qui est ad discendam patientiam lenis, & mitis. Hoc (ut ego sentio) idẽ est, quod docilis. Ratio tamen postulat, ut id significet, quod ait Priscianus, eò quidem magis, quòd habemus in eodem sensu docilis, ut superuacuum fuerit duas uoces adeò confines uni significationi dare, nisi dicimus simile hoc esse illis æquale, & æquabile, de quibus dixi alio uolumine. Insuper sensibile, & sensile. Lucretius: Ex insensibili ne credas sensile nasci.
Hæc duo pro eodem accepit, Exitiale & exitiabile. Vergilius in sexto:
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ,
His mersere malis. Ouidius sexto Metaorphoseos:
Dumq; manu tentat tradere exitiabile ferrum.
Rationale, & rationabile. Quintilianus in secũdo: Sed quia caret sermone, quæ id faciant, muta, atq; irrationabilia uocantur. Porrò penetralis (quantũ mea fert opinio) non reperitur, sed penetrale, substantiuumq; est, non adiectiuum. Penetrabilis adiectiuum, qui facilè penetrat, ut apud Vergilium, penetrabile telum, & penetrabile frigus. Tum qui facilè penetratur, ut apud Liuium libro 46. Et in asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat. Seruius quod penetrat, inquit, penetrale dicitur: quod autem penetratur, penetrabile. In quorum priore dissentio, cum non sit neque adiectiuum (ut ipse uult, exponens penetrabile frigus pro penetrabile frigus) neq; significationis actiuæ. Deniq; (ut ad docilis reuertar) docilimus mea sententia faciet potius, quàm docilissimus, qualia sunt facilis, gracilis, agilis, similis, humilis.

*In eundem de Numen, & Nutus.* Cap. XXVII.

NVmen, idem inquit, est dei nutus. Ante hunc Varro dixerat, numen dicũt esse imperium dictum à nutu. Vter horum commodius definiuit? Certè numen est imperium, potestasq; dei: non autem nutus neque imperium cuiuslibet. Sed Varronem de imperio dei suspicor intellexisse.

*In eundem de Necatus, & Nectus.* Cap. XXVIII.

NEcatus, idem inquit, propriè ferro. Nectus uerò, alia ui perẽptus dicitur. Sed ego sentio generalem significationẽ necatus, specialem uero nectus esse. Cicero in Rhetoricis & libris ad Herennium, & alibi sæpe ait: Veneno necatus. Quintilianus in quarto: Hinc adulter loris cæsus est, fame necatus. Nec unquàm nectus dicitur sine certo genere mortis: ut, enectus siti Tantalus: nec tam mortuus, quàm propemodum mortuus, sicut exanimatus pro eo qui similis est mortuo, ut famè, siti enecti, quæ plurima sunt exempla.

*De Næ, & Ne.* Cap. XXIX.

NAe pro ualde idem dixit, nec tamen solus. Terẽtius in Andria: Næ illa illum haud nouit. Mihi uidetur idem apud nos significare, quod apud Græcos, scribiq; cum diphthongo debere ναὶ, quod est certe, ut apud eundem: Faciũt

næ intelligendo, ut nihil intelligāt. Quasi, dicat faciunt profectò. Hæc apud Ciceronem dictio frequēs est, ut de Oratore libro tertio: Næ ille haud sane quemadmodum uerba struat & illuminet, à magistris istis requiret. Apud Quintilianum, cęterosq́ꝫ illius æui rarissima. Ne componitur cum queo, cum scio, cum uolo. Frequentius tamen sine cōpositione, apposita negatione reperimus illud primum, quàm duo sequentia. Adeò ut barbarum putet Cicero dicere, non scio, & non uolo, licet nonnunquàm apud ipsum quoque reperiatur. Ideo frequentissime legimus, haud scio, haud uelim. Idem Priscianus ait, à potius fieri potissime, quòd ego nunquàm legi, sed potissimum.

*In Donatum de Valeo.* Cap. XXX.

VAleant qui inter nos dissidiū uolunt. Donatus, Seruius, & quidam alij sic exponunt: Pereant qui hoc nobis uolunt. Quæ uox & oratio aliena fuerat ab ingenio Pamphili, pio & probo. Cicero: Si deus talis est, ut nulla gratia, nulla hominū charitate teneatur, ualeat. Quid enim propitius est numine? Nunquid eò religionis, atque eò impudentię Cicero uenerat, ut deo exitium precaretur? Absit. Lactātij quoq; testimonio, qui de his ipsis Ciceronis uerbis ait: Quid enim contemptius potuit dici in deum? Valeat, inquit, id est, abeat & recedat, quando prodesse nulli potest. Vides, ut Lactantius quum uult Ciceronem contumeliosum fuisse in deum, nō tamen exposuerit ualeat, pro pereat, sed abeat & recedat. Quāquàm (ut mihi uidetur) non significatur per ualeat, quòd abeat ille à nobis, sed quòd nos ab illo uale dicentes. Enimuero uale, salutatio est recedentis, ut salue & aue uenitētis. Quum ergo est uerbum salutantis, potest accipi pro mala precatione atque salutatione. Est autem salutare & aduenientis, & abeuntis. Vergilius in nono:

Hanc ego nunc ignaram huius quodcunq; pericli est,
Inq; salutatam linquo.

Ideoq; nonnūquàm reperimus salue etiam in discessu, ut in calce epistolarum Ciceronis ad Tyronem: Vale mi Tyro, uale, uale & salue. Et iterum: Etiam atque etiam noster Tyro uale: Medico Curio Lisoni descripsi diligentissime. Salue, uale. Vergilius in 11.

Salue æternum mihi maxime Palla, Aeternumq́ꝫ uale.

Nec mirum si in fine loquendi reperiamus salue, quū etiam ille qui aditur, & salutatur, dicat salue, quemadmodum qui abit, & qui alterum à se dimittit, dicit uale. Quod etiam Græci faciunt, ut Homerus primo Iliados:

*Χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.*

Neq; est apud Latinos aliud uerbum, quo adeunti nos respondeamus, quàm salue: nisi more iam uulgari magis, quàm probato dicamus, bene ueneritis. Idē, uerbum apud eundem, pro uale. 23. Iliad.

*Χαῖρέ μοι ὦ Πάτροκλε καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν.*

Cicero ad Atticum indicatiuo huius uerbi usus est, dicens: Et saluebis à meo Cicerone. Plautus in Truculento in prima positione utitur: Salue. satis est mihi tuę salutis, nihil moror, non salueo. Martialis etiam dixit, ualebis:

Quum pinguis mihi turtur erit, lactuca ualebis,
Et cocleas tibi habe, perdere nolo famem.

Cęterum (ut ad institutum redeam) qui, ualeant, pro execratione acceperunt, forsitan hoc argumento inducti sunt, quòd nonnunquàm hoc uerbum languorem significat, ut idem de Oratore: Sicut medico diligenti prius quàm conetur ægro adhibere medicinam, non solum morbi eius, cui mederi uolet, sed etiam consuetudo ualentis, & natura corporis cognoscenda est. Vnde ualetudo pro languore frequentissime accipitur: & testes ualetudinarij nominantur. Idem ad Terentiam & ad Tyronem: Valetudinem tuam cura diligenter: hoc est, languorem

guorem & infirmitatem. Alibi pro sanitate: Sed nunc ualetudini tribuamus aliquid. Frequenter tamen apponimus adiectiuum, uel faustum uel infaustum, ad distinguendum statum corporis: siquidem indifferenter significat more sui primitiui. Dicimus enim, ut uales? quomodo ualuisti? qualiter ualet filius? Sic, qua ualetudine es? qua ualetudine est filius? Respondebis, infirma, aduersa, mala ualetudine: uel contrà, bona, incolumi, optima.

*In Varronem de Vas, & Obses.* Cap. XXXI.

VAs, inquit Varro, appellatus est, qui pro altero uadimoniũ promittebat. Consuetudo erat, quum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret. Videtur Varro significare uadem eum esse, quem fideiussorem uocamus, & uadimoniũ fideiussionem. Nos hoc negare ita esse quî possumus? cum Varro omnium consensu sit Romanorum eruditissimus, & linguæ Latinæ peritissimus? qui Latinas literas fecit & Latiniores & literatiores. Quanquàm multi sunt, qui eum quibusdam in locis reprehendant: quæ facultas præcipuè discipulis Quintiliani adesset, longe Varrone doctioris, atque eloquentioris. Verum ego non ausim reprehendere, sed tantum affirmare, me non legisse (duntaxat quantum aut recordor, aut intelligo) uadem eum esse, qui uadimonium pro altero dat (si uadimonium significat fideiussionem) sed eum, qui sponsor est alterius in capitis periculo, siue idem supplicium subiturus, siue pecuniã soluturus, ut apud Quintilianum in Declamatione, quæ inscribitur, Amici uades. Et apud Ciceronem libro quinto Tusculanarum Quæstionum de Pythagoreis amicis, quorum alteri quum tyrãnus diem mortis dixisset, alter pro amico ad uisendam matrem ituro uas factus est. Et apud Titum Liuium de Cæsone capitis reo, ita dicentem: In uincula conijci uetant. Sisti reum pecuniamq; (nisi sistatur) populo promitti placere pronunciant, summam pecuniæ quantam æquum esset promitti, ueniebat in dubium. Id ad senatum reijcitur. Reus (dum consulerentur patres) retentus in publico, uades dare placuit, qui unum uadem trium millium æris obligarunt: quot darentur permissum est tribunis: decem finierũt. Tot uadibus accusator uadatus est reum. Hic primus uades publicos dedit. Quod Festus quoq; sentit, dicẽs: Vas sponsorem significat in re capitali. Vadimonium (quãtum ego sentio) est sponsio ad certum diem sistẽdi se in iudicio, id est, comparendi per se, uel per aduocatos, ut in oratione Ciceronis pro Quintio datur intelligi, ubi longa est altercatio de uadimonijs: altera parte dicente fuisse sibi uadimonia deserta, altera uerò nequaquã à se illa fuisse facta. Et Quintilianus de Legato frumentario, qui ad præstitutum diem uenerat, inquit: Nisi tamen ad uadimonium legate uenisses, non multorum dierum commeatum habeamus. Et hoc ipsum forsasse Varro sensit. Obses autem est, qui traditur imperio alterius, ea conditione, ut si dator obsidis à fide recedat, recipienti sit ius in corpus & uitã obsidis. Quod præcipuè inter potentes commercium est, qui non habent superiores, ad quos pro iustitia prouocent.

*Lib. 3. ab urbe condita.*

*In eundem de Decurio.* Cap. XXXII.

DEcuriones, inquit idem, primi singularum decuriarũ dicti, quod probat Tempanius ille apud Titum Liuiũ, quod et ipse approbat Festus. Idemq; ait: Decuriones appellantur, qui denis equitibus præsunt. Est ergo dictus decurio à decem, & centurio à centum. Nam (ut ait Pędianus) decuriæ sunt nobiliorum, centuriæ inferiorum. Quidam uolunt (quorum est Fronto) decurionẽ preesse turmæ, quæ constat ex duobus & triginta equitibus: neque belli solum, sed domi quoque decurio dicitur, nomen quoddam præpositurę significans, ut Suetonius in Domitiani uita: Saturius decurio cubiculariorum, & hoc quidẽ apud Romanos. In municipijs autem (ut mihi quidem uidetur) idem est decurio, qui

Romæ senator. Nam qui in Senatu, & cōsilijs Reipublicæ municipalis interesse poterant, Decuriones erant. Cicero pro Sextio: Qua de causa & tum conuentus ille Capuæ huic. P. Sextio apud me maximas gratias egit, & hoc tempore beneficium, fidemq́ hominis testimonio declarant, periculum deprecātur suo decreto. Recita quęso P. Sexti, quid decreuerunt Capuæ decuriones. Quòd autē differant decurio Romanus, & decurio municipalis, ex epistola quadam Plinij Iunioris è primo libro declaratur, dicentis: Esse autem tibi centum millia nūmûm cēsum satis indicat, quòd apud nos decurio es. Igitur ut te nō decurione solum, uerumetiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equitis Romani facultates, trecenta millia nummûm. Non dicitur itaq; decurio, aut quòd decem præsit militibus (ut quidam uolunt) quem Greci δέκαρχον uocant, quum decurio sit maior equite, eques centurione, centurio decarcho, ut ex stipendiorum magnitudine dat̃ in multis libris intelligi: aut in municipijs, qui decē equitibus pręest, quū sit equite duntaxat Romano minor. An quia decem præsit equitibus municipalibus? aut hoc erit dicendum, aut Pomponij Iurisconsulti opinio sequenda, dicentis: Decuriones quidam dictos aiunt eò, quòd in initio quū coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit. Quare eum, quem nunc militem appellamus, aut falsa dignatione afficimus (nam etsi omnes, qui militant, milites sunt: miles tamen propriè, qui pedibus militat dicitur, eques qui equo) aut si uere, decurionem potius appellamus. Quidam horum temporum docti, equitem uocāt, sed rectius decurionem uocarēt. Nam eques est aut qui Romæ ex ordine equestri est (quod non facit ad gloriam militarem) aut qui equo militat: cuius nulla dignatio est, quanquàm Iurisperiti multa ineptissimè fabulantur de dignatione militum, quæ quidem uel nulla, uel cōmunis est omnium siue pedestrium, siue equestriū, qui militiam exercent. Nam de auro gestando, uel huiusmodi nugis, nullum uerbum est in iure ciuili. Sed hæc omittamus, quæ nō sunt huiusmodi scriptionis, dum illud admonuerimus, Romanū decurionem, qui præest decem Romanis equitibus, longè præstare cæteris decurionibus, quibus etiā ipse eques Romanus præstat.

*In Festum Pompeium, de Exemplum, & Exemplar.* Cap. XXXIII.

EXemplum (inquit Festus) est quod sequamur, aut uitemus. Exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo æstimatur, istud oculis conspicitur. Mihi autem (licet Festus scientissimè de exponendis uocabulis loquatur) aperiēda tamen est magis horum nominum differentia. Nam & exemplum est, ex quo simile facimus, ut opera Homeri exemplum sunt poëmata scribere uolentibus. Quintilianus libro decimo: Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici uocem docentium: pictores opera priorum: rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Et exēplar animo quoque æstimatur. Cicero libro 3. de Oratore: Illa oratio fuit mihi exemplar bene dicendi. Quintilianus in 10. Cornelius autem Seuerus etiam si uersificator quàm poëta melior, si tamen (ut est dictum) ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, uendicaret sibi secundum locum. Horatius in Satyra inquit:

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Idem Cicero pro Muræna: Domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi, sed tamen naturæ similitudine illud à te magis, qui ab illo ortus es, quàm ad unumquenq; nostrū pertinere potuit. Ad imitādum uerò tam mihi propositum exemplar illud est, quàm tibi. Itaq; unum pro eodem penè exemplum, & exemplar posuit, & quidem eodem loco. Cæterum exemplum est ipsa res, quam imitamur, aut (si ita fors tulerit) deuitamus in aliquo, ut in Catone: Cato autem ipse exemplar. Illud contentum,

Cap. de Instit.

tum, hoc continens. Quòd si dicamus ad exemplar Catonis, aut ad exēplar Epicharmi, sic intelligimus, ad exemplar Catonis, quod est Cato: ad exemplar Epicharmi, quod est Epicharmus, siue opus Epicharmi, ut opus hominis, pro ipso homine. Animam, corpusq́; filij destruis, quasi aliud illa sint à filio. Exemplum pro exemplari. Est enim contentum, pro continente, ut apud eundem: Fuit ille uir exemplum continentiæ: quomodo dicimus, ille uir fuit norma uiuēdi, quū tamen non sit norma uiuendi uir, sed in uiro: ita nec ille exemplum continentiæ, sed in illo. Ideoq́; exemplaria multa sunt, unius tamen exempli: ut, redditæ sunt mihi binæ literę tuæ eodem exemplo, id est, eiusdem formæ: & duo uel tria exemplaria Aeneidos, hoc est, multi codices eodem exemplo: & exemplar ab exemplari sumitur, non ab exemplo. Nam exemplum incorporale est, exēplar plerunq́; corporale. Hinc Sallustius. Literas, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat, earū exemplum infrà scriptū est, hoc est, earum forma infrà scripta est, melius, quàm earū exemplar. Quòd forma sit exemplum, Paulus Iuriscōsultus testatur: Si legatum certum petatur, non iubet prætor uerba testamenti edere, ideo fortasse, quia hæredes solent habere exemplum testamenti, id est, formam. Cicero ad Appium: Ex his literis, quarū ad me exemplum misisti. Et ad Ciceronem tum Plancus: Exemplar eius chirographi Titio misi: Tum Asinius Pollio: Ex literis cognosces, nam earum tibi exemplar misi. Hi de pagina scripta, quod corporale est, intelligunt: ille de sententia, quæ in pagina continetur, uel potius ex pagina percipitur. Quòd si indistinctè his duobus libet uti, non sanè repugnabo: quum præsertim Ouidius dicat exempla plura unius rei, pro exemplaribus. Nam unius rei unum, atque idem exemplum est propriè (ut dixi) in diuersis licet exemplaribus. Loquens enim de opere suo Metamorphoseos, libro primo de Tristibus ait:

Pluribus exemplis scripta fuisse reor.

Reperitur etiam exemplarium, pro exemplari: Plinius libro 6. Iuba hæc omisit in hoc tractatu, nisi exemplarium uitiosum est. Non de eo autem exemplo dixi, quod adhibetur rei aut probandæ, aut ornandæ causa, quæ significatio nota est omnibus. Vnde pars probationis uocatur ab exemplis, & in elocutione exemplum inter ornamenta numeratur.

## In Boëthium de Persona. Cap. XXXIIII.

PErsona est (inquit Boëthius) incommutabilis naturæ, indiuidua substantia: existimans se argumentatione collegisse, quare non sit qualitas, nec aliud prædicamētum ullum, sed substantia. Sed huic homini Romano ostendam, Romanè loqui nescire. Persona nanq́; nō est in Deo magis, quàm in bruto, sicut humanitas, sicut alia plura. Sed demus, ut in deo etiam sit persona: quæro, quamobrem ea non sit qualitas, siue de homine loquimur, siue de deo? Nam in homine quidem persona significat qualitatē, qua alius ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in extrà positis, quæ à rethoricis enumerantur in attributis personæ. Animi, ut quo studio se exerceat, medicinæ, an iuris ciuilis, an militiæ. Et qua mente: iracūdus, an moderatus: auarus, an liberalis. Corporis: iuuenis, an senex: pulcher, an deformis: fortis, an imbecillis: mas, an fœmina. Extrà positorū: diues, an pauper: clarus, an obscurus: maritus, an cœlebs: parens liberorū, an orbus: & similia. Ideoq́; figuræ, & sigilla quædā, quæ rostris aut alia corporis parte aquam fontanam emittunt, quia repræsentant uarios hominum uultus, & gestus, personæ dicuntur. Et histriones in scena personas accipiunt, aut quum seruum agunt, aut ancillam, aut matronā, aut meretricem, aut senem, aut adolescentem, aut patrem, aut matrem, aut filiū, aut militem, aut lenonem, aut parasitū, & mille huiusmodi, quæ non sunt singula in singulis, sed plurima: ueluti in me est

persona humani, liberalis, timidi, iracundi, hebetis, somniculosi, literati, sensilis, mariti, soceri, generi, patris, filij, fratris, pulchri, fortis, diuitis, nobilis, & interdũ cõtraria. Nam ad fortissimũ, pulcherrimũ, ditissimũ, nõ sum fortis, nec pulcher, nec diues, sed imbecillis, deformis, pauper. Alia itaq; ad hunc persona sum, quàm ad eũ cui in his omnibus antecello. Et ad Priamũ sum persona filij, ad Astyanacta persona patris, ad Andromachã persona uiri, ad Paridem persona fratris, ad Sarpedonem persona amici, ad Achillẽ persona inimici. Quo fit, ut adsit mihi multiplex persona, ac diuersa, sed una tantũ substãtia. In deo autem personam ponimus, uel quod nullum aliud uocabulũ quadrat, non natura, quo ueteres utebantur, non substantia, quo Græci utũtur, uel quòd uere in deo triplex est qualitas. Atqui hic mihi os coprimet Boëthius, neq; uocẽ prodire permittet, dicens, qualitatẽ eam esse, quæ possit etiam abesse præter subiecti corruptionem. Hanc ego definitionẽ (ut Græculam & ineptã) derideo. Dico lucẽ, uibrationẽ, calorẽ in sole esse qualitates, & hoc dico Latinè omnibus, qui unquã Latinè locuti sunt consentientibus: quanquã de hac re suo loco in nostro opere de dialectice disseruimus. Tales qualitates statuo in deo, & has dico esse persona, quæ ab eo abesse nõ possunt, & qualitatẽ significare, non substantiã (ut Boëthius uoluit) qui nos barbare loqui docuit. Hinc enim forsitan adductũ uulgus, ut sic loquat, tres personæ me expectant, uideo duas personas, hic est bona persona: qui sermo antea fuit inauditus, & hodie nemo nisi imperitus omnino sic loquitur. Quanq; Boëthius ipse uiderit, quomodo persona est substãtia. Sunt aũt in deo tres personæ, nõ tres substãtias illi adesse intelligamus: præsertim quòd neq; ulla uox merã substãtiã significat, neq; ulla res est mera substãtia, ut in eodẽ nostro opere ostẽdimus.

*In Iustinianum de Noxæ dedere.* Cap. XXXV.

NOxæ dedere, Iustiniani pace, siue Trebelliani & sociorũ (nam Iustinianus nec iura, nec forsitan Latinas literas nouit) est pœnæ dare, siue tradere ob noxam, qua significatur culpa. Ille autem ait: Noxa est corpus quod punitur: & in eodem loco: Corpus deditur noxæ. Si noxa corpus est, quomodo corpus deditur noxæ? Nunquid corpus deditur corpori, aut corpus sibi? Quãquàm quid hæc oratio ad significandũ pœnam faceret? Est autem hæc pœna seruorũ, quos domini malunt ad pœnam tradere, quàm præstare maleficium, quod illi admiserunt. Paulus ita definit: Noxales appellantur actiones, quæ nõ ex cõtractu, sed ex noxa atq; maleficio seruorum aduersus nos instituũtur: quarum actionũ ius, & potestas hæc est, ut si damnati fuerimus, liceat nobis deditione corporis, quod deliquerit, euitare litis æstimationem. Vlpianus quoq; addit, ut corpus tradatur uiuum igni. Quintil. in Gladiatore: Alebat deuotũ corpus grauior omni fame, sagina, & inter dedita noxæ mãcipia contẽptissimus Tyro Gladiator, ut nouissime proderem calamitatis meæ innocentiam, discebam quotidie scelus. Nam noxa etiam damnum significat, ut apud Ouidium libro 15. Metamorphoseos:

Nocte nocent potæ, sine noxa luce bibuntur.

Et Suetonium de Cæsaris uita: Spurinnamq; irridens, & ut falsum arguens, quòd sine ulla sua noxa Idus Martiæ adessent. De brutis autẽ improprie dicitur, ea dedi noxæ, ut de capra apud eundem Ouidium libro primo Fastorum:

Verba fides sequitur, noxæ tibi deditus hostis
Spargitur effuso cornua Bacche mero.

Seruius super illud Vergilij:

Aeneid. 1. Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei:

Ait noxam pro noxia, id est, culpa: quasi per se noxa non significet culpã, quam familiaris eius (ut opinor) Macrobius leuem culpã accipi uult. Atq; (ut sibi crederemus) noxã non culpam esse, sed pœnã, ait culpã noxiam dici, quasi noxiam sæpius, quàm noxã in significatione reperiamus, quã dictionẽ nusquã reperimus.

Quòd

Quòd dixi Iustinianum forsitan nec iura, nec literas Latinas sciisse, nemo mire-tur: tum quia semper in Græcia uixit, tum quia se dominum Iustinianum (ut ex numismate eius apparet) dici uoluit, ut quidam alij Cæsares fecerunt. quod à usu Romano est alienissimum, & character ipse literarum, figurarumq; illorum temporum numismatis Gotthicum magis redolet, quàm Latinum.

*In eundem de Testamentum.* Cap. XXXVI.

TEstamentum, idem inquit, ex eo appellatur, quòd testatio mentis est. Quæ definitio quorundam Iurisconsultorum fuit, quos si iuste A. Gellius coarguit, quantò ego iustius hunc arguere possum, qui explosam, atq; derisam etymologiam inculcat? Nam cur à mente potius dicatur, quàm à mento, uel à menta? quia nihil ad hanc significationem mentum, mentáue facit inquies. Quid ergo mens ad armentum, ad salsamentum, ad ornamentum, ad condimentum, ad armamentũ, ad pauimentum, & cæmentum, ad calciamentũ, ad uestimentũ, & huiusmodi infinita? Nec minus inepta uidetur mihi hęc etymologia, quàm illa apud Donatum, apud Seruiũ, apud Isidorum: Oratio dicta est quasi oris ratio. Quid oratio est? quid deuoratio? quid trituratio? quid operatio? quid mille huiusmodi? nunquid in his ratio est? an talia sunt, qualia cætera à supinis profecta, satio, potatio, messio, lectio? Quid non etiam à supino ratio uenit, reor ratum ratio, sicut ab oratum oratio? Eò magis quòd secundam syllabam bis accipi uult, quasi dicatur oriratio, & non oratio. Non est ergo uera etymologia hæc. Neq; à mente, neq; à mento, neq; à menta, sed potius hęc nomina assumunt tum syllabam, cum exirent antea in men, ut uestimen, calciamen, munimen, lenimen, nutrimen, spiramen, medicamen, uelamen, quibus adiecta tum, fit munimentum, lenimentum, nutrimentũ, spiramentum, medicamentũ, uestimentum, uelamentum, calciamentum: ita testamen addita syllaba tum, fit testamentum: quod si à mente descenderet testamentum, testamentia diceremus, quemadmodũ dementia, & amentia. Nihil habet magis ridiculũ hęc, de qua loquimur scientia, quàm etymologiam, in qua ipse quoq; Varro & lusit, & lusus est.

*In Donatum de Syncerum.* Cap. XXXVII.

SYncerum (Donatus inquit) quasi sine cera, mel simplex & purum, & sine fuco: imò cum cera potius. Syncerum à σὺν componitur non à sine, quæ nunquam compositionem admittit, quod ipsa etiam scriptio declarat, quę y, habet, non, i. Est enim ex duobus Grecis compositum, ex σὺν & cera, quę ab illis dicitur κηρὸς, uel à σύγκηρος conuertimus. Quo magis uenusta, atque apta huius autoris etymologia est, indicatur etymologiam plerunque fallacem esse: quia significatio hæc non ita absoluta, & uera est. Quid uenustius atque aptius dici potest, quàm fidem ideo uocatam, quia fiat quod dicitur? Quam etymologiam fallacem esse declarat, quòd hoc nomen, chordam instrumenti musici significat. Et tamen licet dicere syncerum, quasi cum cera mel, quod integrum est, & solidum, & nulla sui parte fraudatum: ut si diuidere fructum communium aluearionum cum socio uelim, partemq; tantum mellis assignem, nimirum non ago syncere, quòd sine cera mella dedi.

*In iurisconsultos de Mulier.* Cap. XXXVIII.

MVlieris appellatione (Caius inquit) etiam uirgo uiripotens continetur: Vlpianus autem quodam loco ita ait: Quòd si ego me uirginem emere putarẽ, quũ esset mulier, emptio nõ ualebit. Hic mulierẽ appellat, quę uirgo nõ est. Ille etiã quę uirgo est. Et Vlpiani quidẽ locutio recta est, Ciceronis testimonio, qui obiurgãtibus, quòd sexagenarius Popiliam uirginẽ duxisset, Cras mulier erit, inquit. Sed Caij quoq; definitio locũ habet aliquando, ut si quis uidens decẽ fœminas, quarũ aliqua uirgo sit, ætate tamen qua mulier esse possit, dicat,

uidi decem mulieres. Quo modo etiam in Euangelio dicitur: Quid mihi, & tibi est mulier? Sed ex Græco sumptū est γυνὴ, uel θῆλυς, quo significatur uel fœmina, uel mulier. Idem quoq; Vlpianus inquit: Mulierem ita arctam, ut mulier fieri nō possit, sanam non uideri constat. Eandem dixit & mulierem, & non mulierem, primum pro ea, quæ est fœmina, secundum pro corrupta.

*In eosdem de Munus, & Donum.* Cap. XXXIX.

MVnus (Paulus inquit) tribus modis dicitur. Vno donum & inde munera dici dari, mitti'ue. Altero onus, quod quum remittitur, uacationem militiæ, munerisq; præstat: inde immunitatem appellari. Tertio dicitur officium, unde munera militaria, & quosdam milites munificos uocari. Igitur municipes dici, quòd munera ciuilia capiant. Idē alibi: Municipes intelligendi sunt & ij, qui in eodem municipio nati sunt. Vlpianus: Municipes quidem proprie appellantur muneris participes, recepti in ciuitatē ut munera nobiscū facerent. Sed nunc abusiue municipes dicimus suę cuiusq; ciuitatis ciues, utputa Cāpanos, Puteolanos. Pomponius ita ait: Munus publicū, & officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos, uniuersosq; ciues, remq; eorum imperio magistratus extra ordinem peruenit. Marcus autem sic: Munus propriè est, quod necessariò subimus lege, more, imperio'ue eius, qui iubendi habet potestatē. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate aut iuris officio, sed sponte præstantur, quę si non præstentur, nulla reprehensio est, & si præstentur, plerunque laus est. Sed in hoc uentum est, ut non quodcunque munus, idemq; donum accipiatur. At quod donum fuerit, id rectè munus accipiatur. Quomodo hi iurisconsulti inter se conueniant, & an aliquid desit alicui horum, Accursius cum Bartholo, Baldoq; consultat, dumq; mihi (ut more ipsorum loquamur) ambo, tres'ue respondeant, affirmentq;, quod Marcus ait, donum esse speciem, munus uerò genus. Idemq; contrarium esse uerbis Vlpiani dicentis: Inter donum, & munus hoc interest, quod inter genus, & speciem. Nam genus esse donū, ideo Labeo ait, à donando dictum: munus esse speciem, nam munus esse donum, cum causa, utputa natalium, nuptiarum. Hîc meam non interpono sententiam, ne illos triumuiros doceam cōtra me respondere. Quòd si me utique sequi uoluerint, respondeant neutrum uerum dicere. Nam neq; genus, neq; species in hæc duo nomina cadit, & nullum mihi uidetur donum sine causa esse.

*In eosdem de Peculium.* Cap. XL.

PEculium est, Pomponius inquit, non id, cuius seruus seorsum à domino rationem habuit, sed quod dominus ipse separauit, suam à serui ratione discernens. Peculium, Celso referente, Labeo sic definit: Est quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid domino debetur alio loco: Paterfamilias peculium habere non potest, quemadmodum nec seruus bona. Ex his uerbis apparet, nec dominum habere peculium posse, & solum seruū habere. Idem Pomponius, & Celsus alibi aiūt: Vnde colligi possit, etiam non seruum, ac dominum habere peculium. Pomponius, enim ita scribit: Castrense peculium est, quod à parentibus, & cognatis in militia degenti donatum est, uel quod ipse filius in militia acquisiuit, quòd nisi militaret, acquisiturus non fuisset: nam quod erat sine militia acquisiturus, id peculium eius Castrense nō est. Celsus autem sic: Et audisse rusticos senes ita dicentes: Pecuniam sine peculio fragilem esse. Peculium appellantes, quod præsidij causa reponeretur. A quo non dissentit Vlpianus dicens: Peculium dictum est quasi pusilla pecunia, siue patrimonium pusillum. Quid ergo inter has definitiones sequemur multiplices, & inter se propemodum contrarias? quum præsertim Festus ita scribat: Peculium seruorum est, à pecore dictum, sicut pecunia nobilium. Et

Seruius

Seruius Grammaticus. Peculium patrimonium (ita enim maiores dicebant) à pecoribus, in quibus constabat uniuersa eorum substantia. Unde etiam pecunia dicta est à peculio, quod proprie tantum est seruorũ, & peculium dicimus (licet abusiue) pro patrimonio. Ipse uerò tanquam arbiter honorarius hanc rem diiudicabo, & quidem breuiter. Peculium est quicquid labore nostro partum est, in quacunque persona, licet in seruis iura uelint dominorum accedere consensum. Et ita sensisse Vergilium sentio in ea parte, quam exponit Seruius: Ecl. 1.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi. Et Horatium:
Rem poteris seruare tuam: redit uncia, quid fit?
Semis, ad hæc animos ærugo, & cura peculi.

Et Ciceronem in Paradoxis: An eorum seruitus dubia est, qui cupiditate peculij nullam conditionem recusant durissimę seruitutis? Et illos quoque rusticos senes, de quibus Celsus meminit, pecuniã sine peculio fragilem esse, id est, sine lucro industria parto. Nam cur habenti pecuniam maior spes præsidij collocetur in pusillo, quod reposuit, quàm in ipsa pecunia? quum præsertim peculium pars sit pecunię: aut quomodo præstare possit reposita illa pecunia, ne cętera labantur? Vel peculium est quicquid proprie alicuius est. A peculio fit adiectiuum peculiaris pro re ad peculium pertinente, siue peculij propria. Sed in usu iam receptũ est pro proprio, siue speciali. Quintil. lib. 8. cap. 2. Quod commune est & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut Vrbem, Romã accipimus: & uenales nouitios, & Corinthia æra, quũ sint urbes alię quoque, & uenalia multa, & tam aurũ & argentum, quàm æs Corinthiũ. Idem in 11. cap. Ambulantẽ loqui ita demũ oportet, si in causis publicis, in quibus multi sunt iudices, quod dicimus, quasi singulis iter inculcare peculiariter uelimus. Et in lib. 6. cap. 5. Paululum impendamus huic quoque peculiaris operę. Peculatus, furtum rerum ad ipsam rempub. pertinentium, uel ad prouentus principis spectantium, sicut sacrilegium rerum sacrarum. Inde depeculor, quod quidam ad sacrilegium etiam transferunt.

### In eosdem de Fundus, Ager, Villa, Prædium. Cap. XLI.

Fundus Vlpianus ita finit: Locus est nõ fundus, sed portio fundi aliqua. Fundus autem aliquid integrum est. Plerunque fundum sine uilla accipimus. Idẽ alibi: Ager est locus, qui sine uilla est. Modestinus uerò sic: Quæstio est, fundus à possessione, uel agro, uel prędio quid distet. Fundus est omne quicquid solo continetur. Ager est species fundi, quę ad usum hominis paratur. Possessio ab agro iuris proprietate distat. Quicquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos nõ pertinet, aut nequit pertinere, hoc possessionẽ appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietas loci est. Nam & ager, & possessio huius appellationis species sunt. Florentinus: Fundi appellatione omne ædificium, & omnis ager continetur. Sed in usu urbana ædificia, ædes rusticę, uilla dicuntur. Locus uerò sine ædificio in urbe, Area: in rure autem, Ager appellatur. Idemque: Ager cũ ædificio fundus dicitur. Ecce diuersę iurisconsultorum sententię cum in alijs, tũ in hoc, quòd Vlpianus ait, plerunque fundum esse sine uilla, id est, sine ædificio. Florentinus autem agrum cum ædificio esse fundum. Modestinus obscure exponit, agrumque definiens, cum neutro aliorum cõcordat, sed ridicule à possessione distinguit, ne dicam imperite, loquens de possessione, quando significat qualitatem, non quando significat substantiam, perinde ac si quis dicat de uirtutibus, ac uitijs loquens. Prauum, & malum sic differunt: Prauum est id, quod non recta ratione, & uia fit. Praua enim appellantur, quæ non sunt recta, ut lignum prauũ. Malum uerò genus pomi est. Quid hoc foret dictu ineptius, ubi de qualitatibus, & actionibus agitur, digredi ad substantiã, quę ad rem non pertineat? ita hic

ita hic quum de fundo, de agro, de prædio, de possessione disputat: non de ea significatione possessionis loquitur, qua proprietas intelligit, sed qua actio possidendi, siue qualitas. Quod si ita est, quid affinius habet possessio ad fundum, agrum, prædium, quàm ad nauem, equum, uestem? Harum nanque rerũ ita possessio est, ut illarũ: sed nõ de huiusmodi possessione loquendũ erat, quę præsertim (ut ipse ait) nõ est species prædij, uel fundi. Prædiũ enim fundus'ue proprietas est, quorum utrumlibet (si generale nomen est) ad possessionẽ profectò non usus, sed proprietas dicenda Modestino possessio fuit. Sed quid facias? ipse aliter possessionẽ definit. Quòd si quis dubitet an possessio proprietas sit, accipiat præter ipsorum iurisconsultorum, etiam Ciceronis & Quintil. testimonia, quorum alter in Paradoxis ita scribit: Etenim si isti callidi æstimatores prata, & areas magni æstimant, quod ei generi possessionũ minimè noceri potest. Nõ de usu uidelicet locutus est Cic. cui certe noceri potest, sed de proprietate. Alter in 6. de Oratoria institutione: Patris eius dialogos dedit legendos, quorum quũ in Priuernati unus, alter in Albano, tertius in Tyburti sermonẽ habitum cõplecteretur, requirebãt, ubi essent hę possessiones. Omnes autẽ illas Brutus uendiderat. Nemo interrogabat ubi est usus prædiorũ, sed ubi est proprietas. Nemoque usum uendit, sed proprietatem aut usum fructũ. De prædio autẽ Vlpianus ita scribit: Prędia urbana omnia ædificia accipimus, non solum ea quę sunt in oppidis, sed etiã si forte stabula, uel alia meritoria in uillis, & in uicis, uel si prętoris uoluptati tantum deseruientia, quia urbanũ prędium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoque (si qui sunt in ædificijs cõstituti) dicendum est in urbanorũ appellatione contineri. Planè si plurimi horti in reditu sunt, uineari forte, uel olitorij magis, hęc non sunt urbana. Etiam de prędio, sicut de fundo iurisconsultorũ controuersia est. Nec mirũ, quum nemo non habeat suã de rebus quibusque, uerbisque sententiam. Sed de posterioribus, qui ex operibus illorũ excerpserunt, miror, quòd hęc indiscussa reliquerunt. Id (ut ego quod ad me attinet faciam) ita sentio: Agrũ continere fundum, non contineri à fundo, nihilque prohibet eum cũ uilla esse. Erant in agris senatores, & uixerunt multi nobilissimi philosophi in agris, nimirum non sine uilla, & habitatione. Differtque ager ab aruo, quòd aruũ sementi datur. Sallustius: Quia Numidę pabulo pecoris magis quàm aruo student. Quintilianus: Pauper & diues in agro uicini erant, iunctis hortulis. Et mox: Sed si ex omni parte diuitis circumiectus ager uix tenuẽ ad gressus meos semitam dat. Quid agimus inquam? undique uallo diuitiarum clausi sumus. Hinc hortuli locupletis, hinc arua, inde uineta, hinc saltus. Fundus (ut dixi) minus quiddam est. Singula enim proprie prata, singulę uinec, singuli horti, singula olíueta, pomœria, salicta, arbusta, pascua, nemora, loca aucupatoria, uenatoria, piscatoria, siue uillam, atque ædificium, siue piscinam, atque aluearia, siue uiuaria habeant, siue non habeant, singuli fundi sunt, & hoc quidem in agro. In urbe autem, siue oppido, siue uico, siue castello tantummodo prędium est, quicquid tale est, qualia hęc, quę enumeraui. Nanque eadem in agro etiam prędia sunt. Fundus enim species prędij est. Itaque fundus est possessio rustica. Prędium & rustica, & urbana duntaxat possessio, qualem descripsi. Nam uidetur possessio etiam significare tabernas, hospitia, horrea in urbe. Cic. in Philipp. Possessiones uocabat & urbanas, & rusticas. Puto non tantum prędia, sed & cętera, quę immobilia uulgò appellantur. Addamus ad hęc aliquid de hoc fundum, quod an à fundo fundas, an potius fundo à fundum, siue à fundus ueniat ambigi potest. Quidam fundus à funda dici uolunt. Cic. in quodam ioculari libello:

Fundum Varro uocat, quem possit mittere funda,
Ni lapis exciderit, quà caua funda patet.

Nisi hæc sententia sit tam paruum illum fuisse fundum, ut funda prehendi, & in more lapidis iaci posset. Fundum igitur est ima pars rei proprie aliquid liquoris intra se continens, aut ad continendum facta, ut dolium, ut nauis, ut alucus, uel fluminis, uel lacus, uel stagni, uel maris. Nam fundum turris (ut quidam scripsere) ipse non dicerem. Fundamentum (ut omnibus liquet) aliud est, quàm fundum, & tamen fundare magis ad fundamentum, quàm ad fundũ pertinet. Fundamus enim domum, non nauem, aut dolium, ut Vergilius:

Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani fundabat Iapygis aruis.

Nam fundamentare non reperitur: nec fundare quidem est sanè frequens, nisi per translationem. Quintil. in Gladiatore: Hoc fundatam paternis, auitisq́ opibus domum exhaurit. Est enim frequentius iacere fundamenta, etiã per translationem, ut idem libro primo. Nam inde & contemptus operis innascitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & (quod est ubiq; perniciosissimũ) præuenit uires fiducia. Et Cic. In quo templo (quantum in me fuit) ieci fundamenta pacis. Sine translatione, Sueton. de uita Caij: In arce Capitolina nouæ domus fundamenta iecit. Cęterũ hoc differũt fundare, & fundamẽta iacere, quòd fundare est ualidis fundamẽtis fulcire. Fundamenta iacere, quasi qualiacunq; fundamẽta facere, & quodammodo dare rei principium. Neq; uerò sicut reperitur, fundus & fundum, ita reperitur punctus & punctum. Errantq́ philosophi, quũ punctus et linea dicunt. Nam de punctum, quod est breuissimum tempus, nulla lis est, ut Terentius in Phormione: Tum temporis mihi punctum ad hanc rem est. Pro eo autẽ sensu, in quẽ utuntur philosophi, Cic. pro Plancio: Nam quod questus es, plures te testes habere de Velina, quàm quot in ea tribu puncta tuleris. Quidam momentũ pro eodẽ significato accipiunt cuius est punctũ, tamen aliter est. Breue enim tempus significatur per illud, per hoc uerò breuissimũ. Horatius: Quid enim? concurritur horę Momento.

*In eosdem de Noualis.* Cap. XLII.

Noualis (inquit Paulus) est terra proscissa, quę anno cessat, quæ à Græcis ὁ νεῶν ἡ νεὸς ἢ τὸ νέωμα uocatur. In quo autoritatem Varronis secutus uidetur, dicentis: Ager restibilis, qui restituitur, ac reseritur quotannis. Contrà qui intermittitur, à nouando noualis ager. Et Plinij qui ait: Nouale est, quod alternis annis seritur. Idem quoq; sentire uidetur Festus Pompeius, qui dicit: Noualis ager, nouæ relictus sementi. Sunt qui uolunt noualem esse aruum tunc primum ad sementẽ proscissum, quorũ est Seruius, qui inquit. Dicimus & has nouales, & hæc noualia. Proprie nouales tunc primum arua proscissa. Quod ita sensisse Vergilium palàm est, in illo uersu:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit?

Ineptum erat deplorare agrum à barbaris possideri, quòd nõ esset restibilis, sed quòd anno interquieuisset. Deplorabat igitur agrũ, in quo instruendo magnopere laborasset, & nouitate ipsa præter cæteros uberiorem datũ iri in manus alienas & barbaras, & impias. Quod etiam & sentit, & declarat in milite Mariano Quintil. Mox ingentibus lacertis humum fodere, segnem futuris noualibus eruere syluam. Hieronymus etiam definit in hunc sensum, dicens: Nouale, est ager nunc primum proscissus. Sed Vergil. in sensum priorẽ accipit, quũ inquit:

Alternis idem tonsas cessare nouales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Ideoq; Seruius alibi ait: Noualia: id est, noua terra, quæ per singulos annos renouatur per semina.

In eosdem de Liber, & Volumen. Cap. XLIII.

SI cui, Vlpianus inquit, centum libri sunt legati, centum uolumina ei dabimus, non centum, quæ quis ingenio suo metitus sit, quæ ad libri scripturam sufficerent, utputa quũ haberet Homerũ totum in uno uolumine, non quadragintaocto libros computabimus, sed hoc unũ Homeri uolumen pro libro accipiendum est. Vlpianus Homeri opus nunc unũ librum, nunc quadragintaocto libros nominat. Nec tamen ait librũ duo significare, ipsum opus, & certã operis partem. Præterea opus siue opera Homeri librum appellat, & uolumen, quorũ utrunq; inauditũ est. Vergilij Aeneis, nõ liber est, sed duodecim libri. Georgica, non sunt item liber, sed libri quatuor. Bucolica, unus liber est, idemq; unum uolumen. Georgica, quatuor uolumina: Aeneis, duodecim. Ouidius:
Sunt mihi mutatæ ter quinq; uolumina formæ.
Sed quid exemplis agimus, quum nusquam plura afferri possint? At Vlpianus putat etiã si omnia opera Didymi, quo nemo plura scripsit, in unũ codicem conglutinarentur, unum tantum debere uolumen appellari, quod nemo nec posset euoluere, nec ferre uellet. Est enim uolumen uel à uolo, quòd in libris uoluntas apparet, uel (quod magis sequerer) à uoluo, quod uoluitur, quales libros hodie Hebræi quosdã habent, qualesq; in ueteri, & nouo testamẽto lectitamus fuisse. Et Romani, qui in libris arborum, id est, corticibus scribebant: quòd libellos illos, quò ferrent commodius, complicabant, uolumina fortè appellauerũt. Itaq; uolumina libellis similiora fuere, quàm libris. Quod ex eo quoq; loco apparet, ubi Plinius de libris auunculi loquens, ait: Libri tres in sex uolumina propter amplitudinẽ diuisi, quasi dicat in sex minores libros, ut sint uolumina aliquantò minora, quàm libri. Quod etymologia quoq; nõnihil probat, ut ostendi. Vnde adhuc durat uerbum euoluere libros, pro eo quod est aperire libros, lectitandi gratia, quasi rem complicitam explicare, quemadmodum reuelare est rem uelatam detegere. Nisi dicamus euolui libros propter numerum paginarum. Accipitur autem nunc euoluere libros, siue autores, pro eo quod est lectitare. Nec inficias eo libros accipi pro codicibus: & in singulari librum pro quolibet magno codice, etiamsi is contineat Iliada, & Odysseam: ut tenet rex manu librum, & is sit Homerus: non tamen rectè dicas, tenet librum Homeri.

In eosdem de Probrum, & Opprobrium: Exprobrare, & Improbrare.
Cap. XLIIII.

PRobrum & opprobrium, Vlpianus inquit, idem est. Probra quædam natura turpia sunt, quædam ciuiliter, & quasi more ciuitatis improba: utputa, furtum, adulterium natura turpe. Enimuero tutelæ damnari, hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis. Nec enim natura probrum est, quod potest etiã in hominem idoneum incurrere. Vlpianus probrum accipit pro infamia tantũ, qualis est ex furto, uel male gesta tutela, non pro flagitio, quod principale significatum est. Nam probrum idem est, quod dedecus: quod duo significat. Vnũ, quod est crimen, ut Quintilianus statim in principio declamationis in milite Mariano inquit: Satis dedecoris, atque flagitij castra ceperunt. Alterum, quod est ignominia, atque infamia, quod notum est. Similiter accipitur probrum pro crimine, ut idem libro primo. Iam si minor in eligendis custodum, & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere, in quæ probra nefandi homines isto cædendi iure abutantur. Pro ignominia, Liuius libro quinto: His freti occursant portis, ingerunt probra, ægre abstinent, quin castra oppugnent. Quæ duo nomina tanquam similia eodem loco Cicero coniunxit in Catone Maiore: Mihi uerò, & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa, & tam perdita libido, quæ cum probro priuato cõiungeret imperij dedecus. Prçterea ne simile quidem

quidem est sane probrũ opprobrio. Non enim Latinè dixisset Cicero: quę cum opprobrio priuato cõiungeret imperij dedecus: quemadmodũ in Sallust. dixit: Itaq; timens ne facinora eius clàm uobis essent, quum omnibus matribus familiâs uestris opprobrio esset, confessus est uobis audientibus adulterium. Est autem opprobrium aliquando facto, sed frequentius uerbo. Nam Sallust. (ut uult Cicero) uel ex eo quòd fœminis quibus cum habuisse usum se, erat notum, uel quòd ipse illis uulgò impudicitiam obijciebat, opprobrio erat. Horatius:

Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent uitijs.

Quintilianus:

Modo maledictis, opprobrijsq; uulgi, modo crebra riualiũ contentione pulsatus, abigi tamen, compesciq; non posse. Opprobrijs dixit, quasi exprobrationibus, atq; conuitijs. Et alibi: Solebat indignatio uestra conuitia nostra ferre non posse. Et matronalis indignatio dicere uidebatur. Non parcis erga me marite uerbis. Nullam habet nostri tuus sermo reuerentiã, facilè prorumpis in opprobria, facilè quodlibet obijcis. Pro eodem ferè posuit opprobria & conuitia. Nec inficias eo, nonnunquã hoc modo accipi probrũ, ut Liuij proximũ exemplum, & Ciceronis ad Atticum: Epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Sed de hoc significato Vlpianus non intellexit. A probro unũ uerbum componitur, quod est exprobro, quod significat tum qualemcunq; culpam impropero, ut apud Ouidium lib. 13. Metamorphoseos:

Sit bene Tydides, qui nomine sæpe uocatum
Corripuit, trepidoq; fugam exprobrauit amico.

Tum ingratitudinis, ut Terentius in Andria: Nam isthęc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Sed pro hoc significato frequenter nos uitij alieni nomen apponimus: frequenter etiã nomen nostri meriti. Cic. de Amicitia: Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant, eoq; magis si habere se putant, quod officiosè, & amicè, & cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sanè genus hominũ officia exprobrantium. Exprobrare ergo beneficia sua, est immemorem beneficij accepti inculpare. Imputare uerò frequenter ad significationẽ exprobrantis accedit: sed citra reprehensionem, quod an apud Ciceronem sit, nescio. In posterioribus uerò creberrimũ est, ut Quintilianus: Neq; ego grauissimũ patrem suprema sua iuueni iactasse crediderim, quòd hæredem filium scriberet, non est res, quę imputetur. Et alibi: Imputas nobis propitios uentos, & secundum mare, ac ciuitatis opulentę liberalitatem, quę tantum frumenti uendidit, quantum duobus populis satis esset. Imputare nonnunquam pro computare reperitur, ut Caius: Qua ratione placuit legata, quum legatarij non capiunt, quum apud hæredem subsederint, hæreditario iure apud eos remanere intelligi, & omni quadranti imputanda. Marcus: In quarta hæreditatis, quam per legem Falcidiam hæres habere deberet, imputatur res, quas iure hæreditario capit, nõ quas iure legati, aut fideicommissi, uel implendæ conditionis causa accepit. Nam hæc in quarta non computantur: sed in fideicommissaria hæreditate restituenda, siue legatum datum sit hæredi, siue percipere, siue deducere, uel retinere passus est, ei imputantur. Reputare quoq; in idem significatum. Vlpianus: Præterea si matrem aluit pupilli tutor, putat Labeo imputare eum posse, sed est uerius non nisi per quem egenti dedit, imputare eum oportere. Deinde: Sed & si seruis cibaria præstitent, uel libertis scilicet rei pupilli necessarijs, dicendum est reputaturum. Idemq; est si liberis hominibus, si tamen ratio prę̄standi iusta intercedat. Item sumptus litis tutor reputabit, & uiatica, si ex officio necesse habuit, aliquo exire, uel proficisci.

In eosdem

*In eosdem de Stuprum, & Adulterium.* Cap. XLV.

INter stuprum, & adulterium (Modestinus ait) hoc interesse quidam putant, quòd adulterium in nuptam, stuprum in uiduam cōmittitur. Sed lex Iulia de adulterijs indifferenter hoc uerbo utitur. Et hoc quidem continetur in libro de Rerum & uerborum significatione. Alibi autem idem ait: Stuprum committit, qui liberã mulierem cupidinis causa, nō matrimonij continet, accepta uidelicet concubina. Adulterium in nupta, stuprū in uirgine, uel uidua, uel puero cōmittitur. Quid mirum si plures iurisconsulti in definiendo inuicem dissentiant, quū unus, atq; idem secum dissentiat? Hic non uidetur sentire cum lege Iulia. Sed culpa illorum est, qui definitiones huiusmodi descripserunt, quę si aptè fuissent conglutinatæ, probari possent, ut illa Papiniani dicentis: Lex Iulia stuprum, & adulterium promiscue Græcè μοιχείαν appellat. Sed proprie adulteriū in nupta committitur propter partum, ex altero cōceptum, composito nomine. Stuprū uerò in uirgine, uidua ue committitur. Quod Græci φθοράν appellant. Cuius definitionem approbo, illud tamen addens, Legem Iuliam rectè hæc duo promiscuè appellasse: non quòd omne stuprum sit adulterium, sed quòd omne adulterium sit stuprum. Neq; rectè iurisconsulti excipiunt stuprum à nupta, quum etiam in quotidiano sic sermone loquamur. Quale est apud Quintilianū: Vxor marito dixit appellatam se de stupro à priuigno, & sibi constitutum tempus & locum. Et alibi: Furtiua stupra, raptosq; concubitus obijcit uel ex falso maritus. Fas est, fieri solet. Parcius tamen si iam sit & mater, si in fidem castitatis uxoria fœcunditate profecerit. Quare ego ita sentio, stuprum esse coitū lege uetitum: qui duplex est. Vnus, cum nupta, aut cum puero, aut cum sanguine coniunctis, aut sanctimonialibus. Quanquàm hæc duo posteriora potius appellamus incestum. Alter quum uim afferimus cuilibet personæ etiam ancillę. Vnde stuprare dupliciter accipitur, cuius posterioris sensus testimonio est lex, quæ stupratoribus masculorum pœnam statuit decem millium, quum pædiconibus nulla esset pœna constituta.

*In eosdem de Instratum, & Stragula.* Cap. XLVI.

INstratum, Vlpianus inquit, omne uestimentum contineri, quo amicimur. Labeo ait: Neq; enim dubium quin strangula uestis sit omne pallium. Videtur Vlpianus intelligere stragulam uestem esse uestimentum hominis, quo amicitur, quale est Græcorū pallium. Vt enim Romani togati à toga, sic Græci palliati à pallio uocantur. Ego uerò non memini reperisse me stragulam uestem in hunc sensum, sed in opertorium lectorum potius, ubi & dormiebant, & discumbebant. Quod Varro testatur de culcitra loquens: Ac quicquid insternebant, à sternendo stragulum appellabant. Et equorum similiumq;, quorum operimentum etiam instratum uocatur. Hic illud admonebo, inuerti frequenter significatum uerbi, ut in hoc ipso uerbo sterno. Sternimus quidem uestes humi, ramos arborum, flores, & multa huiusmodi. Tamen frequentius dicimus sterno humū floribus, ramis, uestibus. Hinc est, quare dicimus thoros, lectosq; sternere, & equum sternere, nō quia sint diuersi sensus, sed quia resoluuntur, ut sit sternere, uerbi gratia, lectos & equos tapetis: idem quod sternere tapeta lectis & equis. Culcitra autem est tam lanea, stupea, & si quid est huiusmodi, quàm plumea.

*In eosdem de Pulsatio, & Verberatio.* Cap. XLVII.

INter pulsationem & uerberationem, Vlpianus ait hoc interesse, ut Offilius scribit: Verberare est cum dolore cædere, Pulsare sine dolore. Sed cū utriusque uenia, non est eiusmodi inter hæc uerba differentia. An quum uerberamus frumenta, cum dolore uerberamus? Aut pulsamus potius, quàm uerberamus? Et iumentum quum sentit ex flagellis dolorem, uerberatur? quum non sentit, pulsatur?

pulsatur? An Entellus ille Vergilianus, sine dolore pulsabat Dareta? Sed (ne multis) quis non uidet uerberare esse, uerbere cędere, quod est instrumentū longum & exile, qualis est uirga, baculus, fustis, lora, flagellum, ferula, arundo, & si quid est simile? Nec aliter dictum est uerberare à uerbere, quàm flagellare à flagello, fustigare à fuste. Nam uerbera licet pro uerberatione accipiantur, tamen rem corpoream proprie significant, ut flagella, quæ sunt propriè summitates sarmentorum. Quintilianus: Ignes ex proximo raptos, uerberaq; quæ casus obtulerat. Pulsare uerò est graui, ac uehementi ictu cædere, nec tam instrumēto longo & exili, quàm breui ac rotūdo, ut pugnis, ut calcibus, ut malleis, ut saxis, quę manu tenentur, quum alium percutimus in similitudinem tympanorum, quæ manu pulsantur, nec semel, sed multis ictibus percutere. Nanq; nō proprie pulsatum aliquem dixeris, qui semel pugno percussus est. Adeò non minor iniuria fit ex pulsatione, quàm ex uerberatione, preter eam causam, quam modo dixi, quòd uerberatio est multa percussio, quodq; plerunq; pulsatio fit in facie. Et ob pulsatos eorum legatos Laurentes Tatium regem occiderunt, qui non punisset propinquos suos, qui Laurentibus hanc iniuriam fecerant. Et ipsa incussio calcium cōtumeliosissima est, sępe etiam mortifera, utiq; si fiat in ęgrum, in senem, in puerum, in pręgnantem. Taceo, si alia re quis alterum pulsauerit, quam manu, aut pede: quum uicinus meus uxorem solitus sit non modo pistillo, uerumetiam mortario ęreo pulsare, ut non crebrius pulset ipsum mortariū. Dictum est autē à pello, quod est percutio, & ferio, ut apud M. Tullium libro ii de diuinatione: Vt pelluntur animi uehementius, sępe etiam cura, & timore. Et in secundo: Num igitur, quum aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit?

*In eosdem de Pellex, & Pallace.* Cap. XLVIII.

PEllicem apud antiquos Masurius, Paulo testante, scribit libro memorabilium, eam habitam, quę quum uxor non esset, cum aliquo tamen uiuebat, quā nunc uerò nomine amicā, paulò honestiore concubinā appellari. C. Haccus in libro de iure Papiniano scribit, Pellicem nunc uulgò uocari, quę cum eo, cui uxor sit, corpus misceat. Secundum quosdā ea, quę uxoris loco sine nuptijs in domo sit, quam Gręci παλλακὴν uocant. Horū utrunq; uere sensisse, & dixisse arbitror. Sed tamen pro suscepti operis officio admonere debeo, pellicem apud oratores, et poëtas eam demum haberi, quę cum eo, cui uxor est, corpus miscet. Ideoq; Iuno semper prosequitur pellices, quę sibi uxori Iouē preriperent. Vnde Plin. lib. 35. cap. 10. uerbo Gręco maluit uti, quū de Alexandro loqueretur, quē constat eo tempore cœlibem fuisse, quum Apellem scorto donauit, quàm ueteri (si uerum est) Latino, pallace potius, quàm pellice. Ita autem ait: Nanq; quum dilectā sibi ex pallacis suis pręcipuā nomine Campaspen nudā pingi ob admirationē formę ab Apelle iussisset. Quo fit, ut Curtiū ubi de eodem Alexandro, & alijs loquitur, cęterosq; scriptores opiner pallacē potius, quàm pellicē pro concubina cœlibis hominis dixisse, culpaq; librariorū in editionibus esse uitiatum. Suetonius de Vespasiano loquens, pallacarum dixit, non pellicū. Et alibi quoque, & Titus Liuius, multiq; alij Gręco nomine utuntur. Sin aliter inuenitur, librariorum (ut dixi) uitio dandum est, cuius rei hoc argumentum est, quòd non recte quis dicitur habere pellicem, sed uxor. Et est nomen relatiuum ad alterius uxorem, cuius cum uiro rem habet, non autē ad masculum: nec recte dicturos fuisse reor oratores illos, qui pallacem dixerunt, si pellicem dixissent, ut patet.

*In eosdem de Cauillatio.* Cap. XLIX.

NAtura cauillationis, quam Gręci σκῶμμα appellauerunt, hęc est, ut ab euidenter ueris per breuissimas mutationes disputatio, ad ea quę euiden-

P ter falsa

ter falsa sunt, perducatur. Hæc duobus in locis Vlpianus. C. autem inquit: Si calumnietur, & moretur, & frustretur. Inde calumniatores appellati sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios uexarent litibus. Inde & cauillatio dicta est. Caius nullam fecit mentionē de euidenter ueris, aut euidenter falsis, nec de breuitate. Nec puto faciendam fuisse, quum plerunque cauillatio sit tecta, & insidiosa, multisq́ꝫ ac longis frequenter ambagibus utens, & quæ uix ab acutis deprehendatur. Quare cauillatio est subdola ratio, quam nos cōscij nobis mendacij, uincendi tamen causa proferimus. In hunc sensum semper iurisconsulti usi sunt, & Quintiliani ferè seculum. Cicero autem pro genere quodam facetiarum, & hunc imitatus Aulus Gellius: Titus Liuius utroque modo. Ipse quoqꝫ Cicero definit lib. 2. de Oratore, dicens: Etenim quum duo sint genera facetiarum, alterum æqualiter in omni sermone salsum, alterum peracutum & breue: superior cauillatio, altera dicacitas nominata est. Cæterum Caius uidetur sentire, idem esse calumniari & cauillari. Quod non sentit Martianus, tantum accusatori tribuens calumniari: quum ait, Calumniari esse falsa crimina intendere: quod per legem illam declaratur 12. tabularum: Calumniator idem patiatur, quod reus, si conuictus esset.

*In eosdem de Præuaricator, Tergiuersator, & Calumniator.* Cap. L.

PRæuaricatores, Vlpianus inquit, eos appellamus, qui causam aduersarijs suis donant, & ex parte actoris, in partem rei cedunt. A uaricando enim præuaricatores dicti sunt. Idem alibi: Præuaricator autem est, quasi uaricator, qui diuersam partem adiuuat prodita causa sua. Quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. Nam qui præuaricatur, ex utraque parte consistit. In prima definitione uidetur sentire. præuaricationem in solum actorem cadere, in secunda uerò etiam in reum. Sed forsitan & hic de solo actore sensit, cui assentiri uidetur Martianus, qui ait: Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subijcitur. Aut enim calumniatur, aut præuaricatur, aut tergiuersatur. Calumniari, est falsa crimina intendere. Præuaricari, est uera crimina abscondere. Tergiuersari, in uniuersum ab accusatione desistere. Et pòst iterum: Præuaricatorē eum esse ostendimus, qui colludit cum reo, & translatiuè munere accusandi defungitur, eò quòd proprias quidem probationes dissimulat, & falsas uerò excusationes admitteret. Quod nos quidem uerum fatemur esse, legemq́ꝫ antiquitus de præuaricatorum pœna fuisse, ut Cicero Philippicarum libro secundo: Vereor Patres Conscripti, ne (quod turpissimum est) præuaricatorem mihi opposuisse uidear. Cæterum (ut prætereā, quod Cic. idem in Partitionibus ait, præuaricationē definiri nunc ab accusatore, nunc à reo corruptelam esse iudicij) reperio nōnunquam præuaricatorē ex parte rei quoqꝫ, neqꝫ perfidia tantum, ac malitia, sed imprudentia etiam, & negligentia peccantem. Quintilianus in septimo: Vt in præuaricationum criminibus, ut absoluatur reus aut innocentia ipsius fit, aut interueniente aliqua potestate, aut ui, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis, aut præuaricatione nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obsistit, nulla uis: corruptum iudicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit. Quid superest, nisi ut præuaricatio fuerit? Hic pro perfidia accusatoris accipit, alibi uerò aliter. Sed de una causa loqui superuacuum est. Ego in uniuersum neque oratoris puto esse unquam præuaricari: neqꝫ litem intelligo, in qua pars utraque idem uelit. Ideoq́ꝫ preuaricatorem appellamus, quicunque à prescripto officij sui deflexerit, atqꝫ aberrauerit. Plinius libro 19. Arator nisi incuruus, preuaricatur. Plinius Iunior ad Cornelium Tacitum: Alioqui preuaricatio est transire dicenda. Preuaricatio est etiam breuiter, & cursim attingere, quę sunt inculcanda, infigenda, repetenda. Et Adam preuaricatum fuisse dicimus.

inus. Tergiuersari uerò non est (quantum ego intelligo) ab accusatione desistere. Illi uidentur ex hoc trahere significationem, quòd qui terga uertũt, à pugna desistunt. Veruntamen non protinus, qui terga uertunt, à pugna desistũt, ut Parthi. Itaq; qui uertentes terga, adhuc tamen pugnant, nec rationibus uolunt se uictos agnoscere, tergiuersantur. Cic. de Offic. lib. 3. Atq; in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiuersantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem uoluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque alio modo expediunt, quum tradunt rationem negligendę mortis, perpetiendiq; doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facilimè illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim uoluptatis magnitudine doloris detractationem fieri. Nunquid qui hoc dicunt, aut desistunt ab accusatione, aut accusasse se iudicant? Idem pro Roscio Comœdo: Attende quęso Piso Fannij uultum, & huc atque illuc tergiuersantem testimonium contra se dicere cogo. Erat autem Fannius accusator, quem, si omnino ab accusatione desisteret, non insequeretur iure patrocinij Cicero, sed uictum, nolle tamen dare manus, obiurgat. Liuius lib. 2. ab urbe condita: Mouebant hęc consulem, sed tergiuersari res cogebat, id est, non agnoscere ueritatem, & eam quibuscunque rationibus poterat dissimulare, & quasi subterfugere. Tertium autem uerbum ab eodem Martiano definitum (de calumnia loquor) meretur & ipsum aliquam emendationem, quod non modò apud Ciceronem pro cauillatione accipitur, non illa quidem mouente risum, sed ea qua Cicero ipse non utitur, ut de Officijs libro primo: Existunt etiam sępe iniurię calumnia quadam, & nimis callida & malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud, Summum ius summa iniuria, sed etiam apud Quintilianum nonnunquam, ut ibi: Quamuis exiguo diuisus spatio opem non feret, non succurret, ut hac saltem se calumnia defendat: non abij, non reliqui, non abscessi, neq; pede (ut aiunt) uno à parente discessi. Aliosque complures, quorum & Caius est, usu quoque probante, per quem utraque pars iurat de calumnia uitanda. Nimirum de cauillatione eò magis, quòd calumniari pro cauillari dicimus, quæ uox quatuor primas literas habebat easdem cum calumniari. Postremò probatur hoc ex illo Digestorum loco, cuius titulus est: Si mulier uentris nomine calumniæ causa in possessione fuisse dicatur. Calumnia scilicet, ibi intelligitur dolus malus.

*In eosdem de Ferri, Portari, Agi.* *Cap. LI.*

Ferri propriè dicimus, Caius inquit, quę quis corpore suo baiulat. Portari ea, quę quis iumento secum ducit. Agi ea, quæ animalia sunt. In hoc ipse Caio assentior, nisi quòd portare est suo etiã corpore, interdum etiam magis q̃ ferre. Quis enim neget, iumenta portare? quę quũ homines imitant̃, & ipsi portare dicunt̃. Terent. in And. Mi homo, quid isthuc obsecro? quò puerũ portas? Horatius: Ne fortè sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum.

Et ab hoc composita, Deportauit Verres amicã de prouincia, Deportauit Pompeius beneficio Ciceronis tertiũ triumphum. Multi imperatores uictorem exercitum reportauerunt, quasi reduxerunt. Agere autem non uno modo dicitur, sed de uno tamen non tacebo. Martialis lib. 1. epigrammaton:

Semper agis causas, & res agis Attale semper.
Est, non est, quod agas, Attale semper agis.
Si res & causę desunt, agis Attale mulas.
Attale (ne quod agas desit) agas animam.

Cælius ad Ciceronem: Hortensius, quum has literas scripsi, animam agebat, id est, expirabat.

*In eosdem de Conuitium, & Maledictum.*

Cap. LII

CONuitium apud Vlpianum iniuriam esse Labeo ait: quasi maledictum iniuria non sit. Addit idem Labeo: Conuitium dicitur uel à concitatione, uel à conuentu, hoc est, à collatione uocum. Quum enim in unum complures uoces conferuntur, quasi conuocium est. Sed quod additur à prętore aduersus bonos mores, non omnem in unum collatam uociferationem prætorem notare, sed eam quę bonis moribus improbatur, quæq; ad infamiam, & inuidiam alicuius spectat. Et iterum: Conuitium autem non tantũ pręsenti, uerùm absenti quoq; fieri posse Labeo scribit. Proinde si quis ad domum tuam uenerit te absente, conuitium esse factum dicitur. Item si ad stationem, uel tabernam uentum sit, probari oportere fecisse conuitiũ non tantum is uidetur, qui uociferatus est, uerùm is quoq;, qui concitauit ad uociferationẽ alios, uel submisit, qui uociferarentur. Et paulò pòst: Ex ijs apparet nõ omne maledictum conuitiũ esse, sed id solùm, quod cum uociferatione dictũ est. Et siue unus, siue plures dixerint, conuitium est, quod in cœtu dictum est. Quod autem in cœtu nec uociferatione dicitur, conuitium propriè non dicitur, sed infamandi gratia dicitur. Ex ipsa nominis etymologia argumentum significationis Labeo sumpsit. Sed quum falsa sit etymologia, falsa erit & definitio. Quumq; falsa sit definitio, falsa erit & etymologia. Quis enim Labeoni credat conuitium à concitatione, aut à conuentu dictum, aut collatione uocis, quasi conuocium, quum sit alia propria magis siue etymologia, siue expositio per compositionẽ à con, & uitium, uel conuito, quasi uitandum, & uituperationis causa factum? Habet autem conuitiũ ui non breuem, ut uitium, sed longam, ut uito. Licet conuito aliud significet, quàm conuitium, si modò significat idem, quod inuito, non obstat, quum à suo quoq; simplici, quod est uito, in significatione magis distet, quàm conuitium à suo, siue illud sit uito, siue uitium. Ipsa quoq; con prępositio in bonam, & malam rem accipi solet, ut conficio, pro perficio, & pro eo, quod est consauciendo trucido. Inde confectores ferarum. Conuitium igitur, à uitium, uel potius à uito descendit, ut uitupero. Tametsi non omnino repugnem scribi per c, ut quibusdam placet, nõ per t, & hoc quidẽ de etymologia, quę si pro Labeone, Vlpianóq;, non pro me faceret, tamen definitioni repugnare auderem, nusquã reperiens apud summos uiros hanc differentiam custoditam inter conuitiũ, & maledictum. Inter quę (si qua est) hæc erit, quòd conuitium est maledictum contumeliosum. Quintilianus lib. 7. Sic autem præparabit actione prima iudicum animos, ut noluisse potius obijcere, quàm non potuisse credatur. Eoq; satius est, omni se antè actę uitę abstinere conuitio, quàm leuibus, aut friuolis, aut manifestè falsis reum incessere, quia fides cæteris detrahitur, & qui nihil obijcit, omisisse credi potest maledicta tanquam superuacua: qui uana congerit, confitetur uanum in antè actis argumentum. Ex his uerbis planè datur intelligi nec uociferatione utiq; fieri conuitium, nec aliud esse quàm maledictum. Cicero pro Cælio: Maledictũ autem nihil habet propositi, pręter contumeliam: quę si petulantius iactatur, conuitiũ: sin facetius, urbanitas nominatur. Illud autem uerbum inuidiam, quo Labeo siue Vlpianus utitur, quid mirum si Accursius non intelligit? qui in Institutionibus, ubi dicitur: Appellatione autem ligni omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt: sic interpretatur, ut cæmenta, & lapides, immemor à iurisconsultis exponi materiam pro ligno ad ædificia utili: quanquàm & Cato, & Varro, et Columella, & Plinius, qui de agricultura scripsere, alijq; unam etiã arborem, particulamq; illius materiam appellant, & breuiter omne lignum.

*In eosdem de Versicoloria.* Cap. LIII.

VErsicoloria apud Iurisconsultos uocantur, quę natiuum colorem mutauerunt: ut uestes si albę sint nigræ, subnigræ'ue, quales ex lana non tincta solent esse, coloriæ: si in alium colorem tinctæ sint, uersicolorię nominantur. Cæterum uix in hunc sensum reperimus. Nam Cicero collum columbi, pauonisq́ & eius caudam uersicolorem uocat, & nonnulli aquam maris, uel quòd uersat, et mutat colorem subinde, uel potius quòd sit discolor, ut apud Plin. lib. 36. cap. 6. Subit mētem non fuisse tum autoritatē maculoso marmori, quam fecere Thaso Cycladum insularum uni æquè & Lesbio, liuidius hoc paulò, uersicolores quidē maculas habens. Et in eodē: Primum (ut arbitror) uersicolores istas maculas Chiorum lapicidinę ostenderūt, quum extruerent muros. Et in eodē: Veluti quū calculi fiunt, quos quidā abaculos appellant, aliquos etiā pluribus modis uersicolores. Et in 15. Ingens postea turba primorum, uersicolor, nigra, candicans, Hordearia appellata, à comitatu frugis eius. Et in 25. Versicoloribus uiperarū maculis. Et in 28. Nullum animal pauidius existimatur, & ideo uersicoloris esse demutationis. Per quod apparet collum columbę pauonisq́, et caudā, aquamq́ non ideo uersicolorem dici, quòd uersat colorem, sed quod diuersum habeat. Alioqui satis habuisset Plinius dicere: Et ideo uersicolor est, nec adiungere demutationis. Neque uerò uestes ab hac significatione cōmuni excipiendę sunt, putandæq́ solę ipsæ uersicolores ita demū dici, si lana tincta confectæ fuerint, ut apud Quintilianū: Dum in his, de quibus erit quęstio, meminerimus, non Athletarum thoros, sed militum lacertos esse, nec uersicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, bene ad forensem puluerē facere. Apud Titum uerò Liuium est, secundo punico bello, interdictum fuisse matronis, ne uersicoloribus uestirentur. Quod qualiter accipiendum sit, Valerius Maximus lib. 9. significat, dicens: Quam fœminę tollere cupiebant, quia in his nec ueste uarij coloris uti, nec auri plus semiuncia habere, nec iuncto uehiculo propius urbem mille passus, nisi sacrificij gratia uehi permittebatur. Idem Liuius alibi ait: Corpus alteri magnitudine eximium uersicolori ueste, pictisq́, & auro cælatis refulgens armis. Profectò de uarij coloris ueste locutus est. Et iterū: Tunicę auratis militibus uersicolores: argentatis, linteæ candidę. Nam illud Vergilij: Versicoloribus armis, exponit Seruius de pictis, per quod bellicosus ostenditur. Cap. 26. Cap. 11.

*In eosdem de Penes, & Apud.* Cap. LIIII.

PEnes te, ut Vlpianus ait, amplius est, quàm apud te. Nam apud te est, qualiter cunq; à te tenetur. Penes te est, quod quodammodo possidetur. Et ante hunc Festus Pompeius: Apud & penes in hoc differūt, quòd alterū personā cum loco significat, alterū personam, & dominiū ac potestatē, quod trahitur à penitus. Personam cum loco Festus accepit pro personam & locū, ut apud Platonem, & apud forum, id est, in Platone, & in foro: quorum utriusq; definitionē probo. Illud addo, penes dum tantū ad personā refertur, nō modò dominū adesse significare, uerumetiā laudem, ac uituperationem. De laude, ut Cic. in Bruto: Cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, ac scientiæ. De uituperatione, ut Quint. in Gladiatore: Vereor, ne illius inexpiabilis, & sæpe reprehensi odij alij culpa uideatur penes patrē, qui tam facilè irascitur. Illud quoq; quod crebrò usurpamus, fides penes autores sit, & in laudem, et in uituperationem simul accipitur, quasi laus ueritatis, aut uituperatio falsitatis penes autorem sit, ad quē spectat fidem rei, cuius autor est, facere. Ad me certe ista uel laus, uel uituperatio non spectat, qui hoc non affirmo, sed ad alterum autorem relego. Quod de laude, & uituperatione dico, idem accipio de commodo, & incōmodo, ut Liuius: Vt penes eosdem pericula belli, penes quos præmia essent. Nonnunquam etiā

loco seruit, sicut apud Cic. lib. 4. ad Herennium: Ita petulans es, atq; acer, ut ne ad solarium quidem (ut mihi uidetur) sed pene scenā, & in eiusmodi locis exercitatus sis. Penes scenam, id est, apud scenam.

*In eosdem de Patres, Maiores, Posteri, & Minores.* *Cap. LV.*

PAtres, inquit Paulus, usq; ad tritauos proprio uocabulo nūcupantur apud Romanos. Vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Item liberi usque ad trinepotem, ultra hos posteriores uocantur. Sed cū uenia Pauli neque usus in hoc, neq; ratio consentit. Omnes enim, qui ante nos fuerunt, utiq; qui liberos reliquerunt, atque id in nostra ciuitate, maiores dicuntur: qui uerò post nos, posteriores. Cicero in Sallustium: Ego meis maioribus uirtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis uita, quam turpiter gessisti, magnas offudisti tenebras: ut etiam si fuerint egregij ciues, certe uenerint in obliuionem. Nunquid Cicero ait se præluxisse illis tantum, qui supra tritauum fuerunt, Sallustium uerò tenebras offudisse? An potius ut quisq; à Cicer. atq; Sallustio recentissimus erat, ita illi maxime horū utrunq; uel præluxisse, uel tenebras offudisse? An si quis claris maioribus ortus quæreretur, nō multò magis is dicatur, qui patrem, auū, proauum, abauū, atauum, tritauum claros, cæteros autem obscuros habuit, quàm qui ista econtrariò? Hoc ne ipse quidem Paulus negaret. Insuper patres non opinor usque ad tritauos posse deduci. Quum enim dicimus patrum memoria aliquid factum esse de proxima ætate semper intelligimus, non de illa etiam sexta. Dixi de maioribus, & patribus. Videamus de posterioribus, siue posteris. Idem Cic. eundem locum sic prosequitur: Quare noli mihi antiquos meos obiectare. Satius enim est, me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita uiuere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initiū, & uirtutis exemplum. Ita, opinor, non pertinebat ad filium, non ad nepotem, non ad pronepotem, nō ad abnepotem, non ad trinepotem Tulliana nobilitas, & uirtutis imitatio, sed à filio trinepotis inceptura, quia ab eo posteritas Tulliana initiū acceptura erat, quum potius tūc esset acceptura occasum. Idem alibi: Nec uerò dubitat agricola (quamuis sit senex) quærenti cui serat, respondere, dijs immortalibus, qui me non accipere modo hæc à maioribus uoluerūt, sed etiam posteris prodere. Taceo quòd Caius Caligula uolebat solos posteros filios esse, nec iura concessa posteris ad nepotes peruenire. Sed ne causari queat, non positum exemplum posteriorum, sed posterorum esse. Quintilianus in XII. Maluit enim uir sapiētissimus, quod superesset, ex uita sibi perire, quàm quod præterisset, & quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posteriorum sese iudicijs reseruauit. Nescio tamen an potius legendum sit posterorum, ut intelligamus, hoc quàm illud nomen esse usitatius, & non modo ad eos, qui ex nobis geniti sunt, sed ad uniuersos qui post nos erunt, pertinere. In eundem opinionis errorem incidit Seruius, qui in octauo Aeneidos ait: Minores non dicimus, nisi quoties graduum deficit nomen, ut pater, filius nepos, pronepos, abnepos, atnepos. Vbi isti gradus defecerunt, merito iam dicimus minores, sicut etiam dicimus maiores post patris, aui, proaui, atauiq; uocabulum. De maioribus satis modo disputauimus. Alterius nominis ratio eadem uno exemplo satis probabitur, eoq; (quia cū Seruio expositore Vergilij agimus) Vergiliano ex primo Aeneid.

Hunc lætum Tyrijsq; diem, Troiaq; profectis
Esse uelis, nostrosq; huius meminisse minores.

Quis non uidet Didonem locutā de parentibus, qui tunc erant, eorumq; filijs, natisq; natorum, & qui nascerentur ab illis, non autem de filijs atnepotum, & deinceps, qui illius diei meminisse nō poterant, nisi id à parentibus accepissent?

*In eosdem de Victus, & Penus.* Cap. LVI.

Victus uerbo (Vlpianus inquit) continentur quę esui, potui, cultuiq; corporis, quæq; ad uiuendum homini necessaria sunt. Vestem quoque uictus habere uicem Labeo ait. Cætera quibus uiuendi, curandiq; corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significātur. Nec hoc quidem aut ratio, aut usus probauit. Victus à uiuendo uenit. At uiuere sine uestitu, cultuq; corporis licet, ut in Aethiopia: sine esu potuq; non licet. Ideoq; semper distincta hæc duo reperimus, & semper addi alterum (de uestitu loquor) quia alterum, quod est uictus, hoc etiam significatum non complectitur: alioqui non diceretur uictus & uestitus. Significat etiam uictus genus uitę, quantū ad mores, ut quibus cum quis uiuat, & à quibus instituatur, & quibus moribus. At neq; de penu Iurisconsultis assentior, multa quæ ad uictum non pertinent penui cedere uolentibus. Potior apud me breuis illa Ciceronis definitio ualebit in libris de Natura deorum. Est enim omne, quo uescuntur homines, penus.

*In eosdem de Pignus, & Hypotheca* Cap. LVII.

Inter pignus & Hypothecam tantū nominis sonus differt. Hæc Martianus. Vlpianus uerò: Propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit: hypothecam autem cum non transit possessio ad creditorem. Ego magis cum Martiano sentio. Iustinianus cum Vlpiano in Institutionibus, dicens: Nam pignoris appellatione eam proprie cōtineri dicimus, quę simul etiā traditur creditori, maxime si mobilis sit. At ea quę sine traditione, nuda cōuentione tenetur, propriè hypothecę appellatione contineri dicimus. Sed non esse hanc differentiā ex eo argumentū est, quòd alterū Latinum, alterū Gręcū, suę utrunq; deseruiens linguę. Pignus autē non tantū creditori datur, sed inter paratos secū decertare mutuò offertur, & apud sequestrum deponitur. Vergilius in Bucolicis:

Ego hanc uitulam (ne fortè recuses,
Bis uenit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

Qui tamē sensus rarissimus est. Nā illo figurato crebrius utimur, ut apud eundē:

Ipse pater dextrā Anchises haud multa moratus
Dat iuueni, atq; animum præsenti pignore firmat.

Quasi dicat securum fecit, ut qui dat pignus. A priore significato dicimus pignero, & oppignero, hoc est, do aliquid arraboni, quam quidam arram appellant. Et repignero, quod est recipio pignus soluto debito. Propter hęc uerba quidā (quorum est Priscianus) existimant pignus in hunc sensum, & in alium proximum, habere genitiuum pigneris: in illum quo significamus filium & per abusionem coniunctissimas sanguine personas, habere genitiuum pignoris. Vnde enim oppignero, & repignero inquiunt haberemus, nisi pignus pigneris faceret? Non inepta quidem ratio, sed quid respondebunt, quòd quum habeamus, fœnus fœnoris, facit tamen fœnero, & fœneror? Idem Priscianus ait, antiquos dixisse etiam fœneris. Nec tamen, ut ei credamus, exemplo probauit. Quid quòd ex frigus frigoris fit refrigero? quid quòd ex tempus temporis fit tempero? ex littus littoris fit oblittero? ex penus penoris (ut sentio) fit penetro? addita t, quasi ad locum penoris intro. Tam enim penus, quàm penetro breui prima syllaba est. At mihi quidem propria, & uera pignoris significatio esse ea uidetur, unde uerba deriuantur. Nihil enim illi alij significato cum his uerbis: & filij (ut sentio) nō alia ratione appellati sunt pignora, nisi quòd pignus quoddā inter cōiuges sunt, tū uinculi, ne aliter fortè diuortiū fieret, tum charitatis. Cuius rei argumentum est, quòd legimus sępe pignora filiorū, ut apud Suetonium in Tiberij uita: Cōmunis filij pignora. Et iterū: Tam mariū, q̃ fœminarū pignora.

*In eosdem de Ferrumino.* Cap. LVIII.

FErruminatio, Caius apud Paulum ait, per eandē materiā facit confusionē: plumbatura non efficit. Idem sentire uidetur Pomponius, dicens: Si tuum schyphum alieno plumbo plumbaueris, alieno'ue argento ferruminaueris, non dubitatur schyphum tuū esse, & à te recte uendicari: Scyphū enim argenteū intellexit. Cum ijs plerique non sentiunt, quorū est Plinius, qui lib. 10. ait: Nanque surculo super bina oua imposito, ac ferruminato alui glutino, subdita ceruice, medio æquè utrinque librato, deportant aliò. Ferruminato dixit quasi agglutinato materia illa. Idē 11. Et medulla ex eodē uidetur in iuuenta rubens, in senectute albescens: non nisi cauis hæc ossibus, nec cruribus iumentorū, aut canum: quare fracta non ferruminatur. Quasi nō glutinatur, nec coalescit, & colligatur. Idem 31. Carris Arabiæ oppido, muros, domosque massis salis faciunt aqua ferruminantes: quasi glutinantes. Idem 35. Calcis quoque usum bitumen præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Idem 36. Ea maxime causa, quòd fulto calcis sine ferrumine suo cæmenta cōponentes. Quasi dicat glutine. Et in eodē: Vitrū sulphuri concoctū ferruminatur in lapides, quasi conglutinatur in formā lapidis. Idē 37. infestantur plurimis uitijs, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua uomica, præduro, fragilique cētro, quasi glutino, & cōmissura, siue iunctura, siue ligatura. Ergo ferruminatio non ubique per eandem materiā facit confusionem, sed interdum quoque per aliam. Plumbatura per solum plumbū efficit confusionem: ut ipsum indicat nomen, si hæc confusio dicenda est.

Cap. 37.

*In eosdem de Veterator, & Nouitius.* Cap. LIX.

SEruus, ut est apud Venuleium, tam ueterator, quàm nouitius dici potest: sed ueteratorē non spatio seruiēdi, sed genere, & causa esse æstimandū Cal. ait: Nam quicunque ex uenalitio nouitiorū emptus alicui ministerio præpositus sit, statim eum ueteratorū numero esse. Nouitiū autem nō tyrocinio animi, sed conditione seruitutis intelligi, nec ad rem pertinere, Latinè sciat loqui, nec'ne. Nec ob id ueteratorē esse, quòd liberalibus studijs eruditus sit. Apud Vlpianum sic scribitur: Præcipiunt ædiles, ne ueterator pro nouitio ueneat. Et hoc edictū fallacijs uenditorum occurrit. Vbique enim curant ædiles, ne emptores à uenditoribus circumueniantur, ut ecce plerique solent mancipia, quæ nouitia non sunt, quasi nouitia distrahere, ad hoc scilicet, ut pluris uendant. Præsumptum est enim ea mancipia, quæ rudia sunt, & simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora, & ad omne ministerium habiliora. Trita uerò mancipia & ueterana difficile est reformare, & ad suos mores formare. Quia igitur uenaliciarij sciunt facile decurri ad nouitiorum emptionem, idcirco interponunt ueteratores, ut pro nouitijs uendant. Quid tam contrarium, quàm hæ duæ iurisconsultorum sententiæ? Quid magis absurdum, quàm non dico inter eas non iudicasse, sed eas, aut ambas scripsisse, aut contrarias esse nō uidisse? Et quantò plura in rebus (ut coniectura ducimur) esse debent, quum in uerbis tot sint, & tam manifestè contrariæ? Ego ut instituto officio fungar, & inter hos duos sententiam feram, quando alterius definitio à me tolli non potest: potior mihi uidetur Vlpiani opinio, & cum cæteris scriptoribus conuenire. Venaliciarij, mangones dicuntur uenalium hominū. Martial. Millia pro puero centum me magno poposcit.

*In eosdem de In annos, Quotannis, ac similibus.* Cap. LX.

NIhil interesse, Pōponius apud Vlpianū scribit, utrū in annos singulos, uel quotannis, an in singulos menses, uel quot mensibus, an in singulos dies, uel quot diebus legatur. Ipse quoque huic sentētiæ accedo: proinde etsi quot anni legētur, tot anni idē erit dicendum. Corrumpere est illud Vlpiane, atque Pomponi Latinā linguam, non iuuari. Quis unquam dixit, quot diebus, & non potius

quotidie?

quotidie? quis etiã quot mẽsibus, & nõ singulis mẽsibus? Cur etiã non addimus quot horis, quot noctibus, quot lustris? Quòd si quis hoc modo loquaẽ, intelligemus quidẽ ex ipsa uerborũ serie, quid uelit: tamẽ ut barbare locutũ reprehendemus, et ne deinceps ita loquatur, admonebimus. Nõ aũt formulã alijs loquendi trademus, ut uos facitis. Iabolenus melius, Vini, inquit, Falerni quod domi nascẽt, quotannis, uel in singulos annos binos culeos heres meus Titio dato. Quidam aduerbium hinc ducũt, quod est annuatim, ut Plin. libro 12. dicẽs: Herodoto teste, qui tradit, singula millia talentũm annuatim turis pensitasse Arabes regibus Persarum, si codex uerus est.

*In eosdem de Turba, & Rixa.* Cap. LXI.

INter turbã & rixã, testimonio Vlpiani, rectissimè Labeo ait multũ interesse. Nanq; turbã multitudinis hominũ esse perturbationẽ, & cœtũ: Rixam etiam duorũ. Videntur Vlpianus, & Labeo sentire turbã suapte nature significare multitudinẽ: ideóq; turbã in altero sensu esse perturbationẽ multitudinis. Ego uerò primũ & naturalẽ sensum esse pro perturbatione, quod docet uerbũ ex ea significatione ductũ turbo, perturbo, disturbo, deturbo, cõturbo, quæ nequaq; ad solam multitudinẽ referuntur. Et turbo turbinis, & homo turbidus: qui est iracundus. Cõtráq; uinũ, & multa alia turbida dicũtur. Ipsáq; Græca origo τύρβη approbat hunc eundẽ sensum. Cæterũ, quia multitudo nõ ferè uacat perturbatione, & ipsam appellamus turbã: ut colluuiẽ, homines uiles, & cõtemptos dicimus, & fecem, & sentinã: nõ quòd homines sint sordes, fex, sentina, sed quòd sordidam, et abiectã uitã agant. Terent. in Andria: Sed si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet: Tum illæ turbæ fient. Inter quos hæ turbæ fient? nẽpe inter Simonẽ, & Pamphilũ, in quem omnis culpa transferetur. Ergo turba erit inter duos. At idem in eodẽ ait: Dij uostrã fidem, Quid turbæ est apud forũ? quid illic hominum litigat? Eo non nego aliquando turbã inter multos, quemadmodũ rixam nõ semper inter duos, cuius multa exẽpla sunt: sed etiam inter plures, ut apud Liuium: Ego anno Romæ quũ per ludos à Sabinorũ iuuẽtute per lasciuiã scorta raperentur, cõcursu hominũ rixa, ac propè prælũ fuit. Et nõ longè pòst: Quũ conuersus in patres impetus esset, consulum intercursu rixa sedata est. Sed Terẽtius fortasse ideo adiecit, quid hominũ illic litigat? quia per uerbum turbæ non satis significatum erat perturbationem esse multorum. Quãquàm & illud turbæ non minus pro multitudine hominum accipi potest, quàm pro perturbatione, quũ præsertim de perturbatione adijciat, quid illic hominũ litigat? Sed de uno loco non attinet disputare, ubi infinita suppeditant. Dixi à turba fieri turbo, cuius genitiuũ grãmatici quidã uolunt esse pro ludicro illo instrumento, turbonis, quod uel ex hoc falsum esse, documentum est, quòd formam acumine fastigato uocamus turbinatam, ad similitudinem ligni illius. Falluntur igitur grãmatici in turbo turbonis, quomodo in cardo cardonis, quod nec ipsum inuenitur.

Act. 2. Sce. 3 (beside "in te")
Act. 4 Sce. 4 (beside "quid illic homi-")

*In eosdem de Exautoro.* Cap. LXII.

IGnominiosa autem missio (si Iuliano credimus) toties est, quoties is, qui mittit, adijcit nominatim ignominiæ se causa mittere: semper enim debet Imperator addere, cur miles mittatur. Sed si eũ exautorauerit, inter infames efficit, licet non addidisset ignominiæ causa eum exautorasse. Pace tamen Iuliani, exautorare, est ducem ab imperio suo dimittere, uel missum militem facere, illumq; donare missione militiæ plerunq;: ut apud Quintilianũ in Milite Mariano: Pater huic emeritis bello stipẽdijs, tum, cum tota subnixum Numidia fregimus Iugurthã, exautoratas armis manus, agresti labori subegit. Titus Liuius ab urbe cond. lib. 35. Volonũ quoq; exercitus, q uiuo Graccho summa fide stipendia fecerit, uelut exautoratus morte ducis à signis discessit. Et in 29. Vbi hoc modo exautoratũ

equitem cũ gratia Imperatoris uiderũt, se quisq; excusare, & uicariũ accipere. Et in 62. Vbi is uenisset, omnes milites exautorati domũ dimitterẽtur, præter quinque millia sociûm his, quos obtineri circa Ariminũ prouinciã satis esse. Idẽ lib. 35. Postero die cõcione aduocata de rebus à se gestis, & de iniuria Tribuni bello alieno se illigantis, ut suæ uictoriæ fructu se fraudaret, quum deseruisset milites, exautoratos dimisit.

*In eosdem de Depectus.* Cap. LXIII.

DEpectus (si Vlpiano credimus) dicitur turpiter pactus. Mihi autẽ pro simplici potius accipi uidetur id, quod in multis fit: ut, demiror, deambulo, desumo, demõstro, deosculor, depingo, deposco, deuito, degusto, demoror, deprecor, demulceo. Quòd si quando reperiatur pro turpiter (quod non memini legisse me) id fiet nõ magis ui præpositionis, qua hoc uerbũ cõponitur, quàm ui ipsius uerbi, quod citra cõpositionem nonnunquàm turpem pactionem significat. Cicero in Paradoxis: Si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas, si testamenta amicorum expectas, ac ne expectas quidẽ, atq; ipse supponis: hęc utrum abundantis, an egentis signa sunt? Exemplum uero, quòd depectus non significat turpiter pactus, sed tantum pactus, apud Tenrent. in Phor. Ita me bene dij ament, ut mihi liceat tandiu, quod amo, frui. Iam depecisci morte cupio. Tale est hoc Terentianum, quale est illud Vergilij: Vitamq; uolunt pro laude pacisci. Illud quoq; apud M. Tullium, 2. Rhetoricorũ: Quidã cũ circũsideretur, neq; effugere ullo modo posset, depectus est cũ hostibus, ut arma & impedimenta relinqueret, milites educeret. Itaq; fecit, armis & impedimentis amissis, præter spem milites cõseruauit. Nõ est accipiendũ pro turpiter pactus ab autore esse positum. Quippe qui causam narrat, de qua cõtrouersia est, an ille turpiter pactus sit: nõ autem factũ hominis damnat: & aliquoties factũ hoc, paulò pòst passionem uocat: & in libris ad Herennium hanc eandem rem gestam ita exponit, ut quod erat sui officij neq; accuset, neq; excuset, sed tantummodo pactum inter Pompilium, & Gallos ita fuisse significet: hancq; controuersiã ab accusatore, ab reo declamandum proponat.

*In eosdem de Gemma, & Lapillus.* Cap. LXIIII.

GEmmas, lapillusq; Vlpianus sic distinguit, dicẽs: Gemmæ sunt perlucidæ materiæ, quas (ut refert Sabinus ad Vitellium) Seruius à lapillis sic distinguebat, eò quòd gemmæ essent perlucidæ materiæ, ueluti Smaragdi, Chrysoliti, Amethysti: lapilli cõtrariæ superioribus naturæ, ut Absiani, Neuentani. Margaritas autẽ nec gẽmis, nec lapillis contineri satis constitisse idem Sabinus ait: quia concha apud rubrũ mare & crescit, & coalescit. Murrhina autem uasa in gẽmis non esse Cassius scribit. Hoc falsum esse, pace horum quatuor Iurisconsultorũ, cum omnes autores probãt, quorum titulum Plinius de gemmis nõ translucentibus fecit, & murrhina in gemmis numerat, & omnes lapides pretiosos, præter Margaritam, uno nomine (quod tantum lingua Latina habet) gemmas appellat: tũ ipsa ratio. Nam quis non uidet, lapillus, quod generale nomen est, omnium paruorum lapidum, sed subintellectione pretiosus, idem esse quod gemmula? Nam gẽmas etiã accipimus multorũ cubitorũ inueniri, quas ut uere lapides non lapillos appellare possumus: ita quũ minutæ fuerint, lapillos appellare debemus. Quòd si lapides, tam grãdes translucidi non fuerint, siue perlucidi, quales sunt imperfecti, nunquid uocabimus eos lapillos? Quid hoc magis ridiculum? Quòd si etiam omnis lapis perlucidus gemma est, etiam Parum marmor, quod in modũ uitri translucidum est, gemma erit. Postremò reperimus eiusdem coloris lapides quosdam permixtim constare ex perlucidis, & nõ perlucidis, & ita permixtos natura, ut non possis partem appellare gemmam, partem lapillũ. Curtius libro 8. quum dixisset, Gemmas, margaritasq; mare littoribus infundit, paulò

paulò pòst de eisdē Indis ait: Lapilli ex auribus pēdentes: profectò perlucidi intelligēdi sunt. Et iterũ libro 10. de rege Indo: Pendebant ex auribus insignes candore, ac magnitudine lapilli. Margarita uerò, siue Margaritũ quis negare lapillum possit, qui semper est pusillus lapis? Ego quidem candidos illos lapillos ex Indiæ regis auribus pendentes, Margaritas interpretor. Horatius (quum, inquit: Nec magis huic intra niueos, uiridesq; lapillos) de Magaritis, & smaragdis intelligit. Margaritā autem, sicut lapillis forsitan nego, ita gēmis fateor contineri, quod ferè omnes concedunt. Seruius tamen grammaticus, quasi multi aliter sentiant, inquit: Sanè multi separant gemmā à margarita, ut Cicero: Nullam gemmā, aut margaritam. Et gemmas uolunt dici diuersi coloris: margaritas uerò albas: uel gemmas integras, margaritas pertusas. Hæc Seruij opinio ab omnibus, & ab ipsa ueritate dissentit. Est enim margarita, quæ in concha nascitur, unde conchyliũ dicitur, quam uulgò perlam appellant. Hæ etiam uocatur unio (ut idem Plinius ait) quia nũquàm nisi distincta reperiatur, estq; generis masculini. Nam fœminini illud, quo nũc quidam pro unanimitate utuntur, nec autoritate nititur (nescio enim apud quem reperiatur) nec arte, quum deberet esse, masculini potius generis, ut talio, stellio, curgulio.

Finis libri sexti elegant. Vallæ.

# LAVRENTII VALLAE AD IOANNEM TORTELLIVM ARETINVM cubicularium Apostolicum, de reciprocatione Sui & Suus, libellus plurimum utilis.

Singularis tua Ioannes Tortelli, tum erga me beneuolētia, tum de meis, quantulacũq; sunt, literis opinio, ijsq; precipuè que ad eloquentiā spectant, facit, ut quicquid de elegantia lingue Latinæ, qui primus ad eloquentiā gradus est, adnoto, id omne ad te potissimum scribam. Cum præsertim nihil eius generis tam exiguum proficiscatur à me, quod non tuo, nescio, iudicio dicam an amori, magnũ esse uideatur. Non repudiabis igitur hoc tanquā exiguũ, quod de pronomine Sui cũ eius deriuatiuo adnotaui, uelut appendicē quæstionis illius, ubi quæ sunt huic cum genitiuis primæ & secũdæ personæ communia (queamodũ scis) disseruimus. Nam illic, quæ trium omniũ, hìc uerò, quæ unius tantũ propria sunt explicātur, eatenus prorsus, quatenus pertinet ad reciprocationem. Hui, dicet aliquis, perexigua, perexilisq; materia, nec satis scribi digna. Isti ego (uitādus est enim in principio maxime contēptus operis) affirmo, non talem sibi introgresso eam uisum iri, sed magnā, profundā, sinuosam, similemq; Labyrintho cuidam, etiam si Minotaurus non inesset: ut uere liceat Vergiliano uersu dicere: Hîc labor ille domus, & inextricabilis error.

Vbi utinam non pleriq; falleremur, non modo plebeij, sed etiam principes in dicendo, ac Theseo pares, qui filio illo Ariadnes, aut nõ utimur, aut abutimur. Neque de nostra tantũ memoria, uerum de aliquot iam proximis seculis loquor, in quibus uix quispiā uitio hoc non laborauit, uel utendi isto pronomine, quũ non oportet, uel nõ utēdi, quum oportet. At quàm usitato, & necessario, quantæ etiā dignitatis uocabulo? Etenim (ut supersedeā de genere hoc toto dicere (quantũ grammaticis, dialecticis, philosophis utiq; in ijs quæ metaphysica uocant, quantum theologis, iurisperitis, oratoribus, quantum denique omnibus sermone utentibus conducit rerum uerborumq; interpretatio, quod propriũ est eloquen

uæ;

tiæ? Certè hoc cuius uim, iusq́ue interpretamur, tanti faciẽdum est inter cætera uocabula, quanti Pluton inter reliqua numina trium maximorũ deorũ, & unus & frater tertius. Rides uicissim comparationis hyperbolen. Tu uerò uel per me licet rideas, tecum etiam risurum, quum (ut inquit Horatius) ridentem dicere uerum. Nil uetat. Rideas inquam, non derideas.. Nam & propius ad ueritatem accedet mea superlatio ridicula, quàm tua cũ detractione derisio. Nec nihil bella, nec inconcinna, nec inepta sanè cõparatio erit. Siquidem quemadmodũ tres filij Saturni (si uetustati credimus) omnia inter se diuisere, ut Iupiter cœlum, Neptunus maria, Pluton inferos sortiretur: ita tria pronomina & inter se germana, & inter ceteras uoces primaria tum omnem personarũ numerũ cõplectuntur (ego simile Ioui, cuius prima est dignitas: tu simile Neptuno, cuius secunda: sui simile Plutoni, cuius tertia) tum omnia deriuatiua per totidem casus singula sibi uendicant. Nam quid est, quod non meum, aut tuum, aut suum dici queat? & licet sui non contineat tertiam omnino personã, tamen illius ueluti fons est, perq́ue ipsum ea tota nuncupatur, diutius nimirũ ac locupletius utroque aliorũ: quoniam plures uoces possidet tertia persona, quàm reliquæ. Et huic quoque Plutoni comparandum, qui Dis à diuitijs, & eadem causa Græcè Pluton appellatur. Et eò quidem magis, quòd sicut Pluton defectũ lucis sentit, eiusq́ue imperium omne ex alieno pendet orbe, quòd hinc illud animæ descendũt, sine quibus nõ existeret illius regnũ: ita sui, & defectũ nominatiui habet, & nisi regimen eius aliũde pendeat, nequit subsistere: & (quod ad rem maxmimè facit) quemadmodũ Plutone preside bene maleq́ue factorũ iudicia exercentur, sic in usu dictionis huius bene maleq́ue loquentes præcipuè iudicantur: ut qui ex hoc iudicio absoluti discesserint, ij optimo iure tanquam ad Elysium eant, cumq́ue Vergilio Anchisa dicant:

Quisq́ue suos patimur manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus.

Quare si pronomen istud tanto deo comparari potest, cur eius tractatio perexigua, perq́ue exilis existimetur? Libuit iocari Ioannes, dum nostram materiam, munus uidelicet in te meũ, non esse tãtopere contemnendam ostendere uoluimus. Sed id ipsa tractatio faciet, meq́ue non modo potuisse illam Labyrintho comparare, sed fortassis etiam intus Minotaurum, id est, desperationem habẽri. De cuius natura & usu cum alij ueteres grammatici nõnulla, tum Priscianus (cui inter cæteros ferè tribuitur palma) permulta præcipit, & haud scio an ulla de re diligentius, ut mirer sic lapsam loquendi consuetudinẽ defluxisse de uia. Nos huiusmodi erroris causas (ut aberrantes reducamus in uiam) quoad facultas feret, diligentius tradere conabimur.

*In quo distent Sui & Suus inter nos & Græcos.* Cap. I.

PRincipio (quoniam Priscianus pleraque ad Grecã figuram reuocat, & hoc in primis pronomen de quo agimus) indicandum est multa esse cum alibi, tum uero hîc inter nos Græcosq́ue dissimilia. Primum apud illos sui, id est, οὗ, οἷ, ἕ, σφέ, σφὶν, σφεῖς, σφῶν, σφισι, σφᾶς, nõ sanè frequenti in usu: & suus, id est, ἑὸς, καὶ σφέτερος, in munus frequenti esse, apud nos uerò frequentissima, & quàm usitatissima. Itemq́ue pro his duobus apud eosdem aliud pronomen, id est, αὐτοῦ, αὐτῷ, αὐτόν, usurpari: quod propriè est ipsius, ipsi, ipsum, ipso: uel ex utroque compositum, ἑαυτοῦ, &c. Et licet nonnihil differant, tamen crebrò illud pro hoc poni, ut uix scias, quid inter ipsa intersit. Neque me fugit ad signandam differentiam illud aspirare solere, quũ pro hoc ponitur: sed nescio an omnes id scriptores obseruarint. Certè nec omnes editiones seruatum habent, & quæ habent, uix ubique: etsi ubique haberent,

non tamen in totū linguę Latinæ responderet. Pręterea hoc ipsum compositum primæ secundæq́ personę accōmodari, non solū tertię, ut προσέχετε ἡμῖν ἑαυτοῖς, apud nos (si uerbum sit è uerbo) absurdissimum, attēdite nobis sibi, siue nobis sibipsis: cum tantundē significet nobisipsis. Postremò apud Homerum, & si qui sunt alij, sexcentis in locis reperiri οὗ, οἷ, ἕ, hoc est, sui, sibi, se: pro eius, ei, eum, eo, siue pro illius, illi, illum, illo: cuius autoritatem imitatum nostrum inuenio neminem. Ita & suam naturam interdum deserit hoc pronomē, & in locū suum aliud succedere patitur. Quod nobis adeò denegatum est, ut sicuti mei & meus, tui & tuus: ita sui & suus nequeant alterum pro altero poni: quum non Latina sit, sed barbara oratio, ego amo amicum mei uel tui, hic amat filium sui, pro meū tuum suum: &, hic me credit omnia facere amore meo, odio tuo, inuidia sua, pro mei, tui, sui, quę apud Græcos non est differētia. Siquidem (ut alibi probauimus) sui, ut mei, tui, nostri, & uestri, passiue semper accipitur. Suus uerò, ut meus, tuus, nostrum, uestrum, noster, uester, possessiue uel actiue: quod Priscianū ignorasse ob Gręcam forsitan imitationem quàm mirum, tam uerum est. Quum ergo tot sint quibus à Gręca nostra dissentit oratio, non quid illi dixerint est intuendum, ne in eundem in quem nonnulli (sicut ostendam) errorem incidamus, sed quid nostri, quorum autoritatem imitamur.

*Non esse tria genera constructionis prædictorum Pronominum, sed reciprocationem sufficere.* Cap. II.

HAec pręfatus, ad rem ipsam uenio, cuius Priscianus tria genera facit. Vnū, quod uocat reciprocum, quum pronomen in seipsum reflectitur: ut, Cato amat se. Alterum quod uocat transitionem, quum per deriuatiuum eius loquimur, ut, Cato amat suū filium, siue Catonē amat suus filius. Tertiū, quod uocat retransitionē, quum accedit alterum uerbum, uel in primitiuo, sic: Cato precatur me, ut sui miserear: Vel in deriuatiuo, sic: Cato precat̄ me, ut sui filij miserear. Sed optimū fuerit eius ad literā subijcere uerba, eaq́ aliquantò longius repetita (quoniā nō in unius tantū quæstionis usum repetētur) quę hæc sunt: Possessiua uerò modis construunt̄ tribus, quū uerba uel à possessore in possessionē, uel à possessione in possessorem, uel extrinsecus transferuntur. A possessore in possessionem: ut, doceo meum filium, doces tuum discipulum, docet ille suum auditorē. A possessione uerò in possessorē: ut, paret mihi meus filius, paret tibi tuus cliēs, paret illi suus seruus. Extrinsecus, ut doces tu uel ille meū filium, doceo ego uel ille tuū filium, doceo ego uel tu suum uel illius filium. Sed melius hoc per transitionem: ut, rogat ille me, ut doceam suum filiū. Quum enim suum sit relatiuū, exigit, ut prius cognoscatur persona possessoris sui, ad quam referatur. Et sciendum, quòd omnia possessiua, possessoris quidem personam secundum primitiuum significant. Possessio uerò ipsa tertiæ est personæ, ut meus, tuus, suus, quomodo & nomina quibus iunguntur: ut, meus pater, tuus filius: excepto uocatiuo qui solus in primæ personæ possessiuis inuenitur, quū secūdæ copulatur personæ: ut, mi pater, ô mea Tullia, ô noster Chremes. Omnia tamen possessiua in genitiuos primitiuorū, non solum nominibus, sed etiam uerbis transitiuis sociata, possunt resolui: ut, amicum meum moneo, pro amicum mei: & Euandrium filium Turnus interfecit, pro Euandri filiū: & Daunius filius ab Aenea uictus est, pro Dauni filius. Hoc autem interest inter possessiuū pronomen, ut meus, tuus, suus, & primitiuū mei, tui, sui, quòd uoce possessiui genus, & casus, & numerus ipsius possessionis ostendit̄, & substantiua quidē uerba possessiuis cōiuncta ad possessores referūtur: ut, tuus sum filius, & meus pater es, & suus est illius seruus. Et aliquātò posterius. Nos uerò primitiuis quidē, id est, sui, sibi, se, à se, uel p reciprocationē: ut, sui potitur, sibi indulget: uel per retransitionē utimur: ut, hortat̄

me ille, ut sui potiar: rogat te ille, ut sibi indulgeas. Possessiuis uerò quum in ea possessiuorũ fiat transitio: ut, sui serui miseretur, & suo seruo prodest, & suũ seruum diligit. Nec aliter tamen potest supradictũ possessiuũ tertię personæ cõstrui cum alijs extrinsecus personis, nisi per transitionẽ (quomodo & primitiuũ eius) id est, nisi prius à possessore eius proficiscatur in aliam uerbi personã, & sic ab illa rursus ad possessionem tertiæ, sicut & ad se: ut, rogat me ille, ut suus seruus ministret mihi uel tibi: precatur me ut sui patris miserear: petit te, ut suo prosis filio: obsecrat Cicero Varronẽ, ut suum erudiat gnatũ. Et notandũ quòd quũ à tertia in tertiam fit transitio personã, in dubium uenit, possessio ad quã pertineat earũ: ut, rogat iste illum ne suo noceat filio, ambíguũ, cuius filio suo, istius an illius, id est, an rogãtis, an eius qui rogatur: quomodo & apud Græcos, παρακαλεῖ πλάτωνα Ἀριστοτέλης ἵνα τὸν ἑαυτοῦ φίλον παιδεύσῃ. dubium fit utrum sit Platonis, an Aristotelis suũ. Hæc ille. Non uideo, quid opus fuerit hac diuisione, quũ et alia genera et aliæ species esse possint, ut posterius apparebit, neq; hæc ipsa satis inter se distincta sint. Quæ enim species hæc erit? Cato cupit me amicũ sibi uel suũ, optat te coli à se & à suis, ait domũ tuã se autore extructã, siue sua pecunia, relinquam Reipub. testimonium meæ in se uoluntatis, rex est domi suæ lętus sua gloria, sua quenq; delectant, terra per se stat: & alia plura: ut fortasse sicut expeditius, ita satius fuerit hæc omnia appellare reciprocationem, quod propemodũ Priscianus ipse cõfitetur, quũ longe pòst inquit: Non tamen hoc fit, nisi prius à tertia persona uerbũ aliquod (ut diximus) proficiscatur ad aliam extrinsecus personã, & sic ab illa per retrãsitionem ad eam reciprocet aliud uerbum: ut, rogat me ille, ut ad se ueniã: petit te, ut sibi des, hortatur milites Imperator, ut se largo potiant. Quapropter hoc tanq; generali uocabulo (si modò ausim dicere) solo uti possumus.

*Vnde dicta sit Reciprocatio.* Cap. III.

QVod ex eo dictum est, quòd sicut reciprocatur spiritus, quum recipitur, & unda uicissim alluens littus, & Euripus ad pristinum subinde cursum rediens reciprocus est: ita hæc pronomina alterum primitiuum, alterum deriuatiuum ad id unde prodierant, reuocantur. Quod Græci ἰδιοπαθὲς & ἰδιοπάθειαν uocant. Priscianus interpretatur sui passum, & sui passionem, tum dure, tum minus apte: quia sui (ut diximus) tantummodo passiuè accipitur. Satis autem erat reciprocum & reciprocationem dixisse.

*Quomodo solœcismus admittatur in Sui & Suus.* Cap. IIII.

ET hac quidem quomodo sit utendũ, ex superioribus liquet. Quonam autẽ modo aliqui abutãtur, Priscianus ostendit, inquiens: Tertiæ uerò personæ possessiuũ sine uoce altera significante possessorẽ suum, non potest adiungi alij personæ per ser se. Si dicam, seruus suus ministrat mihi uel tibi, solœcismũ facio, propemodũ ipse præceptor hoc pronomine abusus est. Ego dixissem ipsius, ut referatur ad possessiuũ, potius quàm suus, quod referri uidetur ad uocẽ alteram, quod ille nõ sentit. De quo latius postea. Sed cur de primitiui solœcismo omisit exempla? quæ res multũ faciebat ad hoc uitium deuitandum, ego dixi sibi, non est sibi curę Respublica, tu fuisti secum: pro eo quod est, ego dixi ei, non est ei curæ Respublica, tu fuisti cum eo. An quòd temporibus eius in hoc nunquàm, aut uix unquàm peccabatur? Quippe cum hac quoq; tempestate minus in sui peccetur quàm in suus. Sicut enim datiuo et ablatiuo postposita præpositione cum, prout exẽplis docui, & nonnunq̃ forsitan genitiuo: ut, feci amore sui, uulgus utitur: ita non utitur accusatiuo ablatiuoq;. Quis enim è uulgo sic loquitur: uidi se, pergo ad se, indigeo se, redeo ad se? profectò (quòd sciã) nullus: ut si rectè ratiocinamur, minor sit eius pars, in qua peccatur, ut pote non planè per duos casus: tu uerò in suus per omnes: per nominatiuum, quale fuit Prisciani exemplũ: & in

apposito: ut, hoc est opus suum: per obliquos: ut, ego sum amicus patris sui, tu non places filio suo, legisti librũ suum, pone hoc ad pedes suos, libris suis fruor, in hortis suis cœnauimus, pro eius, siue ipsius, siue illius: quæ dici non Latinè, si qua ratio est, reddi ista potest. In primitiuo quidem (quòd quum inter hunc modum loquẽdi quẽ reformidant, & illum quo utũtur, nihil intersit) palàm est eos (semper enim falsitas se ipsa cõuincit) sua confessione peccare: ut nuper quendã literarũ Græcorum ignarum, quem, quòd negaret propter loquendi cõsuetudinem dicendum esse Aristoteles, ita sum percõtatus, nónne Aristotelicus omnes dicunt? Quumq; ille respondisset, etiã: ergo, inquam, etiã uestro testimonio dici debet Aristoteles, nõ Aristotiles, ut fieri possit Aristotelicus. In deriuatiuo autẽ quod consequens est, quum hoc sit eiusdem naturæ; quod illi tãquam genitori uel domino, uel duci non licet, id huic uel filio, uel seruo, uel militi non licere.

*Prima causa, cur Sui & Suus abutimur, pro Eius uel Ipsius, uel Illius. Cap. V.*

VErum hic quispiam, neq; hac mea ratione contentus, neq; Prisciano satis fidei habens, aget nobiscum autoritatibus, opponetq; Vergilianum illud:

Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi.
Namq; suam patria antiqua cinis ater habebat.

Quod haud dubiè illi simile est, Seruus suus ministrat mihi, siue, seruũ suum uidi, & cætera quæ protuli paulò antè per omnes casus exempla. Vbi, etsi abest ad quod referatur suus, id tamen subauditur: nemo enim dicit suus, nisi de eo, cuius habita sit mentio: ut si roganti, ubi est Titus? respondeas, nescio, seruus suus est hic, uel seruũ suũ uidi. In quo si solœcismus est, & in uersu Vergiliano sit necesse est. Sin in hoc nõ erit, falsò ait Priscian. in illo esse. Quid igitur ad hoc dicemus? Si Vergiliũ damnamus, tantũ uirum, & poëtarũ Latinorũ longè principẽ, quis ferat? & non eius autoritatẽ qualibet ratione potiorem existimet? Sin Priscianũ, iam omnis huius rei ars subuerteretur, nullamq; aut superuacuã maximorũ autorum fuisse dicamus obseruationẽ oportet. Ego etsi uideo Priscianũ (si modo animaduertit) hoc dissimulasse, tamen ipse nõ dissimulabo, aut iam non dissimulaui potius: quippe qui superioribus exemplis simile esse confessus sum. Sed, uel poeticam licentiam excusandam reor, uel operis imperfectionem. Etenim credere libet Vergilium, quum talem quendam uersum faceret: Aeneid. 4.

Namq; suam patria liquerat tellure sepultam:

impeditũ prima syllaba uerbi longa, mutasse formam dicẽdi, atq; ita in solœcismum (si dictu fas est) incidisse: an non illud huic ex superiore libro, etsi non persimile, tamen non dissimile prorsus est?

Viuite felices, quibus est fortuna peracta Iam sua. Pro uestra positum est sua. Quòd si quis dicat positũ esse pro propria, rectèq; hoc dici: ut id rectè diceretur, Viuite felices, quibus est fortuna peracta. Iam propria, hic nihil dicit, quum suũ etiam prò proprio acceptum naturæ tertiæ personæ nõ mutet, nemoq; sic loquatur: est mihi, aut est tibi suus scribendi mos, quũ tamen dicamus, est mihi, aut est tibi proprius scribẽdi mos. Nam in illo huius eiusdem poëtæ uersu: Quisque suos patimur manes: non refertur id suos ad primã personam, quia sic resoluẽda est oratio: nos patimur manes, sed quisq; nostrũ suos. Eiusmodi passim reperiũtur exempla: ut, quũ in bibliotheca nos ad suum quisq; studium libros euolueremus. Non est autẽ Vergiliano de quo disputamus, Ouidianum illud simile: Respice Laërten, ut iam sua lumina condas: Aeneid. 3. Aeneid. 6. Epist. 1.

Vbi nonnihil rationis est, quòd utrunq; uerbum eidem supposito seruit. Hæc igitur Vergilij autoritas (& si qua sunt eiusmodi apud alios loca, quorum nonnulla posterius attingam) prima extitit causa (ut iam causas enumerare incipiam) uulgaris erroris.

Secunda

*Secunda eiusdem causa.* Cap. VI.

ALtera, quòd nonnullis in locis, siue hominum, siue temporum culpa libri corrupti sunt: ut apud Ciceronem in Sallustiũ: Quòd si istius uita memoriam uicerit, aliã Patres Cõscripti, non ex oratione, sed ex moribus suis spectare debetis. quem locum (nisi emẽdetur) non cõfido me expositurum. At qui se exponere posse confidunt, ut in tota sententia, sic in uerbo suis, quid ratio poscat, non respiciunt: nec solum communis est huiusmodi menda librorum, sed etiam priuata in suis cuiusq; codicibus. Nec aliunde factum est: ut q; encleticã quidam præponant (quorum sunt Ebrardus & Alexander) nisi quòd Vergilium male legunt, ut in illo uersus:

Se satis ambobus Teucrisq; uenire Latinis. pro Latinisq;.

*Tertia causa.* Cap. VII.

AT que hæ quidem causæ citra nostram forsitan culpam sunt. Totidem autem quę sequnntur nobis utiq; assignandæ sunt, nonnihil ex duabus superioribus alimenti sumentes. Prior, quando non præuidemus quò referatur hoc pronomen, quadam ambiguitate decepti, ut Apud Vergilium:

En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi.

Et apud Quintilianum: Itaq; accedam in plerisq; Ciceroni. atq; in ijs ero, quę indubitata sunt, breuior, in quibusdam paulum fortasse dissentiã. Nam cum etiam iudicium meum ostendero, suum tamen legẽtibus relinquam: quasi id suum de Cicerone dicatur, non de legentibus. Et alibi, dum idem autor cur Ciceronis exemplum contraxerit, inquit: Quæ quia erant longiora, non suis uerbis exposui: suis acciperent pleriq; pro Ciceronis, quum sit accipiẽdum eo modo quo illud: exponam altercationem nostrã suo ordine, ac suis uerbis. Idem quoq; in primitiuo contigit, ut apud eundem: Nam & de filio nihil aliud perdiderat misera, nisi dies: nec iam timebat, ne ille, quo fruebatur, mori posset: plãctibus, lachrymisq; (penè improbe dixerim) parcius utebatur, nec sibi permittebat dolor lugere uenientem. Nam id sibi ad dolorem refertur, non ad matrem. Permulta sunt huius generis exempla, in quibus errandi ambiguitas est causa. ex quadam rei similitudine nobis labantibus: ut quia illud bene dicitur: Adolescens assiduè à me increpatur, obiurgatur, castigatur, hoc suis nõ placet: uideatur & hoc bene dici: Adolescẽtem assiduè increpo, obiurgo, castigo, quod suis non placet: quod ipsarum statim iudicio aurĩũ probabile est: hoc autem secus, & perinde est ac si dicas, me increpare adolescentem assiduè, obiurgare, castigare suis nõ placet: nisi quis uelit uerba hæc actiua passiue resolui posse, & huius generis locum illum esse Ciceronis: Qui autem annus ei primus ab honorum perfunctione aditum omnium consensu ad summã autoritatem dabat, is eius omnem spem, ac omnia uitæ consilia morte peruertit. Fuit hoc luctuosum suis, acerbũ patriæ, graue bonis omnibus. Illud transeo, quod in neminem nisi stultũ cadat, ut hoc non intelligat, quale est apud Quintilianũ: Tu prima docuisti sibi nõ parcere, potius quàm plus flere: ubi subauditur, illum, ut sit: Tu prima docuisti illum sibi non parcere, seu suis.

*Quarta causa.* Cap. VIII.

POsterior (quæ eadem quarta est) causa, quod uidemus indifferens esse, an quis dicat, omnes optant, quod sibi utile est, uel quod ipsis utile est. Ille repetit quod suum, siue quod ipsius est. Quisq; uult, quod sibi, uel quod ei, siue ipsi expedit, prodest, conducit, placet. Idq; apud summos quosq; scriptores. Cicero pro Marcello: Multi dubitabant, quid optimum esset, multi quid sibi expedire. Idẽ pro Ligario: Legatus in pace profectus, in prouincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Idem in Philippicis: Dicit enim si quis eorum, qui prius se rogati essent, grauiorem sententiã dixisset, in eam se iturũ. Quintilianus

in Milite

in Milite Mariano: Neq; ignorauit, quæ manarent ad eum pericula. Dixit de is, dicā de ipse, addamq; de ille. Cicero pro Rabirio: Nec enim cuiquā eius consiliū uehementius, quàm ipsi displicet. Et in Officiorum 3. Vas factus est alter, ut si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Et in Offic. 1. Homo qui erranti comiter monstrat uiā, quasi de suo lumine lumen accendat, facit, ut nihilominus ipsi luceat, quum illi accenderit. Idem pro Marcello: Est uerò fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum uentura sit, lætitia peruenerit. Quintil. in Pariete palmato: Quapropter non petit, ut illum miserum puteus, nisi & innocens fuerit. Et in Milite Mariano: Affirmo tibi C. Mari, non sic nuper repugnasset, si illum tribunus uoluisset occidere. Adijciam unum de libris ecclesiasticis exemplum, de quibus postea locuturus sum: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrē nostrum daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, In sanctitate & iustitia coram ipso. Aliquando uidere licet, ubi desideres eum, ibi esse se, & rursus ubi se, ibi eum. Cicero pro Ligario: Atq; hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret. Et per amphiboliam libro Officiorum 1. Nam negligere quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti: Non'ne licebat hic dicere, quid de eo quisq; sentiat, ut in illo eiusdem pro L. Sylla? Quid est huic quod eum in hac uita teneat? E diuerso alibi: Hic igitur Titus Ligarius qui tum nihil aliud egit (neq; enim hoc diuinabat) nisi ut tu eum studiosum & bonum uirum iudicares, nunc à te supplex fratris salutem petit. Vbi ego citius dixissem se, quàm in illo eiusdem ad Atticum: Subquerulas literas miserat, quòd quædam constituta à se rescinderem: cum non minus belle diceret, quòd quædā ab eo siue ab ipso. Hanc eandē differentiā agnoscas interuentu præpositionis, sed magis in ipse quàm in is. Quintil. quinto Institutionum: Nec libenter exemplum, quod in se fortasse recidat, facit. Idem in 6. Quanquàm aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, euitent. Sæpe duo hæc coniuncta reperias uel nulla, uel aliqua interueniente præpositione, & præcipue inter, ut idē in decimo: Quum sit diuersa non earū modo inter seipsas conditio, sed in singulis etiā partibus causæ, sintq; alia leniter, alia aspere, alia concitatè, alia remisse, alia docendi, alia mouendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis, atq; diuersa inter se ratio est. Huius præpositionis & illa proprietas est, quòd nihil interest, an se, an ipso utaris, quum antecedit uel genitiuus (ut in proximis exemplis, & in hoc Tulliano: Nec mihi cęterorū iudicio uidetur solum, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributū fuisse) uel datiuus aut ablatiuus, ut apud eundem Quintil. Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipsos, & philosophos pugna est. Et iterū: nā in magnis quoq; autoribus incidūt aliqua uitiosa & à doctis inter ipsos etiam mutuò reprehensa. Secus quoties antecedit nominatiuus accusatiuus'ue, ut apud Ciceronem: ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos & delectat, hoc ipso quid inter se omnes partes quodam lepore consentiunt. Et iterum: Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse. Vbi ego non ausim dicere inter ipsas, & inter ipsos. Nam illud ab hoc genere diuersum est, quale apud Quintilianū: Nemo igitur dubitauerit, longe esse optimum genus Atticorum, in quo, ut est aliquid inter ipsos commune (id est, iudicium acre tersumq;) ita ingeniorum plurimæ formæ. Hactenus exempla de Sui, nunc de suus proferam. Cicero Officiorum (unde modo protuli exempla) libro primo: In primisq; uersutum & callidum factum Solonis, qui (quò & tutior eius uita esset, & plus aliquanto Reipub. prodesset) furere se simulauit. Et in eodem: Illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate. Rursum in tertio: Quid Agamemnon?

Q quum

quum deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset. Et in eodem: Piscatores ad se conuocauit, & ab eis petiuit, ut ante suos hortulos postera die piscarentur. Inusitatius in eodē: Quid dominus nauis, eripiet'ne suum? minime: non plus quàm si nauigantem in alto eijcere de naui uelit, quia sua sit. Nec minus inusitate pro L. Sylla, si modo syncera scriptura est: Sylla si sibi sunt pudor & dignitas non prodesset, nullum auxilium requisiuit. Vtrunq; probatur ex altero: illic quidem licuisset dicere, quò tutior sua uita, & quæ erunt in sua potestate, hic autem quod in ipsius regno, & ante ipsius hortulos, & quia eius illa sit, & si ei suus pudor. Cæterū in ijs testimonijs duplicia uerba fuere: quid ubi sunt singula? Nempe idem fieri uidetur, nec differre utrum dicas, cepi columbam cum pullis suis, an cum pullis eius. Inueni turturem in nido suo, an in nido eius. Expuli leonem ex antro eius, an ex antro suo. Necaui lupam & catulos suos, an catulos eius siue ipsius. Tuetur nos deus propter suam clementiam, an propter eius ipsius'ue clementiam. Ante domum suam me inclamauit, an ante domum eius, ipsius'ue, & similia. Ego uerò ita sentio, quum interuenit copula, non licere uti suus: quia nulla tunc est reciprocatio. Ideoq; non catulos suos dicendum, sed eius. In cæteris, si substantiuum pronominis sui respicit ad suppositum, suus utiq; dicendum: sin ad appositum, sæpius eius dici, siue ipsius, siue illius. Ad suppositum: ut, Tuetur nos Deus propter suam clementiam, non propter eius: quemadmodum dicimus, tuetur nos Deus sua bonitate, non eius bonitate. Inclamauit me ante domum suam, non ante ipsius: quemadmodum dicimus, eiecit me domo sua, non domo ipsius siue eius. Ad oppositum: ut, amamus Deum propter bonitatem eius: Allocutus sum hominem ante domum eius, libentius dixerim, quàm suam. Item, cepi columbam cum pullis eius: inueni turturem in nido eius: expuli leonem ex antro eius: nec tamen ratio obstat, quin & suo dicatur, ac ne autoritas quidem Ciceronis de Republica libro 6. Itaq; ego illum de suo regno, ille me de nostra Republica percontatus est. Terentius in Adelphis: Suo sibi hunc gladio iugulo. Nisi si quod addatur apposito adiectiuum, uerbum'ue ad quod fieri reciprocatio debeat: quod genus est: Inueni leonem iratū, ac sæuiorem ob amissam prædam suam: Video columbam tristē in periculo pullorū suorum: Nosti illum minus suo, q̄ suorū casu perterritū: Sentio hominem ambulantē per domum suā, non per domum eius: Item, Scio illū dolere fortunā suam: & in primitiuo quoq;: ut, Opinor hunc cognoscere contemptum sui. Illud transeo, neminem posse errare, quū suus est substātiuum, ut eius, aut ipsius, aut illius utatur: ut, comperi illum cum suis, siue inter suos: quinetiam uix erratur, quū accipitur pro proprio: ut, de hac re dixi suo loco, non ipsius: &, referam hæc omnia suis locis, ac temporibus non eorum.

*Causa cur eius, ipsius, illius, abutantur pro suus.* Cap. IX.

ATque ex ijs quidem quæ cōmemoraui, nō modo factum est, ut multi pro eius, siue ipsius, siue illius, uterentur suus: uerumetiā ut ecōtrario pro hoc illis abuterentur (de quo solœcismo nullam facit Priscianus mentionem) qualia sunt mea proxima exempla: ut, uideo columbam tristem in periculo pullorum eius, uel columba luget pullos eius, & quale donati grammatici (ut grammaticos potissimum suæ artis admoneam, si modo Donati grammatici libellus est de uita Vergilij, in quo alterius quoq; generis uita reprehēdas) ait enim loquēs de Vergilio: Voluit etiam eius ossa Neapolim, transferri, ubi diu & suauissime uixerat. Ac paulò pòst: Translata igitur iussu Augusti eius ossa (prout statuerat) Neapolim fuere sepulta uia Puteolana intra lapidem secundum, suoq; sepulchro id distichon, quod fecerat, inscriptum est. Et iterum: Item rogauit, quo pacto quis altam felicemq; eius fortunam seruare posset: Superius uerò: Quod

qu um

quum magister stabuli Augusto recitasset, duplicari sibi in mercedem panes iussit. Et alibi aliquoties sibi uel suo pro eius, & eius pro suo uel sibi. Verum è Græca quoque figura non minimum causæ accessit huic errori, id quod me pollicitus sum ostensurum. Nam pro uno αὐτοῦ liceat dicere tum suus, tum eius, tum ipsius, tum illius (non tamen quodlibet semper) tardus aut indiligens interpres, quando hoc & quando illud competat, non dispicit. Quo uitio in interpretatione quidem ecclesiasticorum librorum omneis interpretes decepit lingua peregrina. Sed nos indigni reprehensione, qui maioribus credimus: illi uerò digni, qui maioribus suis credere noluerunt. Quo magis ex ijs præcipue uitiosa à me sunt exempla proferenda, ut errorem nostrum, ubi fontem eius agnouerimus deuitemus: quum tamen ex hoc nec contumelia ulla fiat libris ecclesiasticis, Hebræa tantum aut Græca lingua loquẽtibus: nescio an honor potius habeatur, nec magna eorum traductoribus, si modo dignitatis horum ratio habẽda est, qui uel incerti sunt, uel ignoti, uel inter se dissidentes. Hoc mihi dissimulandum non fuit, uel ob id, ne quis mihi istorum obijceret autoritatẽ. In psalmis igitur (quos Hieronymus certe non transtulit) ubi pleraque huiusmodi certe translata sunt, illud non recte: A gloria eorum expulsi sunt, pro à gloria sua. Et iterum: Qui exacuerunt ut gladium linguas eorum, pro linguas suas: Et iterum: Saturati sunt filijs, & dimiserunt reliquias paruulis eorum, pro suis. Et iterum: Perierunt propter iniquitatem eorum, pro suam. Neque uero me latet, in quibusdam codicibus recte legi, sua, suas, suis, suam. Sed ego rem, nõ hominem noto: necnon ibi: Et abstulit sicut oues populum eius, quod melius alibi legitur suũ: sicut ibi quoque: Sicut locutus est per os sanctorum suorum, qui à seculo sunt prophetarum eius, alibi melius, Per os sanctorum prophetarum suorum, qui à seculo sunt. In his omnibus Græcè est genitiuus αὐτοῦ, αὐτῆς, αὐτῶν, ille pluralis, hic singularis. Aliquando etsi eius, seu ipsius, seu illius tolerari potest, tamen Latinius est suus, ut in eisdem psalmis: Neque descendet cum eo gloria eius, pro sua: tametsi aliqui nõ legunt eius. Et iterum: Desiderium cordis eius tribuisti ei, & uoluntate labiorũ eius nõ fraudasti eũ: pro sui & suorũ. Et iterum: Brachiũ eorum nõ saluauit eos, pro suũ. Et iterũ: Benedicite domino oẽs angeli eius, benedicite domino oẽs uirtutes eius, benedicite dño omnia opera eius: pro sui, suæ, sua: quale est illud in Apoc. Opera enim illorũ sequunt̃ illos: quod ego citius dixissem, opera eñ sua. Huius tamẽ generis nõ est, si interuenit uerbũ, ad hunc modũ: Quòd pater non amarit te, siue patrem nõ amasse te, probat ipsius testamentum, potius quàm suum, ut est apud Quintilianum lib. I. Quomodo & ipsum & Vergilium quoque scripsisse manus eorum docent. Nam in illo apud psalmos. Omnia à te expectant, ut des illis cibum in tempore, dante te illis colligent: illis pro sibi positum est: de secundo, illis magis loquor, quod sibi quoque translatum inuenio. Suo autem pro eius (quod superioris generis initium est) illic: Ad nihilum deductus est in conspectu suo malignus. Et iterum: Si autem dereliquerint filij sui legem meam: quanquàm lego in quibusdam editionibus utrobique eius. Et iterum: Anima autem mea exultabit in domino, & delectabitur super salutari suo: nam id suo, ad dominum refertur, non ad animam: quemadmodum Græcè αὐτοῦ. At ibi nescias an uarietate gauisus interpres sit, an consilio mutauerit: Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se. Et in eodem psalmo paulò pòst: Misericordia domini ab æterno, & usque in æternũ super timentes se: & iustitia illius super filios filiorum, his qui seruant testamentum eius. Et: Memores sunt mandatorum ipsius, pro his quinque nostris, suã, se, eius, ipsius, illius, unum est pronomen Græcè αὐτοῦ, αὐτῶν, αὐτῆς. Idem, quod mo-

 do

do dixi, quod nunc aspiretur nec'ne, non attinet dicere, ut taceam raris in codicibus psalmorum reperiri hanc diligentiam. Nam cæterorum ecclesiasticorum librorum in nullis adhuc reperi, nec eam (iudicio meo) satis exactam. Vter tamen sermo melior, super timentes se, an super timentes eum, lucis duntaxat gratia, super timentes eum, uel ipsius interpretis testimonio, qui priorem quodammodo posteriore correxit: nisi uarietatis gratia id fecit. Huius generis ille quoque locus est: Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. quòd si dixisset aduersus eos qui ipsos angustrauerũt, obscuritatem deuitasset, ut taceam quòd magis ad uerbum etiam transtulisset.

*Quomodo uitetur amphibolia in sui, & suus.* Cap. X.

ENimuero euitatur obscuritas hęc amphiboliæ per aliquot ferè trisś pronominũ, Is, Ipse, Ille, quæ cum alijs duobus Sui & Suus, modo pugnant, modo conueniunt, ritu Troianorum puerorum, ut est apud Vergil. Aeneid. 5.

Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula uertunt
Infensi, facta pariter nunc pace fruuntur.

Mutaui modo se in ipsos, mutabo alio exemplo in eos, ut fecit interpres superius in psalmo, si tamen mutasse dicendus sit. Cicero in Bruto: Is soceri instituto, quem (quia cooptatus in augurum collegium non erat) non admodum diligebat: præsertim quum ille Q. Scæuolam sibi minorem natu generum prætulisset. Nam id sibi (ut Quintiliani uerbis utar, qui eum notat) & ad socerum referri, & ad Fannium potest. At si dixisset ei, de Fannio utique locutus intelligeretur, aut si ipsi, aut si illi, sic, præsertim quum is Q. Scæuolam illi. Et ego quidem deuitare cupio amphiboliam. At Priscianus (cuius hoc erat officij) quum eam notat, non modo id non facit, uerumetiam in ipsam incidit paulò post, dum ait: Vel quum transitum facit in aliquos sibi coniunctos, ut ille miseretur eorum, qui secum uiuunt, uel sibi parentium, uel secum degentium, dat sibi fauentibus, incusat secum certantes, & inuidet se indigentibus. Nam id sibi & id se (quum tam pluralis sit numeri, quàm singularis) quò referatur, ambiguum est: sed hæc amphibolia in primitiuo est, illa quam ipse notat, in deriuatiuo, rogat iste illum ne suo noceat filio. Quasi uerò nihil ad rem faceret, illud de Cicerone & Varrone, aliud ambigui protulit exemplum.

*Suus est illius seruus, & similia male dici.*

Cap. XI.

IN quo etiam exponendo, quod in illo non fecisset, errauit, ut ad aliam quæstionem transeamus. Errauit enim, inquiens, ambiguum cuius filio suo, istius, an illius, cuiusmodi est, quod superius dixi: doceo ego uel tu suum illius seruũ: Et iterũ: suus est illius seruus. Et iterũ: suus, illius, ipsius, istius hominis. Inque alia longe pòst materia, nisi substantiuis uel uocatiuis uerbis adiungãt, sicut & nomina, meus es filius, meus uocatur seruus, tuus nominor parens, tuus est pater, suus illius sum filius, suus illius es filius, suus illius est filius. Et aliquantò pòst non semel, quæ uerba mox subiungam, quorum Prisciani exemplorum unũ est: Suus Vergilij uersus: simile illi, Vtrum Platonis an Aristotelis suũ? Quod sermonis genus (quantum memini) nusquam inueni: eoque mallẽ aliena prompsisset exempla is, qui hoc tradit, quàm sua finxisset. Ad hoc probandum ea quoque facient, quæ de coniuncta huic materia disputabimus.

*Suus neque discretionis, neque abundantiæ causa posse addi ad Ciceronis uel istius filius, sed potius redundare.* Cap. XII.

IAm uerba, quæ modo promisi me subiuncturum, utrique, atque adeò multiplici quæstioni seruient, & idcirco prolixius recitentur, quæ hæc sunt: Discretionis quoque causa, uel abundantiæ, solet cum genitiuo possessoris addi nominatiuus

ilius possessiui:ut, situs est Homeri mos:intelligitur enim non alterius:& suus Ciceronis filius hęres est patris constitutus, suus dicitur ad discretionem illius qui secundum leges non est suus:id est, sub potestate patris legitimi non est. Quòd autem suus pro uniuscuiusque proprio accipitur, usus confirmat. Vergilius Georg. primo, Molles sua tura Sabęi. Terentius in Phorm.
Quot homines tot sentētię, suus cuique mos est. Sin autem in possessionem fit à possessore transitio, obliquis possessiui utimur, ut Cicero miseretur filij sui; præbet suo filio, aspicit suum filiũ, potitur suo filio. Sin extrinsecus fit transitio in possessionem tertiæ personæ, sufficit genitiuo uti ipsius possessoris:ut, misereor filij Ciceronis: dono filio Ciceronis: accuso filium Ciceronis. Licet tamen etiam addere possessiui casus cōsequentes, uel discretionis causa, uel abundantiæ:ut, egeo ingenij sui Ciceronis: benedico ingenio suo Ciceronis, & similia. Illud quoque sciendum, quòd cum in alijs omnibus possessiuis liceat primitiui genitiuo pro omni eorum uti casu, quod ostēdimus, in hoc quoque possessiuo pronomine tertiæ personæ, quomodo in alijs tunc utimur, quum ipse possessor aliquid agat in possessionem suam, & cum in aliam personam transitum ostendatur facere pro sua possessione:ut, amat ille suum filium, & amat sui filium: benedicit suo filio, & benedicit sui filio: petit à me ut prosim suo filio, & ut prosim sui filio. Si ipsa tamen possessio in possessorem faciat transitionem, non est congruum uti primitiui genitiuo pro possessiuo: quia uim habet compositi Græci: ut, Ciceroni redit suus filius, non satis cōmode per hoc dicitur, Ciceroni redit sui filius: nec, Ciceronē laudat suus filius, pro sui filius, & similia: quia nec apud Græcos bene dicitur, Κικέρωνα φιλεῖ ὁ ἑαυτοῦ υἱός, nisi more Attico pro simplici cōpositum accipiatur. Et sciendum quòd quia primitiuũ eius tam singulare, quàm plurale est, licet in possessiuo & unum, & plures possessores eius intelligere, pro significatione genitiui ad possessorem pertinētis:ut, suus illius, & suus illorum: nec mirum si per transitionem Romani utuntur his pronominibus, sui, sibi, se, à se, & eius possessiuo, ut ostendimus, necnon si ad coniunctionem sui, ad alias etiam personas aliquid agat:ut, ille uocat me ad se, ducit te secum, trahit omnia in se:uel quum transitum facit in aliquos sibi coniunctos: ut, ille miseretur eorum, qui secum uiuunt, uel sibi parentium, uel secum degentium: dat tibi fauentibus: incusat secum certanteis:& inuidet se indigentibus. Et uidentur hæc omnia possessiuorum uim habere, & similia, nec incongrue huiusmodi constructionem habuisse. Cum Attici quoque soleant huiusmodi compositis uti in constructionibus. Xenophon Ἀπομνημονευμάτων primo: Ἀλλὰ σωκράτης ἔφη ὁ κατηγόρος τοὺς πατέρας προπηλακίζειν ἐδίδασκε πείθων συνόντας αὐτῷ σοφωτέρους ποιεῖν τῶν πατέρων.
Quod autem etiam genitiuo uel datiuo, qui loco sit genitiui possessoris, bene additur etiam possessiuum (ut supra diximus) non solùm nostrorum, sed etiam antiquorum usus comprobat. Vergilius in Bucolicis:

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt lauri, & suaue rubens hyacinthus.

Terentius in Adelph. Suo sibi hunc gladio iugulo. Plato in Timæo: μήτ' ἄρα ἀργύρεον μήτε χρυσίον μήτ' ἄλλο μηδὲν κτῆμα αὐτοῦ ἴδιον. Et (quod mirũ est) hoc ipsum τὸ ἴδιον etiam primæ & secundæ adiungitur personæ apud illos, ut Isæus ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην: οὐκ ἂν τὰ ἴδια τἀμαυτοῦ: pro quo nos dicimus, meum proprium, & tuum proprium. Dicitur tamen etiam suum proprium illius, ut non putetur abundare suũ, sed indubitabilem discretionem significare. Illud quoque notandũ, quòd tertiæ personę possessiuum ad innumerabiles (ut dicimus) refertur personas: quippe cũ ad omnia tertię personę pronomina, & ad omnia nomina & participia potest referri, ut suus illius, suus istius, huius eius, suus Vergilij uersus,

sua discentis diligentia. Primæ autem personę possessiua & secundę, non egent per se prolata adiunctione alicuius genitiui, quum uim genitiui finiti in se habeant: quomodo nec suus eget genitiuo sui primitiui. quem in se possidet, sed extrinsecus alterius uocis propter multitudinem tertiarũ personarum. Præter rem fuerit hîc notare tam multas, atq; adeò innumerabiles tertias personas, quũ tantum una sit, sed huius personæ innumerabiles uoces. Primum aliud est suus illius filius, & cætera. Aliud suus est Homeri uel Homero mos, & suus cuiq; mos. Et apud Catullum: Suus cuiq; innatus est error: quoniam hic accipitur suus pro proprius, illic minime. Deinde nulla illic reciprocatio, quæ hic est: quippe intercedente uerbo inter suus & genitiuum datiuum'ue: sic, Homeri uel Homero est mos suus, siue mos suus est Homero: cuiq; est mos suus, siue mos suus est cuique: cuiq; est innatus suus error, siue suus error est innatus cuique. Phœbo sunt semper lauri sua munera apud me, siue lauri sua munera sunt semper Phœbo apud me. De quo genere construendi, posterius quid sentiam, apparebit. Nam illud exemplum:

India mittit ebur, molles sua tura Sabæi:

inutile exemplum est, in quo non accipitur sua pro propria: sed quomodo quum dicimus: mittunt suos legatos, suos milites, suas naues, sua agmina: quo etiã modo accipitur in Terentiano exẽplo: Suo sibi hunc gladio iugulo: quod sibi nulla nisi festiuitatis cuiusdã gratia additum est, nec ita cohæret cũ hoc ablatiuo datiuus sui primitiui, ut fit in illis genitiuis, suus illius, suus Aristotelis, Platonis'ue, nullo pacto separabilibus. Nam si separes, iam alterũ genus loquẽdi erit, de quo nõ loquitur Priscianus hoc loco, suusq; significabit quod proprius. Separet aũt interiecto uerbo, ad hunc modum: Suus est illius mos, sua est istius natura, suus est Aristotelis modus, suum Platonis genus, suus est Vergilij uersus, sua est discentis diligẽtia, sua docentis. Et sine uerbo substantiuo: suus tenet dolor patrem, suus matrem: nec procul ab hoc abest Vergilianum illud:

Fessosq; sopor suus occupat artus.

Quapropter non eadem (ut Prisciano placet) ratio dicendi, Suus est Homeri uel Homero mos, usitatissimum loquendi genus, & suus Ciceronis filius hæres est patris institutus: quod dici ratio uetat. Nam quòd ait, ad discretionem illius qui secundum legem non est suus, id est, sub potestate patris legitimi non est, nulla ratio est, nisi & doceat sic locutos esse uel legũ latores, uel principes, senatum'ue, aut populum, uel prætores, uel Iurisconsultos: qui etiam definitum reliquerunt, qui sui dicantur uel hæredes, uel serui, nunquàm hoc pronomen cum genitiuis huiusmodi copulantes. Et (ut rationem quoq; addam) suus hæres, ad eum cuius quis hæres est, refertur: sicut suus seruus ad eum cuius quis est seruus: ut si dicã: nemo potest suum instituere hęredem seruum suum: & sua tutela ad illum refertur, cuius tutela est: nec aliter dicitur suus ad discretionem alterius, quàm meus, tuus, alienus. Cum ergo nihil agat suus, si apponatur ad Ciceronis filius, palàm est redundare, nõ aliter quã in altero exẽplo. Egeo ingenij sui Ciceronis, Benedico ingenio suo Ciceronis, ubi suus redundare non aliter quàm in altero exemplo diffitetur Priscianus: sed pro redundantia dixit abundantia. Sanè abundantia interdum aliquid causæ habet, redundantia nihil. Nam quò dictionem, non dico absurdam, sed otiosam ac similem membro quod integro corpori (ueluti sexus in manu digitus) adnascitur: quã ipse quoq; qui ait, tacite reformidat, longe pòst, quũ de uocatiuis pronominum agit, inquiens: Itaq; quamuis ad ipsam rerum naturã rectè uideatur posse dici, ô sue fili Euandri: &, ô sua uxor Euandri: ut si dicam Euandrie fili, & Euandria uxor, quum in hoc duæ tertiæ intelligantur personæ, possessoris & possessionis usus tamen deficit. Cur Prisciane usus deficat

deficit? nempe quia deficit ratio, atque ipsa rerum natura: quoniam siue & redundat, & reciprocationem (quod ipsius proprium est) perdit. At tu uis addi etiam proprium, nec tamen tunc redundare siue abundare suum, sed indubitabilem significare discretionem. Harum rerum (quum ratio tecum non faceret) si nulla usquam reperiebas exempla, tradere praecepta non debuisti: Si reperiebas, & illa debebas proferre, quod fecisses (opinor) si reperisses.

*Suus non caret uocatiuo.* Cap. XIII.

QVòd si usus & uitandae redundantiae, & conseruandae reciprocationis causa respuit talem uocatiuum, ô sue fili Euandri, quid faciet neutra obstante istarum causarum? profectò uocatiuum oportet admittat, quũ natura (Prisciano quoque testante) non refragetur. At quo pacto reperiemus nec redundantem & reciprocum uocatiuum? id uero iam superius ostendimus. Sic enim illic, Benedicite domino angeli sui, id angeli uocatiui est casus, perinde ac si diceretur, ô angeli sui. Et quale esset, defendite, adiuuate, protegite Caesarem uita periclitantem ô amici sui, ô milites sui, ô ciues sui: quidni uocatiuũ suus habere dicendum est? Quòd si nulla huiuscemodi reperiantur exempla, nec mirum, quia rarò sit opus hoc sermone, & ratio tam ualida est, ut ipsa possimus esse contenti.

*Non tantum per nominatiuum, quale est, uidet illum suus filius, licere loqui, sed etiam per alios casus.* Cap. XIIII.

SIcut in ea quaestione quae reliqua est ex Prisciani uerbis, sic paulò antè diceris: Est tamen aliqua differentia in possessiuo tertiae personae, cuius nominatiuo tum utimur, quando ad suum possessorem possessio transitionem facit, & non ad alium: ut, indiget illius uel Ciceronis suus filius: praestat illi uel Ciceroni filius suus, uidet illum uel Ciceronem suus filius: bene meretur de illo & de Cicerone suus filius. Similiter passiua quae à possessore solo fiunt, nominatiuum possessionis exigunt: ut, amatur ab illo uel à Cicerone suus filius. Necnon tam nominatiuo, quàm aliis casibus possessiui licet uti, quum possessorem ostendimus extrinsecus facientem transitionem ad aliquam aliam personã pro sua possessione: ut, rogat me ille, ut suus legat apud me filius, & ut suus doceatur à me filius, & ut sui miserear filii, & ut suo donem filio, & ut suum sequar filium, & ut suo potiar filio. Nam cur ad nominatiuum coarctat hanc regulam? An non hoc per accusatiuum eiusdem generis est? piget Ciceronis suum filium, Rumor est Caesari insidiari familiares suos, Constat suũ esse Homeri morem, Fugere Pompeium sua interest. Fratris iam pigere incipit uxorem suam. Nam per accusatiuum Latinius dici quàm per nominatiuum, sic: Fratris iam incipit uxor sua pigere, alibi docuimus. Cui simile est illud Quintiliani in Milite Mariano: Nec si sit uitae cupidissimus, poenitere eum facti sui potest.

*Quaedam reliquiae praeceptorum, quando indifferenter, quando differenter utamur his pronominibus.* Cap. XV.

HArum porrò duarum Prisciani regularum quas nũc ad literam subieci, in posteriore licet pro suus uti eius, siue ipsius, id est, genitiuo: ut, rogat me ille, ut eius legat apud me filius, & ut ipsius doceatur à me filius. In priore non itẽ, quod superius quoque significauimus. Etenim (ut diuersa promam claritatis gratia exempla) non ausim dicere, Pythagoram uenerabantur discipuli eius, sed sui: nec quenque decet ipsius defensio, sed sua, siue sui, ut apud Valeriũ Martialem: Et sua riserunt secula Maeonidem. Nam id quod in principio negaui sub speciẽ transitionis cadere, sua quenque delectãt, sua cuiusque sunt, sua cuique reddantur, iam admonuimus non posse mutare pronomen, quia tunc substantiuũ est. Illud aũt ancipitis usus est (quod in posterũ consultò reseruaui) quoties per ablatiuum loquimur absolutum: ut, beatus ille est, tot se uel eum iuuantibus: potest

iam ſecure uiuere tanta ſibi uel ei accedēte hæreditate. Quo in genere nonnunquam uſu uenit, ut per ſe, non per eum uel ipſum utiq; loquendū ſit.

*Quemadmodum in conſtruendo reſoluantur Sui, Suusq;, in is, ipſe, ille.* Cap. XVI.

ET (quod mireris) ab ipſo Se, incipiendū, ut apud Quintil. Inſtitut. 1. Tradito ſibi puero, docendi peritus ingeniū eius in primis, naturāq; perſpiciat. Non enim dixerim, tradito ei puero, ſibi in ei mutato, aut eius & puero permutatis, ſic: Docendi peritus in primis ingeniū pueri naturāq; perſpiciat tradito ſibi eo. Sed magis hoc in ſuus permittitur, quàm in is, ob id quòd ſequi uult illud in conſtructione. Ideoq; reſolui in quodlibet triū (de quibus diſſeruimus) pronominū, is, ipſe, ille, tanquā affinitatis quodā aut conſanguinitatis gradu propinquorum, ut apud Senecam: Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua: quod ita conſtruendū erit, reſoluendumq;: ſcelera magiſtri ſæpe redierunt in eum, ſiue in ipſum, ſiue in illum. Nonnunquā reſolui non poteſt: non modò quando eſt ſubſtantiuum, ut ſuū cuiq; ſoluatur, ſua cuiuſq; ſunt, niſi longa & perinde dura circuitione utamur: quod cuiuſq; eſt ei ſoluatur, quæ cuiuſq; ſunt, ipſius ſunt: ſed etiā quando accipitur pro proprius: ut, ſuus eſt Homeri mos, ſunt & ſua dona parenti, Sunt hic etiam ſua præmia laudi: niſi hîc circuitione utamur: ut, mos Homeri eſt eius, dona parentis ſunt ipſi, præmia laudis ſunt illi: quod mihi nō probatur. Eſt aūt & alterum per hæc ipſa tria pronomina reſolutionis genus, ut ſi dicas: Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ipſius, uel eius, uel illius: quale eſt illud ſuperius ex Quintiliano: Quomodo & ipſum & Vergiliū ſcripſiſſe manus eorū docēt. Reſoluamus enim: Sæpe ſcelera magiſtri rediere in ipſum, uel in eum, uel in illū: item, quomodo manus & ipſius & Vergilij docent eos ſcripſiſſe. Sed hoc tranſeo, & cætera, non tam natiua materiæ quàm adoptiua. Nam gratius facere ſcriptorem exiſtimo, qui nonnihil, quàm qui nihil omittit, ne ſaltem plus magnitudini uoluminis, quàm utilitati legentium ſtuduiſſe uideatur.

## LAVRENTII VALLAE peroratio operis.

HAec habui, Ioannes de pronominū ſui & ſuus reciprocatione quę dicerem. Cuius quæſtionis, tantum abeſt, ut timeam, ne quis tenuitatē facilitatēq; inſectetur, ut uerear, ne magnitudine potius ac difficultate deterreatur, & quidem (ſicut initio dixi) Labyrinthea. Etenim me quoq; iuuat ad eius finem, uelut ad exitum Labyrinthi perueniſſe illius Cretenſis (nam complures fuiſſe memorantur) quem Vergilius idem alibi narrat, Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq; Mille uijs habuiſſe dolū, qua ſigna ſequendi Frangeret, indepręſus & irremeabilis error. Verum non eſt cur ego iam uerear iſtam legentium (ſi qui modo hunc libellū legent) deſperationē. Nanq; omnem, quæ antea erat, difficultatē ut illis demerem, ipſe ſuſcepi, uniuerſaſq; ferè ſcrutatus, cæcæ domus ambages, de Labyrintho, ut amphiteatrū facerē, elaboraui, quale in media urbe uiſitur, à Veſpaſiano extructum, aut quale Puteolanū, Campanum'ue aut Veronenſe (nam eiuſdem exēpla ſunt plurima) mille uias illud quidē habens, ſed ſine cæcitate, ſine dolo, ſine errore, aut (quo magis è uicino ſimilitudinem ſumam) quale ſummi pontificis palatiū, quod proximè Nicolaus Quintus ex cōfuſo & Labyrintheos anfractus habente auguſtiſſimū reddidit, non tamen aboletis eorum titulis, qui illud ædificarant, exornarantq;, ſed reparatis, atq; magnificentius reſtitutis, ut nō immeritò ueteres ſummi pontifices (ſi quis illis harū rerum ſenſus eſt) huic

plus

plus, quantum ad ædificationē pertinet, quàm sibijpsis debere fateantur, à quo ædificante plus ornamenti acceperunt. Factum haud dubie omniū palatiorum magnificentia præclarius. Cui nonnihil nostrū fortasse conferri poterit, qui priscorum autorum (quantū in nobis est) restituimus reparauimusq; dignitatē. Sed quid demens ago, qui meum cum illius opere coner ulla ratione comparare? casam cum regia, tophū cum marmore, æs cum auro, literulas cum excellenti uirtute, ac singulari sapientia: præsertim quum opusculum hoc non ausim edere, nisi prius ab eo cōprobatum, optimo literarum censore, non solum literarum præside ac principe? Est enim ille, ut semper antea doctrinam omniū cultor censorq;, ita nunc non modò Romani pontificatus, ac Romani imperij, uerumetiā Romani eloquij moderator, & princeps. Quæ tria cuinam post homines natos affuisse dicemus, id est, ad duo priora, hoc tertium accessisse. In primis curā gerendi, ut cum omnis doctrina, tum uerò lingua Romana (quæ usitatius Latina dicitur) cunctarum doctrinarū seminarium coleretur, & cresceret: res profectò (si uere æstimemus) maioris laudis, quàm cætera. Siquidem illa ad nos aliorum iudicio, & interdum inuitos deferuntur, hoc non nisi nostro studioq; contingit. Illa nonnunquā parum rectè administrantur, hoc non uideo quemadmodū non rectè queat administrari. Illa huius operam atq; opem desiderant, hoc etiam ut illa non assint, per se potest esse contentum. Itaq; ego Nicolaum Quintum, tum propter alia summum hominem iudico, tum uero propter id, quòd non tantum cultor est sapientiæ, sed plurimos etiam cultores efficit, haud iniuria comparandum censeo choro Musarum (si quæ unquam Musæ extiterunt) quę & sapere ipsæ omnia, & nobis ad capessendam omnem sapientiam autores esse creduntur. Ab hoc igitur Ioannes, cuius tu intimus es (ut ad uos reuertar) oraculum posces, nunquid hic liber tibi dedicatus editione sit dignus.

# CHRISTOPHORVS

A CARLEBICZ EQVES NOBILI & inter primos eleganti adolescenti Ioanni Vuerinheroà Neuhausen Sal.

CVm superiorib. dieb. sermonē inter nos de cōmunibus studijs cōferremus, memini te quærere Vuerinhere, quid esset, quòd cū prisca illa secula tot excellentibus oratorib. floruissent, hæc potissimū nostra ętas tantum ab ea gloria degenerasset, ut propemodū ipsum etiā oratoris nomē amisisse uideretur. Nam & in Italia, quæ multis iā seculis eloquentię principatū sibi uendicasset, audire te dicebas: uix unum esse, quem uel suæ genus homines oratorem appellarent: & apud Germanos & Gallos ac Britannos, cęteraq; Latinę linguę cultrices nationes, cum ab uno atque altero recessissemus nullum ferè relinqui, qui uel cum mediocribus ex ueterum memoria oratoribus in comparationem uenire posset. Qua de re sententiam meam interponere, etsi diu recusabam, cum ita dicerem, me & alijs in rebus iudicio minime prompto esse, & hanc pręsertim quęstionem mirari magis, quàm intelligere: tamen cum familiarius instares, adduci me tandem patiebar, ut ad istam disputationem accederem. Id'que cum iam inde usque ab ipsis hominum ingenijs repetijssem, utriusque ætatis felicitatem & disciplinam inter se conferebam, ut cū ex ea contentione cognouisses, quantum in his singulis à ueteribus hodie abessemus, facilius

simul discipuli, qui dum ad summa nimis festinarent eorum, sine quibus ad illa aspirare non possent, uel moram non ferrent, uel etiam detractarent laborem, ut iam nemini amplius mirum uideri posset, cur tot passim inuenirentur, qui per petuis uiginti annis apud literatores consumptis, tamen ne facultatem quidem recte loquendi, mediocrē saltem, cōsecuti essent. Hoc apud ueteres non accidisse: apud quos, qui eloquentiæ destinati fuissent, pleriq; omnes ante uigesimum ætatis annum non solum dicendi artes exacte didicisse, sed mathemata etiam libasse, percepisse ius ciuile, excussisse omnem antiquitatem, poëtas, historicos, omneq; cæterum scriptorum genus euoluisse, deniq; omnia, quę de moribus ciuilis uitæ, de uirtute, de natura humani generis, causisq; ijs, quibus mentes hominum aut incitarentur, aut reprimentur, à philosophis explicata essent, cognouisse solitos accepissemus. Ab hac igitur admirabili illorum industria cum tantum desciuissemus, quid attineret mirari, tantum quoq; nos ab eorum eloquentia desciuisse? Nec uerò hac solum parte nos ab illis tanto interuallo abesse, sed nec in exercitatione eos propius sequi, quæ nec ipsa in minimis causis esset ponenda eius, de quo proposuissemus. Vbi enim nunc, inquam, in scholis uel nomina progymnasmatum illorum agnoscimus, quibus quondam adolescentes ad dicendi facultatem præparari solebant, ut uel narrationem aliquam conderent, uel confirmarent refellerentúe aliquid, uel laudarent claros uiros, improbosq; uituperarent, uel compararent inter se aut bonos, uter melior, aut malos, uter deterior, uel locos communes in uirtutes aut uitia meditarentur, uel thesim aliquam tractarent, uel deniq; legem aliquam suaderent aut dissuaderent? Atqui hæc erat una, & uerè germana exercitatio, qua nos uiam nobis ad eloquentiam munire oportebat. Sed quid mirum, si hanc negligimus, qui tā multa alia itē præclara negligimus, quiq; adeò desides sumus, ut longis interuallis uix epistolam aliquam, quod tamen grammatici operis est, scribere instituamus? Quo magis mihi tacendum intelligo de illo declamandi more, quem à ueteribus frequentatum legimus, ut causa aliqua posita simili causarum earum, quæ in foro uersabantur, quàm maxime ad ueritatem accommodate dicerent, sicq; tanquam simulachris pugnę forensis ad uerum discrimen pugnamq; iustam adsuescerent. Quomodo enim hanc industriam imitemur, qui, ut ne alia attingam, ne in familiaribus quidem sermonibus latina lingua uti sustinemus? Iam uerò uocem, & spiritū, & linguæ celeritatem, & laterum uires, & oris totiusq; corporis motum quis hodie adolescentum non dico scienter exercet, sed omnino exercendum sibi putat? At hæc nisi præclara in nobis sint quis est, qui putet nos in oratorum numerum uenire posse? Ac memoria nunc etiā plerunq; negligitur, quam tamen & cæteris in artibus pernecessariam esse constat, & in oratore aut summam esse oportet, aut eloquentię nomen relinquendum. Olim autem cum in his exercēdis plurimum studij laborisq; ponebatur, tum adolescens ille foro & eloquentię destinatus, simul ac aliqua doctrina imbutus esset, deducebatur à patre uel genere propinquis ad eum oratorem, qui consilio linguaq; principē in ciuitate locū obtinebat: hunc sectari solebat, hunc obseruare, huius omnibus uel sermonibus domesticis, uel forensibus dictionibus interesse, huius totā dicendi rationē cognoscere, hoc deniq; familiarissime uti, simul ut ex ipsius cōsuetudine aliquid cōsilij, & iudicij, & usus sibi pararet, simul ut ductu auspicioq; eius non iam amplius in umbra, sed in media hominū luce, in sole et puluere forensi, inter ipsa pugnæ pericula, ubi nemini impune inepto stulto aut infanti esse liceret, eloquentiæ studio summam manum imponeret. Nec tamen huic uni ita erat addictus, ut negligeret cæteros, sed cum hunc (ut dixi) potissimum eloquentiæ autorem atque ducem propositum haberet, reliquos quoque, qui aliqua

facultate

facultate essent, audiendos sibi putabat, hic accedebat popularis iudicij copia, ex quo intelligeret, quid cuiq; oratori uel laudi daretur, uel uerteretur uitio, sicq; alieno periculo disceret, quod sibi aliquando ex usu esse posset. Quibus omnibus rebus consequebatur, ut cum eloquentiam tandem aliquando ex umbra & ocio, in solem & dimicationem forensem educeret, eum e schola facultatem adferret, quam alij in foro multo tempore, & labore, atq; periculo tamen uix assequi potuerant. Sed quod hanc antiquorum siue industriam siue disciplinam hodie non imitamur, eius fortasse rei culpa nõ tam ad nos, quàm ad tempora pertinet, quæ consuetudine concionum formaq; iudiciorum ueterum & libera quẽ quisq; uellet, accusandi facultate, seditionumq; ac certaminum quotidianorum licentia atq; impunitate de medio sublata, eloquentiæ, ut sic dicam, theatrũ clauserunt. Hæc enim, quæ dixi, cum uiguerunt quondam, etsi fortasse statum reipublicæ dissipauerunt, plurimum tamen exercuerunt illorum temporum eloquentiam, adq; id fastigiũ perduxerunt, à quo nos tanto interuallo nunc abesse querimur, nec mihi hoc loco institutũ est, plus'ne detrimenti publicis rebus, an adiumenti per eloquentiam importatum sit, id ut disputem, sed satis habeo probare: priscorum temporum statum ad eam uel discendam, uel exercendam multo magis hoc nostro aptum & idoneum fuisse. Primùm quia illa, quæ cõmemoraui, uehementer excitabant alebantq; hominum industriam. Deinde, quòd amplissima præmia huic studio proposita erant, uel ad laudem, uel ad opes, uel ad honores, & omnino hæc erat siue rerum conditio, siue hominum persuasio, ut nemo aut non sequi in republica, aut tueri excelsum & conspicuum locũ, sine eloquentia posse uideretur. Quæ opinio quia etiam nunc quibusdam in locis ualet: & quia honestæ artes alicubi adhuc in honore sunt: fit, ut quicunq; aliquid, non eloquentia, sed dicendo saltem possint, ad opes magnas, summam gratiam, amplissimam dignitatem prouehantur, quod uel unum est, quod homines adhuc utcunq; in studio contineat. Sed ad cæteras cõmoditates, magna etiam uarietas amplitudoq; caussarum quondã accedebat, quæ & ipsa, mirum, quantũ splendoris eloquẽtię afferebat. Est enim hæc illius itidẽ, ut flammę, natura, ut alat materia, motuq; excitetur, & utendo clarescat. Nec est dubium, quin multo illustrior oratoris laus sit, si de expilata prouincia, quàm de interdicto, si de proditione imperij, quàm de stillicidijs: si de principe regno pulso, quàm de seruitutibus dicat. Quæ mala ut optabilius est, nunquam incidere, cumq; ea republica præclarius agitur, in qua non incidunt, ita nihilominus uerum est, cum incidunt, ingentem ea eloquẽtiæ materiam suppeditare. Nec uerò hoc eò pertinet, ut negem his tẽporibus huiusmodi causas quoq; aut existere, aut in iudiciũ uenire, quin potius plures, quàm expediat, quotidie existere libenter etiã fateor, sed hoc aio, nõ deferri nunc eas ad oratores, qui nusquã sunt, nec adhiberi eis in iudicijs eloquentiam, aut ornatum saltem aliquem orationis, cum ij, qui illas agunt, hac facultate nõ modo non pręstent, sed etiã apertè eam cõtemnant. Hi sunt, quos iurisconsultos uocãt, qui oratoribus foro, id est, suo regno pulsis, uiolẽter in eorũ professionem irruerunt: de quorũ facultate quid periti & intelligentes iudicent, nihil pertinet ad hunc locũ: illud & ad hunc locum pertinet, & uerius est, quàm uellemus: iniuria temporum, quæ hac uicissitudine humana temperant, eò res redijsse, ut nomen oratorum in regum atq; liberorum populorũ legatis tantũ nunc remaneat, eloquentiæ autem si qua laus sit, ea ab oratoribus seiuncta, & foro, cui nata erat, exclusa in scholis solummodo penes professores artium, atque in eorum libris tota resideat. Hęc sunt igitur Vuerinhere, quę ad eam quam mihi posueras quæstionẽ, respondere mihi tum in mentem ueniebat, quę fortasse, si quẽcunque literatorem è schola euocasses, eadem tibi requirenti multo copiosius

atq;

atq; subtilius explicasset. Quod autem eadem hic nunc repetij, hoc consilio feci, ut cum ex illis cognouisses, quæ res eloquentiam ueterũ prouexisset, quæq; nostrorum hominum impediret, ijs tanquam documẽtis admonitus, tuum discendi cursum prudentius moderareris. Cum enim tantum te tamen, quãtum & tua egregia indoles meretur, & summa erga me studia officiaq; postulant, cogit me sane meus affectus, ut quibuscunq; rebus possim, tibi consulere cupiam, & quo felicius ingenium maioremq; diligentiam atq; industriam te ad literas attulisse uideam, hoc uehementius laborandũ mihi putem, ne sperato earum rerũ fructu frustreris. Quamobrẽ horũ etiã Laurentij Vallæ librorũ castigationem suscepi, ut tibi proponerem, ad cuius iudicium & autoritatem tuum eloquentiæ studiũ quadam ex parte comparares. Nam si eleganter & ornate loqui, primum est in eloquentia, ut summi quondam homines senserunt, sanè illud uere mihi uideor dicturus: multis iam seculis aut neminem, aut hunc Vallam hoc in genere & facultate præstitisse, & iudicio. Quare eius cum alios, tum uerò hosce in Pogium libros non uulgariter tibi commendo. Crede mihi, non simplicem utilitatem capies eius operæ, quamcunq; illis tribueris. Vale. Coloniæ, Anno à nato Christo M. D. XXVII. Sub finem Aprilis.

# LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI ATQVE DE LINgua Latina bene meriti, Antidoti in Pogium, ad Nicolaum Quintum Pontificem Max.

## Lib. I.

NOn eram nescius iam inde ab initio, cum linguæ Latinæ elegantias componebam, fore, ut quantum fauoris apud iuuenes ac cæteros bene dicendi studiosos mihi conciliarem ex illo opere, tantum odij apud eos, qui falsam sibi elegantiæ persuasionem induissent, contraherem, aut plus etiam fortasse: tum quia sic natura cõparatũ est, ut uehementior sit eius qui offendit malevolentia, q̃ eius qui adiuuatur beneuolentia: tum, quia illos uidebar ad spem futuræ gloriæ euocare, hos, quod maius est, ab adeptæ iam gloriæ possessione detrudere. Hoc tamen metu nõ sum à scribẽdo deterritus. Primũ, quòd pro re honesta, & multis, ut opinabar, profutura, nõ fuit timenda iniquorum offensio. Deinde, quòd remotus ab omni mordacitate notaui uitia, nõ homines, ut nemo, nisi de se cõfiteri uellet, de me conqueri posset, si modo uel sic foret iure questurus. Postremo quòd hos ipsos, quos offenderet opus meũ, pauciores, nec semper futuros, nec diu uicturos sciebã, sed eos quibus placeret, quasi familiã quandã ac sobolem, indies magis ac magis prouenturos sperabã. Verum multo truculentiorem opinione mea unum comperi Pogium Terrinouanum, qui se planè tenere linguam latinã iactare solitus, ubi libros de elegãtia Latina edidi, mihi extitit ita aduersus infensusq;, ut nunquam dissimulare potuerit, tandemq; inualescente quotidie operis gloria, obuiam sibi eundum statuerit: more Marci Catonis, qui cum cunctas Caij Cæsaris de Gallis Germanisq; uictorias gaudio, honore, supplicationibus prosequeretur, ipse iurauit ob easdem res gestas illum se capitis accersiturum. Nec intelligit noster Cato, quo magis irascitur operi meo, hoc magis significare, se aduersus linguæ latinæ elegantiam peccauisse. Atq; ut aliquid coloris ad accusandũ habere uideret, quædam, quæ adolescens quidam, auditor meus, in suo Pogianarũ epistolarũ codice, iuueniliter annotauerat, ea me

annotasse

annotasse sine ulla confirmatione affirmat: quasi ego aut uererer ipsum palàm aggredi, si aggredi uellē, aut tam pauca tamq́ leuia uulnera inflixissem, si me hostem eius esse profiterer. Et quia non satis hic materiæ ad debacchandum habebat, sumpsit sibi patrocinium mortuorum, quos à me ait esse reprehensos: tanquā illi huic, ut se iniuriam passos defenderet, mandauissent, & non potius naturam suam secutus fuerit, sui similis uir, & ut ipse minime laudandus, ita alienę laudis inimicissimus: & tanquam non iam pridem famam meam obtrectare incepe rit, cum absentis, tum uerò præsentis, non solum apud alios, sed etiam apud summum Pontificem, non minus sapientia quàm dignitate præstantem, qui de me bene & sentit & loquitur, ac honoribus muneribusq́ prosequitur: daturus etiā plura, nisi assidue hic rabula reclamaret: qualis apud Latinum regem Drances, ut Vergilius ait:

Tum senior semperq́ odijs & crimine Drances
Infensus iuueni Turno. Et iterum:
Tum Drances idem infensus quem gloria Turni
Obliqua inuidia stimulisq́ agitabat amaris.

Itaq́ cum non multum proficeret occultis delationibus, apertam accusationem suscepit, in qua sordes atq́ sentinam stomachi sui euomuit, homo quēadmodum re, sic ratione intemperantissimus. Quem ueluti rabidum canem, nisi ad uomitum suum resorbendum adigam, uenia sit dicto, ipse resorbere non recuso. Qualis enim sim, cum remordeo, Facius & Panhormita testimonio sunt, qui me momorderūt, nunc à me tanquā leone ita lacerati, siue, ne uictis acerbius insultare uidear, ita coërciti, ut eos non putem posthac lupis, nedum leonibus allatraturos, id est, uera, nedū falsa crimina obiecturos. Quo minus Pogio faciendū fuit, ut post ruinam illorum inuectiua indē me lacesseret. Sed, ut ipse circa initia ait, nō intelligens se de se ipso loqui, arduum sanè est, senem detractatorem conuiciatorēq́ coërcere, siue, ut barbaris eius uerbis utar, desueta est fortitudo talem senem castigare, cū desuetum sit, à consuetudine iam remotū, scilicet accepit rem desuetam pro insueta, quod mox ostendit, ut semper repetit eandem & inculcat orationemq́ perturbat, inquiens: Quos fuste reprimere insueta uirtus existimatur. Castigare pro coërcere, quum castigare sit reprehendere, quod nec insuetū, nec difficile est. Non potest igitur hic detrectator senex, atq́ conuiciator, nō magis lingua, quàm animo barbarus, ab insueta uita desuescere, qui salsum se uisum iri putat, si scurrili utatur & obscœna oratione, qualis est liber, quem appellauit de confabulationibus, tam spurcus, ut eū perlegisse uerecundo homini turpe sit. In quo Thersitem illum Homericum reddit, uel quòd indulissimus, uel quòd mordacissimus, caninam, ut ait Appius, eloquentiam exercens: & si inscriptio eius ita exprimit oratoris facundiam, ut simia hominis formam: planè peruersus Nestor, cuius ex ore amarior felle fluit oratio. nō mitis senectute, sed acerbus, & si penè putridus, nondum tamen maturus, ne saltem austerus, quod nonnunquam bono uino ex uetustate contingere solet, sed, quod malo, acidus, & quod monstro simile uideatur, in acore illo senectutis adhuc retinens musteum adolescentiæ feruorem, temerarius, petulans, procax, nimirū quasi agendo iuueniliter possit fallere senectutē, more illorū, qui caniciē contingunt, quo iuniores existimentur. Quem si nouisset Hannibal, ut est apud Ciceronem, profectò dixisset, se deliros senes nouisse multos, sed qui deliraret magis Pogio, neminem. Et de quo ipse etiam Cicero idem. quod de Antonio diceret, Noui hominis furorem, noui effrenatam uiolentiam, cuius acerbitas morum, immanitasq́ naturæ nec uino quidem permixta temperari solet. Itaq́ etsi Antonio uinosior, tamen quotidie in hac acerbitate sua proficit, eoq́ iam opinionis peruenit, unde

maxime

Facius. Panormita. Pauitum. castigare. Pogij liber de cōfabulationib.

maxime gloriatur, ut uulgo principatum maledicendi obtinere dicatur, & quia hoc facile facit, in dicendo esse perfacilis, cum tamen docti sic sentiant, eũ etiam dum uult bene dicere, pessime dicere, & nõ perfacilem in dicendo, sed ad dicendum, atq; omnibus maledicendum facillimum, quod in hac ultima oratione declarauit, in qua nullo à me uerbo læsus, tanquàm perditus gladiator, in harenam me prouocauit, quo aut me trucidet, ut sperat, aut certe occumbens laudari me nõ cogatur audire, & aduocatis omnibus suis armis ita in me irruit, ut in alijs inuectiuis omnes, in hac se ipsum maledicendo superauerit: prorsus immanis chimera, cuius prima pars leo flãmas emittens, postrema draco uenenũ spirans, media capra caprinũ olens. Verum, nisi fallor, partes ei leoninam ac draconinã auferam, & totum capram seu caprum reddam, quia uetulus est, & longis præditus cornibus, quanquam nescio an eum magis Cerberum nominem, qui trifauci latratu personans exangues territat umbras, exangues inquam umbras, non Herculẽ: Hercules nanq; ego huic Cerbero fiam, quem non offa, sicut Sibilla fecit, sed claua ad necem usq; soporabo. Sed quid ago? quò progredior? quid in refellendo Pogio Pogium imitor? quid in senem, qui meus non modo parens, sed etiam auus esse posset, ferrum stringo? delirat iam decrepitus, desipuit, repuerascit. Ad me redeo, contineo impetum, cohibeo iracundiam, rationem quàm affectũ sequi malo. Si qua fides est, eius tum stultitiæ, tum periculi misereor. Vtinam hic utinam, quemadmodum nunc ego delibero lacessitus, ita ipse lacessere uolens deliberasset, aut certe de edenda inuectiua quempiam consuluisset prudentium amicorum uel Florentiæ, uel Romæ, nam eam plusquam per octo menses utrobiq; cõposuit. Non'ne si Iannotium Manettum, ut eum potissimum nominem, consuluisset, uirum literatissimum, eundem'q; prudentissimum, huiusce modi consilium accepisset? Quid tibi uis ista inuectiua Pogi? cur ueteranus & emeritis iam stipendijs in militiã redis? quid gladiator accepta rude harenã repetis? cur non cestus iam artem'q; deponis, ut ille Vergilianus Entellus, quantum opinor, natu te minor? cur, ut de tua arte loquar, Crassum illum non imitaris, qui apud Ciceronem destinabat forum cõtrouersias'q; relinquere? de quo apud ipsum inquit Marcus Antonius: Iã diu multo dicis remissius & lenius, quàm solebas, neq; minus hæc tamen tua grauissimi sermonis lenitas, quàm illa summa uis & contentio probabatur. Respice ætatem tuam, quæ non pugnas desiderat, sed quietem & securitatẽ, sed lenem & remissam, nec incipientẽ canescere, ut de sua Cicero ait, sed planè canam orationem. Vt uerum sit, à Laurentio notatos, ut ais, in epistolarum tuarum codice locos quosdam de lingua latina, expostula apud illum. Si se scripsisse negauerit, iube eum delere, aut ipse tu corã eo adhibitis testibus dele. Satis tibi hoc satisfactionis, satis ultionis fuerit. Si nõ negauerit, cõuince hominẽ errare, si causæ tuæ cõfidis, sin forte diffidis, admone amice, grauiter, cum autoritate, quæ tibi pro tua dicendi copia occurrerit. Nunc tu incertus, an te secum modeste, ac leniter, & ut senem decet, agente inficiaturus sit, incertus an retractare factum suum uelit, imò incertus an scripserit, nam plerique negant manum eius esse, in uultum ipsius unguibus ac dentibus inuadis, & causam tuam de bona malam facis, inimicum'q; ex amico, & à quo prouocatum te quereris, cum tibi non responsurum opinaris, quem scis prouocatores suos æterna ignominia affecisse? Mihi crede, plus obsequio quàm asperitate proficies, ut licet uidere in equis, in bobus, in leonibus, in elephantis domandis. Nec ullum magis animal, quàm homo, exasperanti repugnat, nullum magis obsequio uincitur. Vince moderatione, quem uincis annis. Decet istã etatem, ut grauis est, ita præstare grauitate. Quid facient adolescentes, cum sint senes adeò feroces? Non ideo nunc de fama, de dignitate, & pudore domestico

stico res est,sed de puerilibus quęstiunculis,& à sene contemnendis,quęda obiecta cōmodius quasi fastidiendo calcamus, quàm refellimus. At tu,proh nefas, æstuas,debaccharis,insanis,ut multo te magis ista dedecorent,qui scribis,quam illum,in quem scribis. Nam quod ais autores quosdam à Laurentio reprehensos, hoc maiorem abs te modestiam postulat,nec suam illi causam uellent, qua modestia fuere,conuicijs defendi. Nunquam meliorem causam fecit dicentis petulantia,sed sæpe peiorem.Non stomacho utaris,sed ratione, non contumelijs, sed documentis,non maledictis,sed autoritatibus. Neq; enim odio aut inuidia Laurentius,sed iudicio mortuos reprehendit, quibus nemo iam inuidet, nemo male uult:tametsi, pace tua dictū sit,nusquam eum deprehendi in illo opere reprehendentem istos,quos tu reprehensos tantopere excandescis: Ciceronem, Sallustium,Terentium,aliosq; linguæ latinæ principes, sed hos afferentem ad reprehensionem Prisciani,& quorundam similium. Hos ille si nulla simultate,nullo liuore ductus,sed tantum opinione ait errasse:tu tanquam liuore & odio percitus,in ipsum,ut putas,errantem irrues? & cum ipse fuerit moderatus & lenis in reprehendendo,tu eris in defendendo furibundus & incensus? Quid inhumanius,quid barbarius,quàm cum iusto hoste pugnantem, ferrum ueneno armare? Quanquam ô te Pogi, si credimus,plus æquo religiosum, quid tibi cum causa mortuorum? an quia propediem ipse moriturus es ad illos iturus? At ego tibi pro nostra amicitia suadeo, ut etsi parum diu uicturus, tamen uiuorum tibi studia concilies,qui te uiuentem beneuolentia, atq; defunctum honorifica memoria prosequantur. Relinque istas lites iunioribus. An nunquam à maledicendo & à male audiendo cessabis? quorum utrum apud probos animos ingratus sit, nescio. Cui enim tu uel inuectiuis uel epistolis non maledixisti? à quo eruditorum non uicissim male audisti? Nemo profecto ex omnibus,quos uel audiendo uel legendo cognoui,fecit hoc,quàm tu aut crebrius,aut intemperatius. Itaque nullus non credet te potius,quàm illum fuisse prouocatorem, Illius enim nulla legi contra quempiam nisi in se defendendo scripta. Tu uerò quid causæ habuisti,ut scriberes in uirum lenissimum Franciscum Vellatam Cardinalis Placentini propinquum,ut carperes errata orationis eius, quam de laudibus Cardinalis Viuariensis ediderat? Quid in Franciscum Philelphum amicum tuum ad eam diem,ac familiarem,ut in eum scriberes pro Nicolao Nicolo,ut hostis atque inimicus? Quid in Aurispam uirum suauissimum, & ab omni cōtentione remotissimum( Quid in Thomam Reatinū, qui in neminem unquam,nisi in te, postea composuit? Quid in Guarinum modestiæ exemplum? Quid in Cyriacum Anconitanum de antiquitate bene meritum? Quid in Episcopnm Feltrensem hominem optimum atq; lenissimum? Quid in alios permultos? à quibus quid maledictorum audieris,cum recordor, pudet me uicem tuam. Caue igitur mi Pogi saltem in uitæ extremo,ne si cætera nequeant,hoc saltem possint dicere, te hominem esse maledicum,nam maledico cuncti male uolunt. Ex quo illud certo scio assequeris,ut ita agendo, Laurentiū cogas in te agere modestius. Hæc si Iannocius dixisset,nam consultus hæc certe dixisset, forsan eum ab edenda inuectiua deterruisset. Nunc quando & suo & alieno consilio caruit,nec intellexit, quid sibi conduceret,intelliget ipso edoctus euentu, qui stultorum,ut dicitur,est magister,suæq; stultitiæ,temeritatis, petulantiæ pœnas luet: & quia iuueniliter quàm seniliter agere maluit,à me tractabitur,ut iuuenis: & quia gladiatorio me inuasit animo, sicut truculentissimus à me gladiator repelletur. Imitabor ergo non uoluntarius,sed coactus gladiator,bonum gladiatorem, qui eodem ictu occurrit pariter & ferit. Siquidem Pogium,dum deuito uulnerare uolentem,uulnerabo. Quid enim obijcit mihi gladiator iste mirmillo? Nempe quòd se iniuste im-

periteq́ʒ reprehenderim, itemq́ʒ scriptores multos: quorũ alterũ est mali uiri, alterum oratoriæ artis imperiti. Horum utrunqʒ falsum ostendam, & ipsum potius peruersum esse oratorẽ, ut illud Catonis de oratore quemadmodũ Herẽnius Senectio in Regulũ fecit, ego in Pogium possim econtrario uertere: Orator est uir malus dicendi imperitus, & cum Plinio dicere, Non tam bene Cato expressit uerum oratorẽ, quàm aut Herennius Regulum, aut ego Pogiũ, & illud eiusdẽ: Minor uis bonis quàm malis inest, & sicut stultitia quidẽ audaciã, ratio uerò tarditatem affert, ita recta ingenia debilitat uerecũdia, peruersa confirmat audacia. Exemplo est Regulus: imbecillũ latus, os cõfusum, hæsitans lingua, tardissima inuentio, memoria nulla, nihil deniqʒ præter ingeniũ insanũ, & tamẽ eò impudentia ipsoq́ʒ illo furore peruenit, ut à plurimis orator habeatur, quæ omnia in Pogio recognoscimus. Ostendam itaqʒ eum, quasi alterũ Regulum, malum quidem uirum, non quod libidinosus ac prope libidinis professor, non quòd adulter atqʒ adeò alienarũ uxorũ præreptor, nõ quòd uinolentus semper ac potius temulentus, non quòd falsarius, & quidem cõuictus, non quòd auarus, sacrilegus, periurus, corruptor, spurcus, aliaq́ʒ quæ extra causam nostrã sunt: sed quatenus ad causam nostram facit, quòd manifestarius calumniator, idq́ʒ trifariam. Primũ, quòd summos linguæ Latinæ autores, ut nõ Latinè loquutos, à me reprehẽdi ait. Deinde, me de ipso insolentissime loqui. Tertio, suas epistolas me, ut inelegantes, carpere. Dicendi autem imperitum, non quòd nihil Dialecticæ, nihil Astronomiæ Geometriæ, Musicæ, nihil iuris uel ciuilis uel pontificij, nihil nec Philosophiæ, nec Theologiæ attigerit, sed quod ad hanc pertinet causam, quòd parũ grãmaticę, minus poëticę, minimũ rhetoricæ nouerit, & id quoqʒ trifariã. Primũ, quòd ait quosdam, qui de lingua Latina locuti sunt, quibusdam in locis imperite à me emendari. Deinde, quòd locos aliquot Elegantiarũ mearũ imperitissime emendare conatur. Postremo, infinita imperitiæ eius testimonia congregabo, ubi stultitię quoque ipsius, & si omnis malus stultus, passim, ut quisque locus, postulabit, admonebo. Hęc est mea fuscina, quandoquidem gladiator a gladiatore fieri cogor, & ea duplex, & utraqʒ tridens, imò, ut magnificentius loquar, tridens Neptuni fuscina, & trisulcum Iouis fulmen. Aggera itaqʒ Pogi, quantumlibet quasi Tiphoeus ille Gigantũ immanissimus, maledictorũ conuiciorũq́ʒ mõtes, ut me de cœli mei possessione deijcias. At ego te uelut Iupiter fulminibus meis cõfossum atqʒ incensum cum montibus tuis prosternã, & ęterna montis Aethnæ mole obruam, ubi sepultus uix per ipsum cacumen igneos fumos anhelare possis. Fecisti me, etsi per ludibrium, triumphantem. Non abnuo omen, triũphabo enim. Verum quoniam nemo nisi post pugnam, post cladem hostium, post uictoriam triumphat, tecum prius pugnabo, ac profligatis quinque legionibus tuis, expugnatisq́ʒ oppidis, per mediam urbem in Capitolium usqʒ triũphabo, ducens te uictum ante currum meum cum militum atqʒ oppidanorum, hoc est, errorum tuorum multis milibus, quos quidem uinctos in carcerem conijci iubebo. Hic erit meus uerus atqʒ insignis, non imaginarius & asinarius triumphus, ut iste tuus, ubi te potius triumphantem de me, quasi iam uicto, atqʒ ouantem significare uoluisti. Sed in isto curru tuo me Iouem esse senties, non secus atqʒ ille Salmoneus, de quo Vergilius:

Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans,
Per Graium populos mediæq́ʒ per Elidis urbem
Ibat ouans, diuumq́ʒ sibi poscebat honorem
Demens, qui nymbos & non imitabile fulmen
Aëre & cornipedum cursu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum

Contorsit, non ille faces, nec fumea thædis
Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit.

Tali ego telo te, qui fumosas mihi faces thædasq; ingessisti, feriam, faciamq;, ut quòd fulmine ictis accidere solet, nemo te contingere uelit. Atq;, ut iam tecũ pugnare incipiã, ordinẽq; propositũ sequar, cuius prima pars fuit te calumniari: dicentẽ, à me summos autores in lingua Latina reprehensos, exordiar à Terentio, qui horũ est antiquissimus, quem tu, ut sine ordine & dissipate loqueris, diuersis in locis ponis à me esse reprehensum. In uno his uerbis, Pog. Nam illud apud Terentiũ: Ecce autem alterũ nescio quid de amore loquitur, alter scribi debuisse ait. Quod carcer? quæ flagella? quam crucem meretur hic fugitiuus seruus, maternę linguæ inscius, qui eum non Latinè scripsisse arguit, quem omnes propter proprietatẽ linguæ ab ipso præ cęteris seruatã primũ inter Comicos adscribũt? Lau. Si tali pœna dignus est, qui alterũ rectè loquentem arguit, tu certè ista pœna dignus es, qui me rectè loquentẽ reprehendis, atq; etiam dignior, qui non per imperitiam, sed per calumniã peccas. Nõ enim dixi scribi debuisse, sed scribi debere: hoc est, non à Terentio erratũ esse, sed à nobis errari, qui ab ipso Terentio deficimus, & quodãmodo Terentium emendamus atq; reprehẽdimus. Neq; ita scribendũ esse de meo sensu dixi Pogi scelestissime, sed Donatũ qui cõmentum super Terentiũ fecit, dicentẽ retuli. Quod si nulla Donati culpa, qui hanc scripturam emendat, imò magna laus est, quo tandẽ pacto ipse culpandus sum potius quàm laudandus, qui Donatũ habeo autorem? Quanquam uelim mihi respondeas Pogi, ut taceam, quod apertius atq; elegantius est: ecce alter nescio quid de amore loquitur, quàm alterũ, idem in uersu pollere existimas: alterũ & alter? & perinde rationem metri cõstare? Hoc tu non respicis, qui omnes syllabas ignoras, nec uersum unquam nisi per imprudẽtiam facis, & quidẽ in prosa, quod ars rhetorica uetat: quale est illud in hac inuectiua: Afris, Hispanis, dici nos esse reuersos. Res prorsus admirãda & Pogio, id est prodigio par. Nam uates illę, quæ apud Delphos futura pręcinebant, uel ob hoc præcipuè merebantur admirationem quòd literarũ ignaræ, uersus tamen ex tẽpore effunderẽt, Apollineo spiritu instinctæ. Ita Pogius numine quodam, non Apollineo, sed ampullineo afflatus, uersus effundit insciens. Sed nescio quomodo eum uel Apollo uel ampulla deseruit, ut diceret: quod carcer, pro quem carcerẽ: sicut ediuerso, proterue animal, pro proteruũ animal. Et iterũ, molesta culex, pro molestus. Item primũ inter Comicos adscribunt, cũ primus neq; adscribi dicatur, neq; inter alios, sed ante alios. Item: fugitiuus seruus, cum dicendũ fuerit, seruus fugitiuus, aut dicto: fugitiuus, omittendũ, seruus, quia nemo fugitiuus, nisi seruus, quod pręceptũ tradit Quintilianus. Item illud: ab ipso, redundat. Nam lingua materna quę sit nescio, quam ut sciam, ad Pogianam domum mihi, ut uideo, eundum est, ubi maternæ, paternæ, fraternæ, sed crebrior falernæ linguæ, ac tabernæ est usus. In altero his uerbis. Pog. His statim addidit & Terẽtium, quem ut puerum castigat. Nam cum ille dixisset, ut unusquisq; miser est: hic noster, ut quisq; maximè miser est, rectius ait poni potuisse. Lau. Pogi carcere ac flagris digne, reprehendóne in his uerbis ego Terentium, quæ in omni Terentio non legũtur? Donati sunt ista uerba super Terentium scribentis, quæ fateor potuisse dici elegantius, cuius factu mei rationem fortasse posterius reddam suo loco. In tertio his uerbis. Pog. Et Terentius: Flens, ait, reiecit se in eum quàm familiariter. &: quàm pulchrè adueniẽs principiũ dedit? Sed hic demens etiam Terentium malè scripsisse arguit. Lau. Nunquam de illo Terentij loco: quàm pulchrè adueniens principium dedit, feci mentionem, nedum ipsum reprehendi, qui etiam mecũ facit, quod tu demens non intelligis: quippe in quo, quàm, non pro ualde, de quo dubitatur, sed pro

quantitim ponitur. at quàm pro ualde nego iungi cum positiuo, sed cum superlatiuo,& in hoc hūc locum Terentianū, quàm familiariter, arguo? Quomodo id probas: certè per ipsa mea ex Elegantijs uerba, quæ tamen tu furcifer non protulisti, ut debebas, in mediū quæ hæc sunt, Atqui in hac differētia positiui & superlatiui aliquis se obijciet: afferēs Terentiū in Andria: Reiecit se in eū flens quàm familiariter: quod ego accipio pro quātum figurate, quasi: ô quàm familiariter. Neq; tamen in hoc toto meo opere tam licentiā poëtarū consector, quàm usum oratorū. Neq; si quid aliter apud autores reperiat, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquā aliter factū sit, sed quod frequentius. Nónne hæc mea uerba Pogi longè absunt ab omni reprehēsione Terētij, nefande calūniator? In quarto his uerbis. Pog. Sequitur iterum sua impudentia Laurentius inuehendo in reliquos præstantissimos autores. Non enim dicas, ait, pro eodē: dolorem tui,& dolorem tuū, ut dixit Terentius, quod ego nō dicerem. Præclarus Terentij emēdator. Non miror, si ipse hoc non diceret, qui nihil unquam rectè dixerit. Nō miror, qui nihil unquā uerè senserit, à Terentio dissentire. Lau. O furiose Pogi, ubi est apud Terentiū, dolorem tui uel tuum, quod me reprehendere ais? de desiderio, quod apud illum est, dixi, nō de dolore, his uerbis: Videmus interdum ipsa deriuatiua pronomina passiue accipi, ut apud Terentiū: Vt appareret facilè desiderio id fieri tuo, uidelicet quòd tu desideraris, non quòd desideras, quale est: accusatio mea,& crimen meū, quod quidem rarum est, idq; non magis cōtra me, quàm cōtra ueteres omnes, qui hæc pronomina possessiua uocauerūt, id est, significantia possessionē, quod nunc non faciunt, quod, ut dixi, rarum est, ideoq; non passim hoc reperias. Non enim dicas pro eodem: dolorē tuum,& dolorem tui, ut dixit Terentius desideriū tuum pro desideriū tui, quod scilicet ipse non dicerem. Vides ut negaui dolorē tuum pro tui? Nō negaui desideriū tuum pro tui, nec Terentio cōtradixi, sed me tantū sic loqui nō audere. Et tamen temperaui sententiā meā tum analogia, tum usus raritate, tum uerbi lenitate. Non enim dixi, quod scilicet ipse nō dixissem, quasi poëtam reprehēderem, sed quod ipse non dicerē nunc, qui nec illo tempore, nec poëta sum. An tu in omnibus tibi Terentiū imitandū ducis? ueluti in illo: Si mihi pergit quæ uult dicere, ea quæ nō uult audiet: aut in illo, Si quisquā est, qui placere se studeat bonis quàm plurimis,& minimè multos lædere, in his poëta hic nomē profitetur suū. Vbi si quis, singulare est, in his uerò plurale, quod etiam in Thucydide Græci mirātur, μέχρι γὰρ τοῦδε, ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι, περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε, τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι, αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν,& alia plurima, quæ si tu non diceres, homo in loquendo incōsultissimus, ipse dicerem Pogi uenefice, qui non ponēdo syncere uerba mea, defensione me mea fraudare uoluisti. Venio nunc ad Ciceronē, quem à me carpi ais, ubi laudatur. Vno in loco sic. Pog. In prima uerò Philip. quoniam utriusq; cōsilij causam P. C. probatam uobis esse cōfido, priusquā de Repub. dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, quippe probatā nobis esse cōfido causam utriusq; cōsilij. Exclamare libet adolescētis more illius, O tempora, ô mors, ô scelera impunita. De hoc autem, ô uesanam leuitatem, ô temeritatem nō ferendā, ô impudentiam manifestā. adeóne Ciceronis fama, doctrina, eloquentia in extremū discrimen redijt, ut nescio quis furibundus demens, insanus, indoctus, petulans audeat Ciceronis eloquentiā sua insulsa dicacitate corrigere? Quod esse potest expressius, quod manifestius stultitiæ signū, quàm cuipiam Ciceronis eloquētiam nō placere? quàm audere ab eo dicta cōmutare, tanquā eloquētius dici possint? Atqui nullus hactenus hominum memoria repertus est, quid id auderet, qui id tentaret. Valla latrator furibūdus, cōuiciator demens, rabula foraneus, tandem

nescio è gurgustio emersus, impetũ facit in Ciceronem. Lau. Et alijs deinceps multis conuitijs exclamas Pogi, proclamas, inclamas, succlamas, reclamas, increpas, concrepas, crepas. Istud est tympano pugnare, non gladio. At ego te gladio meo detracta tibi ista hircina pelle ex tympanista tympanũ faciã, ut fiam pro te tympanista. Nam quomodo me probas corrigere Ciceronem tympanizator tympanizande? Verba id tua non ostendunt. Subijciamus mea ad literã, quod tu facere debebas, ut appareret, an Ciceronẽ uerè reprehenderim: quæ hæc sunt. Habet coniunctio quippe, aliũ suum usum, dum pro quoniã accipitur, ut in hoc Tulliano exemplo, Quoniam utriusq; cõsilij P. C. probatã uobis esse confido, priusquam de Repub. dicere incipio, pauca quærar de hesterna M. Antonij iniuria. Hoc idem per quippe sic dicam, Priusquam de Repub, dicere incipio P. C. Pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, quippe probatam uobis esse cõfido causam utriusq; consilij, uel, quippe quum probatã esse uobis confidam, uel, quippe qui. Hoccine quæso Pogi est reprehendere Ciceronẽ: an eum imitandũ proponere? Tua certè accusatio, quãtum intelligo, nihil aliud sibi uult, quàm à me Ciceronem reprehendi, ut male utentem cõiunctione quoniã. At in hac coniunctione neminem unquam uidi errantem, neq; de ea tunc ego percipiebã, sed de quippe. Diabole, quo te melius alio appellem nomine? διάβολος enim Grecè dicitur, Latinè criminator: quod quia atrox scelus putatur, hoc nomine malignus spiritus, qui tibi istam dictauit inuectiuã, appellatus est. Altero in loco sic, Pog. Sed instat in eiusdem uiri reprehẽsionem, Sepe admirari soleo, quòd nunquàm tibi senectutem grauem esse senserim, in Catone maiore Cicero inquit. Quam sententiam Vallæ ignauia reprehendit, ait enim: Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire non posses, quippe quod nunquàm fuit? O præclarũ Ciceronis corruptorem. Nimis magnas profectò dijs gratias hoc seculũ debet, in quo natus sit omnium disciplinarũ, omnium facultatũ autor ac princeps, qui lucẽ quandã nobis attulerit, ut aliquando ueri reperiendi & rectè discendi monstratorem & ducem habeamus. O monstrũ horrendũ, informe, ingens, cui mentis lumen ademptum. Quis adeò bono est stomacho, ut non nauseet, cum audierit esse rabulam quẽdam dicacem ex maledicorũ foro abreptum, qui Ciceronis autoritati suam præferat uanitatem? Quid hoc est prodigij dij boni? ut nescio quæ cicada, & molesta culex auribus hominum perstrepens, in qua nihil preter temeritatem insaniamq; conspicitur, M. Tullium Ciceronem, qui semper in eloquentia tenuit principatũ, à quo ueluti fonte omnes dicẽdi ornatum & copiam hauserũt, audeat uelut infantem & inscium accusare? Quis hoc æquo animo toleret, abiectũ nescio quem immũdumq; ac stupidum porcellum in hara ignorantiæ, in temeritatis domicilio enutritum, in principem eloquij uomere amentiam suam, quem prisci illi doctissimi uiri, maximeq; Quintilianus, ut deum eloquentiæ prædicarunt? Lau. Cernis Pogi quantopere me terreat crepitus, sonitus, strepitus tympani tui, qui omnia uerba tua quasi iucũda mihi decanto. Est enim mihi suauis cantus tuus, ut coturnicis aucupi eundẽ cantũ fistula imitanti. Quid est ô coturnix stultissima istud, quod in Cicerone reprehendo? quid eloquẽtiæ, quid elegãtiæ, quid doctrinæ in illo desidero? nemo intelligit, nemo diuinare potest. An quod nõ debuit mirari Scipio, quod mirabile non erat? quid hoc ad correctionem facundię Tullianę? de re uideor, non de facultate dicendi, de facto, non de scientia loqui: quanquam quæ res aut quod factũ abs te significetur, tanquã reprehensum, nullus animaduertit, quod tu dolose captasti. Ideoq; ego aperiam, ut dolus tuus, licet stolidus, iudicantibus patefiat. Tradebam tunc quandam elegantiã, quam, etsi se ingerit nobis, tamen pauci animaduerterũt, suauem & gratam. Quis enim non sic loquitur? doleo quòd te ægrotũ uideo, indignor

quòd

quòd semper audio te rixari. Certè non doleo quòd uideo te ægrotũ, sed, quòd ægrotus es, ut uideo: nec indignor quòd audio te semper rixari, sed, quòd semper rixaris, ut audio. Tamen ita loquimur, quia subest latẽs quædã in hoc sermone iucunditas. Hoc præceptum probaui magnorũ autorũ exemplis, cum aliorũ, tum uerò Ciceronis, cuius unũ exemplum fuit illud, Sæpe admirari soleo, quòd nunquàm tibi senectutem grauem esse senserim, pro eo quod est: Sæpe admirari soleo, quòd nunquam senectus tibi grauis fuit, ut sensi. Nam quòd subiunxi: Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire non posses, quippe quod nunquam fuit: ideo dixi, ut uenustior ac festiuior foret oratio. Nec dixi, cur sic dixisti Cicero, quasi de ipsius elegantia dubitarẽ, sed cur Scipio admiraris: Ideoq; sequitur, quod tu scelerate subticuisti: Verũ ita locutus est Scipio cũ Catone, quasi diceret, miror senectutẽ, ut sentio tibi non esse grauem. Deniq; nisi frequẽter hũc dicendi modũ, qui est apud omnes autores, æmulatus sum, cum alibi, tum in Elegantijs, quas ipse perlegisti, non recuso, quin Ciceronẽ uidear, ut tu ais, tãquam infantem & inscium accusasse. Quòd si ita frequẽter sum locutus, uter nostrum Pogi est monstrũ horrendum, informe, ingens? Vtri nostrũ mentis lumen ademptum? Nulli est obscurum, quantus nunc mihi ad Pogiũ insectandũ pateat campus, si longius excurrere uelim, sed breuitatis ratio ubiq; habenda est. Tertio in loco sic, Pog. Alio in loco cum scripsisset Tullius: Qui autem in uirtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem: Valla noster, præclare hi quidem, rectius dictũ fuisse ait. Quid monstri hoc est, dij boni, post mille & quingẽtos fermè annos, quibus inuiolata Ciceronis fama permansit, esse repertum non hominem, sed portentũ, nulla re præterquã impudentia præditum, qui adeò ex nectare Apolline uel Asinio potius degustarit, ut solus post hominũ memoriã Ciceronem in eloquẽtia corrigere præsumat? Lau. Et quis nõ cum tympano prodiret in præliũ, si tympanis magis quàm armis uictoria pararetur? Tympanum mihi pulsare semper Pogius uidetur, ut hostem perterrefaciat, non ensem, nõ iaculum, nõ fundam deniq; cum lapidibus attulisse. Quid agis Pogi tympanista? quo telo in me uteris? Sũt'ne ista, quę posuisti mea uerba: Dixi ego rectius fuisse dictũ? A quo rectius sic dictũ est? A Tullione? Ergo non reprehendo, quẽ recte & rectius dixisse fateor. At inquies, te dicere uoluisse, rectius Tullium fuisse dicturum, aut id rectius dici potuisse. Non igitur istud ego scripsi, sed tu me scripsisse mentitus es. Nam si mentiri nolebas, cur non mea ad literam uerba ponebas? ut liqueret iudicibus, reprehenderim'ne ego Ciceronem, an imitandũ proposuerim. Verba autem mea hæc sunt, Quidem, coniunctio duobus modis accipi solet. Vno ad distinguendas res, ut ego quidem Romæ sum, tu uerò Athenis. Altero quasi per exceptionẽ illius, quod affirmes, ut apud M. Fabium: Torquebis quidẽ filiũ, sed fatebitur mater: adeò ut apud hunc & M. Tulliũ nũquam ferè iungatur quidẽ & ille, quin huiusmodi sequatẽ exceptio, ut de officijs lib. 3. Ab optimis illis quidẽ uiris, sed nõ satis eruditis. Et de amicitia: Qui aũt in uirtute summũ bonũ ponũt, pręclare illi quidẽ, sed hæc ipsa uirtus amicitiã & gignit & continet. Hęc mea hactenus uerba palàm ostendunt, me talem loquendi modum non reprehẽdere in Cicerone & Quintiliano, sed ad imitandũ proponere. Quid autem ea quę sequũtur? dicendũ erat præclare hi quidem, prout in pronominibus ostendimus, potius quàm illi: sed hoc fecit, ut ille cõiungeretur cũ quidem. Non est Pogi hoc, quod absit, reprehendere, sed admonere, ne hoc præceptum alteri superiori uideretur esse contrariũ. Ideoq; non dixi, dicendũ fuit, hoc est: Cicero dicere debuit: sed dicendũ erat, hoc est: secundũ alterum præceptũ dici debebat. Et quãuis illud una ratio uolebat, tamen hoc alia ratio obtinuit. Itaq; doceo hic non esse nunc utendũ pronomine hic, quemadmodũ alibi, sed prono-

mine Ille, quem in modū nō semel ipse in Elegātijs sum locutus, ut tu sycophanta deprehēdere potuisti. Ex quo apparet me probare Ciceronē, nec eum modo, sed etiā Quintilianū, de quo, si eum reprehendebam, debuisti facere mētionem. Nemo enim, quos non probat, quosq; aperte uituperat, imitatur, & in eo praesertim opere, ubi uituperat Pogi tympanista, diabole, sycophanta, qui semper eadē inculcas, & eadē chorda, ut inquit Horatius, semper oberras inopia dicēdi, cum studes ostēdere copiā, qua ego copia tanquā grandine te obruerem, nisi uererer, ne in longū liber extēderetur. Taceo, quod pręsumo: nō, ut docti, accipis, sed ut uulgus, apud quod p̄sumptuosus frequenti in usu est uocabulū rusticanū. Quarto in loco sic, Pog. Ciceronē nouo quodā modo locutū dixit, cū scripsit: Cū in animo haberē nauigādi, pro eo quod est: nauigare. Lau. Quin subijcis Pogi calūniator caetera mea, quę sequebantur, uerba: ut, quo id à me animo diceba tur, appareat, quae haec sunt. Cicero tamen ad uxorē scribens nouo quodam modo locutus est: Cum in animo haberem nauigandi, pro eo quod est, nauigare. ut libro 1. de Diuinat. haberetq; in animo nauem cōscendere. Itaq; subintelligatur propositū siue uoluntas: sicut in multis fit apud eundē: cum illius diei mihi uenit in mentē: potestatis quàm aequitatis tuae. Vbi quidā accipi uolunt genitiuū pro nominatiuo. Mihi potius placet subaudiri, conditio, status, qualitas, illius diei, tuae potestatis, tuae aequitatis, aut aliquid simile, ita hic: propositum nauigandi. Est'ne hoc Pogi peruersissime accusare Ciceronē, an excusare? nam quod dixi nouo quodā modo locutū, ideo dixi, quòd significare uolui: id me nusquā alibi legisse, & idcirco neminē crebro ita loqui debere, nam ego non ausim sic loqui, ac ne illo quidem modo, qui saepius reperitur, quod est nonnihil huius generis. Idem Cicero 2. de Diuinatione libro inquit: Delebis tantā Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatē dedisse. Sui nunc pluralis numeri, & irridendi singularis. Liuius lib. 21. Non uereor ne quis hoc me uestri abhortandi causa magnificè loqui existimet. Vestri pluralis est numeri, adhortandi singularis. Plautus in Captiuis: Nominādi tibi istorū erit magis quàm edundi copia. En triū maximorum autorū exempla eius rei, quē tamen quis neget nouū quendā loquendi modum esse, quanto magis illum, cuius unum omnino, quantū scio, reperitur exemplum? O sceleratū hominem, quot res in Elegantijs meis didicit, nunquā sibi auditas, & tamen eas carpit. Illud autē non solum ad Ciceronē pertinet, sed ad Vergiliū quoq;, & alios quosdā, ubi ais: Pog. Instar eorum qui neq; uitiorū neq; uirtutum ullum, & reliqua. Hic hallucinator soloecismū dicit esse, & similitudinem loco instar subdidit. O impudentē ceruicem garrulatoris insani, instar montis equū in Vergilio legimus, quod similitudinē significare & Seruius & Donatus, & caeteri grāmatici testantur. Apuleius praeterea eo uerbo sępius pro similitudine utitur, & caeteri, qui Latinè scripserunt, sed maximè noster eloquētiae parens Cicero in 2. ad Herennium ait: saxi instar globosi. Quid aliud nisi similitudinem id uerbū potest significare? At iste proterua illa ac furibūda petulantia hos omnes non rectè intellexisse id uerbum in suis Elegantijs affirmat. Lau. O te Pogi terq; quaterq; sceleratū, ô nefandū calumniatorem: quanquā quid stomachor potius quàm cachinnor, cum paleas in me, non tela, puluerem non saxa, fumum non ignem iactes? Primū, quòd uerba tua non subijcis, ut iudices queant cognoscere, rectè ne sis usus hoc nomine, an non, nisi putas aut non posse peccari in isto nomine utendo, aut omnes à me reprehendi, qui eo utantur. Igitur ego subijciam uerba tua, ut palàm sit, an rectè reprehenderim, nam ego te non reprehendi, sed an tu rectè hoc nomine sis usus, cum ita scripsisti. Pog. In his rebus comparandis, quas ipsi nouimus nulla laude dignas, instar eorū qui neq; uitiorum neq; uirtutū ullum discrimen norūt. Lau. Deinde quòd interrogas, quid aliud

aliud significare instar possit, quasi in Elegātijs ipse non dixerim. Nam si legisti in Elegantijs, quid illud dicam significare, cur interrogas, quasi nescias? si non legisti, cur reprehendis, quasi scias? Verum legisti & nosti, quid ego dicam significare istud nomen, & quomodo probem. Postremo, quòd, neque Ciceronem neque Vergiliū reprehēdo, sed autores affero meæ opinionis. Neque ullius aliorū istorū feci mentionē, nisi unius Seruij: quæ mea uerba hęc sunt, Instar montis equum diuina Palladis arte, instar Seruius ait ad similitudinē. Quid similitudinis equo ad montem? quòd si etiā similis esset, non tamen eum magnū potius quàm paruū, quod Vergilius sensit, intelligeremus. Pauloque pòst, Instar potius significat ad æquiparationē uel ad mensuram, ut apud eundem Vergiliū: Argolici clypei aut phœbææ lampadis instar. Cicero, hexametrorū instar uersuum. Nam illud apud eundē, instar mortis, & fulminis instar, significat æquiparationē doloris in morte, & impetus ex fulmine: quale est instar saxi globosi, non ad similitudinem globositatis, quæ saxo inest: hoc de tua oratione dici non potest, ut exponamus ad æquiparationē eorum, siue ad mensuram eorū, quod ego si reprehēdissem, non emendassem, ita ut tu impudētissimi oris, non ceruicis, ais me emēdasse, sed more eorū, & alijs nōnullis modis. Nam quid aut stultius, quàm credere: instar eorum: me sic emēdare, similitudinē eorum, cum nec cōstructio cōstet, nec ulla certa significatio? aut peruersius, quàm cōqueri tanquā reprehendaris, cum nō reprehēdaris? aut imperitius, quàm disputare: nihil aliud significare id uerbum, quàm similitudinē, cōtra eum qui, ut ais, ipse loco instar posuit similitudinem? Et cum ita sis stultus, peruersus, imperitus, rudis, hebes, plumbeus, & plusquā plūbeus, tamen parentem tuum audes appellare Ciceronē. Non tu Ciceronianæ familiæ es Pogi, sed Cecironianæ, & quasi ad te illius pertineat defensio, ais eum à me uituperari, cuius in Elegantijs hæc uerba legisti. De exactissima uerborum latinitate & elegantia M. Tullio Ciceroni Marcoque Fabio Quintiliano præcipue obseruata: duobus luminibus atque oculis, cum omnis sapientiæ, tum uerò eloquentiæ latinæ. Pergamus ad reliquos. Pog. Sequitur uesaniā suam Valla in Sallustiū incursans, qui scripsit strenuus quisque, ipse, ut nō rectè dictū, strenuissimus quisque emendat. Lau. Sallustium'ne ego Pogi calumniator emēdo? Sallustium incurso? Sallustius'ne ita scriptū reliquit? Agnosce, si modo nō nosti calumniā tuam, & te, non me esse uesanū: nónne hæc mea sunt uerba? Ex positiuis autem illa excipiunt, quę carēt superlatiuo, qualia sunt quæ habēt, i, uel, u, ante us: pius, strenuus, quæ nonnūquam patiūtur superlatiuum, ideo utranque rationē sequuntur: omnis pius, & pius quisque. Sallustius de Iugurth. Nam strenuus quisque aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus discesserat. Vides Pogi ut non emēdo, non incurso Sallustiū, sed autorē affero? At enim subijcio postea: Ipse mallem dicere strenuissimus quisque, pijssimus quisque, hoc non obstat, primū quia sequitur: quidē tamē Sallustiani codices scriptū habent strenuissimi, ex quo in hoc quoque ipsum Sallustiū autorē sequor: deinde, quod non de uno strenuus, sed de omnibus huiusmodi nominibus nunc loquor, quæ ferè in superlatiuo potius quàm in positiuo reperiuntur iuncta cum quisque: postremo quòd non dixi: quasi in persona Sallustij ipse maluissem, sed in mea ipsius mallem dicere. Nam quomodo uideri possum emendare Sallustiū, qui, incertū est, an sic scriptū reliquerit, ut me tu ais emendare uoluisse? Ego tantū ex uaria scriptura, quid mihi satius uideatur, pronuncio. At cur præponis, inquies, illam scripturā, quæ in paucioribus codicibus est? Prępono, non ut Sallustiū emēdem, sed ut admoneam sequendū, quod plurimorū confirmat autoritas: præpono, quia nō protinus, quod in pluribus codic bus legitur, id & uerius est, ut uel in illo Terentiano, quē diximus, loco: ecce alterū, quem Donatus emēdat, ecce alter. Et principiū T. Liuij: Facturus'ne sim

operæpretiũ: ita enim ferè in omni editione legitur. At Quintilianus ab ipso T. Liuio scriptum esse testatur: Facturus'ne operæpretium sim, idq; principium melius esse, quàm quomodo emendatur. Iam tunc enim, quod mirum sit, locus ille emendabatur, imò, quod magis mirere, corrũpebatur. Illud quoq; Ciceronis ex politia Platonis sumptum, quis non corrupte sic legit? Neq; ego, sic Seriphius essem, forem ignobilis, neq; tu, si Atheniensis esses, clarus unquã fuisses, οὔτ' ἂν εἰ ἐγὼ σερίφιος ἦν, ἔνδοξος ἂν ἐτύγχανον, οὔτ' εἰ σὺ ἀθηναῖος, ὀνομαστός ποτε ἂν ἐγένου. Quod ita transfertur, Quòd neque ipse, si Seriphius foret, clarus fuisset: neq; ille, si foret Atheniensis. Ergo apud Ciceronẽ sic legẽdum est: Neq; ego si Seriphius essem: neq; tu, si Atheniensis esses, clarus fuisses: uel, neq; ego si Seriphius essem, forem nobilis: neq; tu si Atheniẽsis esses: uel addas illud extremũ licet, clarus unquam fuisses. Sed hæc hactenus. Satis ostendi nihil minus quàm Sallustiũ à me uel incursari, uel emendari. Sequar in cæteris, quoad potero, temporis ordinẽ. Pog. Varronem ac Festũ. Pompeiũ exponẽdo nomen uades uult aberrasse. Quis nõ dedignetur, cum legerit Varronis & Sallustij nomen, quorum tãta doctrina, tanta autoritas fuit, ut eam citius admirari omnes, quàm laudare queant, ab, nescio quo, uesano latratore uiolatum? Quis non odio dignum putet: hominem tanta uesania repertũ, qui cum ne primis quidẽ labrijs latinã linguã degustarit, omnes præ se contemnat linguæ latinæ scriptores? Lau. Et alijs multis me Pogi conuitijs insectaris: quanto facturus melius, dum modo bonam causam haberes, si crimen aperires, quod minimè facis. Quid enim te amẽtius atq; eneruatius, qui in causa iudiciali nec narras, nec confirmas, nec confutas? An speras tui similes iudices fore, ut accusatore non probante, reum capitis condemnent? & hoc tibi sufficere? Laurentius ait errasse eos, quorũ autoritatem ego Pogius laudo. Laudas tu illorum autoritatem Pogi? at ipse non laudo, nec quid sit laudare autoritatem, intelligo. Non sufficit istud iudicibus ad pronuntiandum, si sufficit tibi ad calumniandum. Affer loca reprehensionis, profer uerba, hoc cur nõ facis? nempe non tam, quod inscius es, quàm quòd malignus, & fallendi iudices auidius: nam uerba mea in Elegantijs, ut mox ostendam, Festum Pompeium testem citant, de Varrone autem ita inquiunt: Vas (inquit Varro) appellatus est, qui pro altero uadimoniũ promittebat. Consuetudo erat cum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret. Videtur Varro significare uadem eundem esse, quem fideiussorem uocamus, et uadimonium fideiussionem. Nos hoc negare ita esse qui possimus? cum Varro omnium consensu sit Romanorũ eruditissimus, & linguæ latinæ peritissimus? qui latinas literas fecit & latiniores, & literatiores? Vides quanta cum ueneratione Varronis mentionem facio? Quid illud, quod sequitur? Verum ego non ausim reprehendere, sed tantum affirmare me non legisse, duntaxat, quantũ aut recordor, aut intelligo: uadem eum esse, qui uadimoniũ pro altero dat, si uadimonium significat fideiussionem, sed eum, qui spõsor est alterius in capitis periculo, siue idem supplicij subiturus, siue pecuniam soliturus. Vides etiã, ut nego me reprehendere eũ, cuius tu nomen ais à me uiolatũ? Vides ut exceptione utor, si uadimoniũ significat fideiussionem? nam si non significat, uerba mea pro nullis sunt. Nec dixi: ait Varro uadem significare, sed Varro uidetur significare, uadem eum esse, quem fideiussorem uocamus, & uadimonium & fideiussionem. Vides ut nihil affirmo, quem tu uesanissimus latrator affirmas detrahere Varroni atq; adeò Festo: cuius post Ciceronis, Liuij, Quintiliani exẽpla, testimoniũ affero, inquiẽs: Quod Festus quoq; sentit dicẽs: uas sponsorem significat in re capitali. Pog. Plinium his adiungit, quę ignorantiæ notet. Ait enim: Illud Plinianũ in septimo naturalis historiæ nõ placet mihi. Salue primus omnium parẽs patriæ appellate: & appellatus dicẽdum censet.

Plinij locus. in 7°.

Ego

Ego male scriptum putarem, si ei placeret, qui cloacam pro stomacho gerit. Lau. Quàm pulchre Pogi cum cæcis dimicares? quàm belle cum surdis contenderes? quàm fortiter cũ pueris luctareris? Verum tu mihi cæcus, surdus, puer uideris esse, uoluntatem habens fallendi, non facultatem. Nam cur ais: Ego male scriptum putarem, si ei placeret? Certe quòd hæc in Elegantijs uerba legisti, quæ tamen referre noluisti. Quare illud Plinianum in septimo naturalis historiæ, nisi menda librarij est, non placet mihi: Salue primus omnium parens patriæ appellate. Sed sic scriptum ab autore suspicari libet: Salue prime omniũ parens patriæ appellate. Vel, Salue M. Tulli primus omnium parens patriæ appellatus. Cur non Pogi syncerè retulisti, quo nã modo uitiũ grammatice emendarem? cur tot uerba mea præteristi? cur quę nõ dixi, facis me dicentẽ? rursus nõ facis dicentem, quę dixi? An hoc parũ, quo utor, tẽperamenti est: nisi menda librarij est? an parũ modestię id addit: sed sic scriptũ ab autore suspicari libet: cum præsertim, quod tu non ignoras, uix ulli sint codices corruptiores, quàm Pliniani? Non dicam hoc loco (quod non est institutę de calumnia disputationis) fieri posse, ut Plin. utique in tam opere grandi lapsus sit, ut inquit Horat. Nanque opere in longo fas est obrepere somnũ, Et sępe bonus dormitat Homerus. Cum etiam Cic. ut de alijs plurimis autoribus taceã, insignẽ admiserit solœcismũ in oratione de accusatore constituendo, ut Pedianus notat: Si quis iudices fortè miratur me ad accusandũ descenderim. Hæc dicerẽ longius, si (ut dixi) essent institutę disputationis. Nunc tantũ hoc dixisse cõtentus sum aduersus calumniam tuam: te debuisse cogitare, nonnunquam talia quædã magnis quoque autoribus accidere, neque pro magno flagitio putare, & ingentis criminis loco ponere mihi, quòd hoc dixerim, si quod nõ feci, dixissem. Pog. Ponã aliquos locos, in quibus sua uesania castrametata est aduersus eos uiros, quos antea nominaui. In uerbo senior, quod Seruius, Varro, Plinius ut ipse ait: asserunt comparatiuum esse per diminutionem, Valla latini eloquij alumnus contrà sentit, ac alios asserit nõ rectè eius uerbi uim intellexisse. O durã sortẽ temporum, quibus ignorantia in pretio habetur. O infelices, ut ita dicam, tot uiros doctissimos, quorum memoria cum mille amplius annis summa in ueneratione omnium gentium fuerit, cum nobis ad omne doctrinæ genus aditum patefecerint, post tot secula in rabulã quẽdam detrectatorem temerarium inciderint, qui nunc tandem asserat, se illorum errata patefecisse: quanquam non illorum errores, qui nulli sunt, sed suã demẽtiam, quæ est maxima, palàm fecit. Lau. Asseró ne Varronem & Plinium istius uerbi uim non rectè intellexisse? Assero me eorum errata patefecisse? Aio istos asserere senior comparatiuum esse per diminutionẽ? Et quomodo istud fieri potest, ut ego asseram, & illos asserentes faciam, qui libros eorum ista tradentes non legerim, iampridem culpa temporũ amissos? Et tamen ipsa mea in Elegantijs uerba negant me aliquid asserere, cum dixi: Si uero hoc Varro & Plinius aiunt aperte significans me non satis habere fidei Seruio referenti, quem, asserẽ uerberari dignus, Varroni & Plinio comparas: quasi tantum audaciæ sit, Seruium grammaticum, quantum illos reprehendere, cuius plurima errata nunc in mediũ proferrem, non dico, quæ ego præter alios notaui, sed quæ literatores ipsi notauerunt, uel in historijs, uel exponẽdis uocabulis, uel in alijs multis, nisi nollem esse longior, præsertim in detrahẽdo, & ea scholis omnibus uulgata essent. Et tu ais nullos illius errores esse, de quo Beneuenutus quidam memoria patrum, qui multam operam in commentandis autoribus posuit, non ille quidem excultus & elegans, sed sedulus atque studiosus, non dubitarit dicere: Ille bestialissimus Seruius: profecto de te Pogi, qui negas illum unquã errasse, dicturus: hic bestialissimus Pogius, hoc est, dementissimus. Tuam igitur demẽtiam Pogi sic loquẽdo

R 5 palàm

Plinius corruptissimus.

Solœcismus in Cic. à Pediano notat.

Senior cõparatiuũ p diminutionem.

Beneuenutus in Seruium.

palàm facis, qui Seruiũ me & hic & alibi reprehendente nõ protegis, nisi conuicijs & abs te, & in te dici dignis, quem certe Beneuenutus ipse castigare posset, utentem uerbis sine supposito, & extra legitimum uerbi modum, ueluti inciderint, & sua uesania, pro, eius, quod Priscianus uetat, cum non sit nunc reciprocum, & fortassis, quòd pro, quosdam locos, dixeris, aliquos locos. Pog. Quintilianum suum, quem omnibus ingenijs sine controuersia, & ipso Varrone doctiorem affirmat, neque eximit à contumelia cæterorum, neque passus est esse dicacitatis expertem, qui scripserit: adeò, ut paulominus promptis etiã noceat scripsisse. Lau. Si causa probanda esset rationibus, signis, coniecturis, rumore, posset de ueritate, de iure dubitari: nunc tota constat signatis tabulis, atque chirographis, hoc est, scriptura mearum Elegantiarum, quam tamen Pogius conatur corrumpere etiam, ô scelus inauditum, cum minime possit: qui si trapezita atq; argentarius foret, profecto fidem quotidie frangeret, omnium credita abiuraret, manumq; tum suã negaret, tum alienam falsaret: quan quã in sua trapeza hoc etiã fecit, ut aiunt: Intelligunt, qui eũ norũt, quid significem, quàm capitale crimen attingã. Quod idcirco non aperio, quòd mihi cõstitutũ est crimina eius nunc nõ promere, ne aut omnia recensendo nullum dicendi faciã finem, aut pauca attingendo, nõ plura, quæ obijciã, à multis habere existimer. Nam de Carthagine, ut inquit Sallustius, satius est tacere, quàm parum dicere. Quis enim dubitare possit, post homines natos improbiorem Pogio extitisse hominẽ? qui hæc dicat, cum ita in Elegantijs meis legerit. Adeò exponũt pro ualde, ut Terent. Iuuenẽ adeò nobilem. Significat etiã in tantũ, nonnunquã sequente ut, nonnunquam nõ sequente, ut apud Quintilianum: Cuncta si uidetur iura percurrite: nusquam pro nobis adeò solicita lex est, ut quod præstat, extorqueat: dedit cæco talionis actionem, nõ manus recusantis impellit, iniuriam cædis agere permisit, sed non cogit inuitos, adeò penè leuius est ultionẽ perire, quàm potestatem. Hic eadem sententia fuerit, si dixero: adeò, ut penè leuius sit ultionẽ perire, quàm potestatẽ. Nam sæpe hoc modo legimus: adeò: positũ cum uno uerbo, non cum duobus: quale fuerat exemplũ superius. ut apud eundẽ. At cum protinus respondendũ est, omnia parari non possunt, adeò, ut paulominus promptis etiam noceat scripsisse, si alia ex diuerso, quàm opinati fuerant, occurrerint. Licuisset etiam sic dicere: adeò paulo minus promptis etiam nocet scripsisse. Quid ego reprehendo in Quintiliano Pogi ueneficeꝭ quanquam ita stolidus es, ut ex uerbis tuis, quid reprehendas, non constet, sed quid me reprehendisse significasꝭ an, quòd interponendum sit, utꝭ at id exemplo eiusdem probo: an quòd non sit interponendumꝭ at ipse nonnunquã non interponi posse eiusdem exemplo confiteor. Præterea cum dicas hunc locum à me reprehendi, cur non & superiorẽ, qui similis est, reprehendi dicisꝭ Sed quid plurasꝭ quasi credibile sit me adduci posse, ut Quintiliano, cui, ut ais, tantũ tribuo, aliquid detractũ uelim. De quo meo iudicio nõ est huius loci disputare. Vbi enim dicor uituperasse autores, de his mihi reddẽda ratio est, nõ ubi laudasse. Neq; si hũc tantopere laudaui, fit, ut laudes Cic. eleuauerim, imminuerim'ue. De quo Quintil. cum alia multa, tum uerò illud: Ille, inquit, se profecisse sciat, cui Cic. ualde placebit. Ex quo palàm est, me quidẽ, cui si Quintilianus placet, nimirum & Cicero ualde placet, profecisse, tibi uero qui nihil profecisti, neq; Quintilianũ placere, neq; Ciceronẽ. De quibus duobus ita sentio, ne alia attingam, quæ ad utriusq; laudes pertinent: neminem posse neq; Quintilianũ intelligere, nisi Ciceronem optime teneat, nec Ciceronẽ probe sequi, nisi Quintiliano pareat, neq; unquam fuisse quempiã eloquentẽ post Quintilianũ, nec esse posse, nisi qui se totum arti eius formandũ imitationiq; tradiderit. Et qui talis nõ est, huic ego me, quãtuscunq;

De Ciceronis et Quintiliani iudicium Vallae.

cunq; is fuerit in dicendo, longe antepono. Vides quantū Quintiliano tribuo? Non igitur eum reprehendo scelerate sycophanta, sed te, qui ais me eximere illum à contumelia cæterorū, quasi is in contumelia antea fuerit. Non enim quis dicitur eximi à periculo, ab egestate, à malo, nisi in quo positus erat. Nunc Quintilianus non acceperat contumeliam, à qua tu uis eum per me eximi debuisse, ergo eximit dixisti pro excipit, non Tulliane, sed Pogiane. Pog. Macrobium male posuisse ait scribentem, Quarum altera pendet ex altera: aliam ex alia scribendum fuisse ait. Sed in hoc superius sua dementia Ciceronis testimonio compressa est. Lau. Istud ego si fecissem ut tu mentiris Pogi, fecissem uel ipso autore Macrobio, qui in procemio de Saturnalibus ait: Ne, sicubi nos sub alio ortos cœlo linguæ latinæ uena non adiuuet, in meo sermone natiua Romani oris elegantia desideretur. Mentiris autem: quia post aliquot exempla, quorum unum fuit Plinij lib. 2. loquentis de formicis, quæ ex diuerso con uehunt altera alterius ignara: intuli, quare dicamus sic aliquando loqui permissum. Ergo Macrobium potius defendi: defendi inquam aduersus Diomedem, Donatū, Seruiū, Priscianum, aliosq; permultos, qui aiunt alter dici de duobus, alius de pluribus: non ut illos improbarem (nam ferè ita usurpantur hæc nomina) sed ut admonerem, aliquando aliter his usos autores. Tu potius homo indoctissime tot scriptores improbas, qui nihil inter hæc duo nomina uis differre. O ingenium obtusum, retusum, atq; pertusum: exempla quæ affers, num sentis contra te esse? inquiens, Pog. Culpet hic asellus insolens Ciceronem, qui in secundo ad Herennium: alteri non erant, inquit, alteros non habebat. Item in epistola ad Rufum, alterum timori adscribam, alterum negare te mihi non potuisse arbitrabor. Item ad Torquatum: alteri dimicant, alteri uictorem timent: cęteros præterea culpet nobiles scriptores, qui eisdē utūtur uerbis. Nam scripturam sacrā aperte cōtemnit, & eius traductores sæpissime culpat, tanquā male & non latine locutos. Alter alterius onera portate, inquit ueritas, quę si uerba con temnit, maximo scelere se astringit: nimirū hoc est, quod in suis Elegantijs tanto insudauit tempore, ut omnium, qui essent, stultissimum se esse profiteretur. Lau. Non sentis Pogi pugione pungende? non sentis exempla ista Tulliana de duobus dici, non de pluribus? de duobus enim usitatius, &, ut grammatici illi testantur, melius dicitur, alter alterū uerberat: de pluribus, alius alium uerberat. Nec interest, quo numero loquamur, singulari an plurali, dum sint duæ partes. Nam si tui serui cum meis ueniant ad manus, non recte dicam, alij alios, sed alteri alteros uerberant: quod secus fit in uerbis tuis, alter alterum trudit, ubi cum de pluribus fiat mentio: alius alium trudit fuerat usitatius: sed tamen sic quoque dici potuit. Sed quinam sunt isti nobiles scriptores, qui isto modo loquantur? certe nullos habes, ideóque ad aram, quod ultimum est miserorum subsidium, confugis, affersq; testimonium sacræ scripturæ. Ista tibi Christianæ religionis ara subsidio esse non potest, qui deos inuocare soles: ô dij boni, ô dij immortales, me hercule, & alia huiusmodi, qui adeò inimicus est Christianæ religionis, quæ uera religio est, & cuius autor Christus ueritas est, adeóque amicus falsitatis, ut etiam appellando ueritatem falsum dicas. Non enim ueritatis, hoc est, Christi sunt ista uerba, sed apostoli: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi, si modo dicenda sunt hæc uerba apostoli, & non potius interpretis nescio cuius, de cuius doctrina non est huius loci disputare, tantum dixerim: hunc esse Græcum loquendi modum, alter pro alius poni: quod te, qui Græcissare soles, nescire, deforme est, & ad istam disputationis aram confugere. Videor'ne tibi nunc demens, & stultissimus Pogi? Videor'ne asellus insolēs Pollio Asini? Dicā uicissim, quid tu uidearis mihi, qui ais

me sacram scripturam aperte cōtemnere, & mox de hoc ipso dubitas, inquiens: Si scripturę sacrę uerba contemnā, nec, ut tu facis, mentiar, uideris tu mihi Pogi, non dicā asinus, & si nonnihil uideris, ne sim tantopere in te contumeliosus, sed elephas, cum propter alia, tum uerò propter hæc, quòd horrendo barritu, quòd immanibus dentib. ueluti cornibus, quod ingēti proboscide preditus est, quòd, ut ipse ater est, ita conspecto atro & simili sanguinis uino, ad effundendum hostis sanguinem præceps fertur, sed idem, cum obsistentes reperit, ac uulneratur, dato tergo in suos ruit, & maiorem per illos dat stragem, quàm per hostes dedisset. Huic tu Pogi es assimilis in hac nostra pugna, qui elephantino stridore, elephantinis dentibus, & lingua quasi proboscide, nec conspecto, sed hausto ebrietatum uino nigro, nec pelle, sed anima atra in me præceps irruisti, idem nunc à me multis cócisus uulneribus, dato tergo, magnā per tuas copias stragē edis: me insequente, & assidue quasi subter caudam (ibi enim elephas, cui tu es assimilis, putatur esse mollissimus) feriente, nec cessaturo, dum corruas. Pog. Idem Iurisconsultos omnes, & legum scriptores eodem loco habet, quo & reliquos, Pomponium, Caium, Vlpianum, nescisse ait eos, tum alia permulta, tum quid munus differat à dono. Lau. Plura, si plura haberes Pogi, diceres de iniuria Iurisconsultis à me illata, & his, quos tu legum scriptores appellas, cum isti neque scriptores fuerint legum, nec solum leges, sed omne ius sint interpretati: quæ quid differant, tu prorsus ignoras, quorum Vlpianus ait: donum esse genus, munus speciem. Marcellus econtrario, munus esse genus, donum speciem. Tu quid hic faceres, quæso Pogi iuris humani diuiniq́ue consultissime? quid responderes, si quis te consuleret? certe aut peius, aut ita responderes, ut alterum probares, alterum improbares. Ego, ut neutrum contra alterum defenderem, mediam uiam tenui. De quibus iurisconsultis nonnihil posterius dicam. Reliquum iam est, ut de Hieronymi accusatione dicamus, ais enim. Pog. Scripturam sanctam hic homo prophanus adeò contemnit, ut plura in ea non recte scripta asseueret. Lau. Merito ais me Pogi, contemnere scripturam sacram, qui eam ipse tantopere uerearis, cum Herculem, cum Iouem, cum deos omnes testeris. Sed quid est per deos bonos, ut tecum tuis uerbis agam, scriptura sacra? omnisńe ueteris nouiq́ue testamenti interpretatio? at ista multiplex est & uaria, atq; hęc illi magnopere repugnās. An ignoras ex Hebræo in Gręcum primam translationem, fuisse septuaginta duorum interpretū? secundā Aquilę, tertiā Theodotionis, ac deinceps peruentum usq; ad sextā, atq; ita apud Græcos Latinosq́ue fuisse incerta omnia? Vbi quid dicas tu esse sacram scripturam? certe nullam, nisi uerā interpretationem. At hæc quę sit, incertum est, utique in testamento nouo, cuius multi fuere interpretes, ut ex ueteribus scriptoribus licet cognoscere. At inquies: Hieronymus utrunque testamentum postea transtulit. Vtinam quidem utrunq; syncerum haberemus, etsi non eum omnes Ecclesię receperunt. Sed cur in multis eum non frequentamus, ueluti in psalmis secundum Hebraicam ueritatem? quanquam nouum ipse non transtulit, sed aliquoties repurgauit, non tam in uerbis, quàm in sententijs, quod rursus, ut opinor, si reuiuisceret, in quibusdam deprauatum uitiatumq́ue corrigeret, quemadmodum in opere meo de collatione noui testamenti, quod tu opus inuidiam uocas, ostendo. Itaq;, ne multus sim, si quid emendo, non scripturam sacram emendo, sed illius interpretationem: neq; in eam contumeliosus sum, sed pius potius: nec aliud facio, nisi quod melius, quàm prior interpres trāsfero. Vt mea translatio sit, si uera fuerit, appellanda sancta scriptura, non illius, etsi proprie scriptura sancta sit ea, quam sancti ipsi uel Hebraice uel Græce scripserunt, nam Latinum nihil tale est. Quare stulte, ut semper obijcis mihi Hieronymum, inquiens,

inquiens, Pog. Notaui pauca è multis, in quibus beatum Hieronymũ, ut malum interpretem, culpat. Non ueni soluere legem, sed adimplere: ad soluendum legem dicendum fuisse ait. Putatis quia ueni soluere legem, non quia, sed quod ponendum dixit. Lau. Tuum est Pogi docere hanc esse Hieronymi interpretationem, & cuius illa sit, quam Augustinus, quam Ambrosius, quam Hilarius, quam Cyprianus, quam ueteres alij sequuntur. Ego me fateor, ut in Elegantijs dixi, potius translaturum fuisse: putatis: quòd uenerim, siue putatis me uenisse ad legem soluendam, siue, ut soluam? non ueni ad soluendam, sed ad implendã, siue, non ueni ut soluam, sed ut impleam. Et hoc opinor futurum fuisse latinius, & proinde apertius, nec minus uerum. Sicut in illo quoq;, quod tu etiã crimini das. Pog. Ascendit in arborem Sycomorum, quia inde Iesus transiturus erat, pro uerbo inde, illac posuit. Lau. Non posui, sed ponendum fuisse puto, atque ita transferendum. Tu uero Pogi Græcæ Latinæq; grammaticę columen, si positum esset, illac, putares ponendum fuisse inde? Minime minime, inquies, Ergo tu quoq; confiteris ponendum fuisse illac, id est, per illam uiam, non inde, id est, ab illo loco. Nam in alijs apertior menda est, quam tamen tu sycomoris pasci dignus, defendis. Pog. Si ibi fuerit filius pacis requiescet super eum pax uestra, sin autẽ, ad uos reuertetur. Et alibi: si quidem fecerit fructum, sin autem, succides illam, quod uitiose dictum fuisse ait. Lau. Non'ne tu Pogi ais debere nos sequi sanctã scripturam? ea porrò ipsa non'ne consistit in ipsis ueris Euangelistæ uerbis? Atqui ille loquitur per negationem, ει δὲ μὴ, hanc negationem in Latino nequaquam reperio, sed, sin autem, quod non est negatiuum. Hunc tu in modum Hieronymum existimas transtulisse? Hoc ego si mutare uellem, aut si aliter transferrẽ, clamares me corrumpere scripturã sanctam, & nõ potius corruptã emendare cõfitereris: quanquam sententia, etsi peccatur uerbo, aperta est. Ego autẽ in illo opere non de sententia Euangeliorum aiebam, sed de elegantia linguę Latinæ. Inelegans itaq; dicebam esse, pro sin minus, dicere sin autem: nam illa testamenti ueteris sunt, quę tu cum illis, quæ erant noui, miscuisti, inquiens, Pog. In conuertendo dominus captiuitatem Sion. Inauditam locutionem ait, & non Latinam. Lau. Ego me nego talem locutionem audisse, tu qui te ais, profer uel unum exemplum. Pog. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Hieronymum arguit, & oppugnauerunt posuit. Lau. Posuit pro substituit inquis. Vbi ego posui aut substitui oppugnauerunt? Nunquid isthic ego Hieronymi feci mentionẽ scelerose Pogi? nũquid nõ etiã dixi in quibusdam codicibus legi oppugnauerunt, quod est melius, cum sequatur: etenim non potuerũt. Nam qui oppugnãt et nõ expugnant, ij nõ potuisse dicendi sunt. Cui simile est illud: accola fuit in terra Cham: cũ legatur in nõnullis exemplaribus, & melius: incola fuit. Ita forsitan de septena pro septem, & quinquageni pro quinquaginta, siquidem rem ego notaui, non certũ hominẽ. Nam ubi ais. Pog. Vt super Ionam fabulę, hic homo religiosus scripta super Ionam, fabulam, non historiam putat. Lau. Ego non dixi Pogi sycophanta fabulam esse, scripta super Ionam, sed Hieronymũ, dum super Ionam scribit, facere mentionẽ fabulę de Andromeda & Perseo. Tu uerò, ut mihi cõflares inuidiam, dixisti me scripta super Ionã, fabulã, non historiã putare. Ergo tu Pogi homo religiosissime, scripta super Prophetas, aut super Euangelia, cæterasq; sanctas scripturas, historias putas? & tot cõmentaria, ut aiunt, siue cõmenta uel Latina uel Græca Ambrosij, Hilarij, Augustini, Gregorij, Basilij, Chrysostomi, ac reliquorũ, historias appellabis? Vides, ut aut fatue, aut calũniose loqueris? Quanquam possem meo iure tibi non respondere, ubicunq; de linguę Latinæ elegantia agitur, in qua isti, quos modo nominaui, non tantam habent, quantã in scientia diuinarum

rum

rum rerū autoritatē,nec tam Romane loquitur Augustinus, quàm Cicero, nec tam Hilarius,quàm Quintilianus, quem Hieronymus ait Hilarium fuisse sectatum. Quare nec de Ioue quidem statore & Gallis Cybeles tibi respondeo, nisi forte ad religionem & sacram scripturā pertinere sentis, ne quid ego detraham Ioui aut matri eius,cum fanaticis gallis suis. Ad te ista pertinent Pogi, qui deos inuocare soles, & fanaticus es, & gallus, sed non, ut illi, castratus. Verum illud quod ad extremum mihi reseruaui, ais'ne esse Hieronymi? certe ais, quod mihi criminis loco ponis, inquiens. Pog. Sermonem quem audistis, non est meus. Maluit interpres,inquit,Latine quàm grammatice loqui,ô durū caput, ô ceruicem ferream, ô ingenium eruginosum, ô stupidum cerebellū, contra Hieronymum'ne Vallę præsumptio hiscere audet,uirum doctissimum,sanctissimū, omnibus seculis ab omnibus gentibus cōprobatū? Lau. Dixi ego interpres? sed esto dixerim: Hieronymus maluit Latine quàm grammatice loqui. In uituperationem'ue eius id dictum est, an in laudem? An non præclarius est Latine quàm grammatice loqui,& quasi præstantius atque nobilius quiddam,quippe quod inter uirtutes Rhetoricę numeratur,non Grammaticę? O Pogi temulente ac literatorū sterquilinium,& tuis cōuicijs,quę iactas,dignissime,non'ne ista sunt Quintiliani lib.1.idem,quod ego modo dixi,sentientis,cum inquit: Quare mihi non inuenuste dici uidetur, aliud esse Latine, aliud grammatice loqui. Agnosce agnosce modestiam meam: quis ignorat illam orationem magis esse poeticam quàm oratoriam,& similem illi: Vrbem quam statuo, uestra est: quæ nec Greco respondet,ubi dicitur sermo,nō sermonem? Et tamē ego indulgentior, quàm ueritas postulabat, nō modo non improbaui id, uerumetiā laudaui, de qua re feci mentionē non in opusculo,ut tu ais,sed in pluribus libris de collatione noui testamenti,quod tamen tu opus his uerbis carpis. Pog. Opusculū præterea edidit,in quo uirum sanctissimū,doctissimumq; reprehendit multis in locis sacrę scripturæ, tanquam ab eo male interpretatis. Lau. Aut ædidit accipis pro condidit, quod barbarum est, aut plane mentiris,cum nondum illud publicauerim, nec tu unquam inspexeris, in quo tamen ais à me reprehēdi Hieronymum: in cuius prooemio hęc uerba sunt, cum retulissem Hieronymi uerba dicentis,seculo suo tot exemplaria noui testamenti fuisse,quot codices: Verum si post quadringentos omnino annos ita turbidus à fonte fluebat riuus,quid mirum, si post mille annos (tot enim ferè ab Hieronymo ad hoc æuum sunt) hic riuus nunquam repurgatus aliqua in parte limum sordesq; contraxit? Cernis Pogi Polypheme,cui mentis lumen ademptū est, me illud opus condidisse, nō ut Hieronymū, quod procul absit,reprehenderem,sed ut meo seculo posteritatiq; prodessem,prout certe, quantum spero, prodero. Sed hæc satis superq; satis sunt ad confutandam primam calumniam tuam, qua me insectabaris, tanquam reprehensorē Terentij,Ciceronis,Sallustij,Varronis,Festi,Plinij, Quintiliani, Macrobij, Iurisconsultorum, Hieronymi. Nam de his, quorum nihil à me reprehensum specialiter retulisti, non attinet respondere, neq; nunc, neque in posterioribus,ubi quosdam à me iure fuisse reprehensos ostendam. Eorum si quid certi retulisses, tuā uel calumniā,uel imperitiā conuincerē. Transeā ad alterū huic diuersum calumnię genus. Nam sicut alijs detraxisse me mentitus es,ita mihi plurimū arrogasse,inquiens. Pog. Dicit insuper se imitaturum esse Camillum, ut sicut ille urbem à Gallis captam restituit, ita ipse literas latinas exules,profugas,atq; aberrantes urbi restituat. O caput insulsum,ô cymbalum resonans sine sensu,comprimat os insanum, & istam suam fanaticā iactantiam conterat,persimilis est Valla noster homini ridiculo,qui cū aliquando se ex quadā turri uolaturū certo die profiteretur,et populus ad id spectaculum conuenisset?

homines suspensos uarijs alarũ ostentationibus usq; ad noctẽ detinuit, deinde omnibus uolatũ cupide expectantibus, populo oculum ostendit. Ita Laurentius noster post multas atq; ingentes uerborũ pollicitationes, post tantam expectationẽ promissorũ, tandem nõ quidem oculũ, ut ille, sed uolantis cerebri insaniã, uertiginẽ, & per grandem ignorantię supellectilẽ ostendit. Lau. En qui obijciat alteri uel cerebri uolantis insaniã, uel imprudentiã. An non deliri, desipientis, insani, atq; insanabilis senis ista sunt uerba? Parum abest à re uerborum obscœnitas. Nec qui sic loquitur, multum sanè ab illo Pogiano Dædalo differt. Quis omniũ qui curiam apostolicã sequũtur, tam literarum ignarus, tam humilis, tam abiectus est, qui Senatui Populoq; Romano hæc, nedum Latino orbi, ut Pogius sperat, legenda proponeret, quę scripsisset? Quę ego quasi uelanda mihi una præposita litera putaui, ueritus proferre, quod Pogius scribere gloriatur. Tu uerò Pogi, quod ita loquaris, haud equidẽ miror, qui illam corporis partẽ sicut nunc uerbis, ita manibus, ut aiunt, uulgo denudare consuesti. Quę impudentia quàm haud in me ulla ex parte cadat: & quantopere de mea iactantia mentiaris, ipsa uerba elegantiarum testimonio erunt. Quousq; tandem Quirites (literatos appello, & Romanę linguæ cultores, qui & uere & soli quirites sunt, cęteri enim potius inquilini) quousq; inquam Quirites urbem uestram, nõ dico domicilium imperij, sed parentem literarum à Gallis captam esse patiemini? id est, latinitatẽ à barbaris oppressam? quousq; diruta ac prophanata omnia duris ac pene impijs aspicietis oculis? An dum fundamentorũ reliquię uix appareant? Alius uestrum scribit historias, istud est Veios habitare. Alius Græca transfert, istud est Ardeæ considere. Alius orationes, alius poëmata componit, istud est Capitolium arcemq; defendere. Præclara quidem res, & non mediocri laude digna, sed non hoc hostes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis Camillus imitandus est, qui signa, ut inquit Vergilius in patriam referat, eamq; restituat. Cuius uirtus adeò cæteris pręstantior fuit, ut ij, qui uel in Capitolio, uel Ardeæ, uel Veijs erant, sine hoc salui esse non possent, quod hoc quoq; tempore continget, & cęteri scriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid composuerit, non parum adiuuabuntur. Equidem, quod ad me attinet, hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo, quantulumcunque uires meæ ferent, exercitum, quem in hostes quamprimũ educam, ibo in aciem, ibo primus, ut uobis animum addam. Certemus quæso hoc honestissimũ pulcherrimumq; certamen, non modo ut patriam ab hostibus recipiamus; uerumetiam, ut in ea recipienda, quis maxime Camillum imitabitur, appareat. Difficillimum quidem præstare, quod ille præstitit, omnium imperatorum mea sententia maximus, riteq; secundus à Romulo conditor urbis appellatus. Ideo q; plures pro se quisque in hanc rem elaboremus, ut saltem multi faciamus, quod unus effecit. Is tamen iure uereq; Camillus dici existimariq; debebit, qui optimam in hac re operam nauauerit. Quid ego in omnibus his uerbis Pogi cum iactantia dixi? quid non cum literatis omnibus communicaui? Is autem se iactare existimatur, qui alijs se, id quod ego non facio, præponit. Nam quod dico Camillum nobis esse imitandum, id uerò honestissimum est, ut optima queq; nobis ad imitandum proponamus. Nisi satius est nunc iuuentuti Pogium quàm Ciceronem, Quintilianũ, Demosthenẽ pro exemplo oratoris imitari, Pogiũ, inquam, tam polite, tam enucleate loquentem, qui, ne alia persequar, inquit, Pog. Deinde omnibus uolatum cupide expectantibus, populo oculum ostendit. Lau. Quasi alij essent cupide expectantes, & alius populus, et non ijdem, ut superuacuum fuerit addere populo, scut iterũ, Pog. Et populus ad id spectaculum conuenisset, homines suspensos detinuit. Lau. Cum dicere deberet: eum

suspensum,

suspensum. Heccine mea uerba (uos appello iudices, omnes autem, qui hæc legitis, iudices estis) merentur hanc contumeliam, ut aduersus me Pogius exclamet: ô caput insulsum, ô cymbalum resonans sine sensu, cõprimat os insanum, & istam suam fanaticam iactantiam conterat? Non opinor uos ita sentire, sed potius ipsum ob id Pogium mereri, ut à uobis audiat: comprime istud os insane Pogi, caput infandum, & tuam istam fanaticã maledicentiam compesce, & resonare sine sensu & tympanizare desine. Vtinã potius, quod falsò Laurentio obijcis, te iactares, quàm alijs per calumniam malediceres, quàm os tuum obscœnis uerbis pollueres, quàm nostras etiam aures contaminares, cum necessariũ quoque est exponi turpia, non facile patimur obscœnitatem uerborũ, nedum, quando nulla necessitas, nulla ratio, nulla causa subest, ut modo in uerbis tuis. Enimuero si uis, si facultas nobis adesset, grauiter te ob istam tuã loquendi licentiam mulctaremus. An nõ putas Pogi nõnullos esse lectores, qui, ista cum legunt, te si possent, grauiter mulctarent? Verũ de impudentia tua nihil ad me, sed de calumnia: cum de meipso iactanter locutum esse mentiris, nec minus maligne, cum inquis, Pog. Eorum autem, qui nostra ætate fuere, preclarissimos uiros esse dicebat, Leonardum Aretinum, Guarinũ Veronensem, se tertiũ Italię lumen, cum tamen primum locum mereretur, nisi illis paulum humanitatis gratia concedere uellet. Sed quid mirũ, si duobus illis se præferat, cum seipsum maioris doctrinæ, quàm M. Varro fuerit, palàm prædicet, seq; nulla in facultate illi cedere, quẽ Cicero & beatus Augustinus omnibus latinis præferunt sapientia & doctrina? Venit mihi in mentẽ Cardinalis olim Tudertini, natione Romani, qui cum post obitum Innocentij Papæ quinti coram eo quereretur: quis ad pontificij gradũ assumeretur, respõdit. Lau. Et fabulam ineptam tuo more exequeris, & alio in loco, Pog. Cum se asserat, tanta est insania, solum huius seculi doctorem. Lau. Nihil inuenis in scripturis meis arroganter dictum, nihil ambitiosum, nihil insolens. Idcirco ad figmenta & ad tua mendaciorũ arma confugis, in quem illud prouerbium cadit: mendacem memorem esse oportere. Num es memor te in ultima epistola libri quarti ad Quirinum scripsisse his uerbis? Pog. Ait quidã huius uiri affinis multis astantibus, quatuor esse in Italia solos latinæ linguæ principes, primum Leonardum Aretinum posuit, secundo loco te designauit, tertia in acie hunc nostrum collocauit, quartum attribuit nescio cui Longobardo. Lau. An potius huius epistolę recordaris Pogi, & sciens tibijpsi contraria nunc loqueris, quasi nunquam coargendus? At quàm facile est mendacem, utique tardum & hebetem, coarguere. Ais me dicere, primas partes mereri me, nisi illis paulũ uellem concedere humanitatis gratia: quasi ideò non mereatur quis primum locum, quia paulum alijs concedit humanitatis gratia. O stultissimum hominem, non dico, quòd si quis concedit alteri paulum, non tamen primũ locũ concedit, sed quod uis causa humanitatis facere, ut qui alioqui primas partes tenere merebatur, is iam nõ mereatur, & ob hanc uirtutẽ minori præmio dignus sit. Mentiris itaq; me ista uerba dixisse, quorũ neq; testẽ habes, nec locum, nec tempus, nec cætera exponis, nec intelligis mihi quoq; facultatẽ esse de te multa fingendi. Sed quia plura de stultitia tua, qui ais me nunc posse meipsum præferre Varroni (quod uerbũ, sicut cætera, abs te confictũ est) quod Cicero & beatus Augustinus illum præferant omnibus latinis sapientia & doctrina: quasi uerò (ô incredibilem amentiam) hi duo sententiam tulerint de futuris hominibus, & non de his solum, qui fuerant, aut erant. Quid enim si post illos existat aliquis Varrone doctior, aut Vergilio præstantior, aut Sallustio, Liuioq; melior historicus? negabis tu eum esse doctiorẽ, præstantiorem, meliorẽ, quod non ita ueteres iudicarint? Hanc tuam dementiam pluribus exagitarem,

nisi ea maior esset, quàm ut à me satis pro dignitate exagitari queat. Cuius generis est quod ais: Tres fuerunt nostra ætate, quasi ego & Guarinus fuerimus tua ætate, non simus. Iam uerò illud: Cardinalis olim Tudertini, natione Romani, quasi Roma natio sit, et ille, qui defunctus est, sit nũc Cardinalis Aquilanus, qui olim fuit Tudertinus. Inquinate loquentiũ ille sermo est, quos tu Pogi bene dicendi dux, si tibi credimus, duces habes, in illo non habes, sed te imitantes ac ducem habentes fallis. Pontificij gradũ pro pontificatus. Pontificij enim dicimus adiectiue iuris, non gradum pontificij substantiue. Pergis in accusanda iactantia mea, inquiẽs, Pog. Num parũ est hoc stultitię uestigiũ, cum sibi idẽ, quod Tullio licere præsumat? Quid ais Cicero? Nempe se triduo iurisconsultũ fore, si uelit. Quid ego? triennio glossas super Digesta perscripturũ etiam meliores Accursianis. Lau. Itáne Pogi idem est fieri iurisconsultum, & operis unius Iurisconsultorum glossatorem? triduum, & triennium? Nam quod dixi: meliores Accursianis, si uidetur tibi arrogans, non est causa, cum etiam arrogantem mè statuas, quòd omnibus me Phœbi sacerdos imperitè antepono Catholiconibus, Hugutionibus, Aimonibus, cæterisq; huius generis hominibus, qui nõ minus intellexerunt linguã latinam, quàm Accursius & Accursiani omnes, qui latinitatẽ iuris ciuilis exponere ausi sunt, ipsi male latini, qualis tu es, qui dicis uestigium pro indiciũ, cum uestigiũ sit tantũ rei gestę signũ, ex illo sumptũ, quod ex pedis impressione relinquit. Pog. Sed illud dignũ Laurẽtij prosopopœia: tot maria emensum Vallam fuisse, credidi alterũ Vlyssem aut Aeneam ad Italiã longos post errores aduectum, non Vallam, qui nunquam mare nisi Neapoli uidit, neq; est unquam pelagus ingressus, militiam expertus iactauit. Marium aut Hannibalem crederes, non hominẽ timidum, ignauũ, torpentem, qui nunquam ensem nudum conspexit, ô monstrum seditiosum, turbulentum, ad terras ultimas deportandum. Quod unquam tale portentum dijs hominibusq; infestum est omnibus seculis auditũ? Procreauit olim terra, ut ferunt fabulę, Gigantes, qui magnitudine corporũ fisi superis bellũ inferre conarentur. Lau. Et alia deinceps in me truculẽta. Hęc nõ ideo retuli, quòd mihi sit magni facienda ista insectatio, sed ut de ipsius furore, mendacio, inconstantia liqueret. Nam quid furiosius, quàm ita in me inuehi, quòd scripserim me, ut ait, tot maria emensum, & militiã expertũ, quasi magnę hoc iactantię sit, quod sæpissime hominibus nullius momenti contigit? Quid mendacius, quàm negare me nauigasse, qui Venetias mari circunfluas, qui insulam Siciliam adij, qui nõ semel oram Aethruscã Ligusticamq; sum pręteruectus, qui pugnis naualibus ad insulam Inariam, & alibi interfui, non sine uitę periculo? negare me etiã militiam expertũ, & nudum cõspexisse ensem, qui tot expeditionum clarissimi Regis Alphonsi comes fui, ac tot prælia uidi, in quibus de salute quoq; mea agebatur, qui denique Salerni pro incolumitate Monasterij, cui germanus, ad quem uisendum post multos annos eò cum triremi traieceram, præerat, fortissime dimicaui, locumq; tutatus sum? taceo cætera, ne iactare me uidear. Quid deniq; incõstantius, quàm dicere me seditiosum, turbulentũ, dijs hominibusq; infestum, & Gigantibus similem, qui bellum superis intulerunt, & eundem timidum, ignauũ, torpentem, & qui nunquam ensem nudum uiderim? Ego quidem, ut scias Pogi, fui semper uiuacissimę naturæ, ita ut nemo magis, si qua fides pręceptori meo, ex omnibus condiscipulis (nam illa puerilis ætas pręcipue ingenium prodit) sed minime seruus, & procul ab omni malignitate, & qui, ut semel dicam, nec facere possem, nec pati iniuriam. Tu uerò quo pacto & facias & patiaris iniuriã, uel hodiernus dies, qui est ante. 4. no. Maij, testis est. Nam quum tuo & collegę, & æquali Georgio Trapezuntio in frequenti Cancellaria quasi in secundo senatu coram ipso

præside Cancellario dixisses: mentiris per gulam, quòd Inuectiuam in eum scripsisses, ut certe scripseras, Venetiamq́ miseras, ille tibi unum atque alterum colaphum duxit. Ibi tum exorta est, quasi in medio theatro, quod uere fuit olim Pompeianum theatrum, pugilum ueteranorum cruenta certatio, ut ægre concursu patrū dirimi potuerit. Sed id summus Pontifex, ut est iustissimus, non siuit abire impune. Hęc militia, hæc sunt prēlia, quibus interfuit Pogius, imò præfuit, &, si finem quęritis, quasi uictor inflatis oculis, tumido ore, ac minabundus arrepto fuste discessit.

# LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI ATQVE DE lingua Latina bene meriti antidoti in Pogium ad Nicolaum Quintū Pontificem Max.

## Lib. II.

QVAE restat tertię eiusdemq́ ultimę calumnię confutatio, erat illa quidem in superiorem librum conferenda, uerum quoniam hęc materia principiū, caput, & origo, si Pogio credimus, extitit huius tēpestatis, quā iste omnibus in me uentis emissis concitauit, faciundum putaui, ut secundi libri principium esset, nō finis primi, & quasi nunc ipsam causam agere incipientes, orationem exordiamur. Vbi quæso uos Iudices, ut si quam antea præstitistis, iam acriorē quandam præstetis attentionē accusatori Pogio & Laurentio reo. Hæc autem est eius accusatio, Pog. Scripsi olim postquam redij ex Britannis plures uarijs de rebus epistolas, quas postmodum multorum suasione eas legere cupientium, in quoddam uolumen redegi, quod cum in manus leuissimi atque petulantissimi hominis Laurentij Vallę, quem ignominiæ causa nomino, incidisset, multis in locis illas carpens pro earum uitijs suam ignorantiā expressit. Quę qualia sint, paulo post discutiemus. Non miror hallucinatorem quendam fanaticum ac dementem in me insaniam suam euomuisse, qui propter innatam mentis imbecillitatem, propter infixam cordis insaniam, propter insitam animi peruersitatem omnes priscos illos domesticos uiros, quorum memoria omnibus seculis summa laudis ueneratione celebrata est, fera quadā & immani proteruitate contemnit, reprehendit, culpat, aspernatur, & tanquam fortunę rotam in manu tenens sursum deorsum uoluit, & uersat omnia, & ad suū arbitrium trahit. Lau. O Pogium disertū, ô egregium oratorē, qui prius amplificat, quàm planum faciat crimen. Quemnam sic uidisti loquentem præpostere? Nisi forte fraudulenter id facis, qui cum probare nō possis quod obijcis, quasi dolens doctissimorum uicem mihi sub umbra illorum inuidiam conflas. Quid attinet Pogi tantopere in crimine alieno excandescere? Exigo ut probes iniuriam à me tibi illatam. Quod dico de me, ipsi Iudices, ipsi audientes exigunt, quorum semper animus in reum propensior est, donec cōstet de crimine. Mirantur, mihi crede, cum nihil probaueris, te à se postulare, ut me cōdemnent, ut puniant, ut tibi ueluti carnifici tradant, imò adeò quòd iniussu suo reum iugulare coneris. Finge Pogi ipsos tecum agere Iudices, atq; his uerbis loqui, Iudices. Quid ita uis Pogi excarnificare Laurentiū? carpsit epistolas tuas? postulas ultionem? quęris eius sanguinem? en tibi cum gladio ultores assumus. Sed prius est, ut planū facias, quod obiecisti, idq́ ordine. Nondum enim tibi probandum est, quod inscienter carpsit, quod maligne (nam hæc posterius quærenda sunt) sed quæstio facti est, quòd carpsit, quod nisi probaueris, superuacuum sit atque ineptum de

alijs

alijs quæstionibus disputare. Qua igitur ratione, qua fide nobis probas Laurentium carpsisse epistolas tuas? Nihil uidimus tale, nullos testes, nulla documenta, nullas suspiciones, sed tuam unius tantummodo asseuerationem? nisi expectas, ut reus, quem morte dignum clamas, crimen agnoscat. Si habes probationes, quin profers? si non habes, quid illum in iudicium trahis? Quod ad nos attinet Pogi, parum nobis reuerentię præstas, & nimium tibi apud nos sumis, qui accusatoris, & testis, & iudicis, ac propè carnificis officium usurpes. Itaq; quoniam crimen non probas, non modò Laurentium absoluimus, sed etiam calumnię te cōdemnamus, & quidē pœna talionis ex lege duodecim tabularū quæ ait: Calumniator idem quod reus patiatur, si conuictus erit. Hic tu uociferabis. Pog. En probationes Iudices expeditæ sufficientes sine controuersia. En exhibebo codicē ipsum Epistolarū mearū, quem Laurētius iste sacrilegus notauit, suggillauit, & multis quasi uulneribus contrucidauit. Accipite, inspicite, iudicate, & hunc teterrimum sicarium condemnate. Iud. Nunc aliquid facis Pogi, quem tamen audire non deberemus, inepte iudicia adeuntem, et experiri nescientem. Quo magis cauendū tibi est, posthac ne istud admittas. A causa enim cadit, qui non eo modo, quo debet egerit. Inspiciamus codicē: en annotationes in marginibus, legamus, atqui duplex manus, differens atramentum, diuersum sanè chirographum, sed legamus. Solesimus: quia nos debemus dicere gratiā. Mentiris, falsum est. num legisti Ciceronē belua insana, qui id ponit sæpissime? sed detrahendi studium te amentem ducit. Cuiusnam hęc oratio à uerbo mentiris? cuius hęc manus? Mea redarguentis, inquies, et probantis, illum errare, nō me. Ita'ne Pogi hominem, post sumptam de illo ultionē, in iudicium uocas? capitis accusas? quasi tu percutientē nō uulneraueris? Non est appellandus Iudex in eum, contra quē ipse iudex extitisti. Prępostera res est, inimicū ulcisci, deinde accusare. Certe satis superq; satis tibi ultionis istud esse debuerat, ut ad singula loca reprehensionū insectationē subscriberes. En nullus locus est, quē non acerbe inuaseris, etsi nō minor pars notationū habet tantum unū uerbum: barbarismus. Sed quousq; pergunt hæ notationes? certe ad septem omnino epistolas, et propè totidem folia. Sine dubio non probe factū est, ut alienas epistolas utiq; in alieno codice quis notauerit: nam in suo forsitan utcunq; permissum sit. Verum Pogi etiam præter inuectiuam maior tua offensione est ultio. Itaq; quantum ad hunc codicē pertinet, factum uestrū Laurenti ac Pogi in æqua lance ponimus, si modo abs te scriptum hoc esse Laurenti confitere, nisi codicem istum tibi uendices. Nulla enim lex uetat, imaginē regis atq; adeò dei me è domo mea posse delere, & aliam quamlibet pingere, et cętera quę sunt id genus: ita nec librū, nec literas eradere, mutare, corrūpere. Vendicas'ne igitur tibi istū librum, & te notatorem harum reprehensionū confiteris? Lau. Equidem optimi Iudices, nec si meus quidē hic codex esset, ista annotassem. Cæterū quomodo aut ego queam dissimulare manū meam omnibus notam? aut quisquā dicere audeat hanc esse? quę, præterquā quod nihil simile habet cū mea, nónne per se loquitur ipsa hominis esse Catelani? Cernitis hoc s, pro c, positum? Solesimus pro solœcismus? nā sic Catelani pronuntiāt. Habet enim omnis patria sua in pronūtiando uitia. Quid multa? ipsius aduersarij confessionē extorquebo. Euoluite quęso codicē usq; ad calcē, en nomen adolescentis, en manus eadē, en ipsius testatio, quòd illas notas apposuerit; en subscriptio Pogij, quę manū ac factū illius confitetur. Iud. Bene admones: hoc quoq; legamus: agnoscimus iam Pogij manū. Pog. Tu bastarde impure nouus perfidia: si nō deterior es magistro, stultitię indolē prę te fers. corrige teipsum & mores tuos, & satis erit tibi difficilis prouincia. ingeniū tuū male cōpositum est, & magistri tui insanū ac iactabundū redundans

ſtultitia, tibi ſoli, qui nihil noſti, ignota. Et ſi tu aſellule eſſes alterius ætatis, ego te exciperē ſatis opolenter. Vale. Iud. Ferox es nimis Pogi immaniſq; natura, qui cum in alieno codice tantam exerceas ſcribendi licentiam, nolis aliū exercere in ſuo: caſtigans adoleſcentem pro illius ætate nimis grauiter, pro tua minus grauiter. Quem quòd adoleſcentes etiā audeāt reprehendere, nō miramur, cū ſcribas opolenter pro opulenter: & tu baſtarde impure nouus perfidia: ſi nō, pro noue. Verum abs te quærimus, ſi peccauit adoleſcens, quid Laurentium, & mordes hic, et in iudiciū uocas? ſi Laurentius, quid adoleſcentē inſectaris? Certe quod cōſtat tua confeſſione, nō Laurentius ſcripſit iſta, ſed adoleſcens. Ex quo nihil tibi cōfert exhibitio codicis. Hic tu, Et ſi nō ſcripſit, inquies, Laurentius tamen adoleſcenti dictauit, ut ſic per illum me reprehenderet. Iud. Diximus Pogi te agere neſcire, nec ſatis gnarū concipiendi libellos, nec in genere demōſtratiuo, quo laudes uituperationeſq; tractantur, fortaſſis exercitatus es, in iudiciali autem omnino te rudem ac tyronē uidemus, etſi ſummis oratoribus Ciceroni ac Quintiliano, qui in iudicijs regnauerunt, patronum te eſſe promittas. Cur enim iſtud ab initio nō proponebas, de qua nobis re foret iudicandū? Sed ueniam tibi iterum atq; iterū damus. Eſto propoſueris iſtud ab initio: expectamus abs te ut iſtud ſaltem planū facias: habes'ne teſtes? Pog. Nullos. Iud. Confitetur adoleſcens? Pog. Minime. Iud. Vnde igitur ſcis? Ita, inquies, ſuſpicor. Ita ſuſpicionem tuam loco probationis affers? & quia ſic accuſator ſentis, poſtulas ut nos Iudices reū cōdemnemus? At iſtud ne regi quidē, etiā ſi de uita ſua ſuſpicaret, indulgendū putaremus. Quid ſi ueriſimile eſt hoc, quod obijcio? inquies. Quo tandē modo ueriſimile? certe id uel ex hoc uerisimile nō eſt, quod ſi dictaſſet Laurentius, dictata legiſſet, nec illud uerbū barbare ſcriptum: ſoleſimus, reliquiſſet, nec tam cito fuiſſet in dictando defeſſus. Nam uerba illa omnia uix decem uerſuum inſtar ſunt. Nec unquam uidimus quempiā dictantem uitia libri alieni ſibi ignoti, quē non ipſe manu teneret, ſed alter, qui in eius marginibus uitia illa annotaret, cū dictarentur, ſed et hę quædē cauſę faciūt nobis nō ueriſimile Laurentiū dictaſſe. Tu autē qui putas ueriſimile? Pog. Certe quòd ſunt occulte inter nos ſimultates, ideo occulte agere maluit, & nuper fuerant aperta odia. eſt item mutuus liuor atq; æmulatio. Iud. De tuo Pogi animo iſtud eſt affirmare, non de illius, quem tu ignotum habes, & te malignū confiteri, non illum. Pog. At cur id adoleſcens ille ſua ſpōte feciſſet? Iud. Quia adoleſcens, quia, ut nouimus, dicaculus eſt, quia in codice ſuo, quia non ſuſpicabatur te reſcituꝛum. Quis præterea motum alieni animi nouit? Lau. Optimi Iudices, nam hic in quadam epiſtola ſcripſit, Non enim marmoris ſculpti Catelani cupidi ſunt, ſed auri, & ſeruorū, quibus ad remigiū utantur. Sed quid plura? uolo ex ijs quoque, quę ad exprobrandum mihi imperitiā meam Pogius attulit, docere, non modo me autorē non fuiſſe illarum notationū, ſed nec illum per imprudentiam falſam'ue ſuſpicionem, uerū per apertam calumniā me autorē eſſe dixiſſe. Quorum unū eſt: inſtar, de quo ſuperius diſputaui, quod nō emendaſſem: ſimilitudinem, ſed more, uel ritu, uel in morē illorum: alterū eſt affectio, de quo ait, Pog. Affectionis nomen ſcriptum culpat, & ait in Tullio non reperiri. Quid ageret hic ſtultiſſimus aſellus ad paſtum & ignominiam natus ſi Tullij opera non extarent? Hic aperte ſtuporem cordis oſtendit, & parum ſe habere cōmercij cum ſcriptis Ciceronis, cum uerbum ab eo totiens uſitatū ignorat. Nam cum in manibus eſſent libri ad Herenniū, inter legendū in ſexto animaduerti libro poſita eſſe uerba hæc: Ad demōſtrandū, quæ uis ſit eius affectionis, qua impulſus reus aliquid cōmiſiſſe dicatur. Pauloq; poſt: Ipſa diligenter natura eius affectionis, qua leuiſſime. &c. Et deinde: Nam affectionis quidē ratio, et reliqua. Sed multis

quoq;

quoq; in locis eo uerbo Cicero utitur, quę satietatis causa omisi. Lau. Vis mē uideri Pogi detrectatorem, uis imperitū, nec intelligis, quo plura profers exempla, eo minus credibile esse, me istud ignorasse. At ego utrunq; in te refundam, & ut initio dixi, eodem ictu me protegam, teq; uulnerabo, & quidem, quàm tu fecisses, uehementius. Grauius enim crimen est scientem falsa obijcere, ut tu facis, quàm inscienter, ut ego tibi uideor. Nónne legisti in Elegantijs meis illū locum in hæc uerba? Affectum nunquam uideor reperisse apud M. Tullium, frequentissime affectionē, contra apud Quintilianum frequentissime affectū, uix unquam affectionē. Hanc Cic. modo sic definit, Affectio est animi & corporis ex tempore aliqua de causa mutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia, quę in eodem genere reperiuntur. modò sic: Affectio est quædā ex temporū aut negotiorū euentu, aut administratione, aut hominū studio cōmutatio rerū, ut non tales, quales habitę sunt, aut plerunq; haberi solent, habendę uideantur, & alia deinceps multa. Cur hunc locū legisse te dissimulas, Pogi sycophanta? Nempe quia non repugnaturum me tibi sperabas: ritu latronis, quia uiatorem, quem aggreditur, non uim ui repulsurum suspicatur, à quo nonnunquam ipse uulneratur, spoliatur, occiditur. Agnoscis Pogi te latronem esse? conuinci? & à me uiatore uulnerari atque spoliari? Spolio enim te, cum doceo, plus me commercij cum Cicerone habere, quàm te, qui nesciebas apud illum non reperiri, affectum. Præterea quod ais, Si Ciceronis opera non extarent, me magis negaturum affectionem reperiri in illius operibus. Quasi possit aut affirmari aut negari, uerbum reperiri in operibus, quæ nunc ipsa non reperiantur: quod adolescēs ille nō dixisset, qui, ut opinor, notauit hoc uerbū, quod male acceperat me tradente: pro affectu affectionē intelligens. Transeo, quod ais: cum in manibus essent libri ad Herenniū. Quasi aliquod certū tempus significaueris, cum ij libri in manibus tuis erāt, & me stultissimum asellum appellas. Omnes tu quidem facis asinos: ægre fero eo minus contumeliā meam. Verum posthac non stultissimum me, nam tu talis es Pollio Asini, sed aureum asinum memento appellare, & ad me scribere librum, quem audio te proxime composuisse, de asino aureo. Pergamus ad reliqua. huic simile est, quod ais, Pog. Scripsi: nonnunquam in mentem uenit recessus tui. at Valla solœcismū dicit asinarius stultitię plenus. Quo enim ore, qua temeritate redarguit id quod sæpissime à Tullio usurpatur? qui in epistola ad Matiū ait: Solet uenire in mentē illius temporis, quo proximè unà fuimus. Lau. Iam de me Pogi melius sentis, quē de asino asinarū fecisti, &, quo minus indigner, parē parenti tuo, quē asinariū fuisse ne ipse quidē negare in patria tu possis. Sed ut ad rem tibi respondeā, audes nō dico per canem aut anserem, ut Socrates solebat, sed per tuum asinum deierare apud Iudices ista mihi te ex animo obijcere? qui in eo loco, de quo superius disputaui, ubi Ciceronem à me reprehendi dicebas, cum dixit: in animo haberem nauigandi legisti, quid de hac re tradidi, cum hęc exempla attuli: cum illius diei mihi uenit in mentem, & non minus ei uenit in mentem potestatis quàm æquitatis tuę? Quem in modū nonnunquā, ut ipse uidisti, in Elegantijs sum locutus. Quod cū ita sit, quo tu ore, qua tanta temeritate audes dicere, me aut hoc ignorasse, aut te, quòd ita loquaris, reprehendisse? At cur adolescens notasset? ipse uiderit. mihi non facti alieni, & præsertim iuuenilis, reddenda est ratio. Pog. Alter alterum trudit scripsi. At noster Phœbi sacerdos alium pro altero scribendum dicit. Lau. In hoc te conuinci superius Bacchi sacerdos comprobaui, & dissentire id à præceptis meis, quòd ita tradidissem, te nō ignorare. Ergo hic sicut in cæteris supra locis, calumniatus es. Pog. Illud uerò absurdum: cum uisitassem pridie Abbatem cuiusdam epistolę principium fecissem, ille latrator ri-

diculus postridie fuisse dicendũ scribit. Qua in re magnã inscitiam pre se fert omni pudore uacuã. Etenim pridie cũ tẽpus præteritũ significet, hoc est, qui proxime præcessit, diem, postridie futurum, quomodo cõuenisse aliquem poteram die, qui esset futurus, perinde ac si dicas, cum te cras conuenissem? Insana profecto huius rabulæ impudentia est, qui libidine detrahendi, tanquam uentris crepitus, inconsulte nimium uerba effundit. Lau. Siccine ego Pogi quid sit pridie & postridie ignoro? siccine tu ita me scripturum, ut iste puer scripsit, existimas? profecto nõ existimas, qui in Elegantijs meis legisti dicentem: pridie quidem esse precedenti die, nõ, ut tu ais, die qui proxime præcessit, hoc est, heri, sed qui præcessit aliũ quendam, quàm hodiernũ aut hesternũ. Postridie autẽ postero die, non dico crastino, ut tu sentis, sed die sequenti aliũ quendã, ut ibi copiose disputaui. Quale est illud exemplũ: quidam pridie ductam uxorem postridie repudiauit. Et audes Asini Pollio asinino pullo similis, dum sic inuerecũde loqueris, dicere: me inconsulte nimiũ uerba effundere? qui cum fatearis te meas Elegantias perlegisse, tamen dissimulas te legisse, ut credibile facias, à me tuas epistolas esse reprehensas. Vis tu hoc Pogi facere uerisimile? ne obijcias mihi imperitiã: nam istud potius adolescentẽ suspectũ facit. Dic me, prout in elegantijs enucleate disserui, scisse, quid pridie significet, ac te, qui hoc ignorabas cũ epistolas scriberes, reprehẽdisse. Nam ignorabas tũc Pogi usum istius aduerbij, quippe quod plusquam uicies in epistolis male usurpas, non pro die præcedenti, sed pro nuper siue proxime, siue superioribus diebus, prout ostendam in uitijs ipsarum epistolarum. Nam si te reprehendere uoluissem Pogi, latum ad id habuissem campum, non modo in epistolis, sed in cæteris quoq; operibus tuis, neque sub persona adolescentuli, si occulte agendum mihi putassem, sed sub persona robusti iam uiri. Quare Iudices, ut ad alia pergam, mementote me promisisse, ostensurum aliquoties abusum esse Pogiũ isto aduerbio, sicut nunc abusus est, ut à fide non absit: hunc errorem ab adolescente fuisse animaduersum, etsi emendare nesciuit, quia quid pridie & quid postridie significaret, non ex Elegantijs meis, quas nõ habebat, didicerat, sed ex me docente audierat: quanquam etiam prius, quàm foret auditor meus, in prima scena Terẽtij legerat: Venit Chremes postridie ad me clamitans. quod uerbum nemo literator est, qui non exponat postero die, neminemq; ferè audiui male eo utentem, ut mihi, quòd ignorauerit adolescens, mirum esse uideatur, quod tu etiam me ignorasse Pogi probare niteris calumniator, & calumniam tuam occultare nesciens. Pog. Vbi ego potissime scripsi, ille potissimum posuit. Lau. In hoc ego aduerbio forsitan ipsum in suis, quas componebat, oratiunculis emendaui, docuiq; non reperiri potissime, sed potissimum, ideoq; auide est amplexus occasionem reprehendendi, ut ipse à me reprehensus fuisset, in quo te non solum ille, sed auditorum meorum plerique omnes reprehenderent. Pog. Vbi æstimaui, ille existimaui, multaq; præterea inepta garrulitate grauis ignorantię præceptor culpat, & tanquam grammatici molesti, insulsi, & contentiosi solent, in uerborum interpretationibus hęret. Lau. Idem in hoc quoq; uerbo fortasse cõtigit. Vix enim quisquã est, qui me plusculũ audierit, qui nesciat, quã statuã inter æstimo & existimo differentiã, quã in Elegantijs explicaui. Itaq; puer quoq; istud in te reprehẽdere potuit, & quia me præceptorem uocas ignorantię, nolo posthac istud dicas, sed præceptorem tuum. Doceo enim te abutentem tanquam pro sicut. Quis enim neget barbare dici: tu scribis tanquam Iudæi, pro sicut Iudæi? Pog. Volumen ut male à me positũ culpat, & uolumina asserit dici debuisse. Quid huic eiecto cadaueri facias, qui in tantæ ignorantię nebula uersatur? Legat tertiam accusationem in Verrẽ, ubi hęc sunt: Volumen eius rerũ gestarum maximũ isti ostendit, non

dit, nõ uolumina, ut uult insulsus detrectator, sed maximũ uolumen dixit. Quà in re haud dubito Ciceronis grauitatẽ plus habiturã ponderis, quàm Laurentij Vallæ insulsi hominis leuitatem. Lau. Ad hoc tibi ego Pogi, quatenus ad me pertinet, respondebo. Tu quidem uis, quantum intelligo: me nescire uolumen numero singulari reperiri. At istud dicere nõ modo imprudentię est, sed etiã insignis calumnię, cũ in libris Elegantiarũ legeris, quid inter librũ & uolumen intersit. Nõ igitur te ego reprehendissem utentẽ singulari numero uolumẽ, sed ne adolescens quidẽ ille. Verũ, ut opinor, reprehendit, quòd decẽ epistolarũ libros uolumen, nõ uolumina appelles: nõ ignarus, utpote discipulus meus, nõ aliter dici uolumina, quam ab Ouidio dicitur: Sunt mihi mutatę ter quinq; uolumina formę. Nam ad exemplũ Cic. nõ mea interest respõdere, qui te nõ reprehendi, sed adolescentis. Is certe posset sic te cũ tuo exemplo repellere, quòd ideò à Cicerone dictum est, maximũ uolumen, quia unũ erat, in nullas diuisum partes, ut idem Archimedis magnũ uolumen appellat, et ipsius liber, qui uocatur Brutus, grande uolumen est. Idem ad Herennium, 2. lib. ait: Quoniam huius uoluminis magnitudo creuit, & alia infinita exempla. Hoc non pro me, nec tanquam à me, sed tanquã ab ipso adolescente pro se ipso tibi responsum sit. Illud tamen nõ omiserim, hebetis sermonem esse: dicere grauitatẽ habituram pondus, & leuitatẽ minus, cũ nec grauitas aliud sit, quàm põdus, et leuitas extra pondus omnino sit. Pog. Qui ad te destinatũ legerent scripsi, id culpat censor noster Valla, in stultitiæ ac cæcitatis ualle uersatus, & non inueniri destinatum ait pro missum. Neque uerò ego missum intelligi uolui, sed quemadmodum Vergilius, destinat aræ, inquit, à quo & destinatum descendit, ut decretum, addictum, adiudicatum uolui significare, grauis sanè correctio, & Vallea calumniatione digna. Lau. Culpaui id ego Pogi? in stultitiæ, in cæcitatis ualle uersatus sum? nec grauis hæc, sed calumniosa correctio est? Fateor me culpasse, si hoc culpare est, quòd adolescentem quodam die (nam memini, cum pater adesset) admonui: destinare: quo uerbo in epistola utebatur, non reperiri apud ueteres, cum significat mittere, sed apud quosdam posteriores. Itaque à me reprehensus uoluit postea te, non dico bene an male, reprehẽdere. Cuius causam, quoniã hęc causa ipsius est, non mea, libet in eius persona agere. Quid ais Podi? ut tuo te nomine appellem, quoniã quidem inter Vallam & Podiũ discordia est, quid ais, inquam, ut Plautus inquit, oculee, qui nos cæcos uocas? si destino reperitur pro eo, quod est mitto, cur non dicis ingenue reperiri? quid negas te in hunc sensum uti eo uerbo? si nõ reperitur, quid in codicis mei margine scripsisti: apud Augustinum reperiri? En iudices manu istius scriptum: Augustinus sic loquitur. Ita'ne male de Augustino sentis, ut eum habere nolis autorem? Pudet igitur te uti destino pro mitto? O Pogi talpa, & non in ualle, sed in fouea cæcitatis, ac stultitię lustris cœnoq; uersate, ut in te prouerbiũ cadat, sus Mineruam, cur totiens in sequentibus epistolis ais destinare pro mittere? quod dissimulare non potes, ne in ista quidem ipsa, aperi talpa si potes oculos, aperi, destino cum eo, quo apud Vergilium, modo accipitur, datiuum postulat: quale est aræ. Et tua uerba documento sunt, quę tu pro exemplis affers, decretum, addictũ, adiudicatum, ut decreti sunt mihi honores, res isti addicta est, uel tu es morti addictus, bona sunt illi adiudicata. At nunc dicitur destinatum ad te, non tibi, igitur missum ad te intellexisti, quod tu, quia dici non posse nunc confiteris, iure te ego culpaui. Hæc adolescens. Ego illam elegantiam non prætermittendam mihi duco, quòd tu dicis, semper Laurentius ait non inueniri, dicit non posse scribi, & similia: cum docti aliter dicere soleant, & pro duabus dictionibus una uti: sic, Laurentius negat inueniri, negat posse scribi. Neq; enim tantum dici-

mus eum negare, qui id quod alter affirmat, nō confitetur, sed etiā citra alterius priorem affirmationem: ut, negabat M. Antonius eloquentem unquam fuisse. Nonnunquam etiam post negationem sequitur affirmatio, ut sit necesse, resolui illud nego in duo uerba: non, & dico: ut, nego me sacrilegū esse, sed furem, hoc est, sed furem me dico, nam hoc, Dico inclusum est in illud Nego, perinde ac si dicatur, non dico me sacrilegum esse, sed furem. Simile huic est dissimulo, quoniam uix unquam reperias. Simulo cum negatione, ut: ille simulat se non nosse me, melius, quia multo usitatius: ille dissimulat se nosse me. Quæ exempla ideo omitto * quia penè semper hoc uerbum huius elegantiæ sibi exemplum est. Pog. Vbi ego permaxime, ille posuit quàm maxime: asserens Per nunquā superlatiuo coniungi. Non legit fanatica bestia secundam Ciceronis orationem de lege agraria, in qua scribit: ad animi mei fructum atq; lætitiam duco esse permaximum. Lau. Quid cōiungis reprehensionē operis tui Pogi, cum præcepto Elegantiarum mearum? quæ ipse separabo, & primū pro me, deinde pro adolescente respondebo. Ego Pogi non tradidi in Elegantijs, nunquam coniungi Per cum superlatiuo, sed ferè nunquam cum positiuo, quoties pro ualde accipitur. Quid enim facere debui? nunquid hæ duę tam egregię elegantiæ mihi dissimulandę fuerunt, propter quædā, quę contraria uidebantur, exempla? de Quàm quidem illud Terentianum, de quo superius dixi: quàm familiariter, de Per autem duo apud Ciceronem loca, quę quia non ubiq; eodem modo leguntur, & quia rationi repugnant, non statui mihi de ipsis in illo opere faciendam mentionem, unū, IIII. ad Herennniū lib. In quibus oportet uerba sicut à poëtis in quendam extruere numerum, ut perfecte, & perpolitissime possint esse absolutę. Quod ego ausim iurare Ciceronem non ita scriptū reliquisse, sed perpolite, ut cum altero positiuo congrueret perfecte. Alterum istud tuū, cuius hęc uerba sunt: hoc tam insigne, tam singulare beneficium uestrum Quirites cū ad animi mei fructum atque lætitiam duco esse permaximum, tum ad curam solicitudinemq; multo magis, Quod & ipsum iurare non dubitem à Cicerone aliter scriptum, uel permagnum, uel maximum, cum sequatur, multo magis. Nam quid oportebat tantopere extollere, si aliquid supra addere uolebat? Et tamen si liceret dici permaxime, cur nunquam alibi Cicero dixit, sed semper quammaxime? adeò, ut in primo de Oratore libro, ubi loquitur Crassus, intra uiginti uersus dixerit ter: quammaxime. Cur & in hoc, & in cæteris superlatiuis omnes autores utuntur quàm, & non per? Quod cum ita sit, egóne dicam nos posse aliter uti propter duo exempla, quæ non eodem modo scripta leguntur in omnibus codicibus, & mendose scripta sic esse uerisimile est? Ob id me uocas Pogi fanaticam bestiam? nimirum ipse laudabilius, qui nunquam nisi contra usum loqueris, qui adeò captas istam tuam elegantiam, ut cum alibi persæpe, tum in ista breui epistola ter dicas permaxime: quasi dedita opera Ciceroniano illi crasso cōtradicere uelis. Quo minus mirū, si adolescens ille, ut pro eo iam loquar, te reprehendendum putauit: toties permaxime inculcantē, quanquam te non reprehendit, sed tantū significauit se dicturum fuisse potius quàm maxime, ut à suo præceptore & tradente & usurpante didicerat. Ex hac pendet illa quæstio, quę abs te aliquanto subiungitur. Pog. Dixi aliquando quantocius, ille id culpat: quàm nunquàm nisi cum superlatiuo coniungi. Qua in re summa eius ignorantia deprehenditur. At id uerbum ex quanto & ocius est compositum. Itaque non ex quàm & totius, quod nihil significat, sed ex quanto & ocius iungitur, sed fac ex quàm iunctum esse, nunquid non & Cicero: quamprimum ad nos recurras, ad Trebatium scribit? & quantopere? & quàm prudentis? & q̃ multi officij? quàm singulari officio? non iungens quàm superlatiuo,

quàm superlatiuo, ut somniat Valla. Et Terent. Flens, ait, reiecit se in eũ quàm familiariter. Et: Quàm pulchre aduenicns principium dedit. Lau. Liber mihi hoc loco gratulari nonnihil labori, studio, ingenio, operi meo. Rarę enim laudis est: ea excogitasse atque eruisse, quæ Pogio sint difficilia ad imitandum atque intelligendum, Profectò aut ipse singulari sum præditus ingenij celeritate, aut, quod multo magis reor, Pogius singulari ingenij tarditate, nisi forte liuor, maleuolentia, morum peruersitas, oculos eius premit atque præstringit, ut in meridiana luce non uideat. En qui falsis criminibus opprimere alium quęrat, qui se ipsum fallat, & tanquam puer falli possit. Quis enim non miretur? quis non rideat cancrũ Polypo insidias tendentem, & in illum, sicuti in conchylium grassari uolentem? O Pogi cancer, & cancro tardior, non est mirũ si adulescentes te reprehendunt centum annorum puerum. Primum ais quantocius, quo frequenter uteris, rectè te uti, nec id ullo probas exemplo, sed quòd sit compositũ, disputas, quod nihil ad rem facit, ni probes potuisse componi, hoc est, ab autoribus, non à stultis fuisse compositum. Deinde, si istud cõpositum ex quanto est, ut cęci uident, quid tibi iniuriæ faciunt Elegãtiæ meæ, quę de quàm, ut tu ais, non de quanto loquũtur? Et tamen aliter uteris, atque exponis. Nam hæc sunt tua in epistola uerba: idque ut quantocius, etiã atque etiã rogo. Si enim pro quanto acciperetur, foret opus nunc relatiuo eius, quod est tanto, ut quanto citius, tanto melius. Tum, quod etiã pueri sciunt, ignoras: primũ: unde fit quàm primum, esse superlatiuũ, nisi hoc per somniũ, quod mihi obijcis, didicisti: tum non intelligis istud quãtopere non componi ex quàm, de quo cõtrouersia est, sed ex quanto, postremo, cum ego negem in Elegantijs quàm pro ualde, non quàm pro quantũ iungi cum positiuo, tu homo uigilans affers pro exemplis illud Terentianum: quàm pulchre principium dedit? quod est, quantũ pulchre, & illa quorũ autorẽ non posuisti, sed Ciceronis pleraque sunt: ut, quàm prudentis? quàm multi officij? quàm singulari officio? quæ pro quantũ accipi, dubiũ nullum est. Hæc contra imperitiam tuam ac tarditatẽ. Illud nescio, an magis cõtra calumniam, quòd cum legeris in Elegantijs quàm pro quantũ iungi positiuo, tamen ais me utique negare quàm iungi, nisi cũ superlatiuo. Itaque si in Elegantijs non nego quàm pro quantũ coniungi, etiã cum non superlatiuo, & istud tuũ non superlatiuũ est, cur meam istam reprehensionẽ existimasti? Sed de hoc satis, & si plura dici possent. Pog. Scripsi urbis omniũ celeberrimæ. At ille circulator disseminare uerba inter pueros solitus, ciuitatis adscripsit, tanque malè à me esset positũ urbis nomẽ. Sed quàm late peruagatur peruicacis hominis stultitia? Quis crederet hanc insolentẽ bestiã in tanta rerũ ignorantia uersari? Non legit: Vrbs antiqua fuit, &, urbẽ quam dicũt Romã, & item: urbem Romã, sicuti ego accepi: multaque preterea, ubi reperitur urbis, non ciuitatis nomen? Neque enim urbs & ciuitas idem sunt: cum ciuitas sit conuentus hominum iure & lege uiuentium, quæ in syluis & sine mœnibus esse potest: urbs uerò ab orbe dicta, muros, portas, turres, & munimenta habet. Dicimus præterea urbem desertam ciuibus, non autem ciuitatem. Itaque urbis omniũ celeberrimę propter ædificiorum magnificẽtiam ac pulchritudinem rectè assero à me scriptum, ab illo autem fanatico asinario male me esse reprehẽsum. Lau. O plumbeum Pogianum pugionem, quoniam est uulnus tuũ? quid in me redarguis? quid tuis exẽplis probare uis homo ineptissime? an quòd nesciam reperiri urbẽ? an nõ dico melius te scio, quia non ab orbe, sed ab urbo, ut ait Varro, dicta est urbs. Et Põponius iuriscõsultus inquit, urbs ab urbo appellata est, urbare est aratro definire, & Var. ait uerbũ appellari curuaturã aratri, quod in urbe cõdenda adhiberi solet: uerũ te millies usum isto nomine in Elegãtijs animaduertisse, * an quod differentiã inter ista duo nomina esse ignorẽ? An nõ dico te idẽ in Elegãtijs sępenumero

Vrbs unde dr

 deprehendisse,

deprehendisse, sed ideo te reprehendisse, quisquis is fuit, quòd differentiam inter hæc poneret? an quòd male reprehenderim: putans te nunc abusum hoc nomine? at ego, etiam si abusus esses, non reprehēderem, cum sciam solere accipi continens pro cōtento, nec id tantū exemplis confirmari, sed etiam præceptis tradi. Nam de isto ipso uocabulo Quintilianus tradit, inquiens: Bene moratas urbes, poculum epotum, & seculum felix, & bene moratas ciuitates, potionem epotā, & homines eius seculi felices. Non igitur ego te reprehendi Pogi, sed puer ille. Verum cur, inquies, ille reprehendit? miror equidem, cum nulla reprehendendi causa uideatur. Quo minus uerisimile est me peccasse in eo, in quo etiam puerū peccasse miramur. Dicamus tamen: eum forsitan putasse, te dicere debuisse ciuitatem potius, quàm urbem, suumq́ pro tuo errorē ostendisse. Pog. Cum scripsissem, nō recolo, id uerbum non reperiri: nouella spinga protulit. At Ouidius nescio an Valla doctior: Hæc tua nam recolo quondam germana canebat. Item Cicero in prooemio Oratoris: inter nosq́ recolendas artes scribit, quòd uerbum à recolo proficisci necesse est. In officijs quoq; diuinis: recolimus, scriptum legimus, ut illud est, ut dum eorū merita recolimus. Multis præterea in locis reperitur, quæ breuitatis causa omisi. Sed non mirum hominem hęreticū, omnis hostem religionis, prophanū, non reminisci eius uerbi, quod uel non audit, uel non libenter intelligit. Lau. Vbiq; Pogius sibi est similis, tardus, hebes, plumbeus, rubignosus. Ais me Pogi negare, id uerbū reperiri: quasi nihil omnino legerim? non epistolas Ouidianas, ubi est iste uersus? num prooemium de Oratore, quod ego apud te, & apud cæteros corruptū, pristinæ syncerirati restitui, ut in Elegantijs inuenisti? non illud eiusdē pro Archia notissimū: Quantū deniq; aleæ, quantum pilæ, tantum ego mihimet ad hæc studia recolenda sumpsero? Non illud in Philippicis: Sensimus hoc nuper falso nuncio, uero propediem sentiemus, quę si tecum ipse recolis, æquiore animo & maiore consolatione morieris? Non alibi, cum apud hunc, tum apud alios? At ego in Elegātijs quoq; sum usus, etsi tu calumniator peruerse dissimulas. Non ignoraui igitur ego hoc uocabulum reperiri, id est, nō ego te tua cōfessione reprehendi, sed puer. Nam si reprehēdere istud uerbū est hominis ignorātis illud inueniri, ego certè non reprehēdi, qui illud inueniri non ignorabam. Possem equidē aduersus istam pecudem hac esse purgatione contentus, quā mihi tam facile est fallere, quàm lupo asinū in læta herba pascentem, & præ saturitate sępenumero rudentē: uerū ut intelligat se, id quod mihi frequenter obijcit, asinū esse, non sum hac defensione cōtentus, quinimò eam repudio, & alia, quæ nō me defendat, sed eius stultitiam coarguat, ut uolo. Non reprehēderis Pogi, quòd utaris hoc uerbo, sed quòd male utaris, dum inquis in ista epistola: Non recolo me scripsisse, hoc est, non recordor, ut in alijs quoque epistolis librisq́. Non enim Cicero isto modo usurpat hoc uerbū, nō oratio ista ecclesiastica, ausim dicere, nō etiam Ouidius, qui non aliter dixit nunc: Recolo, quàm Cicero: quæ si tecum ipse recolis: quasi repeto, reputo, meditor, in mente tracto. Quod tu, etsi asinino ingenio es, fortasse uidisti, qui hoc dissimulare conatus es: non subijciēs ad literā locū epistolæ tuę, ne uera deprehendi posset sentētia. At em̄ per hęc, quæ dixi, suspectū facio, ne ipse fuerim loci illius reprehensor, nō puer. Hoc nequaq; existimabit, quisquis scierit multos esse, quorū unus est Antonius Panhormita, qui negēt palā recolo, pro recordor reperiri, utētesq; in hūc sensum eo uerbo derideāt. Itaq; siue hoc uere, siue falsò sentiant (nam meā hic nō interpono sententiā) iam ad puerorū notitiā permanare potuit. Igitur nō te reprehendēdi Pogi, sed reprehendo, qui ais nouella spinga pro spinx, tametsi postquam per eos, quibus partem huius responsionis ostēdi, indicatum tibi est me loca quædā barbara deridere tuæ inuectiuæ, passim mittis schedulas ad eos,

qui

qui tua exemplaria habent, cum emendationibus: quasi tute emendaueris, non ego, ut omnibus notum est. Sed quæ grammaticę non sunt, certè non emẽdasti, quia nemo docere te & certiorem facere potuit: quale est hoc, quod uis me reminisci uerbi, quod mihi ais inauditum: quasi quis rei nunquam sibi notæ reminisci possit, quodq; hæreticum uocas, quem eundem dicis hostem omnis religionis: quasi qui nullius religionis est, is esse possit hæreticus. Ego uerò te Pogi nõ hæreticum dico, non omnis religionis hostem (non enim ita de te male sentio, non ita in te uolo esse contumeliosus) sed omnis religionis cultorẽ. Cum enim dicas me omniũ religionũ hostem, consequens est, ut te facias omniũ religionum cultorem, ut ei, quem improbas, sis contrarius, & certè id ipso opere ostendis. Qui enim deos testatur, iurat, ueretur, is profectò omnium deorum, et ob id omnium religionũ est cultor. Pog. Verum quoniam nescio quid ridiculũ in meis scriptis culpat noster Aristarchus, discutiamus paulum suorũ uerborũ pondus. Ait in prima epistola mei uoluminis male à me scriptum: aliqua ex parte gratias referam, quoniam gratiã dicere debeamus. Salsa quidẽ ac digna correctoris uel corruptoris nostri potius sententia, qui id uitio dat, quod in usu est omnium, qui Latinè scripsere, agere gratias dicimus, cur non & referre optimè dicetur? Quanquam Ciceronis autoritas illius beluæ insulsam dementiam compescit, ait enim in epistola quadam ad Vatinium: Non enim tu mihi habuisti modo gratias, sed etiam cumulatissime retulisti. Ecce hic Cicero noster, homo credo præ Laurentio indoctus, gratias referri dicit. Sed effrenata innataq; redarguẽdi libido eò hominem insanum deducit, ut neque quid scribat, neque quid dicat, rectè an secus, intelligat. Nolo insistere in plurium testiũ productione, qui multi sunt, sed unus pro omnibus est Cicero, quoniam ad alia festinat oratio. Id sanè constat, & agere & referre gratias rectissimè dici. Lau. Ego te, inquis Pogi, corrigo dicentem: gratias refero: si ita est, ergo & me ipsum corrigo, idem in Elegãtijs tradentem, & hoc Planci ad Ciceronem scribentis exemplo utentem: immortales ago tibi gratias, agamq; dum uiuam: nam relaturũ me affirmare non possum. Quod si credibile non est, mea ipsius me præcepta retexere, profectò nec tuã epistolam correxisse credibile est. Id pro mea defensione dixi. Dicam nunc ut te accusem. Nónne tu ista in Elegantijs uerba legeras? certè legeras, cur igitur in animum tibi inducere potuisti, id me fuisse reprehensurum? Verũ non in animum tibi istud induxisti, sed ut calumniator, ut sycophanta, ut fera bestia, cõtra animum tuum locutus es. Sed agedum Pogi, confer mecũ pedem, confere mecum manus, intermissa paulisper illa de notationibus, ut liqueat, uter nostrũ Ciceronis elegantiam sectetur accuratius: quanquam non contentus illius autoritate, etiam ratione niteris, inquiens: Agere gratias dicimus, cur non & referre optime dicetur? Non utar remota contra te analogia, sed coniuncta atque germana. Habeo gratiam rectè dicitur, cur non & agere gratiam? at hoc dicitur non rectè. Nihil ergo ualet tuum à pari argumentum. Itaq; totum hoc non ratione nititur, sed autoritate, siue exemplis. Tu tamẽ cum omnino unum habeas, Pogiana ambitione te iactas multa habere. Ego Pogi istud, quod tu uidisti, & ipse uiderã, sed quod ego uidi, tu nequaquam uidisti. Primum quod ipsa exempla non habent aperte coniunctum nomen gratias cum uerbo refero, sed ita, ut præcedat uerbũ ago, cum quo coniunctum est aperte nomen gratias, ut non sit absurdũ, in uerbo refero repeti idem nomen numero singulari. Deinde quòd non esset causa, cur Cicero sic pro Plancio scriberet: Cui pro me senatus gratias agendas putauit, ego à me gratiam referendam non putem? Et Liuius libro 34. Renuntiate, inquit, gratias regi me agere, referre gratiã aliã nunc nõ posse. Cur enim non fuit cõtentus dixisse gratias? cur in diuerso uerbo tam apertè mutauit numerũ. Hãc ne ego elegantiam

Pontifici fuisse lecta, non autem alteri, ipso Pontifice presente, quod cõtra Liuij exemplum est. At enim Vergilius tecũ facit: coràm quem quęritis adsum. O caput nihil capax. Non uides Pogi agrũ stultitiæ depaste, ut tua tibi reddam, nunc coràm esse aduerbiũ, nec posse habere differentiã cum apud: pręsertim quòd hęc differentia ita demum, si de loquendo fiat mentio, habeat locum, non si de cęteris: qualia sunt, sedebam coram te, scripsisti coram populo, saltauit coràm magistro, in quibus nullus differẽtię respectus est ad apud, quãuis sit corã, et ipsa prępositio, quanto magis cum non est præpositio, sed aduerbium? ueluti in Vergiliano exemplo: in quo ne pueri quidem laberentur, ut intelligas Pogi, & te esse, non me, illum qui labitur, ubi pueri cõsistere solent, & puerum potuisse te reprehendere, qui pręsertim hoc à me pręceptũ frequenter audisset. Et hæc sunt omnino, quæ ille in te notanda sibi putauit, præter illud, quod dissimulasti. Pog. Quod hęc dederunt disturbium rebus Papę. Lau. An hoc non pueris etiã ad reprehensionem notabile est, quod uocabulũ ne in ore quidem ranarũ, quæ turbida aqua gaudẽt, bene sonaret? Nam illud in quo assiduè laberis, quiuis meorum auditorũ notasset. Pog. Nam superiores literæ gratæ sibi fuerunt. Lau. Sibi pro ei, cõtra Grãmaticorũ pręcepta, cum aliorum, tum Prisciani locutus es: nisi sentis literas sibijpsis gratas fuisse, & quod huic simile est. Pog. Vide ne forsitan fallaris scriptis suis. Lau. Videlicet suis pro eius, nisi accipis suis pro porci, ne uidelicet scripta procelli illum fallant. Et iterũ: Pog. Tanti facio Nicolaum, iudiciumq́ suum tanti æstimo. Lau. Nempe iudicium porcorũ scrofarumq́ magnifacias necesse est, ne alioqui à pueris barbarè locutus esse deprehendare. Et cũ non plura notata sint in epistolis tuis, tamen inquis. Pog. Hęc & sexcentas alias ineptias ridiculas in me confert ille barbarus imberbis, quibus nunc barbarismi crimine, nũc malæ sonoritatis, nunc malæ cõiunctionis arguit, homo incõditus, absonus, absurdus, inconcinnus, qui nullum nisi campanarum aut tympanorum sonitum nouerit: & certè effrenate nimium ac petulanter effertur Delphicus noster uates, tanquam illa sua sensa, omni sensu uacua, ex Apollinis Pythij sacrario, non ex armamentario uolitantis cerebelli, ac ex fanatici dementisq́ uesano capite promere uideatur. Cuius insanię respondere ad singula, quæ sint incõcinniora prioribus, stultissimum uideretur. Verũ stultus, qui quicquam pensi faciam garrulitatem scurrulitatemq́ eius, qui continua mentis uertigine agitur, debacchantis ritu. Lau. Omnia Pogij arma non alia sunt, quàm conuicia & mendacia, quibus se protegere, & hostem ferire arbitratur. Ego, ut finẽ huius quęstionis faciã, tanquã apud ipsos iudices, atq́ apud eum, qui omnia cernit, Iesum Christum iuro, me reprehendisse adolescentem, qui notas illas apposuisset, & ne plures apponeret, inhibuisse. Si mentior, ipse Deus, quẽ testatus sum, in hac causa reddat infensos mihi iudices omnes, & in primis, cuius iudiciũ plurimi facio, Nicolaũ summũ pontificẽ. Quanquã nõ opus erat mihi iureiurando, ubi palã est, Pogiũ falsò me accusare, & suæ sibi calumnię esse consciũ: quem etiam nõ pudet appellare crimina, errores in grãmatica, nisi per imperitiã in hoc uerbo lapsus sit, sicut in illo, quod ait: sensa sensu uacua, quod esse non potest: imò nec aliud sunt sensa, quàm sensus, nisi quòd illa sunt animorũ tantum: & in illo, quicquã pensi faciam, cùm nihil pensi habere sit, non ponderare quidpiam atq́ considerare. Sed omissis cęteris eius conuicijs, quid est, quod me imberbem appellandum duxit, hominem tam bene barbatum? An ut senis oratio lepide ac festiue luderet: barbarus imberbis, barbarismi crimine? Placet'ne falso dũmodo lasciue ludere? Si ita est: cur tu Pogi qui hircus es, barbã, quã in me desideras, nõ immittis, & hœdos tuos à lupis, caprasq́ ab extraneis admissarijs non custodis? Hoc ego uel ludẽs uel stomachans dixisse uolui, quod etiã dicere ausus es

(quid

(quid enim tu non audeas?) me malle uersari inter pueros quàm uiros: nimirum obiecturus alia, & capitaliora crimina, si qua potuisses, cũ ea suspiciose obijcias, à quorum suspicione longè abfui semper, inquiens: Pog. Sed miror tanti uiri consilium præposterũ, qui cum se Accursio in iurisciuilis peritia anteponat, cur nõ potius more optimi iuriscõsulti iuris exercitio, quod est præclarissimũ, quàm ludi puerilis studio uacet? ibi enim summus honor, summa dignitas, summa quę rendæ pecuniæ facultas, hic inter pueros summa indignitas, uilis exercitatio, leuis doctrina, lucri parum. Sed credo illum iuris facultatem spernere, ut suo ingenio, suæ doctrinæ, suæ sapientiæ imparem, & malle inter pueros, quàm inter uiros uersari. Lau. In ludóne puerili ego, Pogi, an ubi doctores alij? grammaticam'ne, an artem oratoriam doceo? & pueri me magis, quàm alios doctores. & magis barbati ac magis docti illos, quàm me audiunt? Tu Pogi pueros, tu domi tuæ puerilem ludum habes, non ego, nec ullius à grandioribus natu neq; doctioribus frequentatur, quàm mea lectio. Sed quid de me dico, & non de genere uniuerso, quod abs te reprehenditur? Cum enim meũ officiũ uituperas, omnes rhetores uituperas, Guarinum, bone deus, quantum uirum, Gasparinumq; ac Venturinum, qui nuper uita excessere: quorum tanta extitit gloria, ut tanquàm clarissimæ quædam stellæ in transpadano orbe splenduerint, Franciscum Philelphum per multas Italię urbes celeberrimum, Georgium Trapezuntium tuũ collegam, & te multo doctiorem, qui superiore anno à docendo cessauit, item collegam tuum Rinutium, qui si meliore ualitudine esset, adhuc legeret, Carolum Aretinum Cancellarium Florentinum, qui in illius muneris petitione tibi prælatus est, nunc cum magna dignitate magnoq; salario Florentiæ profitẽtem. Transeo alios plurimos, quorum quisq; lõge se tibi anteponit: cum propter alia, tum uerò, quòd sciunt te ideo non legere, quia ad legendum atq; ad dicendum semper ineptus & elinguis extitisti. Et certe maioris artificij est docere eloquẽtiam, quàm uel ius ciuile uel Pontificium: quãto maior est ars ac maius opus, cui tu ut detraheres, laudasti ius ciuile, non ut illud laudares, quod & ipsum perosus es. Nam & in illo opusculo conuiuali sub persona medici petulantissimis, ut tuum ingenium fert, uerbis lacerasti, sicut non minus medicinam sub iurisperiti persona, & in primo Epistolarum libro exclamas, ô scientiam iurisciuilis ignorãdam & uenalem, reijcio hanc facultatẽ, abi hinc ad barbaros procul, & alia multa tuo more furiosa. Cur ergo nunc illud laudas uir inconstantissime, & loqueris semper ad tempus? certè ut ex comparatione meam professionem deprimeres, hoc est, oratoriam artem. O te stultorum peruersissimũ, & peruersorum stultissimũ: totam ætatem, si tibi credimus, in arte oratoria consumpsisti, & eam uituperas? Laudas Ciceronem ac reliquos oratores atque rhetoricos, & tamen præceptorem rhetoricæ postponis alijs: Ciceronem inquam à quo prælatos legisti oratores iuris non solum peritis, sed etiam consultis. Quem, si facultas mihi suppeteret, facerem ab inferis existentem, & in te uelut in alterũ Catilinã, Verrem, Clodium, Antoniũ faces illas ac fulmina eloquẽtiæ intorquẽtem: qualis enim foret in te facũdiæ inuidia conflagrandũ? Cicero nanque abs te, cum me uituperas, uituperatur. Sed omisso Cicerone, uolo tibi ex ipso iure ciuili istũ tibi eximere errorem. Romani Imperatores, quorum unus est Iustinianus, nõ minus tribuerunt dignitatis oratoriam artem, quàm ius ciuile docentibus: in hæc uerba: Habeant igitur specialiter nostrum ius primum Romæ, quos eloquẽtiæ doctrina cõmendat: oratores quidem tres numero, grammatici uerò decem. Etiam ij, qui facundia grauitatis pollere noscuntur, quinque numero sint, sophistæ & grammatici æque decẽ. Et mox: Duos quoq;, qui iuris & legũ uoluntates pandant. At enim multo sunt plures iurisperiti quàm oratores, inquies: Docebo hoc nõ solũ Pogi, sed

ſed etiam ipſos iuriſperitos, & cur ſe illi oratoribus præferendos, & cur falſò arbitrantur. Non ſunt iſti, qui ſe tantum iuriſperitos uocãt, ſolum tales, ſed etiã oratores, etſi artem oratoriam neſciant, quales illi primi homines fuere. Siquidem priores fuerunt, qui cauſas orauerunt, quàm qui artem orandi literis mandauerunt, aut qui ex arte orauerũt, & quia hanc ignorant, non ſe uocant oratores ſed aduocatos: quaſi aliud ſit hoc ab illo, & non potius aliud à iuriſperito ſiue iuriſconſulto: aduocatus enim cauſarum eſt, qui cauſas agit: iuriſconſultus eſt, qui de iure reſpondet, nõ qui cauſas agit, ut ex toto iuriſciuilis corpore datur intelligi. Itaq; cũ magis iſti uerſentur in cauſis agendis, quod Caius, Paulus, Papinianus, Scæuola, Marcellus, Vlpianus, cæteriq; non fecerunt, magis ſunt oratores appellandi. At enim magis eis cõfert iuris ſcientia: quaſi uerò poſſit orator citra ſcientiam iuris eſſe. Certè id eis plus confert, quod norunt, quàm quod ignorãt, plus tamen conferret eis eloquentia, ſi eam tenerent. Tametſi, ut uidemus, qui uel naturæ dotibus, uel dicendi exercitatione habentur eloquẽtes, qualis uere uocatur orator, ij omnibus Iuriſperitis antecellũt, & dignitate, & gloria, & facultatibus, ut negare non poſſint: hunc talem quantulumcũq; oratorem longè anteponendum etiam ſummo Iuriſcõſulto: etſi non dixero multas cauſas eſſe, in quibus nihil loci habet iuris prudentia. Nihil nunc loquor, de illo alio genere oratorum, quos uulgo prædicatores uocant, quantã illis autoritas, quanta uis, quanta maieſtas inſit, de iuriſperitis tantum nunc ago, qui non ſolum ea, quæ dixi, ſed etiã ius ſuum ignorant, nec intelligunt non de iuriſperitis, ſed de oratoribus loqui Iuſtinianum, cum inquit: Aduocati, qui dirimunt ambigua facta cauſarum, ſuæq; defenſionis uiribus in rebus ſæpe publicis ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quàm ſi prelijs ac uulneribus patriã parentesque ſaluarent. Non enim ſolos noſtro imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis, ac thoracibus nituntur, ſed etiam aduocatos. Militant namque cauſarum patroni, qui glorioſæ uocis confiſi munimine, laborantium ſpem, uitam, & poſteros defendunt. Tales Cicero, Cæſar, Quintilianus, omnes conſules ac præſtantiſſimi uiri, tales Demoſthenes, Aeſchines, Hiperides, & cæteri, qui oratores uocati ſunt, extitere, non qui uocati ſunt iuriſconſulti, quorum nemo unquã in magna apud homines fuit admiratione. Quare intelligant iſti aduocati noſtri: ſe aut non eſſe admirabiles uiros: aut, ſi ſunt, id maximè debere oratoriæ arti, ſiue oratoriæ exercitationi. Ego, quod ad me attinet, nõ uideo, cur ſim ulli, qui ius ciuile legat, inferior, cum ſim pro idoneo à ſummo Pontifice, qui noſter Imperator eſt, habitus ad docendam oratoriã artem, nec pro inferiore ab eodem exiſtimer, nec minori, quam mediocres illorum, ſalario afficiar. At cur non illud, ut tuo uocabulo utar, exercitium factito, quod etiam pater meus factitauit utriuſq; iuris antiſtes? Cur non & illi meũ factitant, quod eſt multo præclarius, ſi rectè exiſtimemus? Aut ſi illud præclarius eſt, cur tu non exerces? Niſi ius tuũ fortaſſe præſtas omnibus, de quo, ne collegas tuos mihi amiciſſimos attingam, nolo aliquid dicere. Tantũ reſpondiſſe ſuffecerit, eaſdẽ immunitates, eoſdẽ honores habere rhetores, quos habent iuris doctores, etiã, ut de licentia addas auri geſtandi, quod ſi illi ex iure ciuili geſtare queũt, profectò & rhetores poſſunt. Quanquam hæc opinio apud illos ex ignorantia iuris, cui ſtudent, orta eſt, in quo nihil tale ſignificatur, non modo in aduocatis, ſed ne in militibus quidem, quorũ dignitati, ſi qua dignitas eſt, ſuam iſti parem faciunt, & hos ſequuti medici atq; philoſophi. Sed de hoc ſatis. Iam enim tempus eſt, cõuicta triplici Pogiana calumnia, & ueluti triplici ſerpentis exciſa lingua, ut triplicem quoq; imperitiam conuincamus, & quaſi aliam trifidem excidamus linguam eiuſdem ſerpentis: qualis dicitur eſſe, ſi credere fas eſt, Amphesibena, ut eſt apud Lucanum:

Et grauis

Et grauis ingenium surgens caput Amphesibena. Sed loquuturus de imperitia Pogij, dum ille me imperitum probare uult, nolo illud superioris loci omissum, quod particulam, cur, frustra posuit. Nam ita dicere debuit: miror cōsilium uiri, qui non uacet potius iuri: non autem, qui cur non uacet. Agedum Pogi serpentina lingua ac serpentino afflatu, iterum sibila. Fateor equidem me reprehendisse quosdā mediocres homines, ueluti Priscianū, Seruium, Donatum, quòd in arte, quam autoritate summorū scriptorum confirmant, nonnihil dixerint discrepans ab illorū autoritate, quemadmodū exemplis doceo, ut mihi necesse fuerit aut maximos quosque autores, aut istos & pauculos & mediocres sequi. Malui itaq; illos sectari, quos & isti se quoq; sectari fatebantur. Tu autem, quasi id ego non faciam, me insectaris, inquiens: Pog. Iste uesanus conuiciator, superiorū omniū autoritate semota, noua sensa uerbis indidit, nouū scribendi morē introducit: tanta præsumptione usus, ut sibi solus plus, quàm cæteris omnibus tribuat autoritatis. Latinorū uerborū proprietas, uis, significatio, constructio, nō tantū ratione, quantū ueterum scriptorū autoritate constat. Qua sublata latinę linguæ fundamentū & substentaculum pereat necesse est. Lau. Itáne Pogi non nitor ego ueterū scriptorū autoritate, sed mea? Si aduersus Priscianū & cęteros grammaticos aliquādo disputās ego, respuerem autores, quos illi afferunt, certe non tam grāmaticis, quàm autoribus aduersarer, omnibus scriptoribus bellum indicerem, & repudiata lingua latina, aut alia uterer, aut nouam introducerem. Hæc si neq; facio, quempiam facturū esse credibile est, sequitur, ut aliquid ego argutius profundiusq; in usu autorū animaduerterim, quàm isti fecerunt, sicut & ipsi multa prudentius quàm superiores fecerant. Nam alioqui post illos nō scripsissent, quū præsertim dicat Priscianus: Vetustissima ætas maximè in grammatica arte arguitur peccasse, cuius autores quanto sunt iuniores, tanto perspicatiores & ingenijs floruisse, & diligentia ualuisse omniū iudicio confirmatur eruditissimorū. Quare noli mirari Pogi, quia tu nihil inuenis noui, me quippiā noui inuenisse, nec palā calūniari, quòd nullius autoritatē sequar. Nam si ego nullos pro me affero, tuū est illos cōtra me afferre: atqui secus fit, siquidē ego infinitis exemplis utor, tu nullis: quin illi quoq;, ubi à me reprehendūtur, aut nullis, aut rarissimis, aut inualidis utūtur, ueluti in illo loco, ubi de mei, tui, sui, disputaui, de quo tu ais: Pog. Nostri & uestri genitiuus pluralis Seruius grāmaticus ait, A. Gelliū, ut postea apparebit, sequutus. Sed hos et Priscianū cū alijs in errorē induxit. Et deinde: Verum quid mirū, cum A. Gellius, & quidē antiquior, nullū exitū in hac quęstione potest reperire, sed etiā non optimè sentit. Lau. Omitto de perfidia tua loqui uir pessime Pogi, qui hunc locum ex Elegantijs nequanquā syncere protulisti, ut semper facis. Fallor opinione? improbe illos emēdo? cur quęso tu uir doctissimus latinissimusq;, & autorum nominis famæq; defensor, non aliqua contra me affers illorum exempla pro Prisciano? qui nec ipse ulla pro se affert, quare liceat, ut opinatur licere, sic dicere: mei uel nostri agrū colo: tui uel uestri filiū diligo: sui uxorem custodit, pro meum uel nostrū, tuum uel uestrum agrum filiumq;, suam uxorem? Qua de re tam multa ego tamq; egregia tradidi ex summis autoribus obseruata, ut putem me satis ad æternitatem gloriæ uel ob id capitulum comparasse, & posse inter præstantes numerari scriptores, quē illi, quos reprehendi, si reuiuiscerent, admirarentur, quē tu scelestissime, cum tot res à me uel didiceris, uel discere possis, spernere uis uideri, inquiens: Pog. Sed cū loci sint penè infiniti, quos fastidij causa omisi (totū enim opus his ridiculis sententijs refertum est) pauca expressi. Lau. Ridicula sunt Pogi, quæ neq; Priscianus, neq; Seruius, Donatus, Diomedes, Caper, Probus nouerunt? ac ne A. quidem Gellius tradere sciuit? quibus nihil habet omnis lingua latina pręstātius? Si

ridicula

ridicula sunt,& tibi non obseruanda, ride Ciceronẽ ac ceteros, qui ista tanquam mysteria quædã obseruarunt. Sed illum alterum locũ fortius premis,&, ut tibi uideris, strangulas. Pog. Grãmatici autores, ait, uno uniuersi ore aiunt: uerba in sco, ut calesco, significare inchoationem, ideoq; inchoatiua: in so, ut uiso, desiderium, ideoq; desideratiua: in rio, ut esurio, meditationem, ideoq; meditatiua appellari. In quibus, ait: ab omnibus dissentio. O uocem pistrino & ergastulo dignam. Quis hanc petulantiam, temeritatẽ, audaciã, mordacissimi pediculi equo animo ferre queat? quis non dedignetur sapientes à stulto, doctos ab indocto, peritissimos ab ignauissimo elegantes ab absurdo, latinos à barbaro reprehendi? Hicne uir insulsissimus, nulla autoritate, nulla doctrina præditus, omnium qui uiuunt amentissimus, scribere audet se ab omnibus grammaticis, præsertim talibus, dissentire? Quæ maiora signa dementiæ expectantur: quæ maiores insaniæ faces? qui uiolentiores furiarum stimuli, qui mentem furibundam agitent, desiderantur? Hic si mentis esset compos, si non arrogans atq; improbus, si non ab omni ratione alienus, non adeò se proteruum furentemq; ostenderet, nullius pretij, uecors, belua, ut omnium doctorum uirorum reprehendendorum munus assumere præ se ferat. Abi in malam crucẽ proterue animal cum istac insulsa inaniq; magniloquentia. Lau. Ecce autores Pogiani, Ecce copia exemplorum huius, qui ait linguã latinam cõstare autorum exemplis, ecce hominis ingeniosi rationes atq; argumẽta (nam eius iudicio secundum ab exemplo locum obtinet ratio) ecce * quod deceat exprobare alteri tã atrocibus maledictis atq; cõuicijs. Si non affero autores ego Pogi, & hoc in me uituperas, cur eos ipse non affers? ô furcifer, cum ubiq; ego exempla afferam, & quidem plurima atq; adeò autorũ omniũ, tu tamen dissimulas. Quid, inquies, num illa contra Grãmaticos omnes affers? cõtra omnes, contraq; plures essent, afferrem: non quia quicquam uelim ex illorum laude detractũ, sed ut ueritas eruatur. Sunt enim, ut tuis uerbis utar, docti illi quidẽ, peritissimi, elegantes, latini: &, si uis, etiam sapiẽtes, uerũ ego doctior, peritior, elegantior, latinior, &, si uerũ dixisti de illis, etiam sapientior. Neque id ratione solum, quam mox subijciam, constat, uerum & multorum hominum testimonio dicam: puta Leonardi, Guarini, Aurispę, aliorumq; plurimorũ, qui de operis mei laude scripserunt: ego * dico tui tuorumq; similiũ, qui cum refutare nequeatis hoc præceptum, profectò comprobatis: quanquam tuam assensionem dissensionemq;, debacchantis hominis, non loquentis, quid ego magni faciam? An Gigas auxilium hostilitatemq; pomilij hominis, quem nanum uulgo uocant: curaret? an non te pomilium passim ostendo, & me Gigãtem & plus quàm Gigantẽ? quippe qui de Prisciani tanquam de Herculis manu clauam eripio? Sunt autem exempla, quæ quisq; pro se affert, quasi illius arma, ut gladius, hasta, claua, quæ cum alter è diuerso secum facere, & contra illum, qui afferebat, ostendit, nimirũ gladium aut clauam de manu eripit: &, quod maius est, suis eundem armis ferit. Priscianus hoc de inchoatiuis exẽplo Vergiliano utitur: Aegrescitq; medẽdo. quod ego probaui mecum facere, quòd nemo inter curationem medicamẽtaq; ęgrotare incipit. Attuli quoq; eiusdem Vergilij exemplum: Maria incipiunt agitata tumescere. Cui simile est Tullianum illud, cum ait: Orationem suam cœpisse canescere. Superuacuum enim futurum fuisse: illud incipiũt, & illud cœpit, si tumescere & canescere significarent inchoationem. Et pro Milone: Quanto ille plura miscebat, tanto hic indies magis conualescebat. Certè nihil potest quotidie inchoare, & alia multa, quæ illic disputaui. Deniq;, ut scias, quibus ego nitar exemplis, omnes pro me autores, omnia huiuscemodi apud illos uerba mecum facere contendo. Tu uel unum tecum facere demonstra. Atq; ut aliquid nouæ probationis excogitẽ, impulsus impudẽtia tua, nónne inchoate

alias, ecce quod deceat.

De Inchoatiuis contra Priscianu

& desinere cõtraria sunt? Atq; si uerba, quę uocãtur Inchoatiua, quę exeũt in sco,
inchoationẽ significarẽt, non iungerẽtur cum uerbo desino, nunc cũ desino iun
cta reperiuntur, ut apud Quintilianũ: Desinis erubescere iam, quòd filium nõ ui
des, & qualia sunt, quibus omnes utimur: Iam arbores desinũt florescere, tu ces-
sas pinguescere, iam fluuius fecit finem tumescendi. Extorsi item Herculeam de
manu Prisciani clauam, dum de uerbis desideratiuis loquens, exemplo quoque
Vergiliano utitur: Nam memini Hesione uisentem regna sororis Laomedontia
dem Priamum: uisentem, inquiens, cupientem uidere: imò, ut ibi ostendi, eũtem
ad uidendum, quod declarat Cicero, cum ait: Cupio, & iam pridem cupio, Ale-
xandriam atq; Aegyptũ uisere. Quid enim attinet addere cupio, si uiso idem est,
quod cupio siue desidero uidere? Verba in rio negaui significare meditationem,
sed desiderium, ut apud Ciceronem: Vt aliquãdo dolor populi Romani pariat,
quod iam diu parturit. & alia exempla, quæ in Elegantijs attuli, quæ mouissent
lapides ad sentiendum, nec tamen te mouere potuerunt: uides scelerate Pogi, ut
semper nitor autoritate, & uniuersorum scriptorum exemplis, confutans quoad
possum, ratione etiam opinionem grãmaticæ præceptorum? At tu pro tua cau-
sa semper inculcas cõuitia, inquiens: Pog. Verum quæro, Carmẽtis'ne an Si-
byllæ alicuius spiritus aut dæmon quispiam familiaris, sicut de Socrate legimus,
somniãtem illum erudierit, an in antro aliquo Musarum sit diutius ad perdiscen
dam disciplinam ignorantiæ uersatus, an arculam aliquam tenet absconsam re-
sponsis phœbeis plenã, aut libros cęteris ignotos ab inferis eruerit, qui sibi adeò
insanire monstrarũt, et nudum odium in cęterorum opprobriũ populo ostẽtare.
Lau. Velis nolis ignominiose Pogi, significas te admirari acumen inuentorum
meorum. Qui si uera tradidi, ut certè tradidi, quid ni & tibi & alijs miraculo de-
beã esse? & tu fateri cogaris: me à Carmẽte, à Sibylla, à Musis, ab Apolline (nam
dæmonem & inferos tibi relinquo) educatum, eruditum, excultum? Hæc de ijs
scriptoribus quos in uniuersum reprehendo, non de ijs, quos nominatim, quorũ
tu patronus tam disertus es, ut magis eos abs te desertos, quàm assertos liceat di
cere. Ais enim: Pog. Item, quare peccauit Priscianus ad Iulianum scribẽs: Ti-
bi ego opus deuoueo omnis eloquẽtiæ præsul, ut quantumcunq; deus mihi an-
nuerit suscepti operis gloriæ, te comite, quasi sole quodam, dilucidius crescat.
Quid magis absurdũ, Valla inquit, quàm quem dicas solem tuũ, eundem appel-
lare comitem tuũ? frenetice, sicut in reliquis, ita in hoc Laurenti. Non dicit suum
solem, sed comite, quasi sole quodam lucente. Sed detrahendi libido, addita stul
titia & impudentia te in præceps trahit. Lau. Freneticus est Pogi, qui quod lo
quitur nõ intelligit: freneticus est, qui nõ uulneri, sed sano membro medicamen
ta apponit, freneticus est, qui lumen non pręfert, sed à tergo fert, ut tu facis Pogi,
ter freneticus. Non enim ego improbo in Prisciano, quod dicat illũ solem, ut tu
stolide accipis, nec de uocabulo, sol, sed uocabulo, comes, disputabã: quòd ab-
surdum esset, quem omnis eloquentiæ præsulem & hortatorẽ suũ, & cuius men
tem ex anima Homeri atq; Vergilij cõpositam diceret, eundem comitem potius
appellare, quàm ducẽ: cum dux pręcedat, comes sequatur. præsertim cum dicat
uelut sole. Siquidẽ solem ducem habemus, sicut candelam, quam, ut dixi, nemo
post tergũ fert, sed ante se. nisi forte Pogius, qui non solũ ista nõ intelligit, quiq;
libidine mihi detrahendi non uulnus Prisciani sanat, sed alligato illius membro
non saucio, me uulnerare nititur, & solem cãdelamq; debere sequi potius putat,
quàm pręire, uerũetiam ait: quasi sole quodã lucente: perinde ac si possit sol esse
nisi lucens, & lux nisi fulgens. En nitor Pogianæ facũdiæ, qui nitide loqui doce-
re me uult. Pog. Sequitur insaniam suam Valla, Lactantiũ incursans, qui ait:
placidiora quæq; animalia, scribendum asserens: omnia placidiora animalia, &
aliquanto.

aliquãto post,cum Terentij defensionem attigisset,subijcit: Et quod stultitiam summam redolet,non uerebor,inquit,reprehendere Boëtium,Priscianũ,& elegantiorem utroq; Lactantiũ. Quorum Boëtius cum scripsisset: nosti quàm facillime,mallem dixisse:quàm facile, ait: Priscianus,ut docerẽ quàm frequẽtissime. Lactantius uerò,quàm multa alia. Latinius erat,Laurẽtius ait:quàm frequenter, & permulta. Lau. Nónne ais Pogi linguã latinam constare autorũ exemplis? Nónne,ut ostendi paulò antè,me, etsi falsò,tamen accusabas,quòd ratione mallem niti quàm autoritate? En ego omniũ autorũ pro me cõtra hos tres affero exempla. Tu,ne tibi repugnes,affer pro his tribus uel unum, aut ex Cicerone, aut ex Quintiliano,aut ex Sallustio,aut ex Liuio,aut ex uno quolibet ueterum autorum. Hoc non facis,& tamen illorũ suscipis patrociniũ,& quia nihil habes, quo & illos protegas,& me uulneres,facis,quod nemo unquã fecit:unde Iurisconsulti omnes obstupescant,tergiuersaris, calumniaris, cauillaris,præuaricaris. Nam tergiuersaris,quia pugnare uis,& tamẽ subterfugis, calumniaris, quia falsa obijcis,cauillaris,quia uerũ euidens per ambages occulere tentas,prçuaricaris, quia in me accusando aut nihil cõtra me,aut pro me dicis. Quanquam,ô inuicte orator,quis omnino intelligit,quid mihi obijcias? Dum enim occultare iustitiã partis meæ uis,non referendis ad literam uerbis meis ex illo opere, sed deprauandis ac decurtandis,totam causam excæcasti. Longè post,cum de multis alijs dissipate blaterasti:ad Lactantiũ redis,quasi de eo nihil dixisses,inquiens. Pog. Addit Lactantiũ inter eos,quos uelut ignaros linguę latinæ castiget,qui cũ scripsisset:uenia concedi potest imperitis,& qui se sapientes non fatentur:his uerò non potest,dictionem uerò superuacaneam putans: deinde quale est Lactantij libro primo:Quis mentis emotæ non modo futura prædicere,sed etiam coherentia loqui posset? Dicendum erat ait: sed uel cohærentia, aut uel certe,aut,uel saltem. Quis non hunc bipedalem asellum rideat,qui etiam Lactãtium corrigat? Vnde huic stulto tanta doctrina? tam noua dicendi ars? tam exquisita facultas innata est,ut nouum dicendi morem alijs incognitum introducat? Nesciuit Lactantius latinam linguam,ut in Laurentio Valla opus fuerit emendatore? Lau. Quis ex omni prorsus memoria te stultior Pogi, aut etiam malignior? Nouũ dicendi morem,& alijs incognitũ introduco? quasi nullum ego exemplum ueterum afferam, & sic omnes locutos non dicam? Sed fac me nullum afferre, ut tu calumniaris, cur ipse non econtrario affers, si habes? si non habes, cur me increpas? cur me asellum uocas homo barbarissime? qui mecum de lingua latina uis contendere, bipedalem ponens pro bipedem? Est enim bipes duorũ pedũ, ut apud Iuuenalem: Atq; alium bipedem sibi quęrat asellum.

Bipedalis uerò longitudine duorum pedum,ut pedalis unius pedis,& sesquipedalis unius & dimidiati pedis longitudine,ut apud Horatiũ: Proijcit ampullas,& sesquipedalia uerba. Pog. Resciscere A. Gellius dicit rem inopinatam esse insperatamq; cognoscere. Deprecor quoq; suppliciũ dici. At Valla miror, inquit, de hoc solertissimo uerborum indagatore,& ei in omnibus contradicit. Lau. Semper mea uerba corrumpis, quasi illud opus non extet, & tibi nunquã responsurus essem. Ego Pogi apud A. Gelliũ, de quo cum prefatione honorifica loquutus sum,negaui absolutam horum duorũ uerborũ esse definitionem. Erraui? Tuum fuit errorem meum ostendere, non autem id solum significare,nec A. Gellium posse errare,nec Laurentiũ posse rectè sentire. Nam cum ego & rationes ubiq; afferam,& autoritates,putas tibi nihil in contrariũ afferenti,auditores ac iudices assensuros? & non potius te tum imperitũ, tum calumniatorẽ arbitraturos? Pog. Boëtiũ insuper in numerum imperitorũ adscribit, inquiens: In quod uitium incidit Boëtius libro primo in Ciceronis Topica:si non confuse

tio me sensisse? Sed hoc consuetæ calūniæ tuæ, illud ignorantiæ, quòd putas Albertū loquutū esse eleganter, aut hanc differentiā scisse, quam, haud scio, an aut recētium Aristotelis interpretum quia Græci pro duobus suadeo & persuadeo unum habent πείθω, aut aliquot iam seculis scriptorum aliquis nouerit, quod tu certe nō noras, homo indisertus, & indisertorum patronus, & quod turpius est, disertorum oppugnator. Nam & ego disertus sum, et disertissimorum contra te utor exemplis pariter, & rationibus, quorum causa communis mecum est, ut in eo uno, quod restat. Ais enim, Pog. Iustinianū, dicit, & reliquos male sensisse, cum testamentum scripserunt, esse quasi mentis testationem. Lau. Quos nam reliquos ego male sensisse dico, scelestissime calumniator, qui etiā uerba deprauas? Non enim inquit Iustinianus, siue alius, quisquis fuit (nam Iustinianus ne legit quidem ista, ut opinor) testamentum appellari quasi testationem mentis, sed plane, quod testatio mentis sit, quam ex etymologia definitionem, si primus ego notassem, quid diceres Pogi, cum nunc me accuses sequentem, ut illic testatus sum, A. Gellium, quosdam iurisconsultos ratione cōfutantem? O te libidine detrahēdi cæcum. Superius agebat A. Gellij causam, nūc eum oppugnas. Verum, ne legētes desiderēt, quid in iurisconsultos A. Gellius, & ego in Iustinianum, si Iustinianus fuit, afferā, (nam ipse scis, quippe qui in Elegantijs legisti, quod nūc non cōfutando satis cōprobas) dicam breuiter. Nō magis est mens in testamentum, quàm in armamentum, in salsamentū, in atramentum, in condimentū, in armamentū, in ornamentū, in pauimentū, in tormētum, in alijs plurimis. Hæc Auli Gellij ratio. Ego tanquàm rationis appendicem addidi cum alia, tum hoc: Talia nomina cum suapte natura exeāt in men, ut uelamen, medicamen, spiramen, muninen, accipere tum syllabam in fine, fieriq́ꝫ uelamentum, medicamentum, spiramentum, munimētum, ubi non magis est mens quàm menta, uel mentum. Sed cur non etiam accusasti Pogi, quòd Donati quoq́ꝫ illic etymologiam reprehenderim, negauerimq́ꝫ orationē dici quasi oris rationē, cum dixeris à me reprehendi Donatū. At uide, quantopere reformidem fateri à me reprehendi Donatum, egregiū illum quidem & singularem, sed tamē, ut rumparis, Laurentio non multo doctiorē, etsi uix ei uigilātu lucernā tenere dignus esses, ac ne mihi quidē. Nam te nec pro lucernario meo, nec pro laternario habere uellem. Eius super Terentij Andriam nondū legeram commētum, cum cōposui Elegantias. In eo ait, sepulchrū dictū esse quasi sine pulchro, opinor, uerius dicere cōpositum à se, quod est, seorsum, & pulchrū, quia se in cōpositione longū est. Ideo à sine uoluit componi, quod est breue, quam præpositionē nusquam in cōpositione inueni. Quod si neque sine, neq́ꝫ se pars est huius nominis, certè nec pulchrum pars erit, quod ab illa præpositione pendebat. Erit itaq́ꝫ hoc nomen simplex, &, ut apertè declarat eius significatio, deriuatū à sepelio. Et sicut à simulatū supino fit simulachrum, & à lauatū, quo ueteres utebantur (ut Ouidius: Mane lauaturas illa petebat aquas,) fit lauacrū, & à supino fultū, fulcrū, & à supino mulctū, mulcrū, sic supino, sepultū fit sepulcrum. Defende in hoc tu Donatū Pogi, si uales, qui nunquā ad linguā latinā magis aliquid attulisti, q̄ꝫ Thersites ad eloquentiā Græcā, cuius poena, qua illū Vlysses affecit, te manet, imò iam irrogatᷓ. Nam ego in te Vlysses sum, teq́ꝫ sceptro illo regali uerbero, atq́ꝫ illis uerbis te dignis increpitos

Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς,
ἴσχεο, μηδ' ἔθελ' οἶος ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν.
οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον
ἔμμεναι, ὅσσοι ἅμ' ἀτρείδῃς ὑπὸ ἴλιον ἦλθον.
τῷ, οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις.
καί σφιν ὀνείδεά τε προφέροις νόστόν τε φυλάσσοις.

οὐδέ τί πω σάφα ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα,
ἢ εὖ, ἦε κακῶς νοστήσομεν υἷες ἀχαιῶν.
τῷ, νῦν ἀτρείδῃ ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν
ἧσαι ὀνειδίζων, ὅτι οἱ μάλα πολλὰ διδοῦσιν
ἥρωες δαναοί. σὺ δὲ κερτομέων ἀγορεύεις.
ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται.
εἴ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι ὥς νύ περ ὧδε,
μηκέτ' ἔπειτ' ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη.
μηδ' ἔτι τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλημένος εἴην,
εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,
χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,
αὐτὸν δὲ κλαίοντα, θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω,
πεπληγὼς, ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῇσιν.
ὣς ἄρ' ἔφη. σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον, ἠδὲ καὶ ὤμω πλῆξεν. Et reliqua.

Accipe Pogi praeterea, quod nescio an maius sit, quàm illud Donati, quod in iurisconsultis eiusdem materiae reprehendo, ut intelligas in omni doctrinarũ genere me non tecũ tuiq; similibus, sed cum summis quibusq; contendere, nec Bartulo, Baldo, Accursio, caeterisq; recentibus iurisconsultis, sed ueteribus aequandum. Possessio, inquit Paulus, appellata est, ut Labeo ait, à pedibus, aliâs à sedibus pedum, quasi positio. Haec, cum uenia Labeonis & Pauli, dura sanè est etymologia ac definitio, quia neq; pes neq; positio, reperitur in hoc nomine. Nam πούς Graecum nequaquam ista ratione componitur. Ego ita sentio, ut polluo, ut polluceo, ut polliceor, ut porrigo, ut portendo, ut possum, componitur ex uerbo & particula por, siue pol, siue pos, ita possideo ex hac particula, & uerbo sedeo, cuius supinũ est possessum, unde fit possessio, sicut ab assideo, assessum assessio, à consideo, consessum, consessio. Quae formatio cum sit legitima & aperta, ineptum sit aliam longius atq; operosius accersere. Addam tertium, unde magis mireris, quasi cum A. Gellio audeã non solum de lanitate, sed etiam de grauitate contendere. Ait Gellius: Cum autem uocabulum sit soloecismus, an Attici homines, qui Elegantius locuti sunt, usi eo sint, quaeri solet, sed nos neq; Soloecismum neq; Barbarismum apud Graecorũ idoneos adhuc inuenimus. Nam sicuti βάρβαρον ita σολοίκον dixerũt, nostri quoq; antiquiores soloecon facilè, soloecismum haud scio an unquam dixerint. Quod si ita est, neq; in Graeca neq; in Latina lingua soloecismus probe dicitur. Imò in utraq;, A. Gelli, probissime. Nam & Graecè Aristoteles tum atticus, tum elegãs scriptor, eo utitur in libris elenchorum, & eum ac caeteros imitati sunt, cũ alij, tum Cicero atq; Quintilianus. Satis, ut spero, planum feci: non falsò me quosdam ueterũ ob utilitatem posterorũ reprehendisse in Elegantiarũ libris, pro ut & ipsi in superioribus fecerãt: reprehensuri haec quoq; in quibuscunq; alijs, si ea animaduertissent. Hoc etiam Pogius in his ipsis meis Elegãtiarum libris fecit, sed rectène an secus, dispiciamus: quae est secunda de imperitia quaestio. Vbi si rectè me ille reprehendit, ego, sin secus, ipse iudicetur imperitus. Ita enim me reprehendere incipit. Pog. Quid autem in illo suo perlongo, insulso ridiculo, & tali patrono digno primi libri non prooemio, sed uerborũ & somniorũ congerie continetur? Infinitũ esset errores omnes prosequi. Verũ paucula sumam de multis, leguleũ dixit & architectando. Nunquid habet M. Tullium horum egregiorum uerborum autorem? dixit Romanum imperium ibi esse, ubi Romana lingua dominatur. Quis hoc unquam insolentissima bestia locutus est? Vbi nam audiuit linguam Romanã dominari? dominãtur homines, non lingua. Praeterea lingua Romana est, & ea uulgaris, qua sola utuntur Romani, ut si quibus dominetur, Romanis, ubi est in usu, non alijs dominetur.

dominetur. At linguam latinam dicere uoluit stultissimus barbarus, quæ nemini dominatur, sed in usu est, & in precio apud multos. Et alibi longe etiã post, ut discerptus est in loquẽdo noster accusator, & errabundus: Latine tunc homines loquebantur, non Romane. Lau. Cætera pene infinita in opus meum Pogiana couitia referre supersedeo. Non enim mihi pugna cum conuitijs est, sed cũ argumentis non cum scurrilitatibus, sed cum autoritatibus, non cũ laruis, sed cum armis. hęc feriũt, hæc sternunt, hęc uictoriam tradunt: illa uerò inania sunt, neq; adiuuantia, neq; lædentia. Quanq; uix magis pollent Pogianæ rationes, quàm nugę: ita omnia quæ loquitur, sunt nugatoria: adeò nunquã mihi uideor causam egisse faciliorẽ, nec cum imbecilliore hoste pugnasse. Trãseo quod dixit in illo suo cõgerie: & suo pro eius, nisi suo uerbũ accipit, ut ne quid mali suo suat capiti, & perlongo pro prelongo, & prosequitur, quod nunquã ponitur sine ablatiuo, pro persequitur. Negat apud. M. Tullium reperiri leguleius, quasi aliũ autorem afferam, si in suo iudicio insolentissima bestia. Parebo stomacho eius, qui adeò delicatus est, ut nunquã, quantũ uidetur, libros de Oratore legerit, in quorum primo hæc uerba sunt: Ita & tibi iurisc õsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidã cautus & acutus, præco actionũ, cãtor formularũ, auceps syllabarũ. Idem faciam in architectari, quoniam autores respuit, & Ciceronis testimonio utar. Is ita in secundo de Finibus libro ait: An quòd ita callida, ut optime possit architectari uoluptates. Et in libris ad Herẽnium, Quos, cum quatuor sint, tu sex facis, quosq; superius in manibus tuis tũc fuisse dicebas: & in ea situm loci cuiusdã ad suum usum commodum & arbitrium fabricari & architectari. O te furiosum Pogi, qui uel alios autores pro nullis habes, uel ipsum, quem tanti facere uideri uis, nihili facis Ciceronẽ, cũ eum in meo sermone uituperas.. Siccine fundis hæc uerba insulsa, ridicula, somniculosa? An quæ te insulsum ostendant, ridiculum reddant, etiã à somno, quo ebrius semper opprimeris, excitant? At in lingua romana non me ad unum Ciceronẽ astringas. Igitur aliorũ quoq; testimonia possum repetere, quod prius quàm facio, paucis ad tuas rationes respõdebo. Latinè, inquis, tunc homines loquebãtur, nõ romane. Ita me Pogi solertissime Græci græce, Barbari barbare, Hebræi hebraice, Puteolani puteolane, Cãpani cãpane loquebãtur, Romani romane non loquebantur? Aut nũc romana lingua dicetur, ut ais, qua utũtur Romani, ea nõ dicetur fuisse lingua romana, qua tunc Romani utebãtur? Quid hoc dici absurdius? At, inquies, ea fuit lingua latina, nõ romana, sicut nunc lingua romana non est latina, sed uulgaris, olim non fuit. An fuerit diuersa olim lingua eruditorũ, & ineruditorũ, quam tu quæstionẽ inscientissime tractauisti in libello conuiuali, aliàs disputabimus, certè quæ nunc lingua in usu Romanis est, latina appellãda est, etsi multũ degenerauit ab illa prisca. Nõ enim credibile est, aliam quandã, nescio unde, uenisse linguã, & illam ueterẽ è possessione deiecisse, & in exiliũ relegasse, atq; in insulas deportasse: cum uideamus idem contigisse in lingua grãmatice loquentiũ, quam tu latinã uocas, quæ adeò ab illa ueteri differt, ut uix eam Cicero, si à mortuis redeat, queat intelligere. Est itaq;, & olim fuit Romana lingua latina, et Latina romana, nisi dicimus latinam, ut genus: romanã, ut speciem. Ita romana utiq; latina erit, quod quęrimus, latina non protinus & romana, latina quidẽ, quia Latinorũ fuit, unde Romani oriũdi sunt, romana autem, quia propter Romanorũ maiestatẽ propagata est, & dignitatem accepit, & præsertim, quod necessariũ est, linguam ciuitatis ab ipsa ciuitate nomen accipere, ut Florentinã à Florentia, & Senensem à Sena, & Cãpanam à Capua, ita Romanã à Roma. Eoq; Græci, ut ad exempla iam ueniã, nunquam scripsere linguam latinã, sed romanã, & nostros homines dixere romane loqui, non latine, & sic scriptores romanos, non latinos: quale est illud, ut notissimum

locum afferamus, scriptum erat Græce, Hebraice, & Latine, quod est Romane? At cur interpres transtulit latine? Quia nihil intererat utro modo trãsferret: nam & romane transferre poterat, at non transtulit, ut appareat, etsi græce liceat sic dicere, non tamen latine licere. Afferamus igitur Latinorum testimonia. Cicero in Bruto: Voce erudita, & romanis græcisq; auribus digna. Nempe latinis auribus & græcis. Vergil. in Georgicis: Ascræumq; cano romana per oppida carmen. Non romanã potentã sensit, sed latinas urbes. Horatius de arte poëtica: Et data romanis uenia est indigna poëtis. Paucissimi romani poetæ fuerunt, ergo latinos intelligit. Cędite romani scriptores, cædite graij. Hic quoque de poëtis loquens, eos in grecos romanosq; partitur, certè latinos significans, non quirites. Nam nec Vergilius, nec ipse, quẽ laudabat, nec Horatius, nec Ouidius, nec Ennius, nec Plautus, nec Terentius, nec alius quisquã ferè ciuis Romanus fuit, nisi forsitan ciuitate donatus. Lucanus in septimo: Romani maximus autor Tullius eloquij, certè latini. Nam si latine tũc loquentes & nõ romane loquebãtur, non dixisset romani eloquij, sed latini. Seneca: Quid proderit facilitas? ecce id nullo modo latine exprimere possem, propter quod linguæ meæ conuitium fecerim. Magis damnabis angustias romanas, si scieris unã syllabã esse, quã imitari non possum. Cernis, ut eandẽ dicat latinã & romanã, & suam etiam linguam? Quintilianus: Sed hæc diuisio mea ad Grecũ sermonẽ præcipuè pertinet. Nam & maxima ex parte Romanus inde côuersus est. Et de uerbo epirediũ loquẽs, inquit: Nam cũ sit ἐπὶ præpositio græca, reda gallicũ, nec Græcus tamen nec Gallus utitur cõposito, Romani suũ ex utroq; fecerũt. Vides, ut sermo romanus idẽ, qui latinus est? et epirediũ uox romana, quę tamẽ est uox latina? Et iterũ de autoribus loquẽs, inquit: idẽ nobis per Romanos autores ordo ducẽdus est. Itaq; ut apud illos Homerus, sic apud nos Vergilius auspicatissimũ dederit exordiũ. Cur nõ dixit latinos autores? Et Paulò pòst: Terentius Varro, uir Romanorũ eruditissimus, plurimos hic libros & doctissimos cõposuit. Et ibidẽ: Adeò, ut mihi sermo romanus nõ recipere uideatur illã solis cõcessam Atticis uenerẽ. Quis est quæso sermo romanus, uulgaris'ne, ut tuo utar uerbo? At tu negas tunc fuisse uulgarẽ. Tametsi, etiãsi fatereris, nõ nisi de latino loqui Quintilianus est existimãdus. Et aliquãto pòst in eodẽ loco: Supersunt qui de philosophia scripserũt, quo in genere paucissimos adhuc eloquẽtes literę romanę tulerũt. Quænam sunt Pogi literæ romanę? nonne latinę? Ergo lingua romana eadẽ quæ latina. Quod fatetur Macrobius, in eo, quẽ suprà attigi loco, cum inquit: Ne sicubi nos, sub alio ortos cœlo, latinæ linguæ uena nõ adiuuet, ut æqui boniq; cõsulãt, & in meo sermone natiua romani oris elegãtia desyderet. Hieron. super Ioël: Quod Vespasianus et Titus, Romæ templo ædificato, uasa tẽpli, & uniuersa donaria in delubro illius cõsecrarũt, quę græca et romana narrat historia. Boëtius super librũ περὶ ἑρμηνείας cõmento 2. Ergo omne Aristotelis opus, quodcũq; in manus uenerit, in Romanum stilum uertens, eorũ omniũ cõmenta latina oratione perscribam. Quid dicam A. Gelliũ, Diomedem, Donatũ, Seruiũ, Priscianũ, & alios plurimos ita loquutos? Dies me deficiet omnia illorũ exẽpla repetentẽ: quibus uniuersis tu Pogi, qui te facis eorũ patronũ, cõtradicis, cũ mihi contradicere uis. Ego cũ te refello, nõ quidẽ illis patrociniũ præsto, sed ab eis patrociniũ posco. Hactenus de reprehẽsione uerbi. Nunc de reprehẽsione rei. Negas licere dicere, romanã linguã dominari. Si hoc nõ licet, quia homines, nõ lingua dominatur, cur ais lingua romanam dominari Romanis, ubi in usu est? si licet, cur me ita dicẽtem insectaris? Nisi forte lingua romana suis dominari poterit, alienis nõ poterit. Imò suis non potest, sicut nec Romani dominãtur sibi, sed alijs. Nam pro Romanis linguã romanã posui, quantũ ad propaginẽ linguæ romanæ pertinebat, qui tropus est uel

frequentissimus,

frequentissimus, sed tibi, ut cętera bona, ignotissimus, qui putas uenustius dici, ex Britannis, quàm ex Britannia, qui tropus est insolentior. De quo mox dicā, ubi paulum de calumnia tua dixero. Non enim ita abrupte illa uerba dixi, sed quemadmodū Cic. post multa de morte Seruij Sulpitij, qui in itinere ad M. Antonium fuerat defunctus, intulit: Is enim profectò mortē attulit, qui causa mortis fuit: sic ego post illa, & sicut gemma, aureo inclusa anulo, non de ornamento est, sed ornamento, ita noster sermo, accedens aliorum sermoni uernaculo, contulit splendorem, non sustulit, neq; enim armis, aut cruore, aut bellis dominatū adeptus est, sed beneficijs, amore, concordia. Et mox: Amisimus regnum atq; dominatum, tametsi non nostra, sed temporum culpa. Veruntamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyrium, multæq; alię nationes, intuli: Ibi nanque Romanum imperium est, ubicunq; Romana lingua dominatur. De dicendi tropo Cicero in 3. de Oratore tradidit: Ne illa quidem traductio atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, sed in oratione: Africa terribili tremit horrida terra tumultu, pro Afris est sumpta Africa. Et: Desine Roma tuos hostes, testes sunt campi magni: grauis est modus in ornatu orationis, & sæpe sumēdus, ex quo genere hæc sunt: Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro uino, Neptunum pro mari, curiā pro senatu, campum pro comitijs, togam pro pace, arma pro telis, pro bello, & alia plura. Sed multo plura Quintilianus, cuius unum, quòd è Cicerone sumit, exemplum suffecerit: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? * quàm Romana lingua dominatur? quod conuenit cum illo pro Archia: Hæc studia literarū nobiscū pernoctant: peregrinantur, rusticantur. & alia infinita exempla. Sed res cæcis quoq;, ut inquit Plato, clara est. cætera exequamur. Pog. Sed Prisciano, inquit, eruditorum nuperrimo potissimū respondebo. Cur qui de latinę linguæ elegantia scripturum se profitetur, tam inelegans, tam elinguis est, tam barbarus, tam ignarus, omni eruditione carens & elegantia? Nuper, tempus paulo ante præteritū significat. Nuperrimū uerbum, ab eo solo male cōpositum, nō octingentorum amplius annorū tempus significare potest. Sed ubinam belua insana nuperrimū hominem scriptum legit? nunquid apud ueteres, Titum Liuium, Sallustiū, aut Quintilianum, diuitias suas, per casus declinatū comperit? Non dico, quàm inscite, quàm indocte, quàm impudenter, quàm falso sua illa ceruina leuitate se nihil scire demonstrat, cum taliū tantorumq; uirorū autoritatē & doctrinā suę insulsissime postponit opinioni: illud potius quęro, unde, aut à quibus autoribus hęc mōstruosa uerborū portenta sit expiscatus. Lau. Quoniā uerba Pogi semper sententiasq; inuoluis, necesse habeo redigere ad capita, quæ obijcis. Obijcis, quod nuperrimū solus ego cōposuerim, quod cōpositū non est, sed esto dixeris deriuauerim: quòd eius significatione abusus sim, quasi recte quis uti uerbo queat, quo uti non debet, tanquam male formato, quoq; nemo est usus. Accipe, cur recte & deriuatū sit hoc superlatiuū, non à me, sed ab alijs, & à me usurpatum. Priscianus, cuius tu Pogi aduocatus es, imò cuius caput, ut uulgò dicitur, frangis assidue, ita in tertio ait: Nuperrimus etiā superlatiuū proferebant antiquissimi, qui superlatiuus gradus magis ab aduerbio in er desinente uidetur nasci. Nomen enim positiuum in us desinit, ut Capro uidetur, nuperus, cuius accusatiuū Plautus profert in Capt. Recens captum hominem, nuperum, & nouitium. & bene, ut super superus, sic nuperus debet esse. Vides, ut tu ea, quæ à me exigis, Priscianus probat? nuperū recte formari, & hominem significare, idq; non modo

apud ueteres, sed etiam apud ueterrimos reperiri, etiam Quintiliano, Liuio, Salustio uetustiores? quos cur nunc nominaueris, non facta Ciceronis mentione, nescio: nisi dubitas hoc apud illum inueniri, ut ad Herennium, Aut quod ille nuperrime dixerit, id est, ultimo & nouissime. Et postea quæris, unde monstruosa uerborum portenta expiscatus sim. Portentose'ne loquitur Cicero, cum utitur leguleius, architectari, nuperrime? Tu melius, qui monstruosa portenta ais, nō secus, ac si diceres monstruosa monstra, & portentosa portenta. Taceo quòd inquis monstruosa pro monstrosa. At nō de tam longo temporis spatio dici potest nuperrimus. Hoc facit imperitia tua Pogi, qui sentis nuper significare tempus paulo ante præteritum, quam significationem aduerbijs dudum in Elegantijs tradidi, & nuper complecti multa aliquando secula, ut Cicero de diuinatione: Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inuenta est, hac de re communis uita dubitauit. Idem de Amicitia: Neque enim assentior ijs, qui nuper hæc disserere cœperunt, cum corporibus animas interire, atque omnia morte deleri, & alia in ijsdem Elegantijs multa. Ego Priscianum sequutus, sic dixi nuperrimum pro nouissimū siue ultimum, ut Cicero illud suum, & alij nonnulli, quorum exempla iam referre ociosum est. Pog. Verbum præclarum, bonum quandoque significare dicit. Affert testem Ciceronem, quem minime intelligit, O præclarum custodem ouium, ut aiūt, lupum. Non claritas in custode desyderatur, ait, sed probitas. Ergo præclarum pro bono posuit. O præclaram crassamque dementiam. Etiam pueris hoc patet: præclarum, per ironiam dictū, cum contra Marcum Antoniū loqueretur. At ignorantiæ magister in laudē dictum putat. Lau. Ita mihi contingat propitios habere in hac causa iudices, ut neminem illiteratorum, quos noui, reor ita stulte, ita fatue, ita pueriliter fuisse locutum, ut Pogius facit. Ait me putare hoc dictū esse in laudē. In cuius quæso laudem Pogi? lupi'ne, quòd sit uel bonus, uel clarus ouiū custos? Lupum'ne ego pro præclaro ouiū custode puto à Cicerone laudari, à quo scio scriptū: Cum canes fungantur officio luporū, cuinam pecuaria credemus? At, inquis, si per ironiā sentio esse dictū, cōtra me esse loquor. Quoniā id modo probas Pogi pueris puerilior? ut semper, quod alijs obijcis, in teipsum recidat. Nunquid uerba per ironiā dicta, nō idem, quod ironia significant? ut si dicā: O doctū, ô acutum, ô sobriū Pogium, tametsi ego in alium id sensum loquor, Nonne hęc tria adiectiua suū significatum retinent? idem fit in illo Tulliano. Sed quia non de claritate tunc agebatur, quę nec in lupum cadit, nec in pastore desyderatur, sed de bonitate, dixi, perinde dictum esse: ô præclarū custodem, ac si dictū esset per ironiā: ô bonum custodem. Vides ut ironia nihil immutat? Ergo quare Cicero dixit, ô præclarum: & non, ô bonū custodem? Nempe quia idem hęc duo significant, hoc est, quod ego admonere uolui, præclarū accipi pro bono, quod tu pręclarus emēdator uituperandū duxisti, ut nō quærat, quemadmodū Cicero inquit, quem appellet ineptum qui Pogiū cognouerit. Pog. Principiū prooemij libri Elegantiarū quinti ampullosum est, & uanitate plenū. Tertius mihi, ait, & propè quartus annus agitur peregrinanti semper, & per omnia maria uolitāti, proxima etiā æstate, & quidem totam militiam experto. Quod utrū honestiore, an magis necessaria causa fecerim, nescio. At ego scio te necessitate coactū, Regē Arragonū edēdi necessitate sequutū fuisse. Lau. Ais ampullosum principiū esse, & uanitate plenū, in quo de necessitate mea cōfiteor. Ille ampullose & gloriose loquitur, qui se iactat, qui non se peregrinari, nauigare, militiā experiri coactū fuisse narrat. Nam coactū me potius, quàm honesta causa ductū, tu, etsi nescis, affirmas. & te scire ais, me secutū esse Regē Arragonū necessitate edendi. Quid tu Papā tandiu secutus es? certe necessitate potandi. Et quod Samaritana

petijt à

petijt à Christo, & forsitan impetrauit, id tu ab eius uicario priuilegium, ut aiũt, impetrasti, ne unquam sitires, ut ebrij solent, hoc tamen impetrare non dico non potuisti, sed noluisti, ne unquam temulentus esses: sed reddamus cætera tua uerba. Pog. Quamuis quis barbarus sic loquitur, ut tertius & propè quartus annus agitur, dicat? quod est ænigma? ferè, non propè dicendum fuit. Quo est enim modo annus quartus propè tertium, loco'ne, an tempore? si tempore, exprime illud, qua sit propinquitate. Lau. Vere ænigma, loquor uocabula noua, dura, obsoleta, dic quæso per Herculem, modo per Liberum, propè quid sit? num intelligis tanquã ænigma? si hoc est ita, quid illud exponis, quasi intelligas, cũ percontaris qua propinquitate annus quartus est propè tertiũ? Atq;, ut ad interrogata respondeam, ea propinquitate est quartus annus prope tertium, qua tertius prope quartum: hoc tu dubitas temulente? hoc tibi quærendum putas, quomodo sit tertius propè quartum? hunc sermonem in me reprehendis? O cucurbitarum cerebrum, quæris de tempore, an aliud sit alij uicinum loco an tempore? Quomodo potest propinquitas loci aut longinquitas cadere in tempus, quæ diuersa statuit Aristoteles prædicamenta? Etiã de tẽpore interrogasse stultissimũ puto, an tempus tempori uicinũ sit tẽpore, sed quanto spatio tẽporis. Sed nunquid Aristoteles idem sic disputare te docuit, ut duabus propositis partibus, unã, & quidem priorẽ, omittas? loco'ne, inquis, an tempore? cur mox de loco nihil loqueris, sed tantũ de tempore? Sed quid plura de ineptia tua? Vt autem de re breuiter respondeam, sic illud dixi, ut dicerem: Pogius est septuagenarius & propè octogenarius: Pogius solidũ propè annũ consumpsit in fabricanda inuectiua: Pogius est propè decrepitus: Pogius est propè demens: Pogius est prope singulari stultitia: qualia sunt infinita exempla, et omnibus, nisi uni Pogio, nota. Subdidit quoq;, Pog. Nam per maria uolitanti, quis unquã uolitare per maria se dixit? nisi Dædali more alis sumptis p tot maria uolitauit? Rectius cerebrum suũ ex plumis confectum dixisset per maria uolitasse. Lau. Ego Pogi alas habeo, quales uel Mercurius, uel Perseus ferẽ habuisse. Tu in brachijs, quas hircinas uocant (nam hircus es) & illis Dædaleis maiores, & iam albis plumis similes. Vetule caper, quando latinam linguam disces? uolitare etiã de non uolantibus dici, idq; frequentius, ut docet Cic. in primo de Oratore: Nam uolitare in foro, hærere in iure, atq; prætorũ tribunalibus. Et Quintilianus: Me per omnia maria uolitantẽ, ut plus filio relinquerem, circũuenit sęuius ipso mari latrocinium, & alij complures autores, quorum cerebrũ ex plumis confectũ esse uis Pogi, illorum causæ defensor. Ostendi tibi, quis dixerit hominem uolitare per maria. Nam Dædalus, sicut uolucres, non per maria, ut tu uolucris dicis, sed supra maria uolitauit. Tu mihi ostende, quis unquam dixerit: strabitur, ut tu, qui ais. Pog. Non tapetibus, sed pellibus strabitur hircinis. Lau. Et postea miraris te reprehendi à pueris? Ego ne coronam lauream quidem dicerem, cum laurea sit substantiuũ. Nam cum ais laureã coronam, laurinã intelligebas. Illud quoq; uelim ostendas, ubi repereris. Pog. Cum his nymphę syluestres, & maris accolæ, monstra ingentia, honorem sui generis homini impertientur. Lau. Accola enim dicitur, qui iuxta locũ colit, nõ qui in loco. Et impertior deponens apud quos ueterum inuenisti? Nunquid Sallustium, Liuium, Quintilianum, Ciceronem? Nam illud iam aliquoties reprehendi. Pog. Scio hæc plurimum sibi displicebunt. Lau. Quod si pro ei. Illud quoq; nõ minus turpe est. Pog. Hac illac circunferens. Lau. Pro huc, illuc, quod quiuis puer reprehenderet, nedum ille, ut in ea ætate, satis excultus. Verum iam ad extremũ nolo hæc à me neq; superiora in Pogio esse reprehensa. Quinimo laudo Pogiũ, & si mihi inimicissimũ, tamen doctissimũ, eruditissimũ, facundissimũ prædico. Nam

alioqui

alioqui quę laus foret, si tanquã Scipio Siphacẽ non Hannibalẽ deuicissem? Est igitur, cũ quo pugnaui, Pogius, uelut Hãnibal, aut Pyrrhus qui bellũ Romano populo intulit. Hic tamẽ tam strenuus, tam fortis, ut sic dicã, eloquentię impera tor, nihil unquam mearũ copiarũ profligauit, cœpit, fugauit. Hæc enim sunt omnino, quæ obijcienda operi meo putauit, quæ frustra obiecit, quę etiam, ut opinor, obiecisse iam pœnitet. O igitur opus ipsum præclarum, ô libros omniũ lectione dignos, ô aurea Laurentij præcepta, quę in ardentissima fornace Pogiana, nihil tamen damni fecerunt. Quantũ ego debeo Pogio meo? non possum non gratias agere, quamuis ille nõ facile patitur, ut me sibi debere pradicem, doletq; iactare beneficium suũ, & hanc quasi inanem gloriam respuit. Ego tamen officio meo fungar, & cui debeo, me debere confitebor. Pace uestra dixerim, amici mei, etsi præstantissimi uiri, plus uni Pogio debeo, quàm uobis uniuersis. Quippe de opere meo melius, q̃ uos, meritus est, quoquo id animo fecit. Vos enim, cũ libros meos laudatis, non magis iudicio, quàm amore, humanitate, studio, obsequio, gratificandi deniq; gratia laudare uidemini. At cũ quis odio, inuidia, æmulatione, nocendi auiditate, ut nunc Pogius, reprehendere nititur, captat, & laborat, quamlibet ueluti corporis partem ferire non potest. Quæ tandem maior laus desyderatur? Laudat enim & maxime laudat, qui uituperandi cupidissimus, uituperare non potest.

# LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI ATQVE DE lingua Latina bene meriti Antidoti in Pogium ad Nicolaum quintum Pontificem Max. Lib. III.

PRofligauimus iam Pogianas quinq; legiones cum ipso Pogio latronũ ac barbarorũ duce, tres quidem sub signis calumniæ, duas autẽ sub imperitię uexillis. Superest sextũ, quod in nostra partitione promisimus, ut de superato captoq; hoste triumphemus. Verum quoniam hic ante pugnam in suis castris tanquã de me uicto triumphauit, siue me, quasi uere triumphaturus nõ essem, per ludibrium fecit triumphantem, referam, qualis ille Pogianus triumphus fuerit: cuius ex cõparatione fiat illustrior Laurentianus, ut nemo nõ iudicaturus sit, illum triumphũ Pogianum ipso autore & machinatore dignũ: Cuius species hæc est, quemadmodum ab eo describitur. Pog. Itaque, ut Florentini solent in festis suis aliquando curru triumphali insanos uehere, quod est iocundissimum spectaculum, ita nos isti triumphum decernamus, tanquam doctorum omnium uictori, ob omneis gentes ingenij acumine superatas. Currus itaque erit non ex ebore (nam id quidem uulgare uidetur) sed ex Gigantum ossibus compactus, ut homo immanis immaniũ corporum robore uehatur: nõ tapetibus, sed pellibus strabitur hircinis triumphantis naturam redolentibus: ipse astans, alteraq; manu sphingẽ, altera phœnicem gestans, hallucinnãti persimilis, oculosq; fanaticos hac illac circunferens: coronã gestabit in capite ex folijs lauri coctis, lucanicis immixtis, ut aliquo suaui odore nauseantis comitũ fastidio mens fessa reficiatur. Corui in spõda currus uoce illa perblãda nouello philosopho alludent, noctuę ac bubones circũaduolabunt. Lau. Et alia huiuscemodi, ad centũ fermè uersus, quę, ne operi meo ueluti sordes aspergant, ne'ue grauiũ ac proborum hominũ aures offendant, non omnia mihi subijcienda duco. Pogiũ ista decent, qui librũ de spurcitijs scripsit. Ego ab obscœnis nõ modo

linguam continere, sed etiam aures oculosq́ auertere cõsueui. Si quis tamen cætera discere uult, apud illum potius legat, quem nihil fœdum nec dicere, nec audire, quem nihil, nec uidere, nec scribere, quem nihil nec agere, nec pati pudet. Nam etiam in his obscœnitatibus facundum se ad extremũ fuisse gloriatur, inquiens, Pog. Credo ijs, qui legent, non barbare, sed satis latine, satis aperte, satis facunde putabũt à me eius ignorantiã, amentiã, insaniã, procacitatem, temeritatẽ, proteruiam esse descriptã. Lau. Satis latine Pogi, fateor, qui datiuũ pro nominatiuo posuisti: siue uerbũ putabunt pro uerbo uidebitur. Pog. Quod si hæc illi parum belle à me compacta uidebuntur, afferam alia in alio dicendi genere, & longiori forsitan oratione aliũ decernemus triumphum, ut ampliorem illi reprehendendi nos materiã præbeamus. Lau. Et alia multa, quibus si quid tibi respõdero, scripturũ minitaris, & à respõdendo deterres. Sed cur quæso Pogi minitaris mihi? Elaborasti ut latine, ut eleganter, ut facunde scriberes, ne quã mihi præberes ad te reprehendendũ ansam, & tanquã hoc consecutus sis, de mẽ triumphasti: me captiuũ alligatumq́ per ora populorum deduxisti. Quid ergo nunc opus est minis atq; minatijs, ut Plautus ait: Turpe est uictori uicto irasci, et minari ac metum ostendere, timoris est signum: Generosus animus & suæ sibi uirtutis conscius, non uerbis absterret hostem, non se magna facturum iactat. Canis, cum latrat, non satis se audere significat. Itaq; cum me à respondendo tibi Pogi deterres, non mihi, sed tibi ipsi consulere uideris, & de tuo solius periculo esse solicitus. Sed quid faciã Pogi? an mihi denegare triumphũ potes post uictoriam, qui ipse ante conspectum hostem triumphasti? Tecum pugnaui, te uici, te cepi, quid, nisi ut de tanta uictoria triumphum deportem, superest? An te ne captum in triumpho ducam, obsecras? quod Persarum rex ab Aemylio Paulo obsecrauit. Tribuerem tibi istud, nisi rebellaturum ostenderes, & te mihi immanem, sæuum, barbarumq́ hostem præbuisses. Triumphabo igitur de te, cui tuipse per insaniam triumphũ cõminatus es. Nec mihi integrũ est ab hac re supersedere, cum senatui populoq́ Romano pollicitus sim, omnes me captiuos illis in media urbe repræsentaturũ: id est: iudicibus, quę nam in te reprehendissem, si reprehensor fuissem, demonstraturũ. Distinguam autem hunc honorem meum in ostentationem ducis captiui, & captiuos cæteros. Ostentatio captiui ducis sit: demonstrare eum breuiter ab omni eloquentia alienum, qualem Leonardus Aretinus describere solebat, cum diceret: Pogio ligonem aptiorem esse, quàm calamum. Non quæram longius documenta infantię Pogianæ, ne è multis opportunissimum reprehensioni locum desumpsisse uidear. Ex ipso statim Inuectiuę principio, etsi alia sunt multo aptiora loca, hoc licet planum manifestúq; faciamus. Sic enim incipit. Pog. Si quibus in rebus honestũ est, cõsensuq; omniũ permissum, iniuriã propulsare, in his maxime pudentis hominis officiũ esse debet, ut contumeliã depellat, in quibus honoris & existimationis laus, aut ingenij fama à maleuolis in discrimen adduci uideatur. Consciũ enim eorũ, quæ obijciuntur, se facere existimatur, qui taciturnitate utitur pro defensione, quoniam censetur quasi conscientia ductus, non esse ausus improborum maledicentiæ respondere. Lau. In his pauculis uersiculis tot uitia? Omitto quòd hexametri initio orsus est, & quidem tam insigni, quod uetatur, quocq; accommodatius erat: in his certe, uel in his profecto, quàm in his maxime. Primum dixit, esse debet, pro est, aut pro uideri debet. Non enim nunc præcepta dantur boni uiri, qualis debeat esse, sed qualis sit. Deinde, totũ id superuacaneũ est: pudentis officium hominis esse debet. Nam quid attinet ista dicere, ubi dixeris: si quibus in rebus honestum est? an non honestum, cum dicis, pudentis hominis officiũ complecteris? quid nunc uariare uerba oportuit, et mutare illud propulsare in

sare in depellere? & iniuriam in contumeliam? & cum dixeris contumeliam, tot uerba inculcare, cõtumeliam declarantia: in quibus honoris, & cætera? Deinde cur per distributiuã dictũ est illud: aut ingenij fama: quasi ingenij fama nõ pertineat ad existimationem, & aliud sit fama, quàm existimatio? Deinde, quid est existimationis laus? nónne cũ quis dicitur esse magnę existimationis, id dicitur, quòd magnę famæ sit, ac magnę laudis? absurdũ igitur est dicere: honoris & existimationis laus. Deinde, quòd illę ipsę res in quibus ais discrimen uersari honoris, existimationis, laudis, ingenij, famæ, nihil aliud sunt, quàm hæc ipsa, honor, & reliqua, ut nequeant in se ipsis adduci in discrimen. Deinde quòd illud, à maleuolis, redundat: nã nisi à maleuolis alicuius existimatio in periculũ adducatur, profecto nõ est iniuria. Deinde: quòd pro adducitur dixit: adduci uideatur: minus peccaturus, si dixisset, uidetur. Nunc & superflue id uerbũ addidit, &, ut amplior sonus foret, extendit: more istorũ, quos Quintil. deridet: arbitrantes se loqui Tulliane, si in clausula hoc posuissent: esse uideatur. Nec intelligit sua se loquendi ambitione finem hexametri, & penè totũ hexametrũ admisisse. Quę uitia ideò noster Pogius incurrit, imò accersit (nã * in illo maius est, id est, mala affectatio) quòd laborat ea ambitione, quã notat Quintil. cum inquit: Est etiam in quibusdam turba inaniũ uerborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circũeunt omnia copiosa loquacitate, quę dicere uolunt. Nam nisi hęc Pogiũ peruertisset ambitio, sic dixisset: si quando honestũ est consensuq́ue omniũ permissum, iniuriã propulsare, tunc certe honestum permissumq́ue est, cum honor & existimatio in discrimen adducitur. Non minus insigne est hoc uitiũ in eo, quod sequitur. Nã pro oratione propositionis, ipsam propositionem repetit, uerbis tantũ mutatis. Ibi nanque posuit enim, hic, quoniã, ibi existimatur: hic censetur: ibi conscium se facere, hic quasi conscientia ductus: ibi taciturnitate utitur pro defensione, hic non est ausus respondere: ibi eorum quæ obijciuntur, hic improborum maledicentię. Totus est talis Pogius, ut eius propè plura sint errata, quàm uerba. Quanquam hic uitium repetendi, & sententias ac uerba eodem tendentia inculcandi, apud indoctos peperit ei aliquid famæ facile dicendi, quę potius est negligentia, supinitas, imperitia dicendi, atque, ut dixi, mala affectatio. Ostendi latronum ducem, nunc ipsos latrones, quos in prælio habuit, quosq́ue in suis, quas expugnauimus, urbibus collocauerat, sub ferro deinde cepisse ostendamus.

## IN LIBRO PRIMO EPISTOLArum Pogij.

Pog. Post uerba quę primo cõgressu cõmuniter haberi solent. Lau. Communiter, accipis more barbare loquentium, pro ferè, de quo dixi in Elegantijs. Nam cõmuniter pariter dicimus, ut cõmuniter in hanc rẽ concurrerunt. Pog. Qui admodũ soliciti atque intẽti existũt. Lau. Soliciti pro diligẽtes accipis, & existunt pro sunt, quod uerbũ nunquã participio iungitur significat apparere potius, & extare, ut in Elegant. Pog. Si quæris quid agã, statur. Lau. Male Terentium es imitatus qui ait: quid agitur? Quisque istud tuum dixisset: quid agam? sto. quanquã statur, barbare accipis, pro nihil agitur. Pog. Conduxi domunculam penes flumen. Lau. Penes flumen pro iuxta, aut prope, aut secundum, aut secus, ut quidã utuntur, ubi reperisti? Pog. Melones * atque intermedio emendos censebat. Lau. Intermedius, in Cic. Oratore duntaxat, quantũ memini, legi, & haud scio an sit emendate scriptum: sed ibi adiectiuum est, nam uerba hæc sunt: Est autẽ quidã interiectus intermedius, et quasi tẽperatus, hic apud te substantiuũ. Pog. Nulla hic audio noua. Lau. Pro nihil noui, dicis nulla noua

noua uidelicet: accipis nouũ pro nuncium, ut uulgus ineruditum. Pog. Nescio quod castellum secessionẽ parat. Lau. Defectionem siue rebellionẽ dicere debebas. Secessit olim plebs Romana à patribus, dicimus: et quę sunt id genus, non autem: secessit castellum aut urbs. Pog. Deinde sociassem te usq; ad montẽ qui imminet urbi, tuũ postremo obtulissem tibi Pogiũ. Lau. Sociassem dixisti, p deduxissem, siue comitatus essem, & postremo superuacue. Pog. Sed credidi te rediturũ ad Curiam, quod posteaquàm factũ non est. Lau. Cur tam sæpe ponis posteaq; pro quoniã? Pog. Non solicitante me eam rem cœpisti. Et iterũ: putabã te quoq; post discessum tuũ, absq; ulla solicitatione mea, quod cœperas perfecisse. Lau. Solicitare millies aliter ponis, q̃ docti cõsueuerunt. Pog. Scripsissem ad te olim, sed expectaui in diẽ à te literas. Lau. In diẽ ponis pro propediẽ, quæ in Elegantijs traditur differentia. Pog. Vir ingenij minime opulentis. Lau. Opulenti aut tu scribere debuisti, aut librarius. Pog. Scripsi dudum postquàm redij ad Curiam ex Britannis. Lau. Dudum uix ultra horam tempus significat, ut dixi in Elegantijs. Pog. Vt plurimum. Lau. Cur tam frequenter uteris, ut plurimũ: quod nusquã apud Ciceronẽ reperisti? Perpendo pro intelligo non recte cum uulgo accipis: cum significet ponderare & æstimare, ut in Elegantijs tradidi. Pog. Nõ quid cęteri faciãt mali, sed, quid boni nostra esset facere, cõsideremus. Lau. Esset posuisti pro interest. Pog. Petrũ de Pisanis admodum diligo: tum propter eius probitatẽ: tũ propter in me obseruantiã. Lau. Vereris dicere propter obseruantiã, ergo dicendũ erat: propter eius, siue, propter suam tum probitatem, tum in me obseruantiam. Pog. Rogauit, ut si quod ad me scripseris, rescribam. Lau. Si quod, pro si quid. Pog. At ipse nedum orationes remisit, sed ne uerbũ quidem respondit ullum. Lau. Dicendum erat: At ipse non modo orationes non remisit, sed, &c. nam nedum semper in secundo mẽbro habet locum, quemadmodũ in Elegantijs docui: quale esset: At ipse nullũ uerbũ respõdit, nedũ orationes nõ remisit. Ex quo constat unã quoq; à Pogio omissam negationẽ. Pog. Ipse modicũ expendit in nutrice talis. Lau. Expendit, pro impendit positum est. Et, talis pro illius. Pog. Non enim recolo, sed nihil deuians à ueritate. Lau. Est ne hic recolo pro recordor, an, ut Cicero ait? apud quem dic ubi reperisti, deuians? Pog. Quod si me credere sibi debuisse putas, uehementer erras, ne culpam omnem in me refellas. Lau. Sibi pro eius positũ est. Refellere est cõfutare & redarguere: hic autem quomodo accipiatur, nescio. Pog. Literas quas dicis dudũ ad me scripsisse, si unquam habuissem, respondissem profecto. Lau. Dudum pro nuper positum est, & habuissem pro accepissem. Insuper deest, ad te: ut esset, scripsissem ad te. Pog. Vt percipiam ex eis quam cupio iocunditatem. Lau. Non percipitur iocunditas, sed uoluptas, lætitia, gaudium, delectatio. At tu putas idem ista significare quod iocunditatem, cum multum differant. Neq; enim iocũdus homo est qui delectatur, lætatur, gaudet, uoluptate fruitur, sed qui causa est alteri, ut ille gaudeat, & literę iocundæ dicuntur, quæ non gaudent, & oratio iocunda, & aspectus non solum amici si lætus sit, sed interdum inimici iocundus est, si is tristis fuerit. Itaq; iocunditas inest ipsi rei, ex qua nos capimus uoluptatem. Pog. Cuius negligentia atque incultus nobis luendus est. Lau. Incultus substantiuum ubi reperitur? Pog. Dic te executorem testamenti Iob, & postula partem suam, quæ pro illius anima dedatur. Postridie tuos quoque octo grossos potiti sumus. Lau. Miror adolescentem nõ annotasse hoc: potiti tuos octo grossos. Nam dedatur pro detur nescio, an sciat male poni. Suam quoq; pro eius non uidit. An uero ad executorẽ testamenti spectet, an ad hæredẽ, postulare quæ sunt hæreditatis, ipse uideris. Pog. Illius uerò dissidij

satis recte causam prospexi ex primis literis, quas olim recepi à Nicolao. Lau. Nihil putas differre inter perspexi & prospexi, cum illud penitus & perfecte aspexi: hoc autem, longe & ante: tum si Ciceronem sequeris, qui nunquam dixit, recepi literas, cur ipse sic scribis, & non potius, accepi literas? Pog. Ab homine tibi amantissimo. Lau. Mallem dicere tui. Pog. Recommenda me domino. Lau. Pro commenda crebro ais, recommenda me, quod non inuenitur. Pog. Scribendi cõsuetudinẽ iamdudũ intermissam. Lau. Consule Ciceronem: & scies iamdudum uix unã duas'ue horas transcendere. Pog. Vellem similes mihi homines indiem dari. Lau. Indiem pro indies siue quotidie, usurpas. Pog. Cum essem pridie in Cancellaria, accessit ad me Antonius Luscus. Lau. Nega nunc te, quid pridie significet, ignorare, qui ab eo narrare incipias. Posuisti igitur pridie pro nuper, quod nemo nisi barbarus fecit. Pog. Magnum est obsistere uitijs, quę indiem magis subeunt. Lau. Nemo sic est usus indiem, ut tu. Pog. Multi tamen, tuq; in primis, opinantur me diuitem. Lau. Dicendum fuit: multi tamen, tuq; in primis opinaris, siue multi tamen, quorum tu in primis, opinantur. Pog. Hæc tibi doctus atq; indoctus dicet bonus in simul ac mali. Lau. Vbi reperisti: in simul, doce. Pog. Verũ nõ ediscuntur hic uitia, sed quandoq; exercentur. Lau. Discũtur, dicendũ fuit. Nam ediscere est memoriter aliquid scriptũ dictum'ue cõplecti. Pog. Ex quo Persius finxit nos portare duas manticas ad collũ pendentes. Lau. A collo dicẽdum fuit. Pog. De panno, quod toties iteras, ego iamdudũ pluribus literis scripsi. Lau. Iamdudũ frequentissime abuteris. Pog. Nam cũ reuolues Tragœdias Senecę legendi studio. Lau. Euolues tibi dicendum fuit. Pog. Hęsi paulum à legendo. Lau. Cessaui à legendo dicere debuisti non hæsi. Pog. Et habitauit plurimum apud fontem Sorgę. Lau. Naiades apud aquas, id est, in aquis habitant, non homines. Pog. Econtra. Lau. Hoc ita compositum aduerbium apud Ciceronem non inuenisti. Pog. Vt sit tanquã uiaticum futurę. Lau. Viaticũ uideris accipere pro uia, cum sit pecunia, aut aliquid pecunię instar ad uictũ in itinere faciendo. Pog. Nõnulli philosophiã eatenus attingũt, quatenus magistri accipiant gradũ. Lau. Aut more imperitorum uteris quatenus: aut, si pro in quantum accipis, dure affectaq; posuisti. Pog. Dimitto medicos. Lau. Dimitto pro omitto, siue missos facio, siue transeo. Pog. Ipsimet legũ doctores nõ erubescunt testari in libris suis hanc esse professionem scientię ipsorũ. Lau. Quemadmodũ alibi dicis suę pro eorũ, siue pro ipsorum, ita nunc ecõtrario ipsorũ pro suę. Hæc sunt quę notassem in primo Epistolarũ Pogianarũ lib. si fuissem annotator. Nec in eo solum, sed etiã in sequentibus.

## IN SECVNDO.

Pog. Scio Antoni te hos pro tua uirtute homines abhorrere, me autem non abhorrere solum, sed etiam abhorrescere ab eorum nomine necesse est. Lau. Abhorrere ab hac re dicimus, non hanc rem, ut Cic. Abhorrent à communibus præceptis, id est, alieni ac remoti sunt. Pog. Qui non se prius & uirũ pessimũ confiteatur, & huius criminis peruersi reum. Lau. Contra usum doctorum usurpas reũ. Nam Cic. ita definit. Reos autẽ appello, nõ eos modo, qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur. Pog. At eam tantam esse constat, ut quicquid dixeris, & summa eloquentia leuius quid uideatur, & suo pondere inferius. Lau. Quid pro quiddam accipis, quod docti non faciunt, sed pro aliquid. Decepit te usus malorum interpretum, qui aiunt: Est quid mirũ. Quorum erroris causa est, quòd Aristoteles & cæteri Græci, quos isti transferunt in Latinum, pro quid, pro aliquid, pro quiddam, unũ habent τι, quod est proprie quid.

Vnde

Vnde maximus in nostram dialecticā fluxit error, & in ea, quę uocant. * Hac in re nos & copiā & uarietatem, & proprietatē, & gratiam, & ueritatē maiorem multo habemus, quàm Graeci: quid, ullum, nonnullum, quippiam, quicquam, aliquid, quiddam: & caetera quę in Dialecticis disputaui. Pog. Domitianus Augustus uir malus ad reliqua. Lau. Illud ad reliqua malus, insuetus sermo est, melius futurum sine praepositione, ut Vergilius: At caetera Graius: qui modus loquendi etiā in prosa oratione reperitur. Pog. Quos etiam abhorrebat scelestus imperator. Lau. Nec sensu nec constructione huius uerbi recte es usus. Pog. Ite quātocius ad fauces auerni, excedite à nobis. Lau. Ecce quantocius diuerso ab illo superiori modo, quia unū uerbū tantummodo adest. Ergo illic unū uitiū est, hic eiusdē uocis alterū. Illud quoq; excedite, ego dixissem potius abscedite. Nam excedere est è loco discedere. Homines aūt nunc, loca non sunt. Pog. Vt afferret ad te literas meas. Lau. Nō habet nūc locū affero, sed fero, et perfero. Pog. Cū uidisset principes & satrapas nostros, obūbratus magnitudine cęterorū, oblitus est Pogij. Lau. Parū latine positū est illud obumbratus. Pog. Vt testimonio meo eū excuses, si qui de illo obloquent. Nā pridie mihi rettulit, scriptū esse sibi: dici à quibusdā eū hic manere nescio cuius foeminę causa. Hoc falsum est, nā noui hunc satis recte, & uitā suā. Nō dico nō esse eū amicū, dimona Catherina dicit, sed caute, & ita ut ago. Lau. En pridie, q̄d te melius me scire iactabas, non recte positū. Nam ubi reperisti isto modo usurpatū? ubi item sic usurpatum obloqui? ubi eum pro se? ubi econtrario suam pro eius? ubi amicum pro amatore? Pog. Existimo te habere uolumē quoddā Senecae, quod fuit olim Colucij nostri, communis parentis doctorum hominum. Id si ita est, te rogo maiorem in modū, ut librū ad me mittas, quoad illum faciam transcribi. Lau. Opus, frequēter habet plura uolumina, pluresq; libros. Quo modo igitur potest unū uolumen unus'ue liber plura cōtinere opera? Quid autem ista significent, apud Elegantiarū mearum opus, sex uoluminū siue librorum requirito. Olim quoq; barbare positū est, quis enim sic dixit? Martia olim Catonis, hoc est, iam defuncti Catonis. Illud etiā indiligentis scriptoris est: mittas transcripsero, pro eo quod est, quē tenebo, quoad transcripsero. Nam transcribi faciā, parū nitidū est. Pog. Sed uel sunt nulla, uel ita mendosa, ut nedum intelligi, sed ne legi quidē Latine possint. Lau. Prępostere dictū est, nā sic erat dicendum: ita mendosa, ut legi latine non possint, nedū intelligi. Pog. Si singulatim citentur coram aequo iudice, uel pudore sileant rei causa, qui eos in causam suā adduxerit. Lau. Singulatim nō dicitur, sed sigillatim, quod nec ipsum esset hoc loco idoneū. Itē corā iudice citari, rusticanus sermo est: quasi nō ad iudicē citetur, sed iudice spectante. Etiā, in causam suā pro causa sua. Eos quoq; pro se dictū est. Vides quāta est mūditia, ac uerē elegātia supellectilis linguę latinę. Pog. Lege uitā suam, lege mores, lege aemulos atq; obtrectatores eius. Lau. Quid ita de uno eodemq; loquens, tam cōiunctis uerbis ais, uitā suā, & aemulos eius? quorū alterū certe male posuisti. Sed mox utrunq;, dū inquis. Pog. Brutū si quis roget sententiā suam, uereor ne sibi à te grandem iniuriā fieri clamet, qui eum inter actores ponas. Lau. Cū dicere deberes, sententiā eius: aut certe id totum superuacuū est: sententiā suam uel eius, & qui se inter actores ponas. Pog. Non ideo sunt laudādi, quia instar aliorū scripsere. Inuenies perplures luxuriosos. Lau. Instar, male usurpas, pro ad similitudinē, et perplures, pro complures. Nā perplures, nō inueniuntur. Pog. Vt scilicet deinceps grauiora quaedā mediteris. Lau. Grauiora aliqua dicere maluissem. Pog. Librarius meus iamdudū à scribendo uacat, negligentia Cosmi ut opinor. Lau. Iampridē, nō iādudū, dicendū fuit. Pog. Neq; cōfidis in uerbis Cosmi. Lau. Redūdat praepositio.

V

Latini quae in re copia abundant ores Graecis.

Malus ad reliqua, insolita oro

Reliqua caetera.

obloqui.

Amicus pro Amatore.

sigillatim

dudum.

pridem.

Penes &
iuxta

positio. Pog. Scripsisti ad me dudũ in quadã epistola. Lau. Dudũ pro nuper est positũ. Pog. Rogauit me pridẽ Cardinalis S. Marcelli, an mihi esset satisfactũ de Bulla fauentina, cum portionẽ suam misisses. Lau. Pridem pro nuper posuit, & suã pro eius quanquã hoc millies. Pog. Vtri sint digniori gradu ponendi penes pontificẽ. Lau. Pro iuxta nũc nõ recte. Pog. Mihi aũt quantocius respõde. Lau. Quantocius iam reprehendi. Pog. Posteaquàm recessisti à nobis, nihil de te intellexi. Lau. Intellexi, p audiui, nemo dixit eruditus. Pog. Quibus te satis abunde excusas. Lau. Satis abundeq́ dicimus, siue satis abũdanter, nõ, satis abunde, ut tu sæpe usurpas. Pog. Et cum rursus in publicum prodiret, atq; eadẽ sibi narrarentur, inquit: uxor mea testata est hoc falso in eã dici. Lau. Eadẽ ipsi narrarentur, dicendũ fuit, & hoc falsò in se aut in ipsam dici. Testata quoq;, pro dixit, male est positũ. Pog. Qui non secus afficior honori & cõmodis tuis, ac meis proprijs. Lau. Afficior tuo honori, quo genere loquendi frequentissime uteris, inelegans sermo est. Illud quoq; meis proprijs, Cicero dixisset meis ipsius. Pog. At postea cum acceperim omnia cõcessa & libera, ueluti Colutius noster habuit, uolui tecũ cõgratulari. Lau. Veluti, pro, sicut, male est positũ, cum alterũ sit imaginis, alterũ similitudinis, ut late in Elegantijs. Tecum uolui congratulari, insuetus sermo est. Consuetus autẽ & perinde latinus: uolui tibi gratulari. Pog. Ambo tamen unũ quid ferè uidentur significare apud doctissimos linguę Latinę autores. Lau. Vnũ quiddam dicũt linguę Latinæ autores, nõ unũ quid. Pog. Memini me recõmendasse tibi D. Ioannẽ de Criuellis. Erat enim tunc cõtrouersia quædã de beneficio suo, quod est in foro Iulij. Nunc uerò cũ super ea iamdudũ compositũ esset, denuo parantur sibi impedimenta. Lau. Recõmendo nõ est latinũ uocabulum. Iamdudũ, & suo, & sibi, latina illa quidẽ, sed non latine posita. Quę si toties à te barbare posita reprehendere uelim, quoties reperio, faciã rem, nõ modo legentibus, sed mihi quoq; scribenti odiosam, ut etiã potissime pro potissimũ, & extimo pro existimo, & ut plurimũ, & permaxime. Pog. Redditæ sunt mihi nudiustertius literæ tuę, optatissimæ illę quidem, & quę abunde mihi satisfecerunt. Ego de reditu in gratiam nõ sum admiratus. Lau. Aiebas me Pogi reprehendere Ciceronem in illo: Qui autẽ in uirtute summũ bonũ ponunt, præclare illi quidẽ, sed hæc ipsa uirtus amicitiam & gignit, & continet. At ego maluissem te Cic. fuisse imitatũ, qui cum exceptione ferè loquitur, quod tu nõ facis, qui non dudũ nostri usum cõiunctionis quidẽ. Pog. Ego tecũ loquens absens per literas, ueluti coram solemus, cũ consilia nostra cõmunicauimus. Lau. Nihil inter ueluti & sicuti differre Pogi putas, & Elegantijs meis detrahis, ubi differentiã hanc doceri potes. Pog. Tempus adhuc extat corrigendi & emendandi. Lau. Etiã inter extat et est, nihil existimas differre, cum extare sit eminere, existere, apparere.

## IN TERTIO.

Pog. Seq́ prosequi uelle iura sua. Lau. Nihil etiã inter prosequi & persequi differre arbitraris, de quorum differentia alibi dixi. Pog. Nouã hæresis sectã moliebatur. Lau. Nunc ediuerso facis, qui pro diuersis accipis sectã & hæresim, inter quę nihil differt, cum alterũ Gręcum sit, alterũ Latinũ. Pog. Vt uelles esse nobis consultor atq; adiutor in causa Angeli de Genararo, ut fiat ciuis, cum ea cõditione, de qua tecum locutus sum. Lau. Consultor nescio an alius ante Sallustium dixit pro eo, qui cõsilium dat, quem nescio an aliquis imitetur, nisi A. Gellius, qui sectator est friuolarum elegantiarum. Etiam sine præpositione maluissem dicere: conditione. Pog. Cum eos paulo exagitarem ad discendam eorum patientiam. Lau. Paulo non nisi comparatiuo applicatur,

ut in

ut in Elegantijs tradidi, à quibus tanquam ab hostilibus libris non uult Pogius discere, cum fas sit ab hoste doceri. Pog. Cum quo est mihi iamdudum ab adolescentia summa uitæ consuetudo. Lau. Iamdudum impropriè positum est, præsertim quũ dicatur ab adolescentia: ergo dixisses eleganter: iam inde ab adolescentia. Pog. Ego dudum rogatus ab Antonio, feci supplicationem iuxta literas tuas pro archipresbyteratu. Lau. Venetias scribis, & ais dudum, quod est unius horę duarum'ue. Pog. Pridem habui literas à te ex Chio duplicatas: ante habueram alias, quibus respondi. Lau. Nihil differentię statuis inter pridem, & iampridem, nuper, dudum, iamdudum, & quædam alia. Quis unquam scripsit: pridem habui literas, pro nuper accepi literas? Ego more ueterum dixissem: nuper siue proxime accepi abs te literas, eodem exemplo, Nam duplicatas literas quid possit significare, non intelligo, nisi complexas, et in morem anguium implicitas. Pog. Licet enim natura ipsa excellentior sit, ijs, quæ instar eius fiunt. Lau. Nunquid sic tu uteris instar, ut Cicero, qui ait: Persuadent enim Mathematici terram in medio mundi positam, ad uniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinere. Vides, ut instar mensuram significat, non ad similitudinem, ut tu accipis? Pog. Cupiebam certe alas mihi dari, ut quantocius memoria possem traijcerem. Tu nihil omittas, quin his rebus suffultus uenias. Lau. In literis, quas ad exemplum imitari uolentibus referendas in libro censuisti, utrum Ciceronem, an uulgus imitaris, ut dicas quantocius, & suffultus pro munitus, siue plenus, siue instructus? Pog. Scias Pistorij permagnam fuisse pestem præterita æstate. Lau. Nescio an in prosa oratione repererim: præterita pro proxima. Pog. Sumas alicunde mutuo sub fide mea: nam præsto erunt tibi sub reditu tuo. Et paulo post: Hos sume pro libito. nam tibi præsto erunt quemadmodum pollicitus est. Lau. Præstò pro prompti, quis nisi indoctus dixit: etiam sub fide mea, nõ ausim dicere, quasi triuiale. Illud: sub reditu tuo, uidetur à triuio uelle recedere, sed à schola magistrorum aberrauit. Dicendum enim erat per accusatiuũ: sub reditum tuũ. Pog. Etenim cum in contrahenda amicitia necesse sit alterius beneficium præcedere, uellem quippe is esse à quo primo initium beneficij prodiret. Lau. Peream si ullum huiusmodi uocabulum, quod uulgus ignorat, tu nosti: quomodo enim barbarius potuit poni: quippe, quod semper causę redditiuum est? primoq́; aut superuacuum est, aut dicendum fuit potius priore. Pog. Maxime uerò impulsus sum nimia quadã cupiditate huiusmodi res potiundi, ambitiosior fortassis ero aut importunior, quàm sit æquum. Lau. Potiundi res, pro rebus, non semel dixisti: ambitiosus quoq; de gloria, non de libris, aut numismatis similibus ue dicitur, importunus etiã apud doctos pro infestus ac molestus, uelut carens portu locus, usurpatur. Pog. Vereor ne succumbat insidijs ultorum, qui ei tendiculas diuersis locis parant. Impedient certe factum propositum suũ cum senserint te aduersum eorum uotis. Lau. Suum pro eius, & eorum pro suis positum est. Subinde admoneo huius peccati, tum ne omnino non peccasse amplius putaretur Pogius, si omnino nihil adderemus, tum quia non solum Pogij reprehendendi causa hæc annotamus, sed etiam docendę iuuentutis. Pog. Tum mores persimiles illi quidem mutua beneuolentia deuinxerunt. Quamobrem semper syncere colui hanc nostram amicitiam auctam in diem. Lau. Ego ut superius testatus sum, maluissem dicere: illi quidem, per exceptionem, ut intelligas te mentiri, cum ais, me tale dicendi genus improbare. In diem semper aucta amicitiam, nusquam legi. Dicimus enim ferè semper, ut dixi in Elegantijs: in diem uiuo. Pog. Existimo te aliorum literis debere fieri certiorem. Lau. Qui scribit, quæ alij imitentur, is se magistrũ uulgi profitetur. Tu autem

scriptor egregie uulgus magistrum habes, cum ais: existimo te debere fieri certiorem: pro eo quod est, existimo te fieri certiorē. Nam quid sibi uult istud: debere? sic enim nunc indocti loquuntur. Pog. Mandamus tibi, quatenus debeas infra decemdium uenire coram nobis. Lau. Quare audes Pogi etiā quatenus pro ut: & infra, pro intra: & decemdium, pro decem dies: & coram nobis, pro ad nos uenire, dicere uulgo autore, siue autoribus quibusdam scriptoribus nihil à uulgo differentibus? Pog. Scripsit tibi nuper præteriti pontificis obitum. Lau. Ego dixissem potius, proximi, uel superioris pontificis obitum. Pog. Ad summum miserię deciderunt. Lau. Ad summum est in altissimum, decidere est deorsum, quę sunt inter se omnino contraria, dixisses tolerabilius, in summum: melius ad imum, optime in imum miserię deciderunt, uel, ad summum miserię peruenerunt, siue deuenerunt. Pog. Ego pacem non solum spero, sed opto. Lau. Qui sperat, etiam optat, quoniam de bono uel optabili spē habemus. Itaque non dicitur isto modo, sed illo: Ego pacem non solum opto, sed spero: uel, ego pacem non solum non spero, sed ne opto quidem. Pog. Qui huic honori tuo ex animo gratulantes. Lau. Gratulari ex animo: nusquam legi, quoniam gratulari, est significare, te gaudere bono alicuius, siue gaudeas siue non gaudeas. Itaque gaudium ad animum pertinet, non gratulatio. Isti quoque honori, potius quàm huic dicendum fuit. nam huic de meo dicitur, isti de tuo, ut in Elegantijs. Pog. Mihi autem, cui neque earū copia superest, & meis rebus contentus sum, haud uaco amplioribus. Lau. Vbi suppositum est illius, sum contentus? Cogita quid tui amici de hac re, Donatus, Seruius, Priscianus, dicturi essent si te audirent. Pog. Magnum quid est, & supra multorum uires esse unū, in quem multi sperent. Lau. Quid, pro quiddam, ut tu uis, non reperitur, sicut superius dixi, sed pro aliquid. Etiam in quo dicendum est, nō in quem. Pog. Vt autē dicere solebat Lucilius, sub sordido palliolo latere quandoq; sapientiam, sic saluberrimum est cogitare sub rubeo equo, & sub stramineo pileo quandoq; stultitiā latere posse. Dignitatis nanq; & amplitudinis, non uirtutū, & fuscus & rubicundus pileus habentur insignia. Lau. Non sub equo & sub pileo recte dicitur, cum super equū, non subter equū sedeamus: nec equū rubeum uidi nisi pictum, nec pileus dicitur rubicundus, sed rubeus siue ruber, quem Cardinales ferunt: nec quem cæteri Prælati fuscus, qui est color inter album & nigrum. Tu tamen accipis fuscum pro nigro, deceptus more loquendi de colore hominis, quē ab albo ualde recedentem, pro fusco nigrum uocamus, cum uere nigri sint Aethiopes. Et apud Vergiliū: Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses. Non enim coloris Aethiopici Menalcam illum fuisse sentiebat, sed fuscum, ut in eodem libro de alio puero. Quid tum, si fuscus Amynthas? & quasi nigrum dixisset non fuscū, subiungit: Et nigrę uiolæ sunt, & uaccinia nigra. Certe non habuit Amynthas colorem uiolarum siue uacciniorum, non enim erat Aethiops. Dicimus itaq; pro fusco nigrum, sed nō econtrario, ut tu facis, pro nigro fuscum. Pog. Sed enim te incensum scientia ad illustrandam hanc tuam dignitatem. Lau. Ad istam tuam, dixisset Cicero. Pog. Existunt autē nōnulli, ignari illi quidē. Lau. Inter existūt & sunt, ut uulgus, nihil existimas interesse, & illi quidē proprie desiderare exceptionem ignoras. Pog. Domino meo singularissimo. Lau. Vbi legisti singularissimum? Pog. Sed in diem meliuscule se habet. Lau. Quę in oculos incurrūt nō uides, millies enim legisti, indies cū comparatiuo, nunquā in diē. Pog. Sed cupiditatem meā superauit pudor quidā rusticanus, uerentē, ne longa admodū cum locorū, tum uero temporum intercapedo ex animo tuo Pogij memoriā omnē excussisset. Lau. Verentis dicendū erat, sic enim dicūt: qui latine loquuntur, quia

tur, quia cupiditatẽ mei, dicere non possumus, sicut late in Elegantijs disputaui? Nõ enim cupiditas mea ueretur, sed ego: ergo uerentis dicendũ fuit. Intercapedinem autẽ pro quolibet interuallo accipimus, in nominatiuo pro illo interuallo, quod nemo magis quàm Pog. nouit, etsi ipsius nomẽ ignorat, quo quasi deformi uocabulo nemo ferè utitur. Pog. Vt si quid offensionis apud te silentiũ meũ contraxit, is pro patrono intercedat penes tuã humanitatẽ, teq; mihi eundem restituat, qui dudum esse consueueras, ut intercessionis officio fungi posse uideatur. Lau. Pro eodem accipis, ut imperiti faciũt, apud te, & penes. Nam quis unquam dixit penes humanitatem tuam? Dudum autem te male utentem iam carpere destiti. Intercedere an ita, ut M. Tullius accipit, pro eo quod est, ad impediendum interuenire: tu accipias, ipse iudicato.

IN QVARTO.

Pog. Impedior nõ solum dolore, sed & lachrymis: referens mentẽ ad eorũ, pro quibus intercedam, iniquã uicem. Lau. Refero mentem ad iniquã uicem tuã. * Pog. Et nisi aliquorũ misericordia eis opituletur, in carcere, in cõpedibus misere pereant licebit. Lau. Quid est licebit? nempe licitum erit atq; permissum, quod quantopere nũc dicere deceat, tuę aures iudicent. Pog. Qui nouiter ad Curiã uenit. Lau. Nouiter nõ puto latinũ, dicunt enim latine loquentes: proxime, nuper, recens, superioribus diebus. Pog. Quę mihi impertitus fueris. Lau. Vbi apud Ciceronẽ Ciceronis'ue similes inuenisti, impertior deponẽs? Pog. Pluries eodẽ deuio prolapsus sum, attamẽ nulla extitere erroris uestigia impressa, ut quia teguntur errata, pro infectis apud homines habeantur. Lau. Apud eosdẽ, quos dixi, ubi legisti pluries? ubi deuiũ substantiue? ubi extitere cum participio? ubi infectũ, nisi pro re, quę cũ speraretur posse confici, inceptaq; est fieri, postea deseritur, tanquam quę fieri nõ possit? Nam tua uerba non sunt similia illis Terentianis: Factum, infectũ. Præterea, nõ uides indecentiam, cum ais: In deuio prolapsus sum. In deuijs aberramus, in lubricis prolabimur? Pog. Qui uilibus indumentis capite ad collũ reflexo paupertatẽ coram profitentur. Lau. Collũ reflectitur magis q̃ caput, quod quomodo reflecti possit magis, quàm tergũ, non uideo. Pog. Et cum uelle in me sit, quod rectũ est, tamen nõ existat perficere. Lau. Ne bis diceres: sit: dixisti existat, quasi hęc duo idem significent, quę non idem significare superius ostendi. Pog. Permagnũ quid altissimo debent. Lau. Idem est istud, quod permagnũ aliquid altissimo debent, quod nemo disertus diceret. Pog. Ego quidem peccaui, quàm potui occultius. Lau. Quàm potui occultissime dicendũ fuit, ut in Elegant. tradidi. Pog. Certus sum te ad id commoueri. Lau. Certũ habeo, ego dixissem: nam certus sum est idem, quod iam decreui, & fixũ est mihi, ut Vergilius: Iam certus eundi Carpebat somnos. Pog. Augeri satagunt proprias uires. Lau. Satagere est eorum, qui in periculo, aut aliqua in anxietate præ se ferunt solicitudinẽ suam, ut qui discurrũt, ne urbes aut castra capiantur. Pog. Vt quisq; enim uir bonus est, ita alios minime improbos suspicatur. Lau. Hinc erat, cur illud Donati, quod tu Terentij mentiebaris esse, reprehendi nolebas, non illius uicẽ, sed tuam dolens, cũ deberes per superlatiuũ loqui, non per positiuũ, sic: ut quisq; uir optimus est, qualia sunt uerba Cic. Pog. Quo uno solo perfectã consequeremur scientiam recte dicendi. Lau. Quid agit illud solo, additũ uno? Pog. Dolendũ quippe erat, sed eo magis nũc est congratulandũ. Lau. Quippe, pro quidẽ, barbare accipis, & congratulandum, pro gaudendũ, quę quid differant, Elegantię meæ te docebũt. Pog. Nam me hercule, nisi nos auxiliũ tulissemus. Lau. Hercules tibi pro auxilio lato auxiliũ ferat, cum descendens ad inferos, ut tulit Theseo. Pog. Modestus quidem ipse erat, & sordidatus, tanquam mor-

tis rei solebant. Lau. Tanquã pro sicut accipis,omnia, quæ sunt confinia, pro cõmunibus habens: Mortis rei,nemo eorum,qui iurauere per Herculem,dixit. Pog. Fortuna quædam fuit cum sua,tum maxime nostra. Lau. Maxime de multis partibus,non de duabus,ut dicendum fuerit: tum uerò nostra. Sua quoque,pro ipsius siue eius, nõ latine est dictũ. Pog. Quo ille reclusus tenebatur. Lau. Vergil. reclusus,pro apertus posuit,cum inquit: Infernas reseret sedes, & regná recludat Pallida. Iustinus tamen ponens reclusus pro clausus, nescio quẽ secutus sit,sicuti in alijs quibusdã dictionibus. Pog. Interrimo & obscuro carcere,fundo scilicet unius turris,quo ne capitalis quidem rei damnati recluderentur. Lau. En iterũ recluderentur pro includerentur. Fundum turris non ausim dicere,ut fundum maris,ut dolij,ut aliorũ similium. Illud unius,nescio quid adiuuet,quasi timeres,ne duarũ turriũ intelligeremus. Sed uidelicet posuisti unius pro cuiusdam: more rusticè loquentium. Ego etiam illud, scilicet: nõ posuissem. Pog. Habes quod tibi ad præsens tribui potest. Lau. Dic quo autore dixeris ad præsens. Pog. Vellem & potuisse librũ transmittere. Lau. Opus duodecim librorũ non rectè librũ uocas, nisi forte pro codice ipso loqueris, quod nũc te sentire non existimandũ est, quia de libris, nõ de codice fecisti superius mentionem,cum dicebas. Pog. Erant enim non in Bibliotheca libri illi,ut eorũ dignitas postulabat,sed interrimo quodam & obscuro carcere. Lau. Etiã transmittere hoc loco parũ mihi probatur,sed mittere. Pog. Tum propter rei grauitatem,tum maxime propter eloquentiã hominis. Lau. Negauit superius locum esse superlatiuo inter duo. Quare dicendũ erat, cum propter rei grauitatẽ, tum uerò,siue,tum uel magis propter hominis eloquentiã. Pog. Nec pro me hæc loquor, qui mortalis existo. Lau. Non dixisset Cic. mortalis existo, sed sum. Pog. Vt primũ ad errores,qui in eum conferebantur responderet. Lau. Quis unquam dixit,cõferri errores in aliquem,& ad errores respondere? ad crimina respondemus,quæ nobis obijciuntur. Pog. Legebantur ex pulpito singula capita accusationis. Lau. Pulpita sunt,qualia olim erãt loca,ubi Histriones agebant Comœdias Tragœdiasq́;,qualis iste locus nõ fuit, suggestum opinor te significare uoluisse. Pog. Nulla in eum nedũ mortis causa inueniri iusta posset,sed ne quidẽ leuissimę offensionis. Lau. Nedum male sic usurpari superius admonui. Nunc reprehendere habeo,ne quidẽ, quę duo nunquã iuncta reperiuntur. Illud quoq; reprehensione dignũ est, ut inconsequens: nulla causa non modo mortis,sed ne offensionis quidem: quasi offensio sit pœnę genus. Pog. Omnia falsa esse dicebat,omnia crimina conficta ab æmulis suis. Lau. Aemulis pro aduersarijs hostibusq́; ponis,ut nunc parum docti solent. Pog. Itaq; si eorũ uerbis fidẽ dabitis,nihil est,quod de mea salute sperandum sit. Lau. Fidem dare,ponis pro fidem habere,cum illud sit cum fide promittere,hoc autẽ credere,ut fideli,ut apud Terentium: grauidaq́; facta fidem dat, sibi uxorẽ fore hanc. Pog. Malorum operum effectores. Lau. Vbi reperisti, apud uetustatem: effectores malorũ operum? Pog. Postea orationẽ prosequebatur orans atq; obtestans, ut eum loqui paterentur, cum se non essent amplius audituri. Lau. Prosequor,pro persequor ponis,ut dixi,quasi ista nihil differãt. Eũ quoq; pro se:timens ne bis sic utereris,cuius rei facile erat remediũ,si dixisses: orans atque obtestans,ut se loqui paterentur,quem non essent amplius audituri. Pog. Trecentum quadraginta diebus. Lau. Cur toties ais trecentum potius quàm trecentis diebus, quod est usitatius? illud uerò penè poëticum. Pog. Vt alterũ Catonem dixisses. Lau. Ego sine particula ut,dixissem, Pog. Sed uereor,ne hæc omnia in pestem suam sibi fuerint à natura concessa. Lau. Ei non sibi,dicendum fuit. Pog. Per concilium hæresis damnatus est,& igni combustus.

Lau.

Lau. Quid attinebat addere igni? an uerebaris ne aqua aut gelu comburi quis possit? Vri, aduri, peruri etiam de uento & de frigore dici potest, non autē comburi. Damnatus etiam quis dicitur à concilio, à senatu, à iudicibus: non per iudices, per senatum, per concilium. Pog. Ligna deinde circumposita pectustenus, non minuscula, sed grossa, paleis interiectis. Lau. Te recte dixisse, pectustenus, Priscianus, cuius patronus es, negaret. Ego nec minuscula pro minuta, nec grossa pro crassa dixissem. Pog. Vidi hunc exitū, singulos actus inspexi, siue perfidia, siue pertinacia id egerit. Lau. Perfidiā, eodem modo accipis, quo illi, qui appellant perfidos Iudæos: cum perfidi sint, qui fidem datā fallant. Pog. Qui nō minus quàm Philelphus, contumeliam abhorrent. Lau. Neq; constructione huius uerbi, neq; significatione recte uteris. Siquidem accipis abhorrere, pro horrere, cum significet alienum esse. ut: à quo fateor nullum ætatis meę tempus abhorruisse: quo Ciceronis exemplo, & significatio & constructio declaratur. Pog. Et accusare me tanquam alicuius erroris aut criminis reum. Lau. Reum, pro sontem accipis, quod docti non faciunt: erroris autem reum, duplex uitium est. Pog. Magnifico domino meo domino Leonello equiti. Lau. Magna, per Castorem & Pollucem equites, ut more tuo iurem, laus est: marchioni addere titulum equitis: cum eques sit, qui aut equo meret, aut Romanus, aut ex ordine equestri, qui debet equo militare. Non enim est dignatio aliqua equitis, ut tu sentis: hoc uocabulo pro dignatione sæpissime utens. Pog. Inter loquendum incidi in eum sermonem. Lau. Nonnē loqui est sermonem facere? quomodo ergo, sermonem faciens, incidis in sermonem? non secus ac si dicas: inter loquendum locutus sum, igitur alia debet esse actio hæc, atq; illa, ut apud Vergilium: Atque inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. Et apud Quintilianum: Bibere autem, aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab oratore meo procul absit. Ideo hæc exempla potissimum affero, quòd Pogio conueniunt qui, ut caper cornibus feriens, cauēdus est, etsi causas oraret, sese cōtinere nō posset, quin potaret, nō tamen aquā. Pog. Sentiat Plutarchus, quid uelit, & Græcos Latinis cōparet, tamen nequaquā illos adeò extollere uerborū magnificētia potest, ut nō excellant nostri inter suos. Lau. Qui sunt nostri? certe Latini, inter suos autem idem est, quod inter nostros, siue, inter Latinos, quo igitur pacto Latini excellere inter Latinos queunt? Illud quoq;: quid uelit, dicendum est, aut quod uelit, aut quicquid uelit. Postquàm hæc scripsi, uenit in mentem, forte Pogiū, ut barbarus est, accipere suos pro Græcis, hoc est, pro ipsius homines. Nā insolentia loquēdi me deceperat, ut appareat, quantopere hoc uitiū deuitandū est. Itaq; si ita est, non illud, quod notaueram, sed alterū uitiū erit. Pog. Quæ nuper intellexeram prodire à Mantua. Lau. Intelligo pro audio frequenter usurpas, nullo nisi uulgo autore. Pog. Est mihi frequens consuetudo. Lau. Plin. in quadā epistola inquit: Est mihi frequēs disputatio, ut ille bene, ita Pogius male. Magna enim siue multa dicitur cōsuetudo, nō frequens. Pog. Nihil est quod magis appetā, in quo magis cōsoler, quàm habere quāplures mihi beneuolentia & charitate cōiunctos. Quamplures, ut superius diximus, nō inuenitur, sed cōplures. Etiā cōsoler absolute positū, ut lætor, & tristor nō inueni. Pog. Ipse est mihi testis, me semper exhortatū esse eum ad honestatē et uirtutē. Lau. Exhortatū se, dicendū fuit. Pog. Recepi pridē à te literas semilaceras, atq; ita corruptas multis in locis, ut uix legi possent, quod accidit culpa portitoris ut puto. Lau. Pridē, pro nuper, siue nudiustertius, nō recte poni iam docui. Recepi literas: cum te Ciceronem imitari profitearis, cur dicis? qui semper, accepi literas, ait: ut in Elegantijs tradidi: apud quem, ne portitorem quidem, pro tabellario,

usquam legisti: si quis autẽ pro tabellario accepit, eum ego sequi nõ ausim. Est enim portitor, qui portus est custos, & portitoriũ exigit. Nescio an te & aliquos deceperit, quod apud Terent. legitur: Quod literę latæ sunt ad portitorẽ: quasi ille, qui dicitur portitor, portauerit literas, quod nequaquã ita est, sed portator. Pog. Qui ne minimis quidem labijs aliquam partem nunquàm attigit philosophię. Lau. Nunquã, pro unquã, est positũ, quod recte positum esset, si hinc incepisset oratio: Qui nunquã aliquã partẽ philosophię, ne primis quidẽ labijs attigit, ideo dixi primis, quia minimis labijs nõ ausim dicere. Pog. Quo in loco olim Romani imperij per triũuiros partitio facta extitit. Lau. Neq; existo neq; exto, quę idem preteritũ habent, iunguntur cum huiusmodi participio. Pog. Sed cum nouẽ Musę à poëtis esse dicãtur, ij uerò quibus sortitio earũ contigit, quatuor existãt, duas quilibet sortietur. Lau. Nihil aliud putas Pogi existere significare, quàm esse, nec quilibet, quàm quisq;, de existo iam dixi, de quilibet aliquid exemplorũ afferam, etsi alibi exposui, ut intelligas me magis intelligere ius ciuile, quàm Accursiũ, Bartolum, Baldum, quorũ tu tanquã magnorum quorundam mihi umbrã opponis, & quàm cæteros iuris studiosos, qui nõ intelligunt uerba illa apud Paulũ de conditionibus institutionũ: Si hæredi plures conditiones coniunctim datę sunt, omnibus parendum est, quia un.us loco habentur. si disiunctim, cuilibet. Hæc in digestis. Eadẽ penè uerba apud Iustinianum in Institutionibus: Si plures cõditiones institutioni adscriptę sunt, si quidẽ cõiunctim fuerint, utputa, si illud & illud factũ fuerit, omnibus parendum est: si uerò separatim, ueluti: Si illud aut illud factũ erit, cuilibet obtẽperare satis est. Et Vlpianus de adoptionibus & emancipationibus: Facit enim hoc quasi quilibet, non quasi auus, & qua ratione quasi ex quolibet natum potest adoptare, ita potest quasi ex altero filio, & alia multa exempla, quibus constat: quilibet, significare unumquemuis, & idem esse, quod quiuis, non quisq;, & licet hoc uocabulo cuncti penè philosophi utantur: tamen, ut in iure ciuili, ita in omni Aristotelis translatione, saltem Logicæ, Physicorum, metaq; Physicorum, ac similium, semper quilibet reperitur particulare, non uniuersale.

IN LIBRO QVINTO.

Pog. Quæ cęteri grauiter & inique ferunt. Lau. Cur non ut Sallustius, dixisti: grauiter & iniquo animo? Pog. Audiebant præcepta & instituta sapientum. Lau. Quia Cicero ait: Quanquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum, idq; Athenis, abundare oportet præceptis institutisq; philosophię: propter summam & doctoris autoritatem, & urbis: putas idem esse præcepta & instituta, cum instituta sint mores ratione sumpti, ut in Elegantijs tradidimus. Pog. Atq; harum quidem rerum possessio, quando ita tua propria existit, ut neq; uiuo neq; quidem mortuo auferri queat. Lau. Neque quidem nunquam dicimus, sed nec quidem, quod nec ipsum nunc locum haberet, cum antecesserit: neque uiuo. Nemo enim sic loquutus est, ut neque uiuo neq; mortuo quidem auferri queat: tua ipsius, ego dixissem, non, tua propria: nec extitit, sed est. Pog. Comperies parum quid nocuisse aut potius profuisse. Lau. Quid pro quiddam male usurpas. Pog. Neque primum quoq; te extitisse, neq; postremum fore. Lau. Quid facit illud quoque? certe nihil, extitisse recte usus es, non tamen sciens. nam te pro fuisse, illud accipere, declarat fore. Pog. Non succensere, sed gratulari te potius fortunæ decet. Lau. Quis unquam gratulari fortunę dixit, pro gratias agere? tametsi Romani parta de hostibus uictoria dijs gratulatum in Capitolium ibant, ut in Elegantijs tradidimus. Pog. Longe me abhorrere hoc uitij genus. Lau. Iam diximus abhorrere, cũ ablatiuo cõiungi & præpositione. Pog. Ferrẽ tamen leuius quę essent

à mei

à mei ipsius incõmoditate seiuncta. Lau. Lege Elegantias meas Pogi, aut potius, quia legisti iam, imitare: mei nũquam poni, nisi passiuę, ergo dicendũ fuisse nunc, ubi nulla est passio: à mea ipsius. Pog. Vt satius fuisset nunquam isthoc concilium congregari. Lau. Ego dixissem: adeò satius fuisset, siue fuerat, uel, ut satius futurum fuerit. Pog. Dilige loquentem tecum ex animi sententia. Lau. Ex animi sententia, est ad uotum, siue ex uoto, ut, habeo uxorem ex animi sententia, qui sensus hoc loco non conuenit, sed ex animo. Pog. Vt mœroris præteriti, quo & ipse particeps fui, memoriam pręsentis gaudij modestia consolemur. Lau. Quo particeps, pro cuius particeps, quo autore dixisti? Pog. Neq; in ipsius diuturnã, sed tẽporaneam quandã et fragilem debere adijci cõgratulationẽ. Lau. Temporarũ dixerũt ueteres illi eleganter locuti, pro tẽpore cõditione adaptatum, & ad temporũ mutationem instabile, ut illius gentis sunt temporaria ingenia: posteriores quidam dixere temporaneum, ut illud: pluuiam temporaneam & serotinã, id est, in tempore uenientẽ, quorũ neutrum huic loco competit, ubi tu de temporis breuitate sentis, cõgratulandi, nescio an usquam legerim, utiq; cũ unus uni gratulatur. Pog. Multi è nostris ciuibus exacti quondam patria extitere. Lau. Fuere, dicendum fuit, non extitere. Pog. Tu unus (cum uerò de te loquor, & fratrem quoq; tuũ appello.) Lau. Autẽ, non uerò, solet in parenthesi adhiberi. Appellare nõ est idẽ, quod loqui de aliquo, ideoq; tollerabilius dixisses: cũ te alloquor, fratrẽ quoq; tuũ appello, uerũ nõ est idem appellare, quod alloqui, sed uocare atq; requirere, quomodo Cicero pro Milone: uos appello Centuriones. Pog. Reliquorũ absentiã tulit æquo animo ciuitas, tui absentis uirtutẽ summo studio cõcupiuit. Lau. Lege Pogi, lege Elegantias meas, ut discas, aut si legisti, obtẽpera eis, quod à nullo grãmaticorũ discere potes, tuã absentis dicendũ fuisse, non tui, fiesq; nõ aliter latinus, q̃ si opera mea lectitaueris. Pog. Ampliauitq; anterioris uitæ ornamẽta. Lau. Anterior uita diceretẽ Hipoliti aut Lazari, quorũ alter fertur egisse, alter egit duplicẽ uitã, anteriorẽ posterioremq;. Pog. Excellens dignitas atq; cęterarum pręclarissima: Lau. Apud Homerũ, apud Thucydidẽ, apud Herodotũ, apud Xenophontẽ, apud Platonẽ, apud Aristotelem, multosq; alios Græcos animaduerti talem superlatiuũ, ut id quod superat nõ sit è numero superatorũ, apud neminẽ tamen latinorũ, dũtaxat eorũ, quos nobis ad imitandũ proponimus. Nam quid interest, dicasne Achilles cęterorũ Græcorũ, an Troianorũ fuit fortissimus, cũ nõ magis sit è numero cæterorũ Græcorũ, q̃ è numero Troianorũ? Ideoq; semper legimus per cõparatiuũ dici hũc sensum: tu es fortior cęteris, tu es melior reliquis: ergo tibi dicendũ fuit, aut cęteris pręclarior: aut omniũ pręclarissima: de qua re disputaui in Elegãtijs copiose. Pog. Cuius singularis erga te affectio atq; amor. Lau. Millies affectione uteris, et nunq̃ ut Cicero. Pog. Hęc studia humanitatis obsolescant penes principes ac dominos nostros. Lau. Penes pro apud, pro penes apud, indifferẽter uteris. Pog. Cũ tamẽ natura mea sacerdotiũ semper abhorruisset. Lau. Mirũ nunq; te hoc uerbo uti, nisi cũ accusatiuo, aut si quando uteris, turpior est ista incõstantia. Pog. Siquidẽ ad punctũ & horæ momentũ, tanq; nascũtur fungi, qui ad clerũ aspirãt, dignitates maximas assequũtur. Lau. Tanq; pro sicut accipis, quod nemo unquã fecit. Ad momentũ quoq; horæ pro intra momentũ ponis. Nec aspirãt, positũ ex usu eruditorũ, quale est Ciceronis: Ad eam laudẽ aspirare nõ possunt, hoc est, nõ possunt proximè accedere, ne afflatu quidẽ. Pog. Duxi uxorẽ, & quidem ex animi mei sentẽtia: nam ita in ea cõsolor, atq; ita acquiesco in diem magis, ut deo gratias agam continuo. Lau. Cõsolor & in significatione male uteris, et in cõstructione. Nam cõsolari, est sermone quempiã in calamitate molestiáue positũ leuare atq; erigere, cõstruiturq;

cum accusatiuo, nec unquam ponitur absolute. Indiem quoque magis pro indies dixi. Pog. Id esse tale, ut si aliter cōditum esset, futurum non fuisse bonū. Idem mihi accidit in uxore, quæ talis existit, ut nihil sibi uel adesse cupiam, uel abesse. Lau. Ego sic dixissem: futurum non fuerit bonum. Itidem in uxore mihi accidit, quæ talis est, ut nihil uel addi ei cupiā, uel ab ea auferri. Nam existit, &, sibi, non latinè ponuntur, & nihil adesse bonæ uxori cupere, insanum est, & nihil abesse uel magis insanū. Nam ne uirilia quidē, ut Pogiane loquamur, uxori aberunt si nihil aberit: tametsi muliebria quoque deerunt eidē, si nihil affuerit, nec oculi, nec dentes, & cętera huiusmodi. Pog. Redegi in paruum uolumen nōnullas epistolas, quas olim ad te scripsi, id destinare constitui ad quendam Franciscum Ferrariensem, & epistolam addidi in principio, cuius copiam ad te mitto. Lau. Iam uolumen, pro opere multorum librorum, & destinare pro mittere, & copiā, pro exemplari siue exemplo, ostendi non latinè dici. Nam cum, qui in istū sensum utitur, non legisti. Et ā: addidi in principio epistolam, non nitide dicitur. Pog. Exhortatus sæpius atque impulsus à te. Lau. Exhortatus passiue, uelim doceas ubi repereris. Pog. Alter per rei militaris exercitum, alter per ociū literarum, nō discutiam nunc, uter alteri sit præferendus. Lau. Apud A. Gellium & quosdam reperi, exercitiū: apud Ciceronem atque illos summos non uideor reperisse. Vter alteri, ubi inuenerim, nō memini, sed uter utri, sicut ediuerso: uterque alteri, & neuter alteri. Pog. Quare te oro atque obsecro, ut eas conquiras diligenter, quoniam apud te esse confido, cum dudum quasdā mihi tradidisses, dixisti nescio quem habuisse à te perplures. Lau. Non damno nunc apud, sed non minus aptum fuisse futurum penes arbitror. Dudū pro nuper, & perplures pro complures damno, & habuisse pro accepisse parum aptè dictum contendi.

## IN SEXTO.

Pog. Cum uerbis tecum agere potuissem, mi iucūdissime pater, eo quæ sum scripturus, tamen cum uerba cito defluāt & minorem autoritatē habere uideantur, decreui in hoc meo gratulandi munere epistola potius, quàm sermone uti apud te, qui scriptis, quāuis nullius operæpretij, plurimū delectaris. Etenim si ad aliū quempiam ex his notis nostris similis dignitas delata extitisset, hæsitarē paulum à scribendo: ueritus, gratulandum'ne sibi existimarem, an potius condolendum. Lau. Quàm paucis in uerbis quot uitia? Primum, cum, pro quamuis, iunctum plusquamperfecto subiunctiui, non uideor reperisse. Deinde, uerbis, inepte positum est. Dicimus enim: ago tecum, nō autem: ago tecum uerbis, ut Cicero: Cum enim sæpe mecum ageres, ut aliquid de amicitia scriberem, saltem dixisses: cum tecum coràm agere potuerim. Deinde, quid est defluere cito? è memoriáne audientis? atqui lectio nō tardius elabitur: an ex ore loquentis? atqui lectio quoque cito defluit ex oculis legentis: forsitan sensisti literas repeti posse, & diu durare: at hoc non expressisti. Deinde, cur uerba minorem autoritatem habeant, quàm epistola, cum uerba, pronuntiatio, gestus, ipsius etiam hominis dignitas maiestasque commendet: Deinde, cum dicas: decreui epistola potius, quàm sermone uti, redundat illud: quæ literis sum scripturus. Hæc non erā notaturus (nam ubique Pogius his uitijs utitur) sed prætereūda non putaui, ubi de apertis uerborū uitijs agebam, quorum unum fuit in, cum: Alterum est in, operæpretij: quod hoc loco non conuenit. Est enim operæpretium fructus ex opera: literę autem siue scripta, cum sint ipsa opera, non possunt uocari operæpretium: Tertium in, delata extitisset, quod iam ostensum est, cur uitiosum sit. Quartum, à scribendo hæsitarem, à scribendo uacare, cessare, desinere, & quæ sint id genus, dicitur quis, non hæsitare. Quintū, sibi pro ei. Sextum, condoleo tibi: dicimus enim, doleo uicē tuam,

non,cõdoleo tibi. Pog. Ad pastum ac somnum ueluti mutũ animal uacantes. Lau. Vaco ad pastum,ad somnũ,nusquã,quantũ memini,audiui. Muta quoq; animalia potius dixissem,ut Sallustius,ueluti pecora,ut pluralis numerus plurali cõpararetur. Pogius tamẽ,dissimulare furtũ uolens,more puerorũ ita dissimulat,ut ipsa dissimulatio sit furti indiciũ. Pog. Licet uere & ex animo gratulari tum felicitati tuæ,tum uerò maximè uirtuti. Lau. De multis dicit̃ maximè,saltem tribus,nõ de duobus,quia superlatiuũ est,ut iam aliquoties diximus. Pog. Adest acre tibi ingeniũ,adsunt studia literarum,quibus ab ineunte ætate deditus extitisti. Lau. Potius dicerem: Est acre tibi ingeniũ. Certè studia literarũ adesse dicenda non sunt. Deditus autem extitisti,crebro admonuimus non dici latinè. Pog. Vt non uulgari ac nota Episcoporũ uia tibi ducas proficiscendũ. Lau. Proficiscor & unde & quo dicimus,nõ qua,siue proficiscor hinc & huc,nõ hac,de loco,in locum,non per locum,ut in Elegantijs. Pog. Quod æternam gloriam præstaturum. Lau. Quia aliqui dicunt præstantiores,tu putasti posse dici præstaturũ. Discas igitur ex meis Elegantijs, cur dicamus domationem à domitu,& alia similia,sicetiam prestationes,non prestaturũ,quia nec domaturũ,tametsi reperiatur: cõstatura fides superum,apud Lucanum,& apud alios quosdam. Quod quidem librario imputarem,nisi tu maioribus quandoq; labereris, quale est: strabitur. Pog. Scis,quo labore & diligentia rem, quam sollicitabas,confecerim. Lau. Nõ reprehendo nunc,quod male utaris solicito(nam superius id feci) sed, quòd crebro utaris,qui te latinè loquẽdi omnibus proponis exemplũ. Pog. Idcirco debitum solue,& quamprimũ, aliàs te notum reddam, nõ solum domesticis,sed externis. Lau. Aliàs ponis pro alioqui siue aliter. Pog. Vt aliquid ad te literarũ darem,nam id pergratum esset tibi futurum, sumpsi ex suis uerbis ueluti argumẽtum quoddam ad te scribẽdi,ut posteaquam coram uerbis fieri nequit,absens per literas me tibi deditum esse cognoscas. Lau. Esset, barbare positũ est, tu enim subaudiri duo uerba uis, dicebat quòd: ut fiat,nam dicebat,quod pergratum tibi esset futurum. Eleganter per infinitiuũ hoc loco solent loqui,ut in Elegantijs tradidi, nam id pergratũ tibi esse futurum, siue, nam pergratũ tibi id fore. Suis autem pro eius uitiose poni,sæpenumero admonuimus. Etiam posteaquã pro quoniam tam crebo usurpari,quis non improbet? Verbis quoq; quid attinebat addere,cum dixisses corã? Pog. Hic & tibi Pogiũ eflet,licet pusillum hominem atq; imbecillum,& præsto omni in re satisfacturum pro facultatibus nuntiabit. Lau. Præsto pro prompto,ut barbare loquentes, accipis,cũ idem sit,quod præsens,nec iungitur,nisi cũ uerbo substantiuo. Pog. Modo cum domum noctu redissem,offendi literas tuas,& simul libellos, quos remisisti. Retulit insuper quidam è domesticis,illum qui detulerat,dixisse. se postridie mane ad te uelle proficisci, si quid uellem respondere, ut præsto id esset. Lau. Quàm acer es Pogi uerborum,quæ captas,examinator, qui postridie pro cras accipis? Nam cum dicis modo,certè significas,cũ illum ais mane uelle proficisci,certè crastinum diem sentis. Atqui nemo de crastino die,siue de eo qui hodiernum sequitur, dixit postridie,quod idem est quod postero die, siue sequenti die,quod dicitur de alio tempore,ut in Elegãtijs latius, presto pro promptum te male accipere iam dixi. Pog. Itaq; si rem mihi gratam,si tibi tuoq; ingenio dignam cupis facere. Lau. Datiuo pro ablatiuo uteris,in quo dabo tibi ueniam, si unum locum(nam pluriũ non memini)notasti apud quendam sanè antiquum scriptorem,ubi datiuus accommodatur huic adiectiuo dignus. Pog. Qui ferme cõtinuo domi manet. Lau. Cõtinuo,pro semper,accipis, siue pro assidue, cum significet protinus. Pog. Cum ad id solũ uacent. Lau. Sæpenumero ita loqueris,cũ doctissimi dicãt: huic soli rei uacet. Pog. Sũma beneuolẽtia quam habeo

habeo ad Archiepiscopum Pisanum, me coëgit, ut ad eum scriberem tam serio, quæ uidebãtur esse in honorem suum, non quidem mea causa, cuius ea nihil referebant, sed sua. Lau. Beneuolentia quam habeo ad te, genus sermonis est inauditi mihi, nisi memoria excidit, gero enim in te, uel erga te beneuolentiam dicimus, refert pro interest, pluralem nõ agnoscit. Suum autem & sua, pro eius, iam cuncti deprehendunt uitiose dictum. Pog. Gaudeo doctrina atq; eloquentia tua indiem magis. Lau. Cur indiem magis semper dicis, & non indies magis, ut prisci dixerunt, quorum te perstudiosum profiteris? Pog. Quod percepta præteritorũ temporum historia uerissime diiudicas, ac perpendis illustrissimorũ uirorũ præstantiam, qui hactenus claruerũt. Nam cum pridem pro nostra cõsuetudine uarijs de rebus colloqueremur. Lau. Perpendis nõ pro ponderas examinasq; accipis, sed pro discernis atq; intelligis, quo modo non loquebantur ueteres. Et pridẽ, pro nuper, siue pro superioribus diebus. Pog. Et refert Plinius in ea oratione, quã adepto cõsulatu de suis laudibus conscripsit. Et certè, siue illam orationẽ legeris, siue rerum suarum eam portiunculam, quę habetur in historijs. Lau. Quis non crederet de laudibus Plinij sentire Pogium, cum inquit suis & suarũ? ad id secus est. Non iocabor hic: aliquem fortassis intelligere de laudibus suis: hoc est, de laudibus porci, quãdoquidem non de Plinianis intelligendũ est, de Traiano sentit Pogius, non aduertẽs quãtopere obscura sit oratio, siue ambigua, etiã si latinè possit illud suis ad Traianũ referri. Pog. Grandem dolorẽ suscepi. Lau. Accepi, potius ego dixissem. Pog. Cum ineptitudinẽ suam scribendo propalarint. Lau. Palatam uineã legimus, à palis, quibus fulta est, inde fortè palati & palantes milites, & apud Vergiliũ: palantesq; polo stellas, sparsas & distantes in modũ palorũ, cuius prima syllaba longa est. A pala nescio an formari possit palare, ut palatũ frumentũ: hoc est: uentilatũ uẽtilabro, à palàm uerò siue propalã, breui priore syllaba, propalare nõ memini apud ueteres me legisse. Pog. Expectabam uerò indies ut aliquis ex nostris scriberet aliquid in laudem eius. Lau. Nunc ais indies pro quotidie, nam sic utimur indies: tu es indies deterior, efficeris indies magis sæuus, quæ exempla sunt infinita. Pog. Summa enim fuisset impudentia, uoluisse mendacem esse apud eos, penes quos semper uixerat, & oratio habetur. Lau. En pogiana elegãtia uariandi uocabula, quæ idem significẽt. Nam quę ineptia est, cũ dixeris: mẽdacem esse apud eos, dicere, penes quos, & non apud quos habetur oratio. Dicere enim apud aliquos, & habere orationẽ idem est, hic, ut dixi, ineptiæ error, alter latinitatis, cum putas has duas prępositiones idem ualere, cum barbare dicatur de homine libero, eum penes alios uixisse, & orationem penes aliquem haberi. Pog. Itaque tradidi ei & epistolam & oratiunculam, quas describi & ad te deferri procuraret. Laur. Nitidus sermo & solo Pogio dignus, procuraret describi, atque deferri: cum dicere debeamus ad imitationem ueterum: quas describendas & ad te deferendas curaret. Pog. Vt plura continentissimo uiro minime contulisset. Lau. Ego sine particula ut, dixissem: aut sic: ut nõ fuerit plura collaturus. Pog. Ego quidem indiem consolor magis, postquam in cõiugio uixi. Lau. Cum in alium, quàm debeas, sensum utaris, indiem, necesse est alio uocabulo non in loco in locum huius abutaris. Ais enim, indiem, pro indies, &, consolor, ut superius ostendi, bis male uteris. Ego etiam dixissem: postquam in coniugio uiuo, nam postq; uixi in coniugio, uidetur significare magis te uixisse, quàm uiuere: ut, postquam scripsi librũ, cum dico, non uideor nũc scribere: non enim idem est, postquam uixi cum uxore, & postquã uxorẽ duxi. Pog. Is postmodũ iterum rediens nonnullis quærentibus se iturum dixit ad patruum, nõnullis uerò te illum destinasse Florẽtiam pro oratore, periturũ se e uestigio extimaret, si ullum uerbũ nõ mendosum,

dosum, non fallax, non confictum prodiret ex ore suo. Lau. Illum pro se dixisti, eodem modo, quo sæpe eum pro se. Nec inficias eo, illum modum loquendi reperiri, sed te nunquã animaduertisse. Dixisti item, quod negabas dici posse, destinasse pro misisse, & mendosum quod est maculosum & mendis plenũ, pro eo, quod est, mẽdax, & suo pro eius. Pog. Quicquid autem largitũ te credis, est mihi gratissimum: non tam re ipsa, quæ paruum quid est. Lau. Parũ quiddam dicere debebas, ut docui, aut, quę parua est. Pog. Epistolas ad Nicolaũ, quãdo cõmoditas se aufert, ad me remittas uelim, præter eas nullas adhuc habere potui. Addam illis orationem funebrem in testimonium amoris erga se mei. Lau. In sui, pro eius, facilius peccatur, quàm in se, pro eum, & nunc Pogius peccat, utens pro eum, siue pro illum. Debuit enim dicere: amoris erga eum, uel erga illum mei. Pog. Epistolam uerò illam arbitror esse conscriptam ab aliquo ex suis discipulis, uel altero quopiam, qui & Guarinũ diligat, & odiat Georgiũ, & uni se gratificari uelit, alterũ exagitare. Lau. Alio maluissem nunc ego dici, quàm altero, & oderit, quàm odiat, nam quis doctorũ dixit odire? Suis autẽ, pro eius dictũ, iam notare me piget, quod non notassem, nisi cum alijs notandis incurrrisset. Se quoq; superuacuo usus es. Dicendũ enim erat: uni gratificari uelit. Decepit autẽ te stulta imitatio. Cum enim dicat Cicero: Qui se Pompeio gratificari putant, existimasti dici posse: gratificari se uolunt, quod fieri non debet, quia nõ dicimus: uult Pompeius se mihi placere, sicut dicimus: Pompeius putat se mihi placere. Pog. Et simul retulit, uisum esse nõnullis, codices illos nõ esse tanti existimandos, sed misisse te loco muneris, quicquid dares prĕter extimationem. Miror tam æquos librorum licitatores Ferrariæ repertos, tanquam ibi esse soleat excellens quædam librorũ uendendorũ officina. Lau. Licitatores pro æstimatoribus, siue, ut ita dicam, appretiatoribus, ut uulgus accipis, cum licitari sit pretium offerre ab emere uolentibus, ut copiose in Elegantijs diximus. Prætẽrea officina non est, ubi res uendũtur, sed ubi fiunt, ut in Elegãtijs dixi. Ibi quoq; pro isthic posuisti, sicut barbari solent, de quo item in Elegantijs.

IN SEPTIMO.

Pog. Sapientis esse uidetur accõmodata singulis rebus discretione, & præsentibus rebus cõsulere, & prospicere futuris, neq; una quadam in sententia esse ita fixum. Lau. Discretionem nũquid reperisti apud Ciceronem in hunc sensum? aut quadam pro aliqua? Sed cur non fuisti contentus uno uerbo cõsulere, addidistiq; prospicere, quod idem significat? Quid si non uis idem significare, dicere debueras: prospicere futura, non futuris. Pog. Ducuntur enim sæpius in actionibus suis aliqua passione pergraui, quę illos seducat à recta sentẽtia. Lau. Ciceronẽ uolebas uideri cõtra me defendere, quẽ, ut in alijs, ita nunc non imitaris in hoc uocabulo. Is enim ait: dicendũ esse perturbationẽ, nõ morbũ, siue passionem. Defendis item, si tibi credimus, Plinium, Quintilianum, Aul. Gellium, Macrobium, Iuriscõsultos. At hi non passionem dicunt, sed uel affectũ, uel affectionem. Defendis Hieronymum, at is negat dici posse latinè passione, inquiẽs super Danielem, Quod Græci uocant πάθος nos perturbationẽ, quàm passionẽ rectius interpretamur. Et super Isaiã: Ebrietas omnes in se uitiorũ cõtinet passiones, quas latino sermone perturbationes possumus dicere, quòd statum mentis euertant, & ebrios faciant nescire quid agant. Et tu, quasi dixisset Hieronymus: rectius dici latino sermone, in eadem epistola passionem inculcas. Hoc in uerbo, illud in elocutione uitiũ est, quòd cum uidearis dicere diuersa, tamen eadẽ repetis per summã somnolentiã, ducũtur illi aliqua passione, & aliqua passio seducit illos, quid differunt? At illa differũt, inquies: in actionibus suis: &, à recta sententia. Verbis quidem differunt, non re: tametsi prępostерum est, prius de actionibus

tibus, quàm de sententia facere mentionem, nec in actionibus dicuntur: sed ad agendum, & ante actiones: hoc est, à sententia. Pog. Nam quicquid agūt, recte an perperā, laudatur ab omnibus. Lau. Adhuc ignoras usum aduerbij an: quod differt ab aut, à uel, à ue, quia non habet locum, nisi ubi aut interrogantes aut dubitantes, aut nescire confitentes nos, loquimur, quod hic non fit, ut in Elegantijs tradidi. Itaque dicere debebas: rectè aut perperā: siue, rectè perperam'ue. Pog. Rebellem patri. Lau. Rebellis dicitur, qui mouet bellum in eum, cuius ditioni subiectus est, qualis nō est filius in patrem hominem priuatū, siue qualis iste tuus nō est, etsi dicātur metaphorice aliquando uitia rebellare. Pog. Eue stigio ad extrema & deplorata remedia descēdisti. Lau. Morbi & ægrotari dicuntur deplorari, non remedia, quale est ingeniū, cuius exemplum postea in hac ipsa epistola è Seneca affers, quo turpius est, te hoc uocabulo uti nescisse: ait eñ Seneca: Discernenda sunt deplorata ingenia, ab ijs, quæ sanari possunt: ut appareat, omnia te uelle imitari, & nihil imitari scire. Sunt enim deplorata, quę uulgo dicūtur desperata, qualia nō sunt remedia. Pog. Reiectus est à patre filius, abdicatus, relegatus, reus capitis iudicatus, quid hoc asperius? quid truculentius etiā erga facinorosum externū quendā potuit excogitari? Lau. Reū capitis facere non est iudicis, sed accusatoris, quendā etiam, pro aliquem posuisti. Pog. Nónne adolescentiæ indulgendū? nónne erroris ratio habenda prospice quid sentiā. Hanc ego animi magnitudinē, qua coęqualiū studia reliquit. Lau. Indulgendū pro parcendū accipis, cum sit indulgere, molliter permittere, nec erroris ratio habetur, sed famæ, sed facultatū, sed uitæ, similiumq;. Prospice quoq; putas idem esse, quod perspice. Coæqualis, mihi aut inauditū nomen est, aut excidit lectū apud bonos autores, ideo tu in memoriā redige. Aequalis enim sæpe legi, tu ubi legeris coæqualis, doceto. Pog. Aduoca hunc tu quoq; uirū in cōsilium amicorū, recita crimen, pœnā inquire. Lau. Recitare est aperta uoce rem scriptam uel legere, uel memoriter pronuntiare, ut in Elegantijs. Pog. Adest, rogat, obsecrat filius patrē, lachrymis cōpellat exorans. Lau. Quis tam indoctus puer est, qui Terentiū legerit in prima comœdia: gnatā ut det oro, uixq; id exoro: qui nesciat aliud esse orare, aliud exorare: hoc est, exorare esse effectum orādi, ut diximus in Elegātijs? Pog. Me persæpius hac de re cogitantē. Lau. Quid ais Pogi? etiam'ne per, cōparatiuo iungere audes? Pog. Nullam aliam ob causam tamdiu tecum silui pater optime, præter eam, quam tibi alijs in literis descripsi, quam te excusationē benigne accepisse lætor. Lau. Silere cum alio, nihil est aliud, quàm utrūq; silere, at tu uolebas dicere, te siluisse apud illum, quia nihil diu scripseras, illud quoq; benigne, parum apte est positum. Dicitur enim quis accipere excusationē, cum id, quod alter dixit, admittit, ut superuacuū sit addere, benigne. Pog. Vt multis præstaret propriæ saluti cōsuluisse, quàm suscepisse cęterorum curam. Lau. De hoc iam aliquoties dixi, dicendū sic fuisse: fuerit satius futurum, multis suæ ipsorum saluti consuluisse. Pog. Sed prętеritam negligentiam recompensabimus frequentioribus literis, si tu quoque rescripseris, aliâs torpescet non solum ingenium, sed & manus. Literę tuæ fuerunt mihi gratissimæ multis de causis, sed maximè, quia uisus sum loqui tecum, cum eas legi. Præterea tuam illam antiquā recognoui humanitatē, necq; ita elatā, ut despiciat inferiores. Ego nonnulla edidi, quæ posteaquam desyderas, dabo operā, ut transcribantur. Lau. Putebat tibi uerbū repēsabimus, ideo maluisti dicere, recōpensare: & agnoscere, ideo dixisti, recognoscere: &, alioqui siue aliter, ideo dixisti, aliâs: & quoniā, ideo maluisti dicere posteaq;. Sed nūquid dormitabas cū dixisti: dum legis alterius literas, uideri tibi te cū illo loqui, potius q̃ illū loqui tecum? Quis etiam dixit humanitatē elatā, aut inferiores despicientē, cum hæc non humanitatis

humanitatis sint officia, sed inhumanitatis? Hoc factū est, quia nesciebas illā elegantiam, per quam dicendū erat: hoc est humanitatē * tuam numero elati. De qua re latè in Elegantijs. Pog. Legatum quoq; cum uideris, nosti quem dicā, uirum è nostris omniū præstantissimū, me sibi cōmenda. Lau. Satis erat è nostris, sine illo omniū, nam illud si ego dixissem, Legato quoq;, cùm eum uideris, me cōmendato: nam sibi pro ei positum est. Pog. Meq; etiam interserit in hāc fabellam, tanquam aut sim conscius maleficiorum suorum, aut delicatus sua maledicentia, ne uidearis particeps esse earum rerum quas solent boni uiri maximè abhorrere. Lau. Interserit in hac fabella, dicendum fuit: aut potius, inserit: suorumq; & sua pro eius: & abhorrere cum accusatiuo, per se patēt iam esse uitiosa. Pog. Libellus uerò caue perdat, quia nulla est apud me illius copia Lau. Pro exemplari posuisti copiam. Pog. At uero posteaquā à nobis recessisti, dictum est mihi, cum aliquando coram te sermo inter loquendum de me incidisset, te id audiuisse sine molestia, & absq; ulla indignatione: te me etiam certa in re collaudasse. Hæc cum audiui, magna affectus sum consolatione. Lau. Inter loquendum sermo incidit, iam ostēdi barbarū esse: & coram, qua præpositione te uti scire dicebas: cum eo enim sermonem habitū dicis, qui colloquebatur, magna sum affectus consolatione, nemo facundus dixit. Nam illud Pogianæ facundiæ est: inculcare uocabula idem significātia, sine & absq;: quorum posteriore sæpius in uno libello uteris, quàm omnes scriptores in omnibus libris. Pog. Neq; ego aliter locutus essem, si fuissem loco tui. Lau. Loco tuo dicendū fuit, non tui, ut discere ex Elegantijs potes. Pog. Ego, quamuis nihil sit, quod ad præsens scribendum uideatur, quod silui tecum diutius. Lau. Ad præsens scribendum uideatur, pro impræsentiarū ponis: & silui tecum, pro non scripsi ad te. Pog. Signum, quod ad me destinare cupiebas. Lau. Est'ne hic destinare, ut apud Vergiliū: Et me destinat aræ? Pog. Munuscula, quæ præclarissima fœmina, uxor tua, ad meam uxorem destinauit. Lau. Nihil habent penè epistolæ Pogianæ, nisi emendationē munerū ab hominibus notis atq; ignotis. Pog. Pro his ago tibi literis gratias, quandoquidē re ipsa non possum. Lau. In uerbis est agere gratias, in facto referre. ergo dicere debebas: quandoquidē referre non possum. Sed opinor te significare uoluisse, nō potuisse agere præsenti gratias, ideo te agere per literas, ergo dicendum fuit: quandoquidē coram nō possum. Pog. Dona tua Pontifici me intermedio sunt reddita, quæ ille grato animo cœpit. Lau. De intermedio iam diximus. Gratum animum uocamus in reddendo munere, siue in uoluntate reddendi uicem, non accipiendi Pog. Dispensationem pro filia tua nubēda ego solus procuraui. Lau. Ego dicerē potius nuptura. Pog. Vellem tecum aliquid rerum mearum participare, sed cui tradam nescio. Lau. Participare, est partem capere, non dare. Pog. Verba inepta, latinitas mala. Lau. Latinitas non secus dicitur mala, quàm mala facundia, mala eloquentia, mala facultas, quę dicitur à rectè loquētibus nulla facultas, nulla eloquētia, nulla facūdia. Pog. Qui in latino sermone, ut puerulus, labitur. Lau. Ego mallem dicere puellus. Nam ut à magister fit magistellus, ita à puer, puellus. Quanquam quidam indocti dicunt puerculus, & magisterculus, sed ijdem dicunt doctorellus pro doctorculus. Pog. Epistolam ad te destinauit. Lau. Mirū in modum Vergilium Pogi, ut merito eius testimonio utaris.

IN LIBRO OCTAVO.

Cuius epistolā primā sub nomine Cādidi scelestissime, in Thomā Reatinū edidisti. Pog. Quę in tuū nomē tam proterue petulanterq; insultat. Lau. Insultare tibi dicimus. Pog. Alterius calamitatem, ut probrū, illi obijcere. Fratrem eius adolescentē seduxit. Lau. Eius pro suū, quemadmodū ecōtrario millies suum

pro eius

pro eius posuisti. Pog. Luci arcus eum econtra collaudaret. Lau. Econtra, pro econtrario, ubi legisti? Pog. Relegi tuas epistolas summa cum uoluptate, tanquam tecum loquens. Lau. Cum scribis epistolas, tunc quasi loqueris: cum scriptas ad te hic legeris, audiens dicere debuisti. Pog. Vt sperem infra sex menses patrem futurum. Lau. Intra sex menses dicimus, non infra, ut multi nunc loquũtur. Nam intra & super idem penè sunt. Quia de tẽpore loquutus sum, uenit in mentem uerborũ Ciceronis pro lege Manilia. At hercule aliquot annos cõtinuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius usq; ad nostram memoriã nomen inuictũ in naualibus pugnis permãserat, magna ac multo maxima parte, non modo utilitatis, sed dignitatis atq; imperij caruit, ex quibus uerbis datur intelligi, nihil dicere eos, qui uolunt per accusatiuũ significari tempus cõtinuatum, per ablatiuũ uerò interruptũ. Nam quid attinebat addere: continuos, si citra hoc adiectiuũ significabatur continuum tempus per accusatiuum: aliquot annos, quale est apud Vergiliũ: Hic iam treceneum totos regnabitur annos? Ergo utebantur illi, imò & ipsi utimur indifferẽter ablatiuo quidem, tanquam latino more: Accusatiuo autem, tanquam græco. unde ex maxima parte lingua nostra fluxit, nam græca ablatiuo caret. Dixissent tamen cõmodius, qui hoc præcipiebant, si ita dixissent: cum de parte non de toto tempore loquimur, quod nuncupamus, non licere per accusatiuũ loqui, sed per ablatiuum: quale est: Ego hoc anno ad te ueniã, id est, aliquo tempore istius anni, pro quo non rectè dicas, hunc annum ad te ueniam. Pog. Scis non me esse nouitiũ in talibus rebus. Lau. Nouitij propriè dicũtur serui, utiq; sine apposito, qui uenales sunt: etsi quidam sic dicant: nouitij philosophorũ sectatores: & quædam similia. Pog. Bursas, quas misisti, uxor habuit ambas, quæ sunt pulcherrimæ, & sibi admodum placent, pro his & nomine suo, et meo gratias ago: rectè quidem & amice fecisti. Bildeston noster mecum silet, ne respondendo cogatur aliquid dare. Recõmenda me tamen charitati suæ, dicasq; me ditiorem eo. Lau. Bursas ubi legisti? ubi recõmenda? ubi habuit, pro accepit? ubi mecũ silet, pro non scribit mihi? Taceo, quòd subiũctiuũ dicas, imperatiuo recõmenda, subiecisti, et quòd sibi pro ei: & suo suæq; pro eius dixisti, quasi dedita opera male loquaris, nec mirum, cum materia epistolarũ sit sordida, & nequaquam digna, quæ noscatur ab alijs, ubi semper petis, semper mendicas, semper extorques, illo marito impudentior, de quo apud Iuuenalem:

Hic petit absenti nota iam callidus arte,
Ostendens uacuam & clausam pro coniuge sellam.

Galla mea est, inquit, &c. Pog. Sed uide ne tuus amor fallat iudicium, quod fers de rebus meis. Lau. Quis dixit unquam: iudicium fers de rebus meis, siue pro iudiciũ de me, siue opinionem, quã habes de me, siue de scriptis meis? Nam res nostræ etiam canes, equi, gallinæ, armẽta, agri sunt, de quibus ab illo iudicandis nunquid sentis? Pog. Neq; est opus, ut te excuses tarditatis. Lau. Accusare tarditatis quis dicitur, non excusare. Dicimus tamen excusare morbum, excusare tempestatem, hoc est, in excusationẽ afferre morbum, tempestatem'ue, ut in Elegantijs. Ita forte hic accipiendũ est, cum quis natura tardus est, ut possit excusare tarditatem suam. Pog. Epistola tua hodie fuit mihi reddita, is qui attulit, se postridie recessurum affirmauit. Lau. Idem, quod superius notaui, uitium. Is qui attulit, idem est, quod retulit literas, siue tibi, siue alteri pro te, nec id ante hodiernũ diem, nam alioqui iam recessisset, ut ipse affirmabat: postero die se recessurum. Nũc cum per eum rescribas, de crastino loquutus es die, quem tu posterum, siue postridie appellasti, quod fieri non potest, quia nunquam postridie de crastino die dicitur, ergo dicere debebas, cras, cum hodie nuncupaueris.

Pog.

Pog. Quòd si quis denuo ad nos ueniat. Lau. Ego dixissem iterũ: nã denuò, idẽ est, quod de integro. Pog. Hodie accepi à te literas, & is qui attulit, dixit se in posterũ diẽ discessurũ. Lau. Si postridie & postero die idẽ sunt, ergo idẽ hic, quod illic peccatum, cum dicendum fuerit: cras, facta mentione aduerbij hodie. Dicimus quoque postero die discessi, non in posterum diem. Pog. Est mihi etiã atque etiam summe gratum. Lau. Quid opus est addere summe, cum dixeris etiam atque etiam? Pog. Quos inter non odio, sed crudelitate certatum extitit, in te autem nedum odium ullum nõ ostenderunt, sed etiã antiquos, & reliqua. Lau. Millies reprehendam, si semper uelim reprehendere, quoties extitit ponis cum participio. Nedum quoque palàm est inepte usurpare. Pog. Hæc omnia accepta referamus à sola libertate. Lau. Acceptum tibi refero dicimus, nõ à te. Pog. Quanta igitur lætitia, quanta consolatione, quanta alacritate me affectũ? Lau. Consolatione & alacritate affectum fuisse legi neminem. Pog. Et sum pta calamus pergrandis uidetur palus. Pau. Quia nonnulli pennam, qua scribunt, appellant calamum, tu audacius etiam genus pennæ in calamum transtulisti, fecistique sumpta calamus, pro sumptus. Pog. Ibi me oblecto cum libellis: querebantur enim paulum me tam diu ab illis abfuisse. Itaque in eorum consuetudinem rediens, do eis paulisper operæ uacuus curis. Lau. Cur non dixisti, à se potius, quàm ab illis? cur, paulisper operæ, quod ars grammatica uetat, ut iste genitiuus regatur ab illo aduerbio? fefellit te, quòd noluisti iterũ dicere paulum, at qui hic magis quam illic conueniebat istud non aduerbium nunc sed nomen, dicereque debueras: do eis paulum operæ. Pog. Attamen literis quoque aliquid nomini tuo impertior. Lau. Doce, ubi inueneris deponens hoc uerbum. Pog. Nedum corpori, sed neque ipsi animæ consulere possint. Lau. Persæpe admoneo, non cum primo uerbo, sed cum sequenti iungendum esse nedum. Pog. Curiam uerò Romanam à longe colerem. Lau. Vbi legisti à longe, cum tali præsertim uerbo? Pog. At uerò is paterna uirtute & moribus degenerauit, uino & somno deditus, ut uni maxime Tullio præstiterit filijs caruisse. Lau. Affirmat, & idem negat Pogius, nam hæc uerba significant, utilius fuisse Tullio, caruisse filijs: quod nec uerum est, nec ipse sentit. dicendum igitur fuit: ut satius futurum fuerit: uel, præstiterat, siue satius fuerat filijs caruisse, ut in Tusculanis Cicero: his fuerat non didicisse melius. Pog. Summam igitur uoluptatem suscepi in tuis literis. Lau. Ego dixissem: summam uoluptatem accepi in tuis literis. Pog. Itaque cuilibet ætati ius suum tribuendum est. Lau. Cuique dicere debebas, non cuilibet, ut superius probaui. Pog. Quam facultatem uocandi pueris si quis præripere conetur, reddet illos profecto stultiores. Lau. In aureo seculo natus es Pogi, de quo Vergil. ait: Omnis feret omnia tellus. Nam omne uocabulum apud te nihil ab altero differt, putasque idẽ esse præripio, quod eripio, cũ præripere sit, aliquid in usum tuum alteri eripere, sicut in Elegantijs traditur. Pog. Incolis suppeditat. Lau. Incolas nihil ab oppidanis putas differre, cum oppidani sint appellati à suo oppido: incolæ sint: qui in alieno habitant oppido, ut diximus in Elegantijs.

## IN NONO

Pog. Attamen quæcunque causa te detinet, honestam illam, & necessariam puto. Lau. Eam, non illam fuisse dicendum Elegantiæ docent. Pog. Recepi literas tuas, & simul copiam epistolæ, quam dicitis te suscepisse ex Mediolano. Fuit mihi utraque gratissima, sed superiorem nullus antea ad me attulit. Lau. De recepi, pro accepi: & copia, pro exemplari, superius admonuimus. Nunc quæro: utraque, superior: quò referuntur? Nempe ad nomen literas, ex quo aut grammatica uitiatur, si dicamus superior literæ: aut elegantia, si dicamus supe-

rior litera, quoniam pro epistola, literæ dicuntur, non litera, nisi apud poëtas, ut in Elegantijs. Pog. Itaq; ego solus ad magistratum accessi, datis literis, dixi, quæ in rem uidebantur conferre, responsum breue tuli. Lau. Non dicunt docti: dare literas, nisi tabellario, aut cuicunq; tanquam tabellario, qui illas perferat, reddere aũt, cui mittuntur, ut in Elegantijs. Itaq; redditis literis dicere debuisti, ut in alia epistola facis, in qua inquis. Pog. Pridie redditæ sunt mihi literæ à secretario tuo, quibus significat à te epistolam ad me obsignandam, ut suis uerbis utar, recepisse, quæ minime ad me delata est: & simul suis literis interclusit cedulam quandam candidam, tibi à se missam, ut literis tuis intercluderet. Ego mi pater dudum à te accepi literam pergrandem, in hanc tamen. Lau Dicendum erat: reddita mihi, siue perlata ad me, non delata: &, heri non pridie: &, ait, non significat: &, inclusit, non interclusit: &, eius, non suis: &, schedulam, non cedulam: &, nuper, non dudum: &, literas, non literam. Ex quo palàm est, in eo, quod paulo ante dixi, te, cum dicebas: superior, & utraq; numero singulari huius nominis, contra elegantiam usum esse. Pog. Si facultatibus is essem quibus esse deberem, sicq; mihi meæ copiæ absq; ullo quæstu satis essent. Lau. Si, nunquam cum enclitica, quæ, reperi uinctum. Pog. Exempla epistolarũ sunt penes amicum scribendi gratia. Lau. Scribendi, pro eo accipis, quod est, ut scribantur, quod non reperitur, sed pro eo, quod est, ut scribant: hoc est, actiue, nõ passiue, ut in Elegãtijs. Pog. Viro doctissimo mihiq; imprimis amicissimo. Lau. Primus superlatiuum est: ideoq; mallẽ dicere, imprimis amico, ut in Elegantijs tradidi. Pog. Vt benedictus pro futuro anno eligatur. Lau. In futurum annum, ego dixissem, ut Quintilianus: Iam & in sequentem annum famem teneo. Non enim pro anno, sed pro discipulis in unum annum magister & doctor eligitur. Pog. Non ętas modo, sed scientia & uirtus animi inuestigari debent. Lau. In uno hic peccasti uerbo: semel, quod nihil putas interesse inter uestigo & inuestigo, cum inuestigare sit effectus: hoc est, inuenire, quod uestigamus. tu autem de uestigando sentis iterũ, quod dicendũ erat: inquiri, aut requiri, aut considerari, non inuestigari, nam uestigare est per uestigia, siue quasi per uestigia sequi. Pog. Virtus est aduocanda, & se referendum ad ea studia. Lau. Est referendum se, ubi tale genus locutionis inuenisti? miror, quare non etiã dicas: mihi mederi fuit, & quædam similia, quę quidam ineptissimi grammatici pueros docẽt. Pog. Memor ac nocte, cum domum redissem, sapientissimi consilij tui, cœpi aliquam occasionem scribendi. Pau. Cur aliquam pro quandam dixisti? cur occasionẽ, ut uulgus facit, pro causam, idq; persępe? Pog. Neq; ego hanc ludorum iocunditatẽ, mimorumq; usum, & curarũ intermissionẽ. Lau. Interdico, non accusatiuũ postulat, sed ablatiuũ. sic: interdico tibi aqua & igni, quẽadmodum in Elegãtijs. Etiã remissionem dicerẽ curarum potius, q̃ intermissionem, intermittimus enim studia, bella, lites, cæterasq; actiones, inter quas nõ numerantur curæ. Pog. Sed uereor, an ita constans sis futurus, ut totum libellũ perlegas. Lau. Animaduerte munditiã nitoremq; latinæ linguæ, interdũ superantẽ ipsam græci sermonis gratiã. Est enim perlegere totũ legere, ut in Elegantijs latius disputaui, quod Greci in uno uerbo nõ habent. Ergo superuacaneũ fuit Pogi, te addere totũ, uereor quoq; nõ postulat post se an: sed ne, ideoq; dicere debebas: uereor, ne ita cõstans. Verũ uidebitur esse hęc oratio tuæ sentẽtię cõtraria. Sic enim loqui solemus, quãdo aliquid putamus futurũ, non quãdo non futurũ: ut, uereor ne hostes ueniant, scilicet quod nollẽ eos uenire. Tu nunc uelles hũc fore constantẽ, eoq; noluisti dicere, uereor ne, sed uereor an: de patella, ut aiunt, in prunã delapsus. Nã maius est flagitiũ per an, q̃ per ne, istã dixisse sentẽtiã. Sed cur homo rudis hoc nõ uidisti remedium, ut diceres: uereor, ne nõ ita cõstans sis

futurus

futuris,ut docti loquũtur? Pog. Ego,quod potui,officiũ mortuo præstiti:tui est hominis famã notam reliquis facere. Lau. Tui est,nusquã est auditũ, sed tuum est. Tui enim semper accipitur passiue:ut,ueni huc amore tui,de quo latissime in Elegantijs. Vides Pogi,ut de te meæ triũphant Elegantiæ Pog. Me hortabatur atq; orabat,ut q̃ uberes literas cõficerẽ. Lau. Probaui superius ex Elegantijs meis dicendũ fuisse,quàm uberrimas. Pog. Noluit ipse accedere, sed alium destinauit. Lau. Et hic Vergilium,ut alibi, imitatus est Pogius. Pog. Quærebã pridie à R.nostro,an recentiores aliquas literas à te recepisset,& quomodo ualeres. At is respondit se pridie eius diei epistolã à te habuisse, qua ei significabas,te nondum satis firma ualetudine esse, quod mihi sanè molestissimũ fuit. Lau. Vel maximum imperitiæ signum est,opinari, pleraq; uocabula aliter atq; aliter accipi, quod ex hoc fit,quoties nescimus uim uocabuli definitione cõplecti. Nam quid ita Pogi dicis:pridie quærebã,& pridie eius diei? Si pridie quærebam,accipis pro heri quærebam,erat tuæ prudentiæ, cogitare:duo hæc aduerbia duas debere habere significationes,suam utrunq;. Si aũt pro nuper: hoc est, non pro die hodiernum præcedente, cur rursus accipis pro præcedenti, cum inquis:pridie eius diei? Quod literas recipere potius,quàm accipere, & literas habere,& significabas,pro dicebas, malueris dicere: superius admonui,mihi non probari,qui etiam sanè molestum dixissem potius quàm sanè molestissimum. Pog. A te auellatur funditus. Postmodum uerò neminem de tuis uideri, quin de te rogem. Lau. Quem nõ rogem dicendum fuit,uel potius, quem non rogarim. Sic enim diceres:neminem de tuis uideo, dicendũ foret, quem non rogem. Illud non reprehendo,funditus,sed ego dixissem,radicitus. Pog. Pridie uerò Samuël noster,cum de te percontarer,mihi dixit:tibi pristinam ualetudinẽ restitui,& in diem fieri meliorem. Lau. Iam piget me toties notare, quoties malè uteris pridie, quod aduerbium me nescire aiebas:quasi tu scires. Indiem quoq; pro indies,non minus sæpe barbare ponis. Pog. Sunt & publicæ res & indiẽ uariæ. Lau. Testatus sum propè semper coniungi indiem cum uerbo uiuere, ut in Elegantijs. dicendum igitur erat quotidie. Pog. Nos quidem multã pastam conficimus,nullos panes. Lau. Qui pastam dicis miror, cur non potius pizas,aut schiacciatas dixeris. Pog. Nihil tam homines impedit ad sapiẽtiam peruenire. Lau. Cæsarem,qui fuit elegantissime loquendi studiosus, audire uideor,cum Pogiũ audio. Quis quæso nisi qui in loquendo utitur pasta,sic loquitur:impedit peruenire:& nõ potius,impedit quo minus ad sapiẽtiam perueniãt?

IN DECIMO.

Pog. Fuit enim litigio quod lacessitus. Lau. Litigiosum apud Ciceronẽ inueni,litigiũ me inuenisse nõ memini? Pog. Quæ in manus eorũ adire mereantur. Lau. Cur non potius:quæ in manus eorum ire? Pog. Est enim honestissima prę cæteris. Lau. Cur non honesta præ cæteris potius dicebas? Pog. Neque nunc quidẽ quicquam est noui. Lau. Perplexius loqueris,quàm apud Terẽtium Dauus: Aeque quicquã nunc quidẽ. Quis unquã cõiunxit neq; cũ quidem? Pog. Cum rure sum,maxime tũc paulo uaco literis. Lau. Dixi paulo iungi cõparatiuo,nõ uerbo,sed paulũ: quanquã sententia sibi ipsi repugnat. Quo enim modo fieri potest,ut cũ maxime uacas literis, tum paulũ uaces? nam cum minimũ uacas,tũ paulum uacas, non cum maxime. ergo illud maxime fuit tollendũ. Harũ ineptiarum plenus est Pogius, quas ego nõ attingo, nisi quatenus cũ reprehensione occurrunt barbarorum uerborũ. Pog. Quorũ utrunq; cum pluris æstimandũ sit,uoluntas est præferenda maxime. Lau. Bis male ponis, maxime:primũ, quod nõ habet locũ inter duo ,ut nunc duo sunt:deinde, quod super uacuũ est cum dixeris,præferenda. non enim hic sunt multa præferenda,sed unũ.

ergo nihil eſt nec maxime nec magis præferendum. Pog. Libellũ confabulationũ cum uir neſcio quis nequã mutuo à me petiſſet. Lau. Cõmodato nunc fuit dicendum, ut enim etymologia Iuriſconſultorum oſtendi, mutuum dicitur, quod fit meũ è tuo, ſiue è meo tuum: ut in pecunijs, frumento, uino cæteriſq; huiuſcemodi: qualis liber nõ eſt. Ergo cõmodatur, nõ mutuatur. Pog. Quæ opinio uera an falſa ſit, paucos habuit ſectatores. Lau. In omni uerbo laberis, ſtudio imitandi bene loquentes, ut in nullum magis, quàm in te cadat illud Horatianũ, O imitatores ſeruum pecus &c. Nõ enim nunc locũ habet an, ſed ſiue, ut eſſet: uera ſiue falſa ſit. aut uel, ſic: uel uera, uel falſa ſit. aut uel, ſic: uera falſa'ue ſit. Ego tamẽ per ſiue, aut ſeu locutus eſſem. Pog. Filiũ, qui ſit futurus paternæ iocunditatis. Lau. Pro uoluptatis, iocũditatis, ut ſuperius ſum teſtatus, male uteris, quia nõ idem ſignificant. Pog. Cyrus Perſarũ rex, ille à Xenophonte celebratus gloriari ſolitus eſt: hortum ſuis manibus conſertum, & arbores in ordinem poſitas. Lau. Conſertum pro conſitum barbariſſime accipis. Cõſertæ dicũtur manus, nõ arbores: niſi de ramis earũ implicatis loquamur. Horti quoq;, ubi ſunt arbores conſitæ, dicuntur, non hortus, ut in Elegantijs. Cyrus etiam à Xenophonte celebratus, fuit ille maior: cum ille qui hortos conſeuit, qui in prælio à fratre Artaxerxe rege Perſarum interfectus eſt, fuerit minor Cyrus in Aſia ſatrapes, de cuius morte idem Xenophon in Anabaſi. Pog. Et uix ſingulũ ſingulis ſeculis extitiſſe. Lau. Cur pudet te fateri imitari, quem imitaris? an, ne fur eſſe uidearis? at iſtud planè furari eſt, cum diſſimulas, quod uideris furtiè imitatus, niſi diſſimulares. Cicero enim inquit: Vix ſingulis ætatibus ſingulos oratores extitiſſe. Hanc tu ueſtem Tullianam uoluiſti tibi, ut erat, induere: ſed ne Tulliana uideretur, reconcinnare maluiſti, feciſtiq; de Tulliana Pogianam: hoc eſt, de latina barbaram. Nam quis dixit ſingulum hominem pro ſingulos homines? quanquam miror te non dixiſſe, ut omnia mutares, & oratio ſibi ipſi conueniret, uix ſingulum ſingulo ſeculo. Pog. Quæ talis eſt ſuapte natura, ut etiam bonos reddat malos uſu eius, & conſuetudine. Lau. Si dixiſſes uſu ſuo, etſi hebes es, tamen intellexiſſes abſurdum fore, ideo dixiſti uſu eius, cum dicere debe res: uſu ſui. Pog. Scias mihi filium nuper eſſe natum. Itaq; quando prolis iam pater factus uere pater familiâs appellari queo, propter liberos ſuſceptos, tum maxime propter ætatem. Lau. Es quidem pater familiâs, ſed neutra iſtarũ cauſarum. Itaq; quid ſit pater familiâs, id eſt, quis tu ſis, quoniam neſcis, ex me ſcias licebit. Qui pater eſt, non continuo & paterfamiliâs eſt. Nec rurſus, qui paterfamiliâs, continuo & pater eſt, etiam ſi quis centenarius foret, poſſet tamen nõ paterfamiliâs eſſe. Dicitur enim paterfamiliâs, quaſi dominus familiæ, hoc eſt, bonorum. Vnde familiæ Herciſcundę titulus in iure ciuili, id eſt, bonorum diuidundorum. Si mihi non credis, audi quid dicat Vlpianus: Familiæ appellatio, qualiter accipiatur, uideamus, & quidem uarie accepta eſt. Nam & in res & in perſonas deducitur. In res, ut puta in lege duodecim tabularum his uerbis: Agnatus proximus habeto familiam. Et mox: Pater autem familiâs, qui in domo dominium habet, recteq; hoc nomine appellatur, quamuis filium non habet, deniq; & pupillum patremfamiliâs appellamus, idemq; eueniet in eo, qui emancipatus eſt, nam & hic ſui iuris effectus, propriam familiam habet, & alia multa. Vides Pogi, ut hinc colligitur, qui filius familiâs eſt: hoc eſt, dominium in domo non habet, utputa patre uiuente, etiam ſi pater ſit, eum tamen non eſſe patremfamiliâs? &, ut ſentio, poſſet quis eſſe filiusfamiliâs patrisfamiliâs pater: de quo, ne longior ſim, ſuperſedo diſputare, & eum qui nihil bonorum habet, etiam & ſi pater & centenarius ſit, tamen paterfamiliâs dici non poſſe. Maxime etiam inter duo poſuiſti, quod & ars grãmatica, & uſus autorum uetat, ut oſtendi. Ergo

dicendum tibi erat:cum propter liberos susceptos,tum uerò propter ætatem. Pog. Cum ueluti expuimus penes amicos. Lau. Apud, nunc dicerent docti, non penes, Pog. Quæ mihi multotiens, magno usui fuit. Lau. Vbi apud elegantes scriptores inuenisti multociens,& si Priscianus eo utitur? Pog. Quod si effeceris, omnē effugies materiā calumniandi. Lau. Nunquid reperisti tale gerundiū significare passiue, ut dixi superius? Pog. Et id mihi paulò molestiū fuit. Lau. Paulo,sicut dixi,desyderat comparatiuum, nō positiuū,aut uerbū. Pog. Ego quid olim de te scripserim,non sanè recolo,nam & obliuiosior ætate factus sum. Lau. En iterum:recolo,quo uerbo in quem sensum utaris Cicero uiderit, quem pro te testem citasti. Pog. Importunitate opus est cum istis, qui nō sentiunt, nisi stimulo pungantur Lau. Cur toties uteris importunus & importunitas eo modo,quo nemo ueterum? Etiam illud:cum istis:parum latine dicitur. Dicendum enim erat:agere cum istis, quale est illud Ciceronis:Agere mecum autoritatibus. Pog. Semisomnolentus uisus sum esse mihi. Lau. Vere somnolentus eras, aut semisomnus, cum hæc duo nomina coniunxisti, quæ nunquam aliquis coniunxerat. Nam somnolentus est, somno plenus,ergo non semisomnus,quod semiplenus somno. Pog. Literæ, in quibus me laudas orationis,quam edidi. Lau. Quis unquam dixit,laudo te orationis? imò ne uirtutis quidem,aut formæ, uirium'ue aliquis dixit, sed de uirtute,de forma, de uiribus. Nam de oratione non dicerem, sed de facundia,de suauitate, de copia orationis. Pog. Nam quantulum sunt mea æstimanda. Lau. Quanti non quantum,siue quantulum,sunt mea æstimanda dicere debuisti.

# LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI ATQVE DE lingua Latina bene meriti Antidoti in Pogium ad Nicolaum quintum Pontificem Max. Lib. IIII.

HAndem aliquando Podij altera in nos inuectiua in manus uenit,planè serpentina,non sententijs,sed uenenis,non uerbis,sed sibilis,non simplici,sed trifida lingua utens: &, quo nihil maius possum dicere,etiam superiore rabiosior,furiosior, uesanior,ut merito queat gloriari uir gloriosus,& peruersæ gloriæ cupidus: se non,quemadmodum multis senibus contingit,senectute deficere,sed indies magis ac magis acerbitate proficere,nec pati, ut à iunioribus superetur,sibiq; dicatur,quod apud Homerum Diomedes Nestori dicit:

O uetule hostilis uexat te apprime iuuentus.
Defecit tua uis,urget te odiosa senecta.

Hanc ego inuectiuam, ut hactenus non legerim, hinc factum est, quòd eam & Podius ipse in omnes Italiæ urbes prius perferendam curauit, quàm ueniret in manus meas,nec ego,ut haberem,magnopere laboraui,cum à principio sententiam illustrissimæ ciuitatis Venetæ,quo tantū defensionem meā dimiseram, præstolarer. Mox illa pro me,& quidē tam magnifice,ut postea monstrabo, ut satis me meæ dignitati fecisse existimarē, nec iā Podio, quē in perpetuū superassem, respondere oportere,præsertim multis districtū occupationibus, cum aliarū rerum, tum uero translationū à summo pontifice mihi iniunctarū. Itaq; non erat mihi curæ, illam legere accusationem, cur responsurus non essem. Hoc meum silentium diffidentiam interpretatus Podius, ut semper est peruersa stultorum interpretatio,tertiam,ut audio, quartam,quintam inuectiuam edidit: etiā ne ta-

ceat, sextam, septimam, octauam, nonam, ac decimam editurus, quòd uidelicet sperat hac se ratione uictoriam reportaturũ, si in hoc certamine diutius perseuerẽt: quemadmodum in eo, quod hastiludium uocant, donari palma non potest, qui nõ sub armis in campo perdurauerit. Quo factum est, ut hic noster uetulus, Nestore fortior, quasi uel me digresso, uel eiecto, quòd sub armis, sub sole, in puluere durare, contra ipsum nequierim, uictorem agat, passim exultet, triumphet, & propè de me insignia figat trophæa. Ego etsi Podium ita in hoc, ut sic dicam, hastiludio uici, ut hastam è dextra, clypeum è sinistra, galeam è capite, ipsum ex equo excusserim: nec pluris facere debeam eius conuitia, quam impudentissimæ mulierculæ, quæ ex altercatione sic demũ se discedere uictricem credit, si ipsa magis in conuitiando præstiterit: tamen amicorum desiderijs dixi obsequendum, qui ad me secundam attulere Inuectiuam, mecũq; egerunt, ut huic saltem uni responderem, & P. Clodio, non modo arma iterum, sed dentes excuterem. Redeo itaque rursus in certamen Clodianum, nolens, inuitus, coactus. Quare me tibi excuso summe pontifex, quòd opus, quod mihi è Græco transferendum delegasti, intermitto, dum me ab atrocissima protego insectatione. Nanque ipsum opus, quod tuum est, cum tuis auspicijs transferatur, perdit suam dignitatem, autoritatem, gloriam, dum eius reprehenditur interpres. Podio potius succensere habebis, & mihi ueniam dare, qui prouocor, uulneror, occidor, ne solum dare ueniam, sed etiam pati, ut hoc meum certamen nomini tuo dicẽ. Detegam enim iam tuto post latam sententiam, mei rationẽ facti. Primus liber meæ responsionis ab litera N. secundus à Q. tertius à P. Vnde nomen, cognomen, agnomen tuum incipit. Nicolaus Quintus Papa: sicut & hic quartus à T, quæ prima tui proprij siue priuati nominis litera est. Ita quatuor libri erunt, atq; adeò sex, si duos illos libellos addamus, quibus per dialogũ totidẽ opera Podij, ut barbara, ut absurda, ut omnibus uitijs plena, reprehendi: ut ea uitia iuuenes studiosi deuitare possent. Qui libri, si legentibus non multo minus iocundi, gratiq;: &, ut audacius loquar, utiles erunt, quàm totidem sunt mei ex aliquo translati historico, profecto habebit tua sapientia, tuaq; facilitas hos in locũ accipere, atq; in partem historiæ mihi abs te delegatæ. At non erunt fortasse iucundi, grati, utiles. An tales sint, futuriq; sint, etsi per teipsum optime intelligis, tamen ex hominum doctissimorum sententia iudicare poteris. Nam licet in libris, quos ex nobis ipsis componimus, illa Græci autoris abest utilitas, quæ ex transferendo comparatur: quanti tamen sumus, & quantũ in dicẽdo ualeamus, multo magis ita cognoscitur. Illic enim cutis quædã, ut sic dicã, & candor orationis noster duntaxat est, hic etiã sanguis, color, pulchritudo, uires, uelocitas, & cæteræ bene componendi tanquã corporis dotes. Quæ dotes si corpori orationis meæ affuerint, quæso, ut apud te libri, quibus dignitatem meã tueor, quos tibi dicaui, tantundẽ è Græco traductionis, ut dixi, cõpensent. Impetrata, ut spero, à Summo Pontifice uenia, quasi optimis auspicijs ad hostem in campum descẽdo, magna me uoce prouocantem, ac tela iacientem. Sed antequam infesta hasta occurro, libet eũ paucis interrogare. Cur ita, P. Clodi, truculento immaniq; animo in me irruis? quid sibi uult ista tanta maledictorum conuiciorumq; congeries? Vtar uerbis impuri illius apud Terentiũ hominis, quãdoquidem tu me infra omnes homines ponis. Leno sum, fateor, pernicies cõmunis adolescentium, periurus, pestis, tamen à me tibi nulla orta est iniuria. At obieci tibi nõnulla. Id defensionis ratio postulabat, quemadmodum frequenter coniungit, ut dum repellere uulnus uolumus, ipsum agressorem etiam nolentes uulneremus, & nihilominus ex infinitis criminibus tuis pauca quædam, eaq; strictim libauimus. Verũ agnosco magnitudinem animi tui, ac generositatem Entellianam, quòd te primo cõgressu

gressu prostratum doles: ut de te Vergilianum illud dici possit:
In uentum Podius uires effudit, & ultro
Ille grauis, grauiterq; ad terram pondere uasto
Concidit, at non tardatus casu, nec territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac uim suscitat ira,
Præcipitemq; ardens Vallensem agit æquore toto:
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora nec requies, quàm multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraq; manu pulsat uersatq; Valensem.
Macte uirtute esto nostri seculi Entelle.

Quid ego infelix resistere tibi iterum, atq; repugnare uolui? quem idem, qui Dareta illum Vergilianum, exitus manet, aut fortasse deterior, nisi sanctissimus pater intercedat, dicerenturq; de nobis, qui sequuntur, Vergilij uersus:
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis,
Sed finem imposuit pugnæ, fessumq; Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur.
Infelix quæ tanta animum dementia cæpit?
Non uires alias, conuersaq; numina sentis?
Cede deo, dixitq;, & prælia uoce diremit.
Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Iactantemq; utroq; caput, crassumq; cruorem
Ore eiectantem, mixtosq; in sanguine dentes
Ducunt ad naues.

Quid agis Pogi? gaudes quod Entellum te significaui esse, me Darem? Ego uero te Darem dico esse, qui animo felicitateq; iuuenili es, quiq; me lacessisti: me autem, qui sum lacessitus, Entellũ, qui te pugnis cõtudi, qui te toto campo præcipitem egi, qui te utraq; manu pulsaui, uersauiq;, qui, nisi pater Aeneas, hoc est, pater sanctus intercedat, faciam, ut te fidi æquales genua tincta trahentem ad sepulturam ducant æterni silentij ac pudoris. Sed iam congrediamur. En tuba certaminis signum dat, sit igitur hic meus in te Podi primus ictus. Ego planum, & cæcis etiam clarum feci, à me tibi nõ esse iniuriam ortam, tu aduersus infinita mea argumenta uno, quod iam refutatum profligatumq; est, duntaxat argumento niteris, quod tu, nescio ubi, post mediam orationem, inter alias nugas inuoluisti: inquiens, Pog. Quis crederet illũ adolescentem indoctum, rudem, qui ne primis quidem labrjs grammaticam nouit, illa scripsisse? Lau. Nõ replicabo, quæ in priore attuli responsione, maxime credibile esse, adolescentẽ illa scripsisse. sed aliquid nouarum rationum afferam. Cum quibus te loqui putas Podi? an non adolescens iam inde è Catelano eruditus? tredecim amplius natus annos, triennium contubernalis fuit Gasparis Veronensis, quem tu omnibus grãmaticis anteponis? an non ab illo componere epistolas docebatur? an non ei semper pater suus pædagogum cum duobus literatis famulis adhibuit? an erat quispiam æqualium illi, aut in doctrina, aut in expeditius loquendo comparandus? ut Franciscum Rosium patrẽ, quo neminem Catelanũ noui, uel ingenio, uel lingua argutiorem, non magis nomine, quàm corpore & animo referret? an nõ mihi à patre traditus, ut extremã ei, & in lingua latina manũ imponerem, solidum annũ me audiuit? an non etiã, siue magistrum tunc, siue pędagogũ habebat Mattheum Narniensem, inter ducentorum auditorum meorum primos doctum atq; elegantem, qui nunc Fulginij profitetur, à quo tuas epistolas domi au

diebat, quorum uterque apud Gasparem ipsum legerat chirographo illius notata tua uitia in epistola tua, quæ præfixa est Quintiliano illius à me ipsi donato, qui codex tandiu caruit contumelia tui, quàm meus fuit. Si non credis, codicem poscito, an postremo rediens post mortem patris in Catteloniam non miraculo fuit Regi atque proceribus, tanta illi ingenij ac facundiæ indoles aderat. Et tu, cùm talem esse adolescentem nosses, tamen ais, non esse credibile eum illa scripsisse, quæ magna ex parte uitiose sunt scripta, sicut ostendi. Sed esto, non sit credibile, quid mea, dum incredibile sit, atque adeò impossibile à me fuisse scripta? Ego probaui illas notationes tuarũ epistolarum in multis non magis contra tuas epistolas esse, quàm contra Elegantias meas, in quibus, ut ipse legisti, diuersa tradiderã. Hæc si tu credas à me notata esse, amẽs sis. Quod ergo ipse nõ credis, & quod tibi non persuades, id alios tibi credere uis? & una friuola, contra infinitas, ratione persuadere? Quid hoc improbius? peruersius? dementius? quid etiam malignius ac furiosus, quàm à quo homine nihil te læsum, nihil offensum scias, eum destructum, perditum, trucidatum uellere, inuadereque dentibus, & deuorare conari? Dij talem terris auertite pestem. Quòd si à me nulla, ut fingis, est tibi facta iniuria, profecto calumniæ conuictus es, neque simplicis calumniæ conuictus, quòd de iniuria tibi illata, sed duplicis, quòd etiam de contumelia autoribus facta, neque duplicis modo, sed triplicis quoque, quod de meipso in solentissime gloriatũ me esse, mentitus es, nec calumniæ tantum, uerum etiam imperitiæ, & eius quoque triplicis, quod aduersus probationes meas, quibus te imperitissime conatum reprehendere opus meum de linguæ latinæ elegantia, quibus me peritissime reprehendisse quosdam ueterum, quibus te plus quàm imperite locutum esse infinitis in locis ostenditur, nihil habuisti prorsus, quod reprehenderes, nisi unum de ijs infinitis, & id friuolum, sicut in superiore fecisti, ac plus quàm friuolum: quod ubi monstrauero, eam, quam dixi latam esse Venetijs, recitabo sententiam. Dixeram te non proprie usum, desuetus, pro insuetus, tu proprie te usum defendis. Omitto paulisper de tua defensione dicere. Ita ne Podi ex tot uulneribus unum omnino curandum duxisti? Quid cætera? certe, ut sentio, minora non sunt: aut, si minora, si minima, si nulla sunt, ostende tuum corpus illæsum, sine uulnere, sine cicatrice, sine liuore, ut meos ictus ut imbecilles puerilesque derideas. Nam istud quod facis, uulnera, quæ tibi inflixi, incurabilia esse significat, & me multas corporis tui partes amputasse atque mutilasse. Nunc istud unũ, quod potissimum delegisti, quod non tam curas, quàm alligas, inspiciamus, utrum uulnus sit nec'ne, & utrum acu, ut aiunt, punctum, an potius mutilatio. Possumus, uti desuetus pro insuetus. Cur tamen tu nunquam post meam reprehensionem ita uteris? sed inspiciamus tua uerba. Pog. Desuetum, pro insuetum, à me positum culpat. Sed huic barbaro Latinum opponam: Vergilius enim in septimo Aeneidos:

Iam pridem resides populos desuetaque bello
Agmina in arma uocant.

Resides populos appellat eos, qui in armis ante nõ fuerant uersati, ideoque desueta agmina uocat, id est, bello non antea assueta. Sed ueruex noster in crasso natus aëre nihil nisi cornu petere, uel pedere potius, didicit. Lau. En nitidæ urbanæque facetiæ, dignæ homine natu in aëre non crasso, sed nitido & puro. Differo parumper de exemplo tuo disserere. Ita'ne tu prosa oratione scribens ijs uocabulis uteris, quibus non oratores aut historici, sed poëtæ utuntur, nec poëtæ omnes, sed unus tantum, qui & si maximus est, tamen summæ in loquendo licentiæ, nec is poëta isto modo, nisi semel, est usus, sed semper aliàs aliter? Verũ esto, licuerit istud tibi facere. Quis ita, ut tu, istũ locum exponit? an Seruius? minime, sed neque

aliter

aliter Seruius exponit, inquies. Cur ergo reliquit inexpositū? certe id non fecisset, si aliter iste locus acciperet, atq; ille: residesq; mouebit Tullus in arma uiros, & iam desueta triumphis Agmina. Quæ loca cū ex eisdē penè uerbis constent: Seruius satis putauit, se istum tuum è lib. 7. locū exposuisse, cum alterū in sexto exposuit: inquiens: Desueta triumphis: id est: à cōsuetudine triumphandi remota. Ergo desueta bello, à cōsuetudine bellādi remota. An tibi istius in sexto Vergilij uersus nō uenit in mentem? Atqui uenire debebat, quia & prior ordine, & huic simillimus atq; uicinus est. An potius Seruiū nō legisti? si ita est, cur eū non legendū tibi putasti? sin legisti, cur eū te legisse dissimulas? cur ei cōtradicis? cuius alibi uideri uis uicem dolere, tanquā à me impugnetur: cōtradicis enim ei, cū aliter exponis, cōtradicis ei, imò etiā rationi, homo prorsus ingenio ueruecino, cum dicat Vergilius: Iam pridē resides populos: hoc est: qui per multū tempus resederant à bello, atq; interquieuerant, nō aūt semper abstinuerant, & quieuerāt. Ergo iā pridē desueta bello, id est aliquādiu à bello cessarant, cui assueuerāt. An Mesappus ille fortissimus rex, quē tantopere Vergilius ut bellatorē, prædicat. At Mesappus equûm domitor Neptunia proles, Quē neq; fas igni cuiquā nec stringere ferro, Belli erat insuetus? Et me uocas ueruecē, & in crasso natum aëre, qui ipse non uides propter aëris crassitudinē finem uersus, quem omisisti, hoc palàm declarare: subito ferrūq; retractat. Quid est enim retractare, nisi iterū tractare? Ergo antea Mesappus cum populis suis agminibusq; tractauerat ferrum, quo geritur bellū. An forte particulā illam uersus, quæ reliqua erat, malitiose prætermisisti: quasi hoc ipse nō essem reprehensurus? An stulte potius, ut soles, qui uersum Iuuenalis contra te afferas. Nā ille uult: Summos posse uiros, & magna exempla daturos, Veruecū in patria crassoq; sub aëre nasci. Quod tu negas, qui uis me nō posse esse egregiū uirū, quòd sim in patria ueruecū, & in aëre crasso natus. Quanq, ô nefariū hominē, tu ne Romā, in qua ego natus sum, ueruecum patriam uocas? Ergo uerueces fuerūt Camilli, Fabricij, Fabij, Scipiones, Marcelli, Metelli, Pompeij, Cesares, quales reliquus orbis nō habuit. Hæc exagitarē pluribus, si ad nostrā causam pertinerent, sed non agam tuo more, qui de causa nihil, extra causam omnia soles dicere. Et hæc quidem satis erant ad confutanda ea, quæ à Podio pro se in superiore controuersia afferuntur. Sed quoniam alia duo idē in mea responsione reprehendit, quæ sunt tractata in superiore, ut dixi, cōtrouersia, libet ea prius refellere, q̄ iudicum recito sententiā. Deinde, quod secundæ litis est, respondebo primū ijs, quæ obiecit ipso Antidoto, quod nunc defendo, ac cæteris libris meis. Postremo ijs, quæ obiecit uitæ. Eorū duorum, quæ dixi ab eo reprehēdi, unū est uolumē, de quo ita ait. Pog. Instat quoq; corruptor noster in uoluminis errore, inquiens: Quomodo decē libros uolumē appellat? ô belua insensata, cum scripsi eam epistolam, uolumen illud erat, sicut & hodie est, minime in libros distinctum, at postmodum, cum plures aliæ epistolæ à me essent conscriptæ, decem librorum codicem effeci, detractis multis opusculis, quæ in priori uolumine continebantur. Lau. Ego in superiorē responsione ostendi: te in isto uocabulo ab adolescentulo, non à me, fuisse reprehensum: negaui tamen decem libros posse dici uolumen, tu, quòd ita sentiam, me beluam insensatam appellas? Velim scire, quid tu inuicē sentias belua sensata, estne uolumen opus decem, siue plurium librorum, an non: si est, cur excusas tunc non fuisse distinctum uolumen in libros? si non est, cur me arguis? cur conuicio prosequeris, qui idem, quod tu, sentio? Adde, si illud, quod uolumen appellas, plura continebat opuscula, qua ratione non erat in libros distinctū, cum singula opuscula sint, aut plures aut singuli libri. Iterū ac sæpius sensata te bestia interrogo, quisnā sensus est tuorū uerborū? Si uolumē illud needū hodie distinctū

est in libros, quo pacto ex eo postmodũ effecisti codicẽ decem librorũ? An aliquid est hodierno tẽpore posterius? Ergo mentiris nõ fuisse tunc decem libros, quos quia nó audes ingenue uolumẽ appellare, palàm est te male, sicut alijs mille in locis, plures libros hoc nomine apellasse. Alterũ est de intellectu uerborũ Quintiliani: ait enim, Pog. Vnũ & multis insigne stultitiæ testimoniũ, quo manifesti criminis reus teneris, nõ prætenbo, culpaui te reprehendentẽ beatũ Hieronymũ, quòd Latine loqui maluit, quàm grammatice, ô caput asininũ, ô stolidam ac perduram ceruicẽ, ô cerebrum omni sale uacuum, hic latrator furibundus uerba fundit insani more, quicquid in buccam uenit, fundit, & expuit, ex tẽpore tanquã pueri solent, cum quid nimis calidũ degustarũt. Legit toties Quintilianum obliuiosus ille fanaticus, in cœno stultitiæ demersus, nec tenet, quid ea uerba importent, quæ furatus est à Quintiliano, errorem detractoris purgans, crimen contraxit ignorantiæ. Et sane consulto id egit. Maius est scelus uirum sanctum & doctum incusare ignorantiæ, quàm se profiteri ignorantem. Ait præclarius esse & doctius, latine, quàm grãmatice loqui. At tuus non hoc sentit Quintilianus. Vult enim latine loqui, omnium esse doctorum pariter & indoctorum, uulgi etiam ignobilis esse loqui latine: grãmatice uerò solum eruditorum, qui non tantum usu, sed arte quadam & uerborum præceptis uterentur. Loquendi consuetudinem, qua omnes utebantur, ab arte, quam docti sequebantur, uoluit differre. O Belua insana. & reliqua. Lau. Tantam'ne uerborũ contumeliã unius loci meretur ignoratio? Quis non uidet, & si hoc ego, quod uni sibi compertum esse Podius ait, ignorassem, insani hominis esse: ignorationem hanc conuicijs tantis insectari? De Hieronymo reprehenso & in superiore Antidoto satisfeci, & posterius, cum libros de collatione Noui Testamenti, non hæreticos, ut ais: sed pios esse demonstrabo, satisfaciam. Nunc de sententia cum meorum uerborum, tum Quintiliani agitur. Dixi Hieronymum maluisse latine, quàm grammatice loqui. Nunquid grammatice locutus est, an cõtra grãmaticam, cum transtulit Græcum nominatiuũ per latinum accusatiuum: sermonem quem audistis, non est meus, quod genus loquendi in illo Vergiliano: Vrbẽ quã statuo, uestra est. Seruius grãmaticus nõ admittit, ut sit ἀντίπτωσις, sed accusatiuum hunc uult à uerbo dependere: uultis? Si grammatice, locutum dices, grammatici negabunt. Sin non grammatice, ergo aut barbare, aut latine. Vides, ut dixi, latine locutum, ne dicerem barbare? & excusaui, non accusaui? At enim, ut magis laudarẽ, debui dicere locutum grammatice, inquies. Tu, quod falsum est, quod nõ sentis, dicito: ergo quod sentio, loquar. Quanquam non puto maiorem esse laudem grammatice, quã latine loquendi. Et istud est, inquis, quod pecco. Si pecco, certe in laudẽ interpretis siue Hieronymi pecco, quem tu calumniaris à me uituperari, quòd dixerim: præclarius fecisse latine, quàm grammatice loquendo. At hic error, inquis, quia male accipio Quintilianum, cuius illa sunt uerba: aliud est latine, aliud grammatice loqui. Nunc omisso Hieronymo, an hic uere me reprehendas, uideamus. Tu quidem Podi in libro illo, de tribus super cœnam habitis quæstionibus, in tua ipsius persona cum aduersus alios, tum uerò aduersus Leonardum Aretinum disputas, præstantius atq; doctius esse grammatice loqui, quàm latine. Aduersus quem librum, ut scias, nuper ita rescripsi, ut te somniare, non latine, aut grammatice loqui ostenderem, quod meum opusculum necdum absolutum Venetias misi. Sed ut paucis, ne eadẽ replicem, respondeam, si præclarius est grammatice loqui, q̃ latine, cur nemo laudatus est, q grãmatice, plurimi quòd latine loquerent? Rursus, nullus orator reprehensus, quòd parũ grãmatice, sed quòd parũ latine loqueret. Si latine loqui constat ex consuetudine & usu, cur de latine loquendo tam multa

præcepta sunt: & cum alij, tum uerò Cæsar de ratione latine loquendi accuratissime scripsit: Quod opus M. Tullius magnopere laudat, & ipsum Cæsarem inter primos, qui latine sunt locuti, ponit. Ideoq; Quintilianus, de cuius uerbis intelligendis quæstio est, pro consuetudine loquendi contra analogiam, id est, cõtra rationem grammaticæ disputans, inquit: Ideoq; non inuenuste dici uidetur: aliud est latine, aliud grammatice loqui. Profecto nil aliud dixit, q̃ loqui latine, esse præclarius, quæ uerba non intelligere, plus quàm pueri est, hoc est, Podij, qui quoniã cerebrum, ne putrescat, sale cõditũ habet, feruentẽ bolũ, cũ pueri expuant, ipse nõ expuit: nimirũ omni puero gulosior, quẽ, ut Terent. ait, è flamma petere cibũ posse arbitror: nec gulosior tantũ puero, sed etiam stultior: quippe cum dicat, me oblitum eius, cuius refero uerba, & furatum uerba ab eo, cuius nominatim testimonio nitor, & me detrahere homini, quem locutum esse ad illum modum dico præclarius, & purgare crimen siue errorem detrahendi illi, & ignorantiæ contrahere, quia eundem, ut ipse ait, accuso ignorantiæ. Taceo uerborum uitia: reus criminis, pro affinis criminis: extempore, pro extemplo: tanquã, pro sicut: importent, pro significẽt: cõsulto, pro prudẽter: incusare pro accusare, uti cõsuetudine, quasi usu. Hæc sunt Podi uera uulnera. Hęc sunt P. Clodi uera uerba, nõ illa uerborum, quibus tu semper uteris, quæ in promptu sunt omnibus: ô caput asininũ, ô stolidã ceruicẽ, ô crebrum sale uacuũ, latrator furibundus, fanaticus, belua insana, belua insensata. Quis enim istiusmodi infinita uel aliunde collecta, uel ex se inuenta, dicere nesciat? Nõ est ingenij aut copiæ ista scire, sed dementiæ atq; uesaniæ passim, & ubi nõ est opus, ista dicere. At enim quodã in loco ex hebeti acutus esse uoluisti, ubi inquis: Pog. Tanta uerò traheris insania, ut etiã in te excusando summus detractor existas. Sed oro te, uera'ne, an falsa sunt, quæ tanto studio reprehendis? Si uera, cur nõ perstas in sententia? Sin falsa, cur nõ errorem recognoscis? Cur nõ erranti ueniã petis? Lau. O te hominis phantasma, non hominem. Negas me perstare in sententia reprehendendi, quæ ais tanto studio reprehendere? Quod enim aliud tantum studiũ, quàm perstare in eadem sententia? Ego negaui me reprehendisse Ciceronẽ, Salustium, Quintilianũ, cęterosq;, ut liquet in mea responsione. Affirmaui me reprehendisse Priscianum cum quibusdam alijs. In hoc reprehendendi studio, in hac persto sententia. Tu me non perstare quomodo doces, aut non uera dixisse? Scis tu ea esse falsa, cur non probas: nescis, cur me reprehẽdis? Sed nimirum, ut es omniũ nescius, & tui quoq; ipsius ignarus, qualia sint, quæ à me dicuntur ignoras, & ideo à me interrogas. Equidem tibi respondeo illa esse uera, sed abs te, qui nescis, uicissim interrogo: si uera putas, quæ à me tanto studio reprehenduntur, cur postulas, ut ea ipsa tanquam errata mea agnoscam, & ob id ueniam petam: sin falsa, cur reprehendis, quod in sententia utiq; falsa non perstem? Sed quid certo tecũ, hominis, ut dixi, phantasmate, &, ut inquit Plancus, cum laruis luctor? Accipe nunc, quid de isto homine, quem asinũ, quem beluam, quẽ fanaticum, quẽ furiosum appellas tu, larua atq; homo phantasticus, ob istos ipsos libros, quos tot tantisq; probris laceras, iudicatum sit à summis ac doctissimis uiris. Incipiam à Laurentio Zanno patritia apud Venetos domo, & eodem Archiepiscopo Aspalatensi, cuius hæc est ad me epistola.

LAVRENTIVS ASPALATENSIS,
*Laurentio Vallæ S. P. D.*

Vereor ne in scribendis his ad te, uidear tibi fortasse parcior, quàm uellem, ac mihi erat constitutum. Tabellarius enim nunc nunc discessurus, has iterũ literas flagitando, mihi iam molestus factus est. Quo fit, ut perpaucis uerbis, quod pluribus facere institueram, tibi notum faciam: talem de te hic opinionem

haberi,

haberi, qualis de priscis aut Græcis aut Latinis non habetur, quibus te non solum comparant & assimilant, uerum præponunt, & maioribus laudibus, quàm illos, prosequuntur. Sunt qui diligentiam tuam approbant, qui doctrinam laudant, qui artificium admirantur, qui dicendi uim, qui ingenium, qui denique eloquentiam tuã extollunt & prædicant. Concurrunt ad me omnes, qui aliqua literatura prediti sunt, & à me petunt, ut sibi defensionem tuam uelim cõmodare. Cuius defensionis, si mille apud me essent exẽplaria, nõ possem his omnibus satisfacere. Quid Franciscus Barbarus, quid Ioannes Petrus, quid quidam alij magni atque eloquẽtes uiri de te sentiãt, sine aliqua assentationis suspicione dici posse non arbitror. Causam tuam honestissimam, hostemque à te superatum dicunt, & ostendunt. Eloquentiam tuam, cum illam aduersarij derideant & floccifaciant, extollunt, & obstupescunt.

Audi nunc, quid uir in utraque lingua doctissimus & idem facundissimus scribat Ioannes Petrus, qui Venetijs artem Oratoriam profitetur, ut partem epistolæ eius subijciam.

Fuerunt illæ quidem ueræ laudes ac debitę, quæ non solum à me, sed ab omnibus quoque studiosissimis uiris, nisi iniqui & ingrati esse uelint, merito deberi uideantur. Quippe cuius diligentiã, ingenium, industriã, uirtutem, scientiã, nemo suis laudibus pro dignitate consequi possit. Equidem quod ad me attinet, tantũ me tibi debere profiteor, ut persoluere nunquam possim, ut quotiescunque aliter animatus sim, non recusem, quo minus omnes homines me ingratum esse existiment. Tum enim lõgo interuallo me in patriam reuocasti, tu mihi sermonem patrium restituisti, tu denique omnes liberales artes corruptas ac penitus euersas ad pristinam synceritatem, ac ueritatem, deprauatas ac funditus deletas reuocasti atque recreasti. Quid est ullo in genere uel facultatis, uel scientiæ, quod intelligentiam tuam uel acumen effugiat? Nam ut à minimis incipiam, tu mihi penè solus esse uideris, qui literaturam teneas: qua quidem in re, sentiat quisque quod uelit, ita iudicium tuum probo, ut antiquorum de lingua latina elegantius ac uerius arbitrer scripsisse neminem. Quo magis laudanda est incredibilis diligentia tua, qui tanto literarũ interitu, qui tãta linguæ latinæ facta diminutione duobus magistris ac ducibus eò perueneris, atque alios, quantũ in te fuit, deduxeris, ut nõ minus tibi quàm Varroni, quàm Cæsari, quàm cæteris, qui de arte grammatica conscripserunt, omnes latine loquendi studiosi debere uideantur. Atque utinam, ut tu in deligendo, quos imitareris, non errasti, sic alij in te laudando gratiores reperirentur. Quid enim Cicerone elegantius aut copiosius? Quid Quintiliano subtilius aut certius dici aut excogitari potest? Quos tu cum autores habeas, quid est, quòd quispiam utilissimum atque honestissimum laborem tuum carpat, nisi inuidum se aut ignarum ac superbum cõfiteri uelit? Quid de cæteris artibus dicã? Et aliquanto post: Nec uerò tibi in mentem incidere debet, me assentandi gratia hæc ad te scribere: nam præterquã quòd adulatio semper ab ingenio meo alienissima fuit, qui cõuenit, à quo me in scribendo emẽdatum fuisse confiteor, huic ut blãdiar, & inani laude eius aures demulceã? Ego uerò te ex animi sententia laudo uir doctissime, & perpetuo laudabo: nec me inuidia impediet, quo minus, quod sentiã libere dicam. Cupio enim meritas tibi laudes deferendo, & nobis, qui nunc sumus, & posteritati prodesse. Quod tamen bonitate ac uirtute tua fretus fore non diffido, ut cum multa in omni genere scripseris, plura etiam scribendo nunquam defatigeris: ut cum ingenij omnes uirtutes consequutus sis, nulla de ijs, quoque, quæ ad uitam & ad actionem pertinent, defuisse uideatur: cõstantiam dico, & in omni uita æquabilitatẽ. Nam religionem, synceritatem animi, iustitiam, fidem, pietatem, cum diligenter quærerem, præcipue à te coli, & in

omnibus eis uirtutibus te affectum esse intellexi: quominus postea sum admiratus, in quo tantum probitatis ac uirtutis inesset, ex eo tantum ingenij lumen eluxisse. Sed de cæteris artibus. Et iterum aliquanto post: Huic ego inuideam? hūc ego non amem? nō in sinu gestem? non in oculis feram? non laudem? non prædicem? quem diuinitus de cœlo demissum esse puto. Omen uidelicet atq; augurium, ut ita dicam, restituendi imperij, ut cū sermo patrius ac lingua latina per eū nobis reddita ac restituta fuerit, tum demū imperium ac summa rerum in Italia redeat. Hunc ego in cœlum meis laudibus non efferam? hunc si fieri possit, immortalem esse non cupiam, quem nobis à deo immortali donatum esse censeā, ut sapientia, qua imperium regitur, quaq; eloquentia carere nō potest, à nostris hominibus recuperetur? Quod si minimarum rerū inuentores & artifices undique adeuntur, uisuntur, collaudantur: eum qui non unam artem, sed omnes nobis restituit, insectabimur? eijciemus? omni uerborū contumelia afficiemus? Et paulopost: Tu uero Laurenti charissime, hominum iniuriam pro cōmuni utilitate fortiter excipe, ac perfer. Quis enim, in quo aliquid modo uel præstantis ingenij, uel egregiæ uirtutis aliquando inesset, reperiat, qui obtrectatores nō inuenerit? ut uerissime dictū sit: summos feriunt fulmina montes. Nec ego maius ullum uirtutis & ingenij tui argumentū inuenio, q̄ quod à multis te insectatū, tibi inuisum fuisse intelligo. Nihil enim amabilius ueritate, nihil obscurius ijs duntaxat hominibus, qui cupiditatibus inuoluti, & ambitione, ac diuitijs occæcati, cernere non possunt, qui si ea mentis cæcitate liberarentur, mihi crede non solum te laudarent omnes homines nostri temporis, sed colerent, obseruarent, uenerarentur. Vides Podi, qui tantus uir, quem nunquam allocutus fueram, quem nunquam uideram, cui nunquam scripseram, à quo nihil literarum acceperam, de opere mearū Elegantiarum, quid de meipso, quid etiā de te sentiat: quem, ut est modestus, nominare noluit, sed indicare? Verū hoc Franciscus Diana liberius, uir & ipse doctus atq; facundus. Ita enim illic ad me scribit.

*Franciscus Diana, Laurentio Vallæ S.*

Nulla unquam maior lætitia fuit, quàm ea, quam nuper ex inuectiua tua in Pogium procacissimum hominem, & maledicum accepi: quod multis Pogij studiosissimis, qui me ridebant, accepta illius in te inuectiua, quod omnium scriptis tua præferebam, os compressisti. Triumpho ego inter illos, & par pari, ut aiunt, refero, quod eos uehementissime mordet. Admirantur ingenium tuum, & doctrinam, & ex insanis sanissimos eos feci, adeò, ut Laurentium semper in ore habeant. Idem in alia Epistola: Apologum tuum accepi libenter, & legi libentissime. Omnes tum facilitatem ingenij tui in inueniendo, tum eloquentiam in exprimendo, tum grauitatē in refellendo, plurimū admirati fuimus. Teq; omnes, quibus opera tua, & hæc, & superiora cognita, perspecta, iudicataq; sūt, sine exceptione patrem latinitatis nostræ, quæ iam interierat, imò deum alterum eloquentiæ in terris, & sentiunt esse & prędicant. Franciscus uerò Barbarus, uir doctissimus & elegantissimus, cui Apologus tuus fuit ualde gratus, non hominem te, sed cum admiratione summa diuinum appellauit. Et paulo post: Pogiani uerò omnes te extollunt, partim beneuolentia ducti, partim ueritate rei confusi. Nonne maxima laus est & gloria, ab inuito laudari?

Idem in tertia inter cætera.

Illud scito de uirtutibus tuis prædicari, quod cum summa admiratione, de uiro omnium excellentissimo prædicatur. Perbeati uidentur ij, qui tuum Apologum habere possunt. Dicacitas Pogij nunc silet, & indies uirtus tua & laus crescit, cumulaturque. In qua quidem re gratulor mihi, quòd omnes recte me sensisse prædicant de doctrina tua. Quid plura? etiam studiosissimi Pogij admiran

admirantur doctrinā & eloquentiam tuam, ijsq; me rogarunt bona fide, ut huc mitteres ad nos, si quid præterea edidisses.

Accipe ad extremum, quid uir perlustris, Franciscus Barbarus, de me scribat, scripturus fortasse prolixius atq; uberius: nisi tuæ posteriores Inuectiuæ, & hęc præsertim, cui respondeo, eū à melius de me sentiendo retinuissent, & nonnihil forsitan epistolæ tuæ ad eum, melius de me loquendo. Titulus Epistolæ hic est.

Pręclaro & eloquentissimo uiro domino Laurentio Vallensi, ciui Romano, amico honorando.

Exemplum uero hoc:

*Franciscus Barbarus procurator sancti Marci, præstantissimo uiro Laurentio Vallensi plurimam salutem dicit.*

Quantum me delectarint literę tuæ, quę plenę sunt humanitatis & beneuolentiæ, facilius intelligi, quàm explicari potest. Quia cum ingenio & eloquentia excellas, in omni genere doctrinę tam Grecę quàm latinæ tātum profeceris, & ita suauiter, ita honorifice, me ad diligendum prouoces, bene profecto barbarus essem, si tibi in amore non responderem. Quin potius male de literis & studijs, quę inter nos cōmunia sunt, & de bonis omnibus mererer, si te iā pridem nō magnificarem atq; diligerem. Quia licet inter nos nulla familiaritas intercedat, tamen tantas uires habet ingenium tuum, & opinio uirtutis, ut gręcos & barbaros & latinos allicere, & delectare possis dicendo. Quare cum à natura, & à maioribus nostris sic instituti simus, ut omnia post deum ad uirtutem, ad laudem, ad decus, ad gloriam referamus, facile tibi persuadere potes, me non minus bene de te sentire, quàm ingenij tui magnitudo & bonarum artium disciplina postulare uideatur. Sed quid ago? de beneuolētia nunc, nō de tuis laudibus agendum est. Cęterum, si tibi mecum, & mihi tecum uiuere & conuersari simul liceret (si parua licet componere magnis) forte non minus gratię & autoritatis haberes apud me, quàm Athenodorus apud Catonem, aut Panetius se apud Scipionem habuisse gloriatur. Magnas itaq; gratias habeo Clarissimo uiro Laurentio nostro Archiepiscopo Aspalatensi, qui tibi persuasit, ut ad me aliquid scriberes, ut amicitię fundamenta, quę inter nos etiam tacendo iacta sunt, confirmarentur. Perge igitur sicut cœpisti, & nos non solum dilige, sed etiam ama, & non minus de me tibi sponde, quàm de te mihi. Postremo à te peto & postulo, ut in hac Pogiana accusatione non expectes nunc, quid ego aut de doctrina, aut de calumnia cuiusquam sentiam, quia nec omnia noui, quæ in utranque partem scripta sunt, nec de ingenijs & moribus doctissimorum & amicissimorum hominum temere iudicandū puto. Quin potius, sicut alias grauissimas & acerbissimas inimicitias inter eloquentissimū Leonardum Aretinum & Nicolaum Florentinū sustuli, & Pogium postea Guarino, & Guarinum Pogio reconciliaui: ita nunc optarem, si fieri posset, pro laude & dignitate literarum, ut Pogius tecum in gratiam rediret: ut omissis istis simultatibus, quę minime dignæ sunt uiro sapiente, sicut Soloni placuit, omnis è medio tollatur memoria iniuriarum. Vale Venetijs primo Idus Martias.

Agnoscis Podi impudens mendacium tuū, quis ais? Pog. Francisci Barbari uiri doctissimi mihiq; amicissimi sententiam noui, qui cum pro sua humanitate omnes laudet, tamen risu in sermonem incidens, quę sua sit de te opinio, demonstrat. Lau. An tu his eum uiginti annis allocutus sis, aut uideris, nescio. Non enim uideo, quo loco, aut quo tempore eum potueris hominem alloqui, hominē in republica administrāda uehementer assiduecq; districtū, ipse perpetuus summi pontificis assecla, &, ut dicitur, glebę adscriptus, nec unum pedem tanquam catenatus fossor ab opere suo discedens. Hoc tamen scio

sentire

sentire eum de te, ut de pessimo uiro stultissimoq́ʒ, atqʒ indoctissimo. Neqʒ enim ille à cæteris doctis atqʒ prudentibus, & ab ipsa ueritate dissentit. Verũ pro sua probitate dissimulat, nec te crabronem irritare uult: præsertim, ne uideatur ingratus erga te, qui ipsum laudas, qui amicum uocas, qui missis contra me libris hoc honore prosequeris, qui oras, ut causam tuam agat, meam impugnet. Itaqʒ mediam quãdam tenuit uiam, ut nec te tantopere erga se officiosum aspernaretur, & de mea doctrina ita pronunciaret, ut & ueritati satisfaceret, nec te nisi planẽ insanire uellet ostendere. Certe cũ eum cites, tamen nec officia, nec preces, nec blanditiæ tuæ ita eualuerunt, ut non me contra accusationem testimonio subleuarit, ut si etiã amicus eius sis, apud grauem tamen & integrum uirum ueritas, q̃ amicitia præponderarit. Quemadmodum à Platone, deinde ab Aristotele dictum est: amicus Socrates, amicus Plato, sed ueritas amicior. Addam huc literas Petri Thomasij, qui in scribendo uidetur mihi præ se ferre, qua in curandis ægrotis utitur, circumspectionem.

*Petrus Thomasius insigni uiro & oratori clarißimo Laurentio Val. Sal. &c.*

Non etiã ad id aspexissem, quod amicissimus sim Pogij, & nulla tecum familiaritas præcessisset, quoniã non soleo ueteres deponere amicitias propter nouas, nec aspernari nouas propter ueteres, cum honestæ utraq́ʒ sint, unumq́ʒ honestum alteri non repugnet. Amo itaqʒ te, & libere & expedite, Laurenti, non solũ quòd me diligis, uerum etiam, quia mihi uisus es perdignus amari. Sed alias in præsentiarum laudes non explicabo tuas.

Idem in alia epistola.

*Reuerendißimo patri Archiepiscopo Aspalantensi, Petrus Thomasius plurimam* S. D.

Accepi epistolã tuã, qua in primis significas dominũ Laurentiũ Val. nihil ad me scribere, quẽadmodum pro tua tamẽ humanitate pollicitus fueras, & suam (ut dixisti) ratiunculam adduxisti. Ego nihil ab re, & absqʒ causa actũ à tanto uiro existimare possum, quẽ integerrimũ esse oratorem possum iam tua autoritate firmare. Prius enim non solum peritum dicendi, sed peritissimum sciebam hominem. Nunc simul eum non solũ bonum, sed optimũ uirum esse audio, &c.

Habes Podi quid de me Venetiæ sentiant. Quid autẽ Romæ? & si uix ulli Romæ uiderunt responsionem meam. Certe summus pontifex, cui archetypum meæ defensionis ostendi, idem ipsum, quod Venetijs perlatum est, simul ac perlegit, quingentis me Papalibus aureis sua manu donauit, ob absolutum quidem à me Thucydidem: quasi inter me & te sententiã ferens. Et tu ais me illi esse contemptui, qui me, nihil dicam de alijs, tibi certe longissime anteponit. Cuius rei testes sunt cum alij nonnulli, tum uero duo Petri Nucertinus & Lunensis, soli è secretarijs summi Pontificis contubernales & conterranei, qui hoc mihi etiam ipso summo pontifice uolente ac iubente retulerunt. Et tu me secretarijs inuisum dicere audes? quorum duo Aurispa atque Rinutius me, ut suo in Græcis literis discipulo, gloriantur, ut ego inuicem ipsis præceptoribus. Et Candidus de laudibus operis mei de Vero bono, cum esset Mediolani, epistolã accuratissimam scripsit: comparans me omni antiquitati, quorum deniqʒ nemo est non mecũ summa amicitia ac familiaritate coniunctus, præter unum absentem, ubiqʒ inimicissimum, Georgium Trapezuntinm, cum quo dimidium annũ in legenda Rhetorica contendi, quòd Quintilianũ non desisteret incessere, in cuius gratiã redij, quòd in sequenti anno maluit non amplius legere, quàm cõtendere. Etiã de opere meo Florentia iudicasse dicenda est. Quandoquidem Iannotius Manettus uir eruditissimus, cũ legatus Florẽtinorũ hic esset, cui defensionẽ causæ meæ ostendi, exclamauit filio, &, ut reor, genero, alijsq́ʒ cõpluribus audiẽtibus

tibus, non'ne diuinaui, non'ne prædixi fore, ut Pogium pœniteret? Pogius semper erit Pogius, semper erit fatuus: Pogius patriæ nostræ dedecori potius quàm decori est. Quid autem de me ille sentiat, & quantum honorem sibi à me habitum putet, norunt uel omnes docti, qui Romæ sunt, Florentini. Et tu eum mihi subiratum fingis, quòd se fecerim obiurgantem ineptias tuas: quasi aut tunc, cum legatus erat, aut nuper, cum Romam uenit, mecum de hac re expostulauerit mendacissimorum impudētissime. Quapropter cum tale sit doctissimorum de meo aduersus te opere iudicium, descendam nunc ad uitiorum, quæ tu in eodem opere notas, defensionem, quæ non prioris controuersiæ est, de qua uictoriam reportaui, ut docui, sed nouæ ac recentis. Ais enim: ut tua plurima prætercam conuitia. Pog. A quo habes autore, dementissime rabula, Catonem decreuisse Cæsarem ob res eius gestas propter inuidiam accusare? Nemo ad hoc tempus hoc uitium Catoni adscripsit, præter temerarium Vallam: tanto est studio alienę dignitati & laudibus derogandi. Imitatus est Laurētius noster salsissimus ac succidiæ plenus, furem quendam nobilem, qui cum ad supplicium duceretur, etiam in uia argenteam fibulam à Zona pendentem cuidam abscidit. Lau. Da mihi ueniam Podi, qui te Catoninæ famę tutorem putas, si dixi Catonem Cęsari inuidisse, ut Cęsar etiam ipse testatus est, cum mortuum audiuit: cum tu in oratione, qua Guarino respondes, Cęsarem, quem ego laudaui, omnibus probris laceres. Et miraris, quod inuidisse dixerim Catonem potentiæ Cæsaris, cum in eum Cęsar tanquam in malum uirum, contra Ciceronis opus Anticatones scripserit, quod etiam fateris, homo inconstantissime. At enim nemo id Catonem constituisse tradit. Taceo cæteros scriptores, quorum unus est Plutarchus, qui uitam eius scripsit, non'ne Guarinus tibi pro Cæsare contradicens, huius rei meminit Podi mente capte? Nam quid magis mente capti hominis est, quàm credere, & ut credibile ferre, quempiam, qui in uia à carnifice ad supplicium ducatur, non dico uelle, sed posse, cum manus post tergum ligatas habeat, amputare alteri zonam? cum præsertim careat ferro. Quod si habere, nec habere solum, sed etiam exercere posset, mallet uincula sua laqueumq́ue abscindere, quàm alienam zonam, siue, ut tu inepte ais, fibulam: quasi fibula pendeat, & non substringat uestem à Zona, cū sit ipsa pars zonę. Claues, cultelli, & bursa, ut tuis uerbis utar, & ocularia à zona pendent. Hoc unum habuisti omnino ad eruditionem pertinens, quod tribus defensionis meę libris opponeres: cętera sunt insolentię crimina, non minus stulte obiecta. Nam insectaris meam contra te loquentis insolentiam, quòd me Herculē, quòd me Iouem fecerim, sicuti leonem contra Facciū, Panhormitamq́ue. Vide quantopere tuum crimen reformidem, etiam fortiorem me Hercule ac Ioue, nedum leonem audeo facere. Feci me Herculem, cur ita? quia te Cerberum. Feci me Iouem, cur ita? quia te Typhœum: Feci me leonem, cur ita? quia Panhormitam ac Faccium canes luposq́ue feceram. Quos tu, ut canes luposq́ue, à me ueluti leone laceratos, non alia impudentia negas, quàm qua te à me, aut tanquam Cerberum est alligatum, aut tanquam Typhœum esse fulminatum. Verum, ut illis omissis ad te redeam: quę tandem insolentia mea est, cum te dicam Cerberum, appellare me Herculem, qui te Cerberū domui? aut, cum te dicam Typhœum Gigantum immanissimū, appellare me Iouem, qui te cū inuasore certaui, teq́ue superaui? Ita'ne tu Cerbero, tu Typhœo te comparari sustines? me, qui sum te fortior, Ioui aut Herculi comparari non sustines? At ego, ut dixi, me etiam illis anteferre ausim, quippe qui minori negocio te nostri seculi uel Cerberum uel Typhœum domui prostrauiq́ue, quàm aut Hercules suum Cerberum, aut Iupiter suum Typhœum. An non legisti, quid dicat apud Senecam Theseus, cum de Hercule & Cerbero loquitur? Ad meas quoq́ue respe

xit

xit Alcides manus. Ego in te Cerbero trahendo ad nullius alterius respexi manus, quæ me adiuuarent. Aut fabulæ tibi sunt ignotæ? quę aiunt Iouem in prælio aduersus Typhœum à multis diuorum fuisse adiutum? quin etiam cogitasse de se in aliquod animal transformando, ut etiam Neptunus fecit Gigantum formidine? Ego nullius eruditorū in te confutando subleuatus sum ope, nec unquam te reformidaui, nec de me occultādo cogitaui, ut merito gloriari possim, me prę stantiorem extitisse Hercule, Iouecp, atcp Neptuno, cuius fuscinæ meā triplicem defensionem sicut trisulco Iouis fulmini cōparaui. Quo minus debuisti nomen mihi Porcelli opponere, quē amicū meum esse opinor: & qui me in recenti aduentu accipere, & à me accipi in conuiuium solitus est, cuius Epigramma ad me, tanquam ad operis sui iudicem, extat sanè quàm honorificū, & meū uicissim ad eum eodem die rescriptum: qui si cōtra me, quod non puto, scripsisset, profectò ne si Erymanthius quidem foret aper, ab Hercule ferret impune. Vides quàm uerear tuū iactantiæ crimen? qui passim, ut magis tibi doleat, me iacto & glorior. Ideocp tuas alias insimulationes ut inanes, leues, calumniosas contemno, atque non superbo, sed sublimi ac generoso pede conculco, dum ais: Pog. Cum dixissem Vallam cōmunem doctorum omnium esse hostem, uidete qua iactātia, qua temeritate, qua impudētia respondeat: Docti illi quidem ait, peritissimi, elegantes, latini, si uis, etiam sapientes: uerum ego doctior, peritior, elegantior, &, si uerum de illis dixisti, etiam sapiētior. Quid ad hanc Thrasonianam iactantiam effrenatamcp dementiam addi potest? Lau. Verum est prouerbium: Fatuus lapidem facile deijcit in puteū, sapiens difficile tollit. Hinc est, quòd Podius in puteum meum nō cessat lapides iacere, de suo autem ne unum quidem educere potest. Videtur quidem mea uerba, ut ab aduersario referuntur, iactantius dici: sed qui legerit cui crimini, & in qua causa respondebā, intelliget ea cum fiducia esse & fortiter ad repellendos accusatores, non cum arrogantia dicta. Et ante omnia P. Clodi, cur semper uerba mea aliqua ex parte defraudas? Nō enim asseueraui illos esse doctos & sapientes, sed ex tuis uerbis retuli. Hæc enim sunt mea uerba, cum de Grammaticæ præceptoribus in quæstione dūtaxat mei, tui, sui loquerer, non autem de omnibus doctis, & in omni grammaticæ parte, ut tu latrator Cerberus ementiris. Ita enim scripsi: Non quia quicquā uelim ex illorum laude detractum, sed ut ueritas eruatur. Sunt enim ut tuis uerbis utar, docti illi quidem, & reliqua. Cernis, ut nō asseueraui illos tales esse? Ergo ne mihi quidem illam laudem serio uendicaui: sed quòd tantum superior illis essem, duntaxat in hac parte grammaticę. At contra quam insectationem libuit mihi de uera uirtute gloriari, nec reformidare ueritatem, quòd in hac re, de Prisciani tanquā de Herculis manu clauam eriperem? Nempe contra hanc. Pog. O uocem pistrino & ergastulo dignam. Quis hanc petulantiam, temeritatem, audaciam, mordacissimi pediculi æquo animo ferre queat? Quis nō dedignetur sapientes à stulto, doctos ab indocto, peritissimos ab ignauissimo, elegātes ab absurdo, latinos à barbaro reprehendi? Hic'ne uir insulsissimus nulla autoritate, nulla doctrina præditus, omnium, qui uiuant, amentissimus scribere audet, & ab omnibus grammaticis, præsertim talibus, dissentire? Lau. Et plura. Aduersus ista, Podi barbarissime insipientissimecp, tam cōtumeliosa dicta, tanta probra, tanta opprobria non debui pro ueritate, pro dignitate mea, &, ut te retūderem, ita magnifice loqui, & cū superassem in ea materia grammaticos omnes, qui immortalitatem essent consecuti, mihi quocp immortalitatē uendicare? Hūc enim ego meorū laborum fructum, non, ut tu pecuniam peto. Necp tu detrectator, cum meā uirtutem ac meritum negare non possis, negare debes præmium & gloriam. Insectaris enim inquiens: Pog. Verum si hoc, quod sequitur, aduertat, Vallam nostrū non ho-

minem, sed quoddam omni ratione uacuum & insanum portentum è terra geni tum putet, multoq́ꝫ immanius quàm Gigãtes illos, qui dijs bellum indixere. Ait enim, ut tandẽ laudes suas aliqua præclara sententia cõsummaret: qua de re tam multa ego tamq́ꝫ egregia tradidi ex summis oratoribus obseruata, ut putem me satis ad æternitatem gloriæ uel ob id capitulum cõparasse, & posse inter prestan tes scriptores enumerari, quem illi quoqꝫ, quos reprehendi, si reuiuiscerent: ad mirarentur. O uolatile cerebellum, ô caput lardo & fumo refertum, ô crassa cer uix. Lau. Tu tu Podi detrectator inuide & amarissime, autor es meæ iactãtiæ, tu mihi de me ipso prędicandi imponis necessitatẽ, neqꝫ enim magna uis, nisi ma iore repellitur, nec densę mendacij tenebrę, nisi claro ueritatis lumine, excutiun tur. An mihi non liceat, quod tibi homini formicino, muscino, ac uermino licere putas? qui ais in libro conuiuali: quem ego, ut stultũ, reprehẽdi. Nõnulla hacte nus conscripsi, quæ iam inter multos diffusa longiorem mihi post obitum uitam allatura uideantur. Credo in primis spurcissimum de confabulationibus opus, ti bi immortalem post obitũ uitam allaturum speras, de quo ad extremum aliquid dicemus, ut tuæ magis æternitati consulamus. Etiam pergis, inquiens: Pog. Elapsum est ferè è manibus ob negligentiam, ostentationis genus inauditum, & admodum prędicandum: Ait enim in secundi fine libri homo minimè iactabun dus, minimè arrogãs, minimè ambitiosus noster Valla: ô igitur opus ipsum pręclarum, ô libros omniũ lectione dignos, ô aurea Laurẽtij præcepta. Redire pro fectò sum coactus ad tam temerariã huius fatui de se prædicationem. si aurea hu ius insani pręcepta sunt censenda, quod metalli genus Aristotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ, cæterorumq́ꝫ priscorum præceptis attribuemus? plumbũ, ut opi nor, sed hoc demẽter, ut reliqua. Lau. Cur Podi improbiss. me, sumpsisti nũc, ut sæpe, de meis uerbis, quod sequebatur, ubi causa reddebatur, cur id à me dice retur, hoc est, unde apparebat me nequaquam id serio loqui? Hoc enim seque batur: quæ in ardentissima fornace Podiana nihil tamen damni fecerunt, quantum ego debeo Podio meo? non possum non gratias agere, quamuis ille non fa cile patitur, ut me sibi debere prędicem. Tu'ne Podi stultissime existimas me fe cisse te fornacem? qui ipse fornace dignus es: non ut aurum, argentum, æs, stan num, sed ut sulphur? fecisse fornacem ardentissimam, qui nullam ingenij scintil lam obtines, sed, ut uena sulphuracia, semper cales & fumas? fecisse fornacẽ au ri, qui sic aureo eloquio similis es, ut sulphur aureę dignitati? Nam qui appella rem doctissimos peritissimos, sapientissimos uiros, si te auri fornacem ardentissi mam nominarem? Tu non fornax, sed lutũ: tu non ardens fornax, sed glaciatum lutũ: tu non auri purgator, sed immundissimũ cœnũ es. Tandem ego te esse cum scirem, non fuissem serio gloriatus, quòd ex tuo igne aurũ meum nihil damni fe cisset? Itaqꝫ sicut tuę imbecillitati per ironiam insultaui, ita per ironiã mea pręcepta aurea uocaui. At tu Thrasone non gloriosior modo, sed stultior, existimabas, cum dico: quantum ego debeo Podio meo, me serio loqui? & te ardentissi mam auri fornacem appellare? Quod si ita esset, cum te tantopere laudem, quid ita in me ingratus extitisti, uir pessime ac stultissime: qui etiam quæris cuius me talli erunt illi summi uiri? quasi non possint plures dici aurei, quàm si singuli qui prope infiniti sunt, singulis metallis censeri debeant, quasi, si quem dicam esse au reũ, uidear alios facere plumbeos: quasi si me etiã in cõparatione tui, qui non di co plumbũ, sed ęs, aut argentũ es, fecissem aurũ, nequeãt doctiores intelligi esse smaragdus, hyacinthus, sapphyrus, topazium, adamas, margarita, aut aliquid, quod omne metallum dignitate transcendit. Nescio an hic, an in eo, quod sequi tur, stultior fueris, dum inquis. Pog. Illa uerò iactãtia palmaris. Nam cum de Hieronymi ab eo stultissime reprehensi translatione dixissem, inter cætera, quæ

boator

boator insanus loquitur, hæc addidit: nisi quod melius quam prior interpres transfero, ut mea translatio sit sancta scriptura appellanda. Quid, ô sordida bestia, ab homine prophano, perfido, heretico sanctum prodire potest? ac nõ potius obscœnum, turpe, perniciosum? Bibliã credo trãstulit hic barbarus furiosus. Lau. Odiosum quidẽ mihi est Pogi fatuorũ princeps, omnia, quæ in puteum meum deijcis, saxa educere. Hoc tamen erit solatium, & post molestiam perpetua uoluptas, quod omnia in caput, in pectus, in uentrẽ, in crura, & pleraque in tuũ fugientis tergũ, clunesque iaculabor. Nónne prima uerba loci illius in mea responsione hæc sunt? Tuũ est Podi dicere hanc esse Hieronymi interpretationẽ, & cuius illa sit quã Augustinus, quam Ambrosius, quã Hilarius, quam Cyprianus, quã ueteres alij sequuntur. Nónne hæc aliquanto post ex alio opere meo sumpta? uerũ si post quadringentos omnino annos ita turbidus à fonte fluebat riuus? quid mirum, si post mille annos (tot enim ferè ab Hieronymo adhoc æuũ sunt) hic riuus nunquam repurgatus aliqua ex parte limũ sordesque cõtraxit? Quid ais P. Clodi Ciceronis, & pudicitiæ, & religionis hostis? si me Hieronymo non præfero? non cõfero? nõ ulla ex parte cõparandum cẽseo? nec de illo quippiã dico, sed de uerbis sacrę scripturæ, ut opinor: uetustate corruptis? quid iactãtiæ est, si dixero: scripturã sanctã uere esse illius, quicunque is sit, qui optimè transtulit? An non sancta scriptura est, ubi melius dixerũt Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & quorundam aliorum qui aut Iudęi, aut hæretici fuerunt? Non enim sanctũ uirum uel facit uel ostendit sancta scriptura bene interpretata: nec prophanũ ac malum male & indocte interpretata, quia non è doctrina aut linguæ nitore, sed fide & cordis puritate homines iudicantur. Nec ego de mea dixi interpretatione, sed de cuiuscunque. In prima enim & in secũda persona solemus loqui, nõ de me & de te tantũ intelligentes, sed de genere toto. Esto sit illud, de quo in priore Antidoto feci mentionem: si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. Aut illud: Adducunt igitur eum ad Caipham in prætorium. Aut illud: Sic eum uolo manere, translatũ à quouis, si fieri potest, sanctissimo uiro, & idem à me transferatur: si minus, ad uos reuertetur. &, Adducũt igitur eum à Caipha in prætorium. &, Sic eum uolo manere, utra erit sancta scriptura? nõne quę uerior? atqui mea uerior est. Verũ, ut dicebam, neque de me uno, sed de quocunque, neque de interpretatione Hieronymi, sed de corruptione loquebar illius interpretationis: neque hoc in meã gloriã dicebã homo sulphuree, quod nullius glorię est, cum quiuis Grẹculus hoc sciat & ego in Græciã nunquam nauigaui, necdum tãtis præceptoribus meis dignus sum Aurispa atque Rinutio, nedum Calo, Iamne, atque Theodoro. Sed quid plura, cum sit res et hęc & alia omnis huiusmodi ex ipsius Antidoti prima statim inspectione perspicua? Pergã iam de alijs operibus dicere, & ab eo potissimum ingrediar, quod ad eũdem Hieronymum pertinet, & abs te in priore quoque inuectiua exagitatũ est. Ais enim: Pog. Sed edidisti librum, uel libros potius, ostentator insane, existimans te laudẽ ex tanti uiri detractione consecuturum. Sed cum uideres tibi ignis periculum imminere, occultasti librũ, de quo paulò pòst dicetur latius. Et longè pòst inquis: O belua insana, tu Hieronymũ nõ reprehendis, qui librũ cõposuisti, ac etiã multis ostendisti, de erroribus in traducendo suis? Edes unquã omnibus libellum? cur domi occultũ tenes? An ignẽ metuis? profer oro libros. Lau. O preclarũ religionis patronũ P. Clodiũ. Si prodidi libros, quomodo occultare possum? nescit uox missa reuerti: & semel emissum uolat irreuocabile uerbum: ut inquit Horatius. Quere ab ijs qui habent, si non edidi, cur audes, ut editos, reprehendere? Sed tu quòd ediderim: & quòd occultem, utrũque mẽtiris. Nam per occupationes meas, præsertim cum alia edere, non edidi nec unum mensem penes me fuerũt libri illi

iam octo annis, ex quo cõposui, & apud Marcellum sunt caput ferreũ, iam inde à discessu doctissimi uiri & Græcarũ literarum peritissimi Sancti Petri Cardinalis, cuius uel unius testimoniũ satis est ad tuam nefandã infandamq́ calumniandi dicacitatem refutandam. Cuius uerba ipsius chirographo hęc ad me sunt, & si non credis, eum interrogato, qui adest nuper reuersus ex legatione, cui te scio multa de me impudentissime fabulatum. Audi itaq; eius uerba.

Doctissime uir, sanctissimus dominus noster remisit mihi hũc librum uestrũ, cuius, si foret possibile, optarem copiam, quoniã multũ mihi placet, & utilis est pro intellectu sacræ scripturæ. Vester Nicolaus Cardinalis Sãcti Petri. Volo hic etiam eius ad uerbũ subijcere epistolam duobus ferè annis antea missam, his uerbis: Optime atq; doctissime uir, amice singularissime, receptis literis quas misistis, Pontificem nostrũ, adij, qui me præsente ad longum legit easdẽ, pro me habitus est, & quantũ intelligere potui, Põtifex plus te amat, quàm hactenus ostenderit. Post dies aliquot de translationis scabrositate politicę Aristotelis dum uerbum faceret, aiebat: Laurentius noster clariorẽ fecisset. Vnde ego continue adieci: ex quo Laurẽtius cũctis præferendus, cur sanctitas sua eum inter primos non haberet secretarios? qui respõdit, Sunt qui non fauent, sed erit. Hæc sic recepi, & dixi me uobis respõsurum, reperisse sanctitatem suam bene dispositã, & annuit. Fui per dies decem absens, nec modum habui literas mittendi, cum ignorem ubi resideatis. Ego sum uester. Valete. Ex Fabriano ultima Augusti. Nicolaus Cardinalis Sancti Petri manu propria.

Vides P. Clodi, quid ille Cardinalis, quid etiã Papa de me sentiat? Verũ hoc est alterius loci. Sed uides impijssime Clodi, qui etiam in secunda Inuectiua soles infideliũ ritu dicere: O dij boni, non damnari opus meum, neq; à summo Pontifice, neq; à Cardinalibus, sed laudari, sed exposci, sed utile esse sacrę scripturę intelligendæ dici. Nam Cardinalis Nicenus, uir de me optime meritus, & qui, ut Romam uenirem, mihi autor extitit, habet in opere meo partem: quippe qui illud, cuius suprà feci mẽtionem: Sic eum uolo manere, quid ad te? quod ego non animaduerterem, ut adderẽ, admonuit. Nam illud: Adducũt eum ad Caiphã in prætorium, non mea animaduersio est, sed aliorum multorum, quorum unus fuit Cyriacus Anconitanus, in quem tu inuectiuã scripsisti, quòd ille ad amicum scripserat: superiore nocte sibi per quietẽ dixisse musas Apollinemq́, meliorẽ causam esse Guarini quàm Podij. Is Cyriacus in Lombardia reperit quatuor exemplaria emẽdate scripta sic: adducũt eum à Caipha in pretoriũ: & quod ego pręuerecũdia nolui facere, Augustinũ notat, qui hoc ignorauerit, laboretq́; enodare, ubi nullus est nodus. Amicissimus meus ac doctissimus Ioannes Tiburtius reperit apud sanctum Chrysogonum, ubi cum magno theologo habitat Cardinali Ilerdensi, uenerãdum codicem Euangeliorum, in eodem loco emendate scriptum. Quem locum fertur Eugenius quartus emendare destinasse. Hæc, & eiusmodi sunt, quę in opere meo continentur, quod tu hæreticum appellas, & more tuo tabella inepta cõfirmare uis, inquiens: Pog. Profer, oro te, libros, quibus illum sanctissimũ uirum nostrę fidei lumen singulare, ut malum interpretem accusas. Non erubescis, quamuis sis pallidus, scribere: te melius interpretari, quàm Hieronymum? Recordare quęso, qui responderis doctissimo uiro Antonio Panhormitæ. Nam cum ante uestrum dissidium te ad cœnam inuitasset, teq́; post cibum tantę temeritatis, quòd Hieronymum reprehenderes, damnaret, tu quid dixisti perfidæ fidei decoctor: te tibi ut uerbis tuis utar, etiam aduersus Christũ spicula reseruasse. Ad quæ uerba cũ ille obstupuisset, surgens de mensa cum te obiurgasset, cum tali belua inquit, non esse amplius colloquendum. Lau. Et postea tanquã crimen tuũ planũ feceris, exclamas amplificationibus tuis ineptissime

me utens. Nihil agis Podi, nihil agis latratibus tuis Cerbere, ex magnitudine cri minis captas inuidiam mihi cōflare. Cur ego illos libros componebam, etiam si Hieronymum pupugissem? contra eruditionem'ne, an contra uitam? certe non contra uitam. Nam quis audeat eum negare fuisse sanctissimum? Num, si quem tot sanctorū patrum, quorum Homilias legimus, à me doceretur loqui potuisse latinius, cōtinuo ne is à me, ut superstitiosus, ut infidelis, ut impius coargueret? Minime. Ergo linguam, nō cor talium uirorū quis fortasse reprehendat: sonum, non sensum: uerba, nō res. At Christi uerba nulla extant, quia Hebraice locutus est, nec aliquid ipse scripsit. Cur ergo reseruarem tela: siue, ut tu improprie loquẽris, spicula, quod tuum non meum est uerbū, aduersus Christum, in cuius honorem, ô te omni diabolo tetriorem, cōponebatur id opus? Cur enim conferebam riuum latinum cum Græco fonte noui testamenti? an sicut Porphyrius, ut ipsum nouum testamentū impugnarem? ut religionem nostrā labefactarem? ut Christo per illud opus bellum indicerem? an ut ei seruirē? & in templum eius saltem pilos caprarum, ut aiunt, si alia non possem, offerrem? Ego omissa omni alia lucrandi ratione, quædā opera in honorem religionis Christianę cōposui, & quasi meis stipendijs pro Christi honore tam diu militaui, & tu ais me aduersus eum spicula reseruasse, pro quo, quæso, imperatore pugnaturus? an pro dijs, quos tu testari soles, Ioue, Baccho, & Venere? Et tamen testem citas, si modo uerum est, unum & eundem plusquam pessimum, & penè tibi parem Antonium Panhormitam, nunquam sine præfatione nominandū, qui penè bis sub Eugenio & Bernardino per imaginem chartaceam concrematus est. Quis hoc tibi detulit? scelestissimus Panhormita. Quis testis meo cōuiuio affuit? scelestissimus Panhormita. Quis Christi blasphemati uicem doluit? scelestissimus Pāhormita. O Podi acute quomodo potest de opere Græco iudicare, homo à Græcis literis remotissimus? quem si eius linguę probes nosse alphabetū, omnem tibi remitto, quā me affecisti, iniuriam. Nec recordaris homo hebes, ac supina loquacitate, eorū, quæ finxisti, ut me ebriosum, qualem ego te descripserā, repræsentares, inquiēs: Pog. Cum te olim uir clarissimus Antonius Pāhormita ante uestrū dissidium ad cœnam unà cum doctoribus quibusdam inuitasset, te laudando uehemētius, & uirtutes tuas tollendo, ac subinde ad singulas laudes uinum tibi non nigrum, sed Græcum subministrando, cum id more Græco fieri diceres, ad tantam perduxisset ebrietatem, ut ueluti primo, simia multos ludos iocosq́ ederes, deinde, ut leo, insurgeres fortior, tandem, ut porcus, dormitans, te in triclinio prosterneres resupinum, superueniēte nocte, cum nulla pars corporis suum officium faceret, quippe omnia uino demersa erant, neq; ad solitum tugurium ebrius, dormiens, stertens reuerti posses, quidam ridendi gratia te super asellum forte obuium uatem nostrum Apollineum imposuerunt, & cum neq; sedere præ sopore, neq; te erigere ob membrorum stuporem ualeres, reclinato, tanquam morbo debiles solent, super hęrentis cuiusdam humerū languido capite, brachijs manibusq́ demissis, clausis oculis, ore aperto, uiniq́ saporem teterrimū exhalante, tanquā alterum Silenum, ut in sculpturis priscis uidemus, domum deduxerunt, ubi qui socius erat, graui aliquo morbo hominem correptum putauit, neq; alijs ridētibus quidnā rei esset prius percepit, quàm uomitione ęgritudo illa est patefacta. Hoc adeo grauiter Silenus noster tulit, ut postmodum bellum, quod adhuc uiget, indixerit Panhormitę. Lau. Vtram uis harum cœnarum fuisse tempore priorē? Si hanc, ex qua ego & Panhormita inimici facti fuimus, quo pacto ego illi alteri cœnę potui interesse, ab eo inuitatus? Sin illam, quomodo ille me bestiā talem, cum qua non putaret sibi amplius colloquendū, iterum cum doctoribus ad hāc cœnam admisisset? Agnoscis Podi mendacium tuum, agnoscis tuam impuden-

tiam ſimul & imprudentiā? Ideoq́ꝫ quãquam huius loci nón erat, addam de alia, quam mihi obijcis, ebrietate, ut tegas tuā, qui cœnoſus nihil aliud ſtudes, quàm cum alio quouis uolutari, ut cœnum abſtergas. Et ut credibilem faceres ebrietatem Neapolitanam, addidiſti Romanā, inquiens: Pog. Ad hæc Neapolitana uinaria expeditio forſitan obſcurior, notior Romana. Annos amplius ferè tres in cõuiuio cuiuſdam Epiſcopi tantum uini eſuriens ſitiensq́ꝫ abſorbuiſti, ut cum ueſperi lecturus eſſes, neqꝫ ad horam præſtitutā appareres. An ignoras diſcipulos tuos, cum diutius ſtertentem oratorem ſuum exhalantē crapulam expectaſſent, tandē cubiculum ingreſſos, te uix magnis uocibus tanquam à lethargo detentum excitaſſe, cum tu ſemiuiuus, oſcitans, ſtupidus, demens, caput phreneticum, & reliqua. Lau. Cur non addebas, quoties ego cõuiuio alicui interſum, toties me ſolere fieri ebrium? Sed quis eſt iſte Epiſcopus? quin eum nominas, ſi notior iſta, q̃ꝫ Neapolitana illa, crapula eſt? Nomina ex tot diſcipulis aliquos, ut pro teſtibus eos interrogare poſſimus. Et diſcipuli nõ modo in domum iniuſſu meo, ſed in cubiculum quoqꝫ penetrarũt, præceptorē dormientē non uerecũde, non timide, non modeſte, ſed magnis uocibus excitarũt? Cur nõ addebas, quòd ueluti Sileno uincula innexuerũt, quòd pedibus traxerũt: & in uiam tanquã Cacum protraxerunt? Deus te perdat ſcurra leuiſſime, qui amplius ab iſta tua inuectiua triennio, hoc eſt, ab hinc quadriennio, tranſiſſe tēporis ais, ex quo id geſtũ eſt, cum nõ amplius tribus iam annis legerim: quemadmodum de Neapolitanis quoqꝫ, apud miſerrimũ & aridiſſimũ hominem Panhormitam, cœnis mentiris: quoniã & antequã Rex expugnaret Neapolim, fuit mihi ille inimiciſſimus iam inde à Caieta: tãetſi male adhuc ſarta gratia erat Papia reſciſſa, & poſt ortas inter nos ſimultates ego de noui teſtamēti collatione cõpoſui, ut ipſe illud opus à me oſtenſum ſibi nõ queat dicere, de quo, ut ad rem redeam, finemq́ꝫ faciã, quid attinet dicere, quid ſentiat homo ſpurciſſimus, ut opus ipſius Hermaphroditum publice damnatũ crematumq́ꝫ teſtatur, cum tot Cardinales cum ſummo pontifice bene ſentiãt. Quare tibi nec de Ferdinãdo Cordubēſi reſpondeo, qui ſi tecum de me, quē ait ſibi amicũ, et de ſe bene meritũ, male loquitur, ingratus eſt, nec officio probi uiri fungitur. Sin uerũ amicũ agit, tu potius ementitus es. Etiã libros meos de Vero bono inſectari audes, quòd & uirginibus detraxerim, & uina laudauerim, inquiens: Pog. Nunc ſanè uideo, cur in quodã tuo opuſculo, in quo Epicureorũ cauſam, quantũ dat, tutaris, uinũ tãtopere laudaſti. Et paulò pòſt: ut Epicureolũ quendã uoluptatis aſſertorem te eſſe fatearis. Lau. O ſi te Podi feciſſem cauſæ Epicureę aſſertore, quanto plura dixiſſem? quę noua laudis genera excogitaſſem? Mihi crede, ipſum mare in uinũ cõmutaſſem, in quo tu tanquã deus non marinus, ſed morinus natares. Nũc Maphęus Vegius, qui de uino loquebatur, homo tetricus & minime Podianus, me nonnihil à planè laſciuiẽdo, & prorſus Epicureè loquendo retinuit. Etiã de uirginibus ex eodem opere uerba ſubijcis: Pog. Sed in libro primo, quem de uero bono ſcripſiſti, uerba ſacrilega quidē, & ſcelerata nimiũ, quę à me referent, iſta poſuiſti: inquis enĩ, Ego uerò, ut de quãta libertate, ac licētia reſpondeam, ſic ſtatuo: Quiſquis uirgines ſanctimoniales primus inuenit, abominandũ atqꝫ in ultimas terras exterminandũ morem in ciuitatē induxiſſe. Lau. Nebulonũ princeps Podi, adeſt Maphæus idē, uir in omni ætate caſtiſſimus, et qui ſorores aliquot habet ſanctimoniales, quē tunc amiciſſimũ meũ, ut nũc quoqꝫ eſſe ſpero, uolentē ac libentē introduxi, ut magis appareat, illa diſputãdi cauſa eſſe dicta ſub Epicurei perſona. Ideoq́ꝫ uolui dãnare ueſtaliũ ac gentiliũ uirginitatē, ut magis laudarē Chriſtianarũ. Nõne ſemper ille in duobus libris perinde loquitur, ac ſi Epicurus ipſe eſſet, non Maphæus, & uirginũ ac ſanctimonialiũ frater? O te * uerũ pluſquã perditiſſimũ. Nonne dixi

in procemio,

in proœmio, cur Epicureos abiectos homines et cõtemptos induxissem loquentes? Nõne in tertio libro quidã ex ordine minorũ, sub cuius persona meam dico sententiam, contra Maphæũ ueluti Epicureũ sententiã fert? Quo ex libro cur tu uerba repetebas, ubi causam Christianã ago? ubi gẽtiles cunctos impugno? ubi gaudia depingo paradisi, quem locum Candidus cum laudat, nihil se ait legisse floridius? Quo ex opere nõ minorẽ apud elegãtes Guarinũ, Leonardũ, Ambrosium, Carolũ, ad quos detuli, nitoris atq; facũdiæ, quàm apud sanctos ac religiosos pietatis & sanctimoniæ adeptus sum laudẽ, ut ob id uel magnã expectem ab Iesu Christo, cui imprimis uirginitas & abstinẽtia grata est, mercedem atq; remunerationẽ. Et tu cõtinentiæ & abstinentiæ perpetuus hostis, libros illos ausus es mihi obiectare, tuę fraudis, & tuæ tibi calumniæ conscius? Nõ enim ignorabas cõtraria libro primo, in tertio cõtineri, quid sperabas? quid optabas reticẽdo ueritatẽ? Nẽpe tibi, qui opus illud nõ uidissent, credituros, & mihi uel nõ responsuro uel nondũ respondẽti, inclamaturos, allatraturos, cõuitiaturos. Atqui nõ desereret deus causam meã abs te prophano lacessitam, qui causam ipsius in meo opere nõ deseruissem ab impijs & tui similibus lacessitam. Si ego tacuissem, ipsi pro me lapides locuti fuissent, & tuã calumniã cõfutassent. Nam quid facilius q̃ te confutare, hominem tardũ, hebetem, luteũ, terreũ, puluereũ? Vt puluis enim a uẽto stultitiæ tuæ statim excitaris, et in sublime raperis, & nihil nisi aduersus oculos fers, nec cõsternis corpora, sed cõspergis. Vide quanti te faciã Podi, semper mendacijs, semper nugis, semper tergiuersationibus, semper ineptijs utẽtem. Si mille Podij ex aduerso in acie starent, si qua est fides, (nolim uideri de me superbe, sed de te abiecte loqui) non pluris cohortem Podianã facerẽ, quàm aut aquila gregem coruorũ, aut accipiter cateruam graculorũ cum clamoribus inuadentium faceret. Si mihi nõ credis, iusiurandũ, & quidem sanctissimũ, interponam, quod Socrates interponebat, per anserẽ et canem deierare solitus: Deierare dixi, pro iurare, nõ pro peierare, ut tu facis, inquiẽs: Pog. Tanquã deũ curet homo periurus, aut impius aliquid pensi faciat deierare. Lau. Sed quis te inauditus & incognitus tenuit furor, ut libros nõ meos pro meis, imò nullos pro ueris reprehẽderes: cũ ais? Pog. Citẽ præterea liber de fato diuinaq; prouidẽtia, in quibus palàm beatum Augustinũ omnesq; doctores improbat, blasphemus est in deũ, & nouæ hæresis autor existit. Lau. Qui sunt isti libri mei mihi ipsi ignoti? cur tu aliquẽ ex eis locũ non profers? cur nõ aliquid blasphemũ? aliquid hæreticũ? aliquod deniq; uerbũ Laurentianũ? homo tartaree, satanę frater, Belial fili, & ignis æterni sempiternũ pabulum, quãdiu uiues, Italiæ dedecus, & seculi turpitudo, atq; ciuitatis sterquiliniũ: morere quãprimũ, qui nõ mori, sed uiuus uidẽsq; dehiscente terra dignus es absorberi. Nam quod in libro, quẽ de libero arbitrio scripsi, Aristotelẽ dixi in Euripo perijsse, nõ sine autoritate dixi, nõ dico quorundam aliorũ, quorũ est Lucianus, sed Gregorij Nazanzeni, uiri doctissimi apud Græcos, atq; eloquentissimi, in quẽ tua illa cõuitia, non in me boant. Pog. O insanã beluã, ô stultitiã, inscitiam, demẽtiam, turpitudinẽ nõ ferendã, quid enim stultius esse potest? quod peruersius, quàm Vallam nostrũ, qui se scientiã omniũ rerũ tenere iactat, ignorare Aristotelis mortem adeò uulgatã, ut nemini ferè, qui aliquid sapit, sit ignota? Lau. Non ignorauit Gregorius istud genus mortis fuisse uulgatũ, sed aliud maluit credere, quod non uulgatũ, sed amicis occultatũ fuit, tametsi multi sunt, qui aconitum sumpsisse eum tradunt. Quid enim uulgatius morte Socratis, quem Plato tradit in carcere obijsse? at id falsum est. Quid Themistoclis? quem aiunt taurino sanguine hausto, fuisse extinctum. at id curiosi uestigatores ueritatis negãt. Quid tyranni cæde Pisistrati, ac nece Harmodij atq; Aristogytonis? at omnem Græciam Thucydides errare cõuincit. Quid

morte Alexandri? quem ueneno necatũ Curtius negat, & plerique aiunt, sed id ti more Antipatri Cassandríque fuisse suppressum. Infinita sunt huiusmodi exẽpla, ut de Romulo, quẽ in cœlum fuisse sublatũ uulgus & loquebatur & sentiebat. at cum nõnulli, quibus ipse assentior, à patribus fuisse discerptum crediderũt. Itaque nõ cõtinuo habenda est fides famæ magis uulgatæ, sed magis probabili. Ego cũ scirem, quid Diogenes Laërtius et alij nõnulli scribãt (nam quomodo ignorarẽ, quæ uulgus nouit, tu hoc, quod ego dico, potius ignorasti) tamen malui in opere Christiano Christianũ hominẽ sequi. In quo opere reprehẽdendo tu nõ Christiane, sed Arriane fecisti, qui uerba, quę non in mea, sed in collocutoris persona dicuntur, sicut superius de uituperatione uirginum et uini laude fecisti, mihi attribuis, inquiens. Pog. In hac autem, de qua tecũ loqui instituo (pace tua & aliorum dictũ sit) nemini prorsus assentior. Nam quid de alijs dicã? cũ Boëtius ipse, cui in explicãda hac quæstione tribuitur palma, quod suscepi, implere nõ possit, sed ad quasdã res cõfugiat imaginarias & cõmentitias? Ecce hominẽ sapientẽ, religiosum, perspicacẽ, qui nemini, ne Augustino quidem, qui de libero arbitrio scribit, assentiatur. Lau. Sunt ne ista scelesta mea uerba, qui respondeo: an Antonij Gleræ collocutoris, qui instituit quęstionẽ, & quasi diuersas in acie partes tuentis. Ille ut alij plurimi, incertũ habebat de libero arbitrio, nec alicui assentiebatur, tanquã planè hanc quæstionẽ explicanti. Itaque eius mihi, ut in dialogis fit, ad instituendam disputationem fuerũt uerba repetẽda, quæ, etsi in illo reprehendenda nõ sunt, tamen tu calumniose mihi attribuis. Ecce crimen meũ, quòd Augustinum insector, quẽ ne nominaui quidẽ. At cur materiã ab eo tractatã retractaui? cur idem fecit ipse Boëtius? cur alij cõplures? Neque enim uetamur quæstiones à summis uiris disputatas, nos, quantulicunque sumus, agitare, ut uidere licet in iure ciuili, in medicina, philosophia, in theologia, in cęteris artibus, atque scientijs. At speraui me assecuturũ, quod assecutum dixi esse neminem. Nũquid meæ spei etiam pœnam dare debeo? At non pręstiti, quod speraui, aut præstiturũ me pollicitus sum. Ego uerò uel minus promisi quàm præstiti. Nam tu, ut semper tui sis similis, etiã hic calumniaris, inquiens. Pog. Videre oro, quãta sit huius portenti nequissimi ostentatio, uel stultitia potius, fustibus & cruciatu digna. Hic se id finiturum, quod nemo, ut asserit, sit ante assecutus. Verba sua hęc sunt: Est, ut ais, perdifficilis quidẽ ista quęstio & ardua, & haud scio, an ulli cognita. Nũquid enim res indigna est, si id tu non assequaris, quod uides assecutum esse neminẽ? Egóne satisfaciã, quod nemo alius potuit? Deinde: In hac autẽ, de qua tecũ instituo (pace tua, & aliorũ dictũ sit) nemini prorsus assentior. Lau. Quid habent hæc uerba ostentationis? quid stultitię? quid cruciatu dignũ? Si alterum uolẽtem assequi, quod ait assecutũ neminem, cohibeo, & me excuso, si non possim satisfacere illi in quæstione perdifficili & ardua, & quæ an ulli esset cognita nescirem. Non sunt hęc mea uerba, sed aliena, non à me per ostentationem, sed à te per calumniã dicta: non in me stulta, sed in te, nec in me fustibus, quibus liberi, sed in te flagellis, quibus serui cædũtur, puniri digna. Quin potius homo hebes et rudis, aliquid in operibus meis, ut falsum, reprehẽdis? Sed ad aliorũ patrocinia cõfugis, à quibus uis me, quia tu me cõfutare nõ potes, uideri confutatũ: ueluti Lauri Quirini, quẽ nunquã allocutus sum, nunquam audiui, nunquam uidi, de quo cum quibusdã alijs ita inquis: Pog. Leonardus quidem Aretinus, dum uixit, scio quid de te senserit, semper præsumptuosam & fatuam bestiam appellabat, Guarinus, Veronensis, quanti te faciat, suæ epistolæ, ut uerba sileam, ostẽdũt, Francisci Barbari uiri doctissimi mihíque amicissimi sententiã noui, qui cũ pro sua humanitate omnes laudet, tamẽ cum risu in sermonem incidens, quę sit sua de te opinio, demõstrat. Vir doctrina præstãtissimus Laurus Quirinus, te si licet charũ habet,

qui

qui dudum ægre ferens Aristotelis famam à te lædi, epistolam tibi contumeliosam scripsit, prouocans te ad certamen, cum profiteretur se Aristotelis, cõtra tuã contumaciam, defensorem At tu congressum timens, qui nunquã nisi cum adolescentulis decertare consueuisti, eã refugisti silentio disceptationẽ. Lau. Quia dixi Leonardum solitũ dicere, tibi ligonẽ aptiorem quàm calamũ: uoluisti uicẽ reddere, ut diceres, eum de me solitũ male sentire & loqui, cum sint multi etiam Prælati in curia, qui ex eo de me pręclarissimũ testimonium audierint. Sed cur addidisti: dum uixit? an antequàm uiueret, aut nũc dum nõ uiuit, bene sentit & loquitur? Quia Guarinũ attuli testem, qui scripsit me parentem elegantię, finxisti eum nescio quid de me scripsisse. Quia nominaui Carolũ, ut te superiorem, de ipso quoque mentiri ausus es. Nam de Francisco Barbaro quantopere mentiaris, iam probauimus. Lauri uerò Quirini an timuerim cõgressum, ex mea respõsione intelligas licet. Quas literas nolo putes ad tempus à me fingi, nam earum exemplar cum à pluribus habeatur Venetijs, attulit illinc superioribus diebus iuuenis nobilis & inter paucos elegans Leonardus Montagna Veronensis, Archiepiscopi Aspalatensis contubernalis. Ego enim ideo epistolas meas non habeo, quia eas in libros nec referre, nec transcribere soleo. Earum quas dixi ad Laurum Quirinum literarum hoc exemplum est.

LAVRENTIVS VALLENSIS
Lauro. S.

Quis sis, aut qua conditione, quibus'ue natalibus, ex tua epistola nõ didici: didici solum qua prudentia uel grauitate, & qua facultate dicendi sis, de quarũ utraque dicam, quod sentio. Prudentia quidem & grauitate tanta es, ut antequàm causam cognoscas, sententiã feras, & ex epistola mea uelut indice meorũ operum me cõdemnes, nesciens quid ipse in libris scripserim, & per impudentiam quandam singularẽ diuinans: Facultate uerò ea te esse affirmare possum, ut nequaquã tui muneris potissimũ esse debuerit: suscipere summorum hominum patrociniũ. Quod autẽ ais, ut isthuc mittam exemplaria omniũ librorum meorum, scite admodum facis, ne dicam inscite, qui ab eo, de quo male mereris, donari tot codicibus uelis. Ego uerò non passim mitto libros meos, neque iacto meam, si qua est, facultatem. Sed libri iam per se & Alpes & maria transierunt, & opus de elegantia à uicinis tuis summopere laudatum est, Guarino & Aurispa uiris doctissimis & elegantissimis. Et tamen non est causa cur tecum copijs omnibus pugnem, sed una, ut spero, te cohorte debellabo. Ais tu Boëtium non errasse, & nõ cadere in hunc hominẽ reprehensionem? Hic conciuis meus est: magis tua intererit conciuem, ut opinor, tuũ, qui multo maior Boëtio est, T. Liuium de inconstantia historię reprehendi. Hanc tu cohortem si profligaueris, maioribus posthac tecum copijs agam. Sin minus, intelligam non oportuisse fatigari omnes copias meas, id est, te procaciter ad me lacessendũ processisse. Eã epistolam à Carolo Strozia cõmodato accipias licet, et alios libellos ijsdem diebus conditos de omnibus quæstionibus ferè operum meorum, sed hos libellos uel cõmodandi uel non cõmodandi arbitrium sit penes ipsum Stroziam. Vale Calen. Octobris, quo die accepi literas tuas, in quibus scripsisti: primo idus Augusti, qui dies non inuenitur. Idibus enim dicimus, non primo idus. Alios barbarismos & solœcismos omitto. Iterum Vale.

Videor'ne tibi Podi detrectasse ego pugnã, an ille potius qui Liuium defendere cõtra me nõ est ausus? Atque, ut magis indigneris, ac liuore rumparis, uolo gloriari ex eo opere, ubi Liuiũ reprehendo, quod nuper apud Dionysium Halicarnaseũ legi, quem nunquã antea uiderã: omnes, præter nescio quẽ unũ, historicos rerũ Romanarũ, quod mirũ sit, errasse dicẽtes: Tarquinium superbũ fuisse

filium Prisci, quẽ nepotẽ fuisse multis ac necessarijs argumẽtis ipse docet, quorum argumentorũ bonam partẽ ego excogitaui, ut propè me possis, quantũ ad acumen ingenij pertinet, Dionysio cõparare, ac Liuio prępon ere. I nunc, & dic Laurũ Quirinum putare me imbellẽ militem, & cũ adolescentulis, non cũ uiris certare solitũ, qui, ne quid insolentius dicã, cum Gigantibus, hoc est, cum autoribus congredi audeam, quicq; monstra, ut Hercules, domem atq; extinguã. An nõ sentis quibus sagittis, quo gladio, quibus flãmis te hydrã cõficiã, atq; exurã? ne iterũ meã iactantiã mordeas, quòd me Herculem facio, faciã te Iunonẽ, qui tanquã Iuno mihi subinde domanda proponis monstra, quę si duodenariũ numerũ transcendãt, reddes me Hercule celebriorẽ. Itaq; facile patior ostẽdi mihi alios super alios labores, ut etiã atq; etiam exaugescat gloria mea, eò quidẽ facilius, quòd hęc non tam monstra sunt, quàm Iuno sub monstrorum specie certans. Quo magis mihi laborandũ est, ut hanc pestiferã & infestã inuisamq; summo patri Iunonem semel extinguã, ne amplius palatia coeli iurgijs ac litibus uexet atq; inquietet. Venio nunc ad reprehensionem uitę, etsi illud truculentissimum fuit, quod nõ ad uitę meæ attinet reprehensionem, sed ad parentũ meorũ. Nam spurcissimus hic omniũ, qui fuerũt ac sunt, atq; impudentissimus, quia refellere crimina sua non potest, loco suę defensionis obijcit alteri eiusdem aut similis criminis maiora dedecora, quemadmodũ monstraui, monstraboq;. &, ut est stolidus, id dissimulare aut nõ uult, aut nescit: ait enim. Pog. Cum Vallam nostrum ueluti agasonẽ pastoralem appellassem, asinariũ, in parentẽ meum uersus, asinarium fuisse dixit, stulte sanè & nimium dementer. Nihil enim de suis parentibus sum locutus, neq; enim ad illos, qui uita functi sunt, mea oratio extẽditur, sed ad stultitiã eius, qui uiuit: inhumanũ quippe est mortuos, qui respõdere nequeunt, incessere. Lau. Inhumanũ est, ais, incessere mortuos, stultũ sanè, ac nimiũ demens, cur istud ipse nõ facis? cur tuo nõ obtẽperas pręcepto? Nihil, inquis, de eius fuerã parentibus locutus. Quia nihil loqui poteras, quia nõ agasones, nõ pastores, non asinarij fuerũt. Nihil fuisti locutus de parentibus meis? at fuisti locutus de me, quod nõ minus mihi graue esse debet. Neq; enim minus dolent nobis incõmoda nostra, quàm nostrorũ maiorũ. Itaq; cũ me falso appellares asinariũ, ego patrem tuũ uere asinariũ compellaui. Neq; insuetum, neq; in artibus uetitũ, uel laudem uel uituperationẽ de maioribus petere, dum uere, quod tu teterrimũ monstrũ minime facis, sed pro contumelia pusilla tam grandẽ ignominiam inurere uoluisti, & cũ patri meo studes detrahere, in matris meæ, pudorem inuasisti, inquiens: Pog. Sed qui conuenit exprobrare alicui patrem eius, præsertim qui patre incerto sit natus? qui patrem sit ementitus? qui itidẽ, ut Romulus, iactare possit, se Martis filiũ esse? Nam is in cuius nomen inuadis, quem insimulas fuisse patrem, quem tacito nomine utriusq; iuris doctorem fingis, qua uita uixerit prætereo, sed ita doctus fuit, ut nemo in Curia esset indoctior: ita in ea uersatus, ut nullus ignotior: ita celebratus, ut nullus desertior uideretur: qui adeò nobilis fuit, ut sibi ipsi esset ignotus. Lau. Do ueniam temulentię, furori, uesaniæ tuę, eatenus duntaxat, quatenus ad patris mei dignitatem spectat obtinendam, etsi adeò cæcus rabie es, ut quid loquare, non sentias. Patrem meum tibi nequaquam notum fuisse confiteris, quem nunquam uidisti, cuius nomen necdum nosti, de quo nihil, nisi ex me audisti: utriusq; iuris fuisse doctorem, & tamen de eius uita, de eius peritia, de eius cõditione tanquã de hominis tibi notissimi loqueris. Verum, quòd me incerto patre natũ ais, & tanquã Romulum Martis filium esse, hoc ad matrem pertinet. Te tamen demiror, qui ut omnes numeros tuę dicacitatis impleres, non dixeris: me, me ut Romulum, à Laurentia meretrice educatum, & ab ea nomen Laurentium accepisse. Tu'ne matrẽ meam

auſus es appellare impudicam? cuius uita omnis ſemper extitit pudicitię exemplar: quę quinq; & uiginti nata annos ſic in uiduitate caſte integreq; perſeuerauit, præſertim ea uenuſtate, quę multos ad eius petendum matrimonium ſolicitaret, ut omnium uirtutũ, quæ in fœminas cadunt, extiterit ſpecimen. Negabis hoc, etſi tibi notiſſimum, pro tua impudentia uerum eſſe. Tametſi, qua ſemper inconſtantia es, ſororem meam, ut uiro eius blandiaris, mulierem optimam appellas, cuius matrem, & eandem uiri eius ſocrum impudicam fœminam appellas. Quid igitur agam? compellabo ego uiciſſim matrem tuam? at eam ne audiui quidem: an fingam? atqui hoc à me abſit Podianum crimen, falſa obiectãdi, an eius Semproniã compellabo? an uereor Pompeios, Craſſos, Cæſares, alioſq; Senatores ac principes Romanos uſurpare, * quibus illa & prius, & poſt, & plus quàm P. Clodio placuit? at id tamen dedecus meum nõ purgaret. Podiana eſt iſta purgatio: an apertum mendaciũ pro nihilo ducam? at erunt fortaſſe, qui credent, ueluti abſentes, ueluti creduli, ueluti poſteri: certe eius fœminę, ex qua gloriari mihi licet, gloriam læſam uiolatamq; non patiar. Precor itaque cunctos, qui iſta legunt, ne me inſolentiæ damnent, ſed neceſſitati ueniam dent, & probitatem ab improbitate fortiter defendi, ac magnifice ferant. Non mihi ipſi, ſed matri meæ, quę uiuit, & hęc fortaſſis audiuit, non tam decus aſciſco, quàm dedecus arceo, etſi parciſſime faciam: fortitan aliâs latius exequuturus. Hæc eſt P. Clodi, quæ pręgnans aliquando, cum ſe ignoraret uentrem ferre, ex oraculo facta eſt certior, ſe grauidam eſſe, & parituram filium, iuſſaq;, ut id nomen puero, quod poſtea impoſitum eſt, imponeret. Quale oraculum, & à quo ſanctorum factũ fuerit, non ſolum matri, ſed propinquis, uicinis, notis, atq; etiam paterno chirographo probandum relinquo. Vides Podi ut Herculem, quem deſtructum uis, obijciendis monſtris efficis illuſtriorem? Nunc de uitę meæ innocentia reſpondebo, ſumpto ab ipſa adoleſcentia principio, quam tu, quia abs te laceſſitus mentionem filiorũ tuorum temperatiſſime feceram, inceſſere uoluiſti, inquiẽs: Pog. Quòd uerò quæris, cur hœdos meos à lupis nõ cuſtodiam, credo filios meos à te ſignificari. Sed ij, quamuis paruuli ſint, tamen cum propè tranſis, ueluti catuli uigiles Lyciſca latrante ſignificant lupum famelicum hœdorum diuerſorio appropinquare. Lau. Nunc hœdos tuos, quos eoſdem inepte catulos uocas, dum ſunt inter nos inimicitię, ſibi à me timere ais, cum anno ſuperiore, dum erant auditores mei, & ob reuerentiam tuam honorifice domi meæ tractarentur, quoties eò ueniebant, nihil à me timuerint. Ego tibi memoriã refricare uolui facti illius toti uicinię noti, propter quod tu filiũ tuum loris cecidiſti, eã rem ubi comperiſti, pro tua æquanimitate ſiluiſti, quoniã lupus ille nobilis erat, & tibi amicus, & me poſtea lupum uocas, qui ſi formidares lupos, qualis ego non ſum, non hœdos tuos Lyciſcę crederes, qui lupo patre eſt genitus. Sed de hoc uitio poſterius ſuo loco. Nunc de crimine adoleſcentiæ meæ, de qua ita ſubiungis. Pog. Debeo tibi gratias, qui me admones turpitudinis tuę, qui nondum etiam exacta ætate potes præteritorum tuorum ſcelerum obliuiſci. Subijcit tibi ante acta uita memoriam peſſimi flagitij, in quo ſum tu ab infantia turpiter uerſatus. Vidi enim te, poſteaquam ad urbem ueni, uulgare ſcortum, & corpus habens uenale, ita omnium turpitudini expoſitum, ut nulla eſſet merx in urbe emptoribus uulgatior. Lau. In hac urbe, in qua natus, & ad uirilem ætatem educatus ſum, ubi me flagitioſiſſimam ais uixiſſe uitam, non aliorum, ſed tuo unius uteris teſtimonio. Ipſe, inquis, uidiſti. non ab alijs audiſti? ſolus tu id noſti? non ergo uulgare fuit: ſin res uulgata, quid attinet memoriã tuã, qui exacta ætate es, afferre teſtem, cita æquales meos, cita condiſcipulos, cita uicinos tribuleſq; meos, cita ipſum quoq; Porcelliũ, qui aliquãto me

natu

natu est maior, qui preceptor fuit fratris mei, qui me adolescentem uidit, quem ais in me scripsisse: hominē in loquendo atque obloquendo liberrimū, si quid uidit, si quid audiuit, si quid tale de me suspicatus est. De quo, ut aliquid ego testimonij sumam, cum quidem me uirginē esse predicarent, ipse, ut laudi meę aliquid derogaret, frigidioris naturę me dicebat, nec de me quicquā fingere ausus est, etiā cum aliquandiu inimici fuimus, quod fratrē meum natu maiorem cum multis armatis ad ripā Tyberis aggressus, qui etsi corpore athletico & stipatus armatis, tamen me & masculū & calidi ingenij expertus est. Adeò integrior castiorque extiti, quàm ut maligni et inimici detrahere auderēt. Possem nominatim plurimos tum nobiles, tum literatos, tum alios uel ciues uel externos, quibus cū uixi, afferre testes integritatis & * mūditię meæ: possem & ipsum summū pontificē tenacissima memoria uirū, non rerum turpium, ac malarū, sed honestissimarum atque optimarū. Sed malo tuā ipsius scelestissime Podi conscientiā afferre testē, ac te ad tribunal dei, ubi nihil occultare licet, ad pœnā uocare talionis. Magnis enim periculosisque morbis magna et ancipitia sunt remedia adhibenda. En Podi tolle oculos, suspice in cœlū, cerne Tribunal Iesu Christi in summo æthere positum, uide mirifica specie angelos circunsistentes, & nos iudicio disceptaturos ad se conscendere iubentes, iudice mox affuturo. Quid tu facis? quid respōdes? Ego certe tanquam ad uerū conspectum diuini tribunalis atque sanctorum angelorū dei Vergiliano uersu, ac sublatis in cœlum manibus exclamo:

*alias pudicitiæ.

Sancta ad uos anima atque istius inscia culpę<br>
Ascendo: si sum mentitus, mihi tellus ima dehiscat,<br>
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,<br>
Pallentes umbras Herebi noctemque profundam.

Hoccine tu Podi audes dicere: te non mentiri? te non præter conscientiā mihi detraxisse? Te quæso Iesu Christe, si meæ dignę sunt, quas exaudias, preces: si Podius non ore tantum, sed corde etiam mentitus est, ede in hunc hominem exemplum, ut cæteri fiant ad calumniam tardiores. Iacta sunt, ut opinor, fundamenta tutandę pudicitię meæ. Quo audacius cōfutabo reliqua, quę paulo post subijcis. Pog. Quid te ad aperiendum ludum, ad quem pueri elicerentur, patefacere coēgit, nisi ut ad tuam palæstram adolescentum greges conuocares? ut tua domus non domiciliū doctrinę, sed libidinis diuersoriū uideretur? Possem nominare nōnullos, quibus suam pudicitiā per te tutari non licuit, cum ij postea questi sint, nisi & illorū & meo pudori uellem parcere, tu ipse nosti scelerum artifex, quę fuerit parentum querimonia, cum ad eos tantum facinus est delatum. Lau. Nescio utrum hoc, an superius sit crimen atrocius. Hoc tamen quia præsentis temporis, est confutatu facilius. Ego reddidi superius causam, cur ad concurrendū cum Trapezuntio omnium Rhetorum, ut ferebatur, hac tempestate doctissimo adductus sim, etsi Rhetoricę lectio, ut nunc quoque, nō habebat concurrentem, idque feci clam summo pontifice, quem scirē non libenter auditurum, aut me alteri rei, quàm interpretationi uacare, aut Trapezuntio, suo præsertim Secretario, negotium exhiberi. Sed Quintiliani iniuriam tolerare non potui, tametsi plurimi uiri oratorię artis studiosi me ad legendū hortarentur, qui etiam cum aliquot Cardinalibus egerunt, ut ego pari cum Trapezuntio salario ad legendum conducerer. Hęc itaque causa est, cur non, ut ais, ludum aperirem, sed ut quilibet maximorum Rhetorum, etiam te & omnes tui similes docere artem oratoriam possem: tam alienus ab isto flagitio, ut si aduersus illud censores creandi forēt, ego inter primos in ueste candida eum magistratū petere ausim, etiā hac lege proposita, ut si qua de candidato unquam fuisset uel minima suspicio, petere nō liceret. Et tu audes dicere, de querimonia nescio quorū parentū, cū nullius

parentis meorũ auditorum, præter illius Francisci patrem, mihi in mentẽ ueñiat, quem, nõ dico, allocutus sim, sed quẽ nouerim. Sed quoniã hoc crimen, ut nunc tempora sunt corrupta, uel sola accusatione, sine ullo testimonio mouet suspicionẽ, cogor te hoc modo deuouere. Hoc tu sicut impudentissime ac scelestissime de parentibus ac liberis es mentitus, ita breui aut liberi tui de tuo obitu, aut tu de illorum queri possis. Qui, quoniam nominare neminem potes, simulas te pudori tuo parcere: quasi soleas pudoris habere rationẽ, ut spurcissimę consabulationes tuę testantur: quasi aliquid reticeres quod ad me pessundandũ pertineret: quasi pudori tuo parcas, cum postea nescio quem Hugolinũ nominas, à me Neapoli adamatum. Nullũ potes ex hac ciuitate nominare, ideo ad peregrinas urbes confugis. Cuius nominis, si quem aut adolescentẽ aut uirũ Neapoli noui (nam tu dolose nec patrẽ, nec familiam, nec tẽpus, nec locũ, nec testes, ne tibi nõ crederetur, nominasti) quę tibi imprecatus sum, ijs mihi atrociora precor. Nec erubescis propediẽ à deo puniende, tam obscœnas, tam deformes fabulas fingere ob istũ Hugolinũ, & quendam aliũ item Neapolitanũ adolescentem, cuius nomen ne fingere quidem audes, ne deprehendaris: me deformiter loris ca sum atq; ignominiose mulctatum, sicut in illo, quod ante ista posuisti, quod, ut tuum crimen celares, cõfinxisti, inquiens: Pog. Pręreptorẽ alienarum uxorũ me à te fingi cũ legissem, ueritus sum, ne me alterũ, qui Proserpinã rapuit esse Plutonẽ diceres. Sed timuit uir prudens & astutus, ne me admoneret, ut eũ Ioui, qui Ganymedem rapuit, cõpararem. Iouem quippe furunculus hic imitatus. Neapoli adolescentulum, quem deperibat, à se non raptum, sed fraude seductum diutius occultauit. Qua re cognita, uerbere coactus est prædam restituere interceptam. Lau. Ego non detexi, sed significaui, cum alia tua adulteria, tum Luciam abs te fuisse Placentino præreptam, ex qua complures liberos sustulisti, si modo tui illi fuerunt. Quod quantopere notum sit, quid attinet dicere? cum uulgo nominetur illa, quę honesti uiri Placentini matrimoniũ tenuerat, Lucia domini Pogij, legerimq; ipse nõnunquã inter nomina siue supplicantiũ siue litigantium in ualuis uicecamerarij: Lucia domini Pogij foliaria. (ita enim uocãtur, quę olera uenditant) Testor in hac re omnem ciuitatẽ Romanã, tu quos testes habes de adolescẽtulo isto, cuius nec nomen, nec parentẽ, nec ullum uestigiũ ostendis? et putas mendacia tua te scurrilitate quadã lenonica commendare: quasi homines non quæsituri sint, quàm uere, sed quàm facete ac lepide dicas, si modo lepidum ac facetum est, facere Plutonem similem adulteris, qui unam Proserpinam nulli dum collocatam, sed uirginem, nec in stuprũ, sed in matrimonium rapuit. Mira est in te rerum antiquarum notitia. Istarum fabularũ, si uel unum uerbum ueritate nititur, &, si non omnia ex eadem sentina, unde obscœnissimas contabulationes prompsisti, precor sæpius (habeo enim necesse ad diuinã recurrere uindictam) ut non unũ in te deus, sed multiplex edat exemplum. Sin uerum locutus es, quod tibi imprecor, in me torqueat. Item, si ego quippiam sum mentitus, uel in hoc quoq; mentior. Nuper cum quendam è nostro collegio scriptorũ, meum penè æqualẽ & condiscipulũ coram pluribus honestis uiris, quorũ unus fuit uir nobilissimus atq; doctissimus Lampugninus Biragus, percõtarer, quòd me ab ineunte ætate nouisset, adiurarémq;, nunquid de me quippiam impudicũ audisset, deierauit sancte, se nihil unquã tale audisse: cumq; miraretur, quempiã hoc dicere audere, audissetq; eum esse Podiũ. Podius'ne istud, inquit, omniũ nequissimus? Non tenes memoria, Martini temporibus, cum habitauit in ea domo, ubi nunc habitat Fabritius, qui proxime fuit rescribendarius? teneo, inquã. Illa, inquit, domus habitãte Podio lupanar, extitit puerorũ: & tu hęc ignoras? Ignorabam, inquam: tam hoc notum fuit, inquit, quàm ipse Podius. Et cum hæc ita

sint Podi

sint Podi impudicissime, præceptor pedicatus, sentina flagitioru, audes dicere, quod tuu est: domu meam libidinis esse diuersoriu, ut iam creda atque adeò scia, quę in te Philelphus scripsit obscœnissima, uera esse. Idem dico de altera, quam subijcis, fabula, ut par pari referres, quia tuam cum Trapezuntio pugnam retuli, quam negasses, nisi magno theatro gesta essent, inquis: Pog. Exprobras mihi concertationem quandam inter me & Trapezuntiu, cum adessent cæteri secretarij, exortam. Sed heus tu uir huiusmodi bellis assuetus, miles Thraso, meministi'ne Neapoli in Regis curia, cum quendam Alphonsum ex ordine equestri uirum strenuum ob nescio quod facinus acrius impugnares, te in terram proiectum calcibus ab illo, & pugnis concisum, cum tu postea facie puluerulenta, ore scisso, labantibus dentibus, barbula & crinibus sanguine respersis, ut eras, exurgens, pauidus, gemens, uix compos spiritus, Regem adisti iniuriam questus? Quo spectaculo primum indignabundus, postmodum in risum uersus Rex, in aliud tempus eam causam reiecit. Lau. Mouet mihi bilem unà cum risu, circulator ac cicunforaneus pharmacopola Podius, credit se eodem certare mecum pacto, quo pharmacopolę in foro altrinsecus stantes astante plebis circulo inuicem conuiciantur, facta atque infecta canentes, fanda atque infanda referentes, nec quomodo probabiliter, sed quo modo inuicem spurcissime dicant, laborantes. Quia pugna sua ipsi cum Trapezuntio à me exprobrata est, ideo similem mihi, sed, ut superior esset, turpiorē uoluit obijcere, cum Alphonso quodam equestris ordinis, nec addidit cognomen. ut sibi crederetur, non saltem patriam, aut nationem, ut sciremus, Castellanus'ne, an Aragonensis, an Valentinus, an Catelanus, an Portugalensis, an Italicus. Nam nullum memini Alphonsum eius ordinis apud Regem fuisse, nisi illum Cardonam à regibus oriundum, qui postea Comes Reginus nuper est mortuus. Sed is tametsi in illo flore ætatis, magis tamen fuit formosus, quàm strenuus, quo nemo fuit mitior, & penè muliebrior, quam uirilior. Sed satis fuit dicere strenuū, qui me humi prostrauit, quod Podio in illa sua pugna non contigit. Quia dixi eum pugnasse in curia, fecit me item ipse in curia pugnantem, sed nescio quare in curia Regia uoluerit esse puluerulentum. Quia ipsi pugnis egerunt, addidit mecū actum esse & calcibus, & ne singula enumerem, quia Papa ipsius pugnos non neglexit, dixit Regem neglexisse meos. Podi ineptissime fabulator, non soleo committere, ut me aliquis cædat, non adeò sum imbellis & ignauus. Vtinam ita possem fortiter tolerare iniuriam, ut iniuste non infero: non me ad Regem contulissem ore scisso, facie puluerulenta, pugnis contusus, respersus sanguine, labantibus dentibus, quos adhuc stabiles habeo, sed à uultu me Regis abdidissem. Sed quæso, si forte oblitus sum, ut significas quanquā nihil tantopere, quàm mala, & iniurias recordamur, redige mihi in memoriā, ubi nostra hæc pugna gladiatoria gesta est, si pugna dici potest, ubi ego uapulando, ille uerberādo usque adeò defessi sumus. Caietæ'ne, an Capuę? an Auernę, an Neapoli? an qua in urbe earū, quas adij unà cū Rege? quo anno, & ante omnia, quo ille cognomine erat meus Alphonsus? Ex hac Podiana loquēdi stultitia, Quintiliani uerborum mihi uenit in mentem è lib. 7. Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quòd omnia, quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus: adulterium obijcis, quis testis? quis iudex? quod pretium? quis conscius? Venenū ubi emi? à quo? quādo? quāti? per quē dedi? Pro reo Tyrannidis affectatę, ubi sunt arma? quos cōtraxi satellites? Neque hęc nego esse dicenda, et ipsis utendū pro parte suscepta. Nam & in foro aliquādo, ubi aduersarius probare non poterit, desiderabo, sed in foro tantam illam facultatem olim desiderauimus, ubi non ferè causa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponantur.

Quid

Quid ergo ais Podi orator inuicte, & Demosthenica prædite prudentia? Ita'ne causam in forum affers, in qua à scholasticis, à pueris quoque refelli facillime possis? Quis Alphonsus? quo in loco? quo tēpore? quibus præsentibus? Vt in hoc, ita in cæteris. Quia dixeram, si foret trapezita, eum literas falsaturum, etsi in sua trapeza tale quiddam admiserat, ut me repercuteret, inquit: Pog. Sed nō horruisti belua impudentissima falsitatis meminisse, qui olim Papiæ penuria coactus, ut non redderes pecunias tibi creditas, falsum chirographum cum scripsisses, accusatus, conuictus, damnatus, ante tempus legitimum absque ulla dispensatione Episcopus factus es. Magna profecto dignitas, id ætatis adolescentem tantam dignitatem assequi sua uirtute potuisse. Lau. Quandoquidem tua uesania cogis, ut Podi in lucem proferam scelera tua, ego non dixi, sed significaui, te tuo Breui, quòd Eugenium mittere mentitus, fuisse autorem cædis Alexandrini Patriarchæ. Idque cum Eugenius rescisset, teque auidus mulctare uellet, tamen tutela eorum, quibus facinus tuum uendideras, te fuisse elapsum. Quis hoc ignorat, non propinquorum illorum modo, ut Episcopus Cornetinus, Angelus Bocianus ac cæteri, sed Curialium, qui aliquid secretius norint? Breue illud tuum fuisse negare non potes, sed ab Eugenio tibi iussum ais. Si is tibi iussisset, non illum & Patriarcham, & Cardinalem, & legatum suū captū, uulneratumque fleuisset, nedum paulo post extinctū. Sed quid rem manifestam probo? tu quod obijcis mihi, quomodo probas? Quis ille creditor? quanta summa? quod chirographum falsum? Deus te perdat malis exemplis stultissime calumniator, putas sic posse falsò scribi à debitore chirographū, ut à secretario Breue? quia tuæ falsitatis tibi es conscius, ideo mihi conatus es simile crimen impingere. Equidē non memini me mutuatum esse ab aliquo unquam pecuniam cum chirographo, sed multis mutuasse. Verum non uideo quomodo possit debitor falsum scribere chirographum, nisi stultitia aut sua, si plus scribit accepisse se quàm accepit, aut creditoris, si minus. An non est stultitia creditoris, si chirographum, quod accepit, nō legit atque recognoscit? nam ubi semel illud habuit ratum, iam nō potest irritū facere. Age Podi, mutua mihi 2000 aureorū etiam, ut puto te factitare, cum fœnore, daboque tibi chirographū ducentorum duntaxat aureorū, et postea si uoles me appellato falsarium, imò uererer, ne tu in chirographo meo, 3000 scriberes pro duobus. Vides ut creditor falsare chirographum nō debitor possit, asine plumbee? non potes interuenisse tabellionem dicere, dicis interuenisse chirographum, quod penes debitorem corrumpi nō potest, quodque antequam ab eodem accipiatur, uim nullam habet. Verum ut credatur tibi fabella, non affers testes uiuos præsentesque Ioannē Campesium, qui nudiustertius creatus est episcopus Placentinus, qui Papiæ in patria sua me nouit: non Episcopum Atrebatensem, tunc Abbatē & auditorem meū: Non Iosephum Brippiū Papalis regesti præsidē: non Maphęū Vegium Papę Datariū: non Candidū collegam tuū, quos tres in libris de Vero bono in ea urbe cōditis feci loquentes: non alios plurimos, sed mortuū, sed eum, qui postquam Papiam in consilium Basiliense iam Archiepiscopus Mediolanensis profectus est, te nunquam uidit: sed eum, qui ante me ex ea urbe discessit, in qua certe nō perseuerassem legere, si infamia notatus fuissem: ex qua Mediolanum nō me cōtulissem legendi gratia, si talis extitissem. Ais enim uir uerax & minime mendax, Pog. Sed cum tibi inuito ea dignitas esset concessa, credo ne à Pontifice culpareris, mitrā albam eo, quo acceperas, die in Episcopi curia deposuisti, quę usque ad hoc tempus suspensa pendet ad gloriam tui nominis sempiternam. Eam mihi historiam olim Franciscus Episcopus Papiensis, quo cum erat mihi summa familiaritas, & antiqua consuetudo, cum te nondum nossem, singulatim ridens narrauit. Lau.

potius,quàm aliquid deberem,præsertim sine ullo periculo falsitatis. O te iterũ dicam,inuictũ oratorem ac Demosthenica prudentia præditũ. Quis iste mercator? quis numerus pecuniæ abrasus? quis substitutus? à quo tabellione scriptæ tabulæ? an ab ipso mercatore? quem in carcerem cõiectus sum? egóne unquam fui coniectus in carcerẽ? Ideóq; repugnante conscientia rogas,ut recorder: quasi non mea sponte recordarer flagitij tanti admissi, tantæ ignominiæ, tanti periculi,talis etiam carceris. Sed cur non addebas: me accusatum,conuictũ,damnatum? ut sciremus, apud quem iudicem,quo accusatore, quibus probationibus, quibus altercationibus litigatum esset. Nec pudet te homo, propter quem carcer uidetur ædificatus, regis habere mentionem tam imprudenter, & hic, & in illa mea cum strenuo equite Alphonso pugna, ubi pro tua sapientia iustum Regẽ inducis,qui innocenti mihi cõtra pugnos & calces opẽ non tulit, nocenti ac falsario opem tulit. Verum'ne omnia uideare semper dicere planè falsa, & quæ nullum probabilitatis colorem habeant, aliquando dixisti, quod credi posset, etsi falsum omnino quòd, ut opinor, infamis & impius Panhormita te docuit, & homini, sua sponte ad omnium temeritatem prono, temeritatis arma porrexit. Ais enim, Pog. Sed hoc nõ præteribo,tuæ gloriæ facinus abijciendũ, meministi'ne sacrilege furcifer, quosdam libros Græcos ex cœnobio religiosarum sanctæ Claræ mutuo cõcessos,per summã fraudem surripuisse, & Romã clanculum asportasse,qui fuerãt tuæ perfidiæ crediti? Quam rem illæ grauiter ferentes, hoc furtum nõ dissimularunt,sed multis cum uiris hanc iniuriã sunt conquestæ. Lau. Si erant mihi libri crediti, quomodo surripui stultissime sycophanta? aut quomodo poteram à sanctimonialibus illos surripere? cur non addebas, mihi permagnam cum illis consuetudinẽ fuisse, & nocturnos, tanquam Numæ cum dea Egeria,congressus solitos esse? Si uerò nullam illarum allocutus sum,quomodo ipsæ mihi libros crediderunt? Ergo Prior illius cœnobij mecum egit,non illæ fœminæ. Qui si mihi libros credidit, qua ratione ego sacrilegus sum, cum præsertim libri illi sacri non essent? fuerunt autem duo codices, unus operum Hippocratis,alter de cura boum,canum,accipitrum. Eos libros,ut scias P. Clodi, etiam cœnobiorũ muliebriũ contaminator, cum diu nemo uellet emere, uir insignis arte medicina Antonius Itranus,& meus & illius cœnobij medicus,mihi nuntiauit esse uenales.& nuntiauit tũ cœnobij causa,ne libri illic inutiles putrescerent:tũ mea,qui amicus eius essem:tũ sua,quòd scire cuperet, quæ nam illic Hippocratis opera forẽt,nam titulus etiã latinus inerat,illũ esse Hippocratẽ. Illius admonitu adeo Priorẽ,nomine,ut opinor,Gasparẽ,qui eodẽanno, in eodẽ cœnobio,nescio à quibus,est trucidatus,inspicio libros, conuenimus de pretio,numero pecuniã, scribit mihi chirographũ, porto illinc libros. Postero die adeo medicum,facióq; certiorem de numero librorum Hippocratis. Ille mirari numerum quantus apud Latinos non esset, cõtendere à me, ut quendam transferrem, ego respondere: me non audere transferre librum de medicina, præsertim ionice loquentem, aptiorem ei rei esse Gregorium Castellanum, qui & optime Græca nosset,& multos annos operam medicinæ dedisset,daretq;, atque ita factum est. Ille ubi talem codicem uidit, qualis nullus fortassis in Græcia est, & eum ipsi accommodatissimum de faucibus suis quodammodo ereptum, primum multis uerbis à me cœpit contendere, ut sibi uel pretio uel commutatione traderem, se medicinæ semper studuisse, uelleq; breui insignia medicinæ capere, preterea ex illis libris quosdam transferre,quod ego non ita facile possem facere, neque illi arti unquam operam dedissem, & alia multa. Adest iam duos hic menses Gregorius, qui refellere me, si mentior, potest. Id cum ego differrem, cum amore codicis,tum uerò consilio medici, qui non adeò hominem amaret,

ille rem ad Antonium Panhormitam detulit, atque me exiguo pretio mercatum esse pretiosissimũ codicem. Antonius homo non mihi inimicus modo, sed omnibus græcissantibus inuidens, quique Græcos codices emere solet, ne à doctis grecarum literarum emantur, nunquam illos commodaturus, adit Priorem, admonet decuplo charius potuisse codicẽ uendi, uicinis omnibus narrat circumuentum à me hominem esse. Ne multis agam, ad extremũ, ne codice potirentur inimici, ne'ue religiosus ille uir à me astute esse secũ actum diceret, adieci aliquot aureos, quo ille nomine mihi gratias egit, & omnem inuidorum fabulam patefecit. Gregorius postea fretus mea lenitate iterum adit me, exoratque, ut sibi transcribendum cõmodem codicem ad quadraginta & amplius millia uersuũ, quantum scripturæ idem pretio quinquaginta aureorum non * fecisset. Quomodo igitur ille emere nõ maluisset à sanctimonialibus, quàm transcribere? aut nõ eisdem cõmodato, si dominæ erant, quàm ab alio acciperet? aut tamdiu à me fœminę natura auarę, et timidę libros suos nõ repoposcissent? Interrogato Gregorium, nisi de suo exemplari transcripto manu sua, nisi à me cõmodato codicẽ uetustũ accepisse, nisi me libros emisse confitetur, quò minus me sacrilegũ uocites, non recuso. Quot me uerba repetere, quantum laboris exhaurire cogis fatue? ut nodos tuos, quos in uita mea innexuisti, exduam atque enodem. Facile enim est nodos implicare, difficile explicare. Audisti, ut dixi, cõmodatos libros, non, sicut tu barbarismus ais, mutuo concessos. Pecuniã, panem, uinũ, chartã, similiaque mutuamus: libros, equos, uestes, & quæ sunt id genus, cõmodamus. Et surripuisse pro interuertisse, quod uerbũ cum alibi, tum uerò in Verrinis inuenire potes, quas tu, quoniã totę in accusando uersantur, diceris ex omnibus M. Tullij operibus maxime adamare, amplecti, in oculis semper atque in ore habere. Taceo, quod cũ dixisses cõcessos, iterũ dicis, tuę fidei creditos. Sed ut ad rem redeam. An propter illos libros, ego Romam abeundum mihi putassem? & quomodo potui asportare clanculum libros, cum inde Tybur ad Regẽ, ubi cũ exercitu erat, me cõtulerim? multosque menses ei legerim? ccmesque fuerim expeditionis aduersus Florentinos? Si propter libros, & clanculum abij, non ergo ab Rege sum, & cũ ignominia omnique dedecore eiectus, ut tribus quatuorue orationis tuę uersibus dicere ausus es. De quo etiam, ut tuę impudentię respondeam, quomodo me ille eiecit, expulit, fugauit, ad quem toties scribis? Ego uerò illum in castris ad montẽ Castellum reliqui, ex quo tempore nunquã cum uidi, ubi propter imbriũ assiduitatẽ durare cum uix possem, ipse mihi, ut Neapolim redirẽ, suasit. Testes sunt huius rei, cum alij infiniti, qui me Tybure regium præceptorem & in castris uiderunt, tum regius Conseruator Petrus Bisulcunus reditus ac periculi socius. Nam cũ è castris, quę eodẽ mane mota erant, Senam peteremus, latrones centum sexaginta nos inuaserunt. Hieronymũ regiũ secretarium dignũ Guarino patre iuuenẽ, cum aliquot alijs qui præcedebant, exceperunt, nos ignari rerũ ad primũ occursum quinquaginta circiter prædonũ, inuicem hortari, agmen instruere, strictisque gladijs obuiã ire, conarique perrumpere, ubi duę aliæ latronũ cohortes dextra lęuaque per aduersos colles subire, conuersis frenis retro fugam facimus, quidã tamen capti sunt. Et quia reuerti in castra minus tutum nobis erat, coactis ex ijs, qui assidue à tergo sociorum ueniebant, partim armatis, partim inermibus, ad octoginta uiros instructi processimus, latrones per nebulam, uisis aliquot cristis equitũ nostrorũ, ut postea Senæ ab eisdem didicimus, suspicati maiorem manum, aggredi non sunt ausi, atque ita euasimus. Hieronymus, etsi magis adolescens, quàm iuuenis, tamẽ (ut postea mihi retulit) ab hostibus tortus est. Eo periculo moti propinqui plerique & amici mei, è Neapoli, quo iterũ redierã, ad accipiendã rem nummariã, cum tandiu Rex nõ

* alias uendidisset.

redirec

rediret, me accersierũt: summo Pontifice mihi nõ aspernandam conditionẽ pol licente. Ibi ego rebus meis, et decẽ dolijs uini, & ut scias quàm clanculum Neapoli iterũ discesserim, pluribus cuniculis passim coẽmptis, quos donarẽ duabus uirgunculis consobrinis meis, in nauem impositis, cũ uno famulo ego uia terrestri Romam ueni, & quidẽ cum tribus equis, quos toto penè illo anno alui. Neque est, quòd inopiã mihi illius obijcias tẽporis. Veni enim Romam, non, ut tu barbare ais, aduentaui, uestibus, & coccinis, & sericis, & auro ornatus. Nam quòd diuerterim in domum Ambrosij Dardani mariti sororis, feci quod debui: Quò enim debui diuertere potius quàm in domum, ubi erat mater & soror? & cuius meã ego partem sorori cesseram? Nolo ita me diuertisse putes, aut potius dicas at mentiaris, ut ille me aluerit. Nam, etsi prædiues est, tamen multo quàm ego timidior est paupertatis, ac magis rebus suis parcit, & nõ dico omnia, ut tu, quæstui habet, sed ex propinquis quoq; mauult lucrũ facere, quàm damnum. Itaq; ex dimidiato, quo apud eum mansi anno, ex tribus equis uno, ex dolijs decem, ne alia dicam, nouem à me donatus est. Sed iam tempus est ad id respondere, quod tu mihi de hæresi obiecisti: multa pro tuo more confingens: In quò non patiar te diutius iactare, nec Cacum in tenebris incendia uana mouere. Cacum autem non solum te dico, sed etiam illum significo, nolo ego quidem hominem nominare, qui autor illius machinamenti fuit, idem opinor, de quo tu loqueris, cum inquis: Pog. Adest unus ex maioribus natu & dignitate, cuius nomen honoris causa reticeo, qui se affuisse affirmat, cum de te sententia ferretur, & se causam fuisse præcipuam dicit, ut Regis pietas ad te eximendum teterrimo cruciatu moueretur. Qui cum postmodum tuam peruicacitatem & insaniam nouerit, se ut olim salutis, sic aliquando damnationis meritę causam fore asseuerat. Lau. Forte aliquid tu ab illo, quem significas audisti, sed, ut omnia ista audieris, non possum adduci, ut credam cum nulla certa sententia fuerit lata. Verum tu cum isto tuo, quisquis est, audi: & ubi audieris, qualis ego, qualis tu, qualis ille sit, statue. Ego si istud, quod mihi obiectum est, hominem hæreticum facit, quod non opinor, uos potius, tanquam male de religione Christiana sentientes, esse hæreticos spero conuincere: nihil addens ad illa, quæ tũc in controuersia fuere uersata. Iste tuus clandestinus mihi minator, de me optime ne dicam pessime meritus, agnosce quàm uerus sit, quàm bonus, quàm doctus. Iam primũ de sua, hoc est, de iuris cum ciuilis, tum uerò pontificij scientia sic sensit, aut certe sic loquitur, ut eam non modo summam omnium, uerumetiam solam uelit esse, nihil artes liberales, nihil philosophiam, nihil postremo esse theologiam. Quæris cur ita uelit? quia nihil omnino illarum degustauit, ut uerum scias esse, quod dicitur: scientia nullum habet hostem, nisi illius imperitum. In hac autem totũ se ingurgitauit, demersit, ut nunquã illi nequeat emergere, & se planè omnium, qui fuerunt, qui sunt, qui esse possunt, longe principem asseueret. Sed hoc inter suos loquitur, atq; indoctos. Nam sine hoste nullus audacior, aduersus hostem nullus ignauior. Hic Caietæ, cum à quibusdam suæ gentis hominibus me laudari audisset, ut grammaticũ, rhetorem, poëtam egregiũ & dialecticum, philosophũ, theologũ, & literis Græcis mediocrẽ, Nugę sunt ista, inquit: Iuris scientia est rerũ regina, quę uiros facit ac potentes, quæ scientia scientiarũ, imò sola scientia est, quam paucissimi, & uix illi probe intelligunt. Atqui Laurentius, illi inquiunt, non alienus est ab iuris scientia: quippe qui cum aliâs, tum uerò superioribus diebus totum corpus iuris ciuilis euoluit. Perturbatus hic sane, quid, ait, ne iste se intelligere ius ciuile? Quid ni, illi respondent, cum etiam in opere suo de Elegantia linguæ latinę Iurisconsultos testetur. Fieri non potest, hic inquit: Erit enim alter Ioannes Baialardi, qui se iactare so-

litus, nullum nō librum se intellecturū, tamen ad primū locum iuris sibi propositum hæsit, seq́ illum nō intelligere confessus est. Itaq; iussit me ad se uocari, accessi. Hic statim monere cœpit, atq; castigare, ne falcē mitterem in messem alienam, essem mea doctrina contentus, néue sacra iura illotis manibus tractarem. Ne multis morer, proponit mihi exponendū illum eundem locū, in quo uelut in uado hęserat cymba Ioannis Baialardi. Agnoui statim hominis improbitatē, qui meam gubernandi artē non in alto mari, non in freto aliquo, non in prętereundis scopulis, sed planè in syrtibus, ubi prorsus mea nauis sederet, experiri uolebat: quasi ipse uetus gubernator unquam per has syrtes nauigasset. Erat enim locus apud Codicem Iustiniani: finium regundorum, qui incipit: Quinq; pedū præscriptione summota, quem negant ab aliquo esse planè cognitū. Quid peruersius, & ingenio Podiano similius, quàm uelle damnare me, ut nihil iuris intelligentem, quia locū aut nulli aut uix ulli intellectū, nō intelligerem? Hic ego quid aliud agerem, quàm ut ipsum insidiatorē meum in easdem syrtes impingerem? &, ut magis doleret, nō illas mihi esse syrtes ostēderem? Audacter itaq; respōdens dixi: mirari me, cur eum locū mihi proponeret, de quo intelligēdo magis, quàm lecto glossę querentur. Ideoq́ debuisse proponi nō ei, qui aliquid iuris se intelligere diceret, sed ei, qui omnia: sed me conaturū exponere illū, quem sensum loci antea scierit, ipse uiderit. Itaq; repetēs iam inde à duodecim tabulis de iure usucapionū, quam sententiā contra Faciū & Panhormitā explicaui, ita confudi hominē, ut se uix me salutato in cubiculum abdiderit, semperq́ me postea odio habuerit, & ulcisci cuperet: uir omni muliere uindictę cupidior. præsertim quòd audisset paulopost, quandā me rem de iure cōponere, cuius, si tutū esset, nunc facerē mentionem. Sed nō sunt omnia in pręsentiarū patefacienda. Habes originē odiorum inter me, et istū, si tibi credimus, amicū meum, qui postmodū me isto facto, quod mox narrabo, uoluit ulcisci: in quo alterū meum inimicū habuit comitem Episcopū nunc Maioriscensem, tunc Alesanū, qui ex hac causa extitit mihi inimicus. Semper enim imperiti, & ijdē de se bene, hoc est, falso sentientes, peritis, ut à quibus reprehendi solent, extitere inimici: ut ille superior ægre ferebat, me uersari in iure ciuili, ita hic in theologia, cuius est professor: uersari, inquā, alio modo, q̄ ipse uersatur: homo nullis bonis literis præditus, ac planè inermis, nisi quibusdā ineptijs, sed ante omnia adeò iracundus, impatiensq́, ut, dum eum uideas, in ipso uultu iracundiā cū superbia sedere existimes. Tacebo alias disputationes, referam unā breuem. Quodam die apud sanctam Mariā de muribus extra muros Campanos, cum Arnoldus Pallas Episcopus Vrgellensis omniū Episcoporū nobilissimus, qui nunc Neapoli est, uexilla regia, ut moris est, initiasset, uenimus apud eū in contentionē. Cumq́ hic attulisset pro testimonio epistolam Christi ad Abagarum regem, derisi hominem, qui Abagarum nō modo regem, sed hominē fuisse existimaret, & inquam: An ignoras illam epistolam inter apocryphas, atq; adeò inter fictas ac falsas in Decretis esse positam? Hic affirmare, & pertinacissime suo more cōtendere. Ibi Vrgellensis, quippe qui decretorum doctor est: Iam inquit, tolerare non possum, aut iniquitatem tuę causæ, aut improbitatem tuam, qui rem aperte falsam coneris defendere. Et cum hic aduersus illum quoq; iracunde insurgeret, ab omni cœtu coërcitus est, obiurgatusq́. Ex eo die nunquam me postea, nisi torue, aspexit, ac ne salutatus quidem resalutauit, iunctusq́ cum illo altero Episcopo iniustitiæ consulto, de me frequenter maligne loqui, & consultare ob illud præcipue opus, quod nuper composuissem: quod si hoc pacto subruerent, magnas sibi spes proponebāt. Non licet apertius loqui: forte erunt, qui hęc intelligent. Ego autē non putaui hoc omnino reticendū, quòd stultitia istorū factum est, aut

potius

potius peruersitate, ut opus emanauerit, nec iam retrahi possit. Quod fortasse non emanasset: nisi libido uel honorum nimiorum, uel ulciscendi contumeliam acceptam eos peruertisset, etsi maluissent mecum grauitate quàm leuitate, consilio quàm impetu, ratione quàm dolo agere. Sed quomodo agēt grauiter, moderate, sapienter, homines leues, furiosi, imperiti? Isti igitur cum diu captassent, me opprimendi tandem nacti sunt occasionem. Aliquot postea annis, cum essemus Neapoli, cōcionabatur quidam frater Antonius Betontinus ordinis minorum, qui his paucis diebus Romam uenit, uociferator egregius, nisi quòd semper ferè raucescit. Huc enim iam deuentum est, ut concionandi munus sit, uociferari, & clamorem uenditare, atque ut Cicero ait, latrare, non agere, & optimus orator sit optimus rabula. Hic igitur, cum per eam Quadragesimam frequēter pueros, qui aderāt, excitatos ac stantes iuberet secum clamare, forte die quodam interueni, cum doceret illos symbolum, inquiens: Petrum dixisse, Credo in unum deum patrem omnipotentē. Andream uerò: Factorem cœli & terræ, & ita reliquos deinceps Apostolos. Vbi perorauit, interrogo Angelillum Campanum, qui mihi proximus steterat, uirum & doctum & grauem, Regisq; secretarium, nunquid uspiam ita conditum symbolum fuisse legisset. Ille se uerò nusquam: nec unquam audisse, nisi ab eodem, Hieronymum fuisse Romanum. Itaq; constituimus adire hominem aliquo die. Verum cum id negligentius fecissemus, die sabbato sancto circa uesperā, cum forte extra muros obuij essemus & pro consuetudine collocuti, ostendit mihi ruinas domorum suarum, & deterrata bello prædia. Mox, uolumus'ne, inquit, en supra muros eius monasterium, adire fratrem Antonium de illis quæstionibus sciscitatum? Vt libet, inquam. Intus, reperimus hominem, norat utpote uicinū exorsus. Laudare me, ut doctū & studiosum. Ego interpellato eius sermone, ne putaret ille me disputandi secū gratia adisse, dixi me ab Angelillo forte perductū, ut cōmuniter duas res omnino sciscitaremur, easq; perbreues, cuius rei temporis angustia testimonio foret, esse enim iam serum diei, atq; ita rem habere Angelillus confessus est, inquiens: Volumus à te doceri, quis tradit, quod ego audiui te dicentē: Hieronymū fuisse Romanum. Tum ille: Multi tradunt, seu quis negat? Primum hominis salutiam, quasi alius deberet ostendere, quis negaret, & nō ipse, qui hoc affirmauerat, ac rogabatur, quis traderet, respondi: Hieronymus ipse non se Romanū facit, sed Dalmatum siue Pannoniū ex Stridone oppido, quod olim fuisse aut confinium Dalmatiæ & Pannoniæ. Alij, inquit ille, Romanū fuisse aiunt, alij Dalmatam. Egregia tergiuersatio, quasi alij magis nossent natale solum Hieronymi, quàm ipse Hieronymus, aut potius quasi ulli alij hoc dicerent, quos, si qui essent, nominare debebat: quanquam, ut audio, nudiustertius apud Romanos cōcionans, Hieronymū affirmauit esse Romanum, sed cur ita sentiat: nondum accepi causam, opinor, quòd alicubi se Romanum Hieronymus nominat, ueluti ad Damasum scribens, quòd uidelicet esset latinus, quòd Romanam, hoc est, Latinam & Romani Pontificis fidem sectaretur. Ego, statim cognita hominis & imperitia & improbitate, nolui instare, Non enim redarguendi eius, sed cognoscendi gratia uenerā, & discendi, nō docēdi. Itaq; prima quæstione omissa, quid inquā de altero? Quis tradit membratim articulatimq; symbolū fuisse ab Apostolis conditū? Ille tanquam ex priore quæstione, cui non satisfecerat, bilem contraxisset, arroganti uoce respondet: Doctores ecclesiæ. Ego uidens simile hoc respōsum esse illi superiori, cum dixit, multi tradunt: ne me tam confidenter tractaret: Quinam doctores, inquam? quinam doctores? Ille & Angelillum compellens per contemptum mei, non est hoc eius artis, cum risu, hoc est, cum derisu dicere. Mirari ego confidentiam hominis, qui auderet me, ut indoctū contemnere, quem

se quoque doctiorem in altera quæstione expertus esset: &, ut fatear, iam nonnihil stomachari: quòd is, qui publice de modestia, de mansuetudine, de charitate sermones haberet, alterum simpliciter de rebus honestis ac sanctis percontantem, contemptui haberet. Me tamen continens: Si foret, inquam, hoc artis meæ, nõ ad te interrogandum uenissem. Verum si tui artificij est, quin potius doces, quàm derides? Ille perseuerare in ridendo, atque identidem dicere: doctores ecclesię. An non, inquam, inter doctorem atque doctorem interest? Tametsi doctores uulgo dicuntur, quicunque aliquid scribere tanquam docti sunt ausi, pluresque sunt iam doctores quàm docti. Veri doctores sunt illi, quos ecclesia probauit, ueluti ij quatuor: Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Ad hæc ille non ridens, sed iratus: At non, inquit, istis minor est Bonauentura, qui hoc tradit. Esto, inquam, Bonauentura tuus etiam maior illis, si libet, addidique, ut hominem uicissim deriderem, etsi semper inter minores numerabitur, tamen in re hac nequaquam est illis comparandus. Nam in ijs, quæ ratione constant, potest antiquitatem superare posteritas, ut in Dialectica, Medicina, Philosophia: in notitia autem uetustatis atque in historia superiorum temporum, quo pacto possumus nos maioribus nostris, si modo probabilia tradiderunt, repugnare & antecellere? Bonauentura quibus in libris hoc, quod sciscitor, reperit? an non putas eum, inquit, uspiam reperisse? Tu, inquam, meam causam tua indignatione de bona malã conaris efficere. Ego interrogo, ut discipulus: non irrito, ut aduersarius. Imò, inquit, ut aduersarius loqueris, qui non discere uis, sed contendere. Si non doces, inquam, quomodo possum discere? Quia, inquit, oportet addiscentem credere. In ijs, inquam, oportet credere, quę sunt dogmatica: non autẽ in ijs, quę nostrum hoc, quę sunt elenchica. Etiam, inquit, in mea facultate mecum contendere audes, qui tecum contenderem in tua: quippe qui Rhetoricam legi quindecim omnino natus annos? Et cũ multa de se homo imperitissimus iactaret, cum multa etiam brachiorum ac totius corporis iactatione, non aliter, quàm solet in concionando: Atqui, inquam, non istud præcipit ars Rhetorica, ut tanquam gladiator corpus huc & illuc, ac brachia exagites. Hic ille ad contumelias & cõuitia erũpere. Ego, etsi eo die corpus dominicũ ceperã, tamen temperare me nõ potui, quin dicerẽ: Tu & priuate & publice furioso similis es. Hæc dicens è loco egressus cũ socio sum, relinquens illum insanientẽ cũ multis tum eiusdem ordinis, tum alijs, qui ad clamores eius accurrerant. Eadem nocte, ut quidã aiunt, siue sua sponte, siue alicuius admonitu, siue uocatu illius primi concertatoris mei, ad eum se cõtulit, cumque illo & altero meo hoste diu locutus etiã est. Postero die, quo fuit Pascha, loco nouę materiæ in medio sermone de me, uerũ non nominatim, loqui cœpit: esse quendã, qui neget symbolũ membratim articulatimque per Apostolos esse cõpositum, illũ uidelicet, qui neget quatuor elementa, decemque prædicamenta, sed utraque terna, & alia quædã, quę ego in Dialecticis disputassem. En uirum religiosum, & qui humilitatem, patientiam, contemptum mundi, non modo prædicet, sed etiam ipsa uestis uilitate promittat: imò homo inanis gloriæ cupidissimus, & sibi, non populo prædicans, captator auræ popularis, ac muliebrium uocularum uenator. Quo pacto hic ferret uerbera, qui uerba paulum contumeliosa non tulit? uis proximum, ut ab recto errantem, castigare? corrige sine arbitris, admone, obsecra cum omni patientia & doctrina. Nam ista publica accusatio, non emendatio proximi est, sed irritatio, ultio, scandalum. Nemo enim fuit ex omni ciuitate, qui affuerit, qui non intelligeret id de Laurentio dici. Nec id uno die fecisse contentus, altero, tertio, quarto perseuerauit: quasi me ad secum publice disputandum apud plebem & muliercuIas prouocaret. Nec prius destitit, quàm Rex de hac re certior à me factus,

Matthæum Maleferitum Iurisconsultũ ad hominem inhibendum misit, cum ad- huc ægrotus iaceret in lecto. Ego per duos ultimos prædicationis illius dies, tanquam ab eo ad secum disputandum (ut dixi) prouocatus, eadem, quæ ipse in me reprehenderat, proposui publice per me in principali urbis templo asserenda contra quoscunq;. Corrogo plerosq; è nobilitate Neapolitana, ut prælio intersint, & imprimis regiũ filium Ferdinandum, & cum eo Simonẽ Corelliam, qui nunc Comes est, quasi nutritium eius. Et cur nõ in hac potius aula tam apta & tam capaci, Corellia inquit? Si uobis, inquam, istud, & mihi cordi est. Vix dixeram, statim iubet idem expediri aulam, ac sterni parariq; suggestũ, ex quo eram habiturus orationẽ. Nullus enim locus in tota urbe erat magis idoneus, quàm illa aula ad sanctã Mariã cognomine Coronatã. Ibi uideres totã ciuitatem disputationis nostrę expectatione suspẽsam, & aduersorios solicitos, trepidos, discursantes, timorẽ suũ pręferentes. Fuerũt ex ijs, qui cõfiterentur, hostes meos non fuisse ausos publice mecũ omni populo disceptante cõtendere: ne se obruerẽ eloquentia. Itaq; cũ Rege egerũt, ne quid seditionis oriretur, ut me iuberet disputatione supersedere. Venit ad me uesperi uir strenuus P. Sanctius prefectus Neapolitanus, aitq; Regẽ mihi suadere, ut disputationẽ differrem, dũ ipse cõmodiore ualetudine esset. Ego regio cõsilio retentus, postridie, ut scirent qui cõuenturi erant, nõ futurũ esse certamen, & timorem suũ hostibus exprobrarẽ, affixi ualuis eiusdẽ templi Coronatę hoc distichon: Rex pacis miserans sternendas marte phalanges, Victoris cupidũ continuit gladiũ. Hęc res, mirũ dictu est, quantopere perstrinxerit animos aduersariorũ, cum præsertim ego palàm pro uictore me gererem. Hoc illi nõ ferentes, tum inimici mei, tum cupidi in mea damnatione plus sibi honorũ cõparare, adhibito Laurentio Episcopo Puteolano, qui diu recuperare suum Episcopatum, quod aduersarũ partium fuisset, nõ poterat; clàm aduersum me cõminisci incipiũt, dicentes: nõ esse tolerandũ homines credere: nõ esse ab Apostolis conditũ symbolum: quanquã aliud clandestinum cõquebant consiliũ, duce illo potentiore Episcopo, iurisconsultorũ sua solius sententia principe. Is enim fremere, cũ alia quędã aduersum me proferens, tum locum quendã Decretorũ, expostulareq; cũ Episcopo Vrgellensi, qui meus esset protector, causamq; meam tutaretur. Quid enim ais, inquiens, cõtra hæc uerba Decretorum? Ipse enim Constantinus dedit facultatem Christianis, libere congregari: sub hoc itaq; sancti patres in cõcilio Niceno de omni orbe terrarũ conuenientes, iuxta fidem euangelicã & apostolicã, secundum post Apostolos symbolum cõdiderunt. Vrgellensis respondere, nõ esse Decretorum libros per sese approbatos, quo minus refutare liceat. Ille nõ Gratiani dicere uerba esse, sed Isidori. Ne Isidori quidem uerbis, iste respondere, tali in re esse standũ, nisi ei superiores doctores maioresq; cõsentiant. Cum esset aliquandiu altercatum, narrat mihi rem omnẽ pro sua in me beneuolentia Vrgellensis, ostenditq; in Decretis locum. Eo lecto, Peream, inquam, nisi legendum est: secundo, hoc est, in concilio Niceno post Apostolos secundo: nõ symbolum secundum. Nam concilium Apostolorum fuit illud Hierosolymitanũ, cuius meminit Lucas, cum illuc Paulus et Barnabas quęstionẽ de circũcisione ex Antiochia attulissent, statimq; Antonellum Cauianensem imprimis eruditum uirum adeò, quem sciebam habere uetustę sanè literæ Isidorum. Comperio ita scriptum, ut diuinaueram, exclamo præ gaudio: ô uulgus doctorum indoctorũ: affero codicem ad Episcopum Vrgellensem: admiratus ille celeritatẽ ingenij & mihi gratulatus, iubet me ostendere locũ Archiepiscopo Panhormitano, qui proxime Basilea redierat, principe ea tempestate omnium in iure pontificio doctorũ. Ille opinor, quòd semper de secundo symbolo senserat, ut erat acutus & solers, dicere illud secundo esse

aduerbium. hoc est, secunda uice. Ego respondere, cur potius aduerbium, quod raro reperitur, quàm nomen esset? cum præsertim uideantur ij sancti patres bis condidisse symbolũ, si secundo foret aduerbiũ. Non dixi secundo symbolũ conditũ à sanctis patribus post Apostolos, quasi prius illud Apostoli condidissent, sed secundo illos condidisse, quasi prius aliquod aliud condidissent. Prȩterea locum istũ Isidori, qui foret cõtrouersus & dubius, nullã in alterutrã partem facere fidem. Non enim de intellectu eius controuersiam esse, sed de rei ueritate, utrum ab Apostolis, an à trecentis ac decem & octo sanctis patribus primum sit symbolum conditum, quorũ duorum, prout hoc aut illud probatum fuerit, ita uerbi Isidori, aut in hunc, aut in illum sensum accipienda esse. Quid igitur ipse haberet à superioribus ecclesiȩ doctoribus de hac re traditum? Ille nihil recordari. Ego, ut iam inde, inquam, à Luca incipiamus, quomodo fieri posset, ut tantam rem ille Apostolorũ Actibus non mandarit? qua nescio an ulla dignior quȩ literis mandaretur: cuius nec locũ, nec tempus, nec modum, nec ordinẽ tradunt, qui ab apostolis factam esse affirmant. Quòd si ab Apostolis symbolum factũ esset, non dicam qua ratione Arrius errasset, sed quid cõtrouersiȩ, quid negotij fuisset? quid opus Niceno concilio ad eum condemnandum? imò quid opus alio symbolo? Si enim constabat de symbolo Apostolico, quid attinebat nouum condere? Si non constabat, quis audeat dicere, singulos eius articulos singulorum fuisse apostolorũ? Adde quòd Nicena synodus symbolum cõdidit ad illum usq; locũ: cuius regni non erit finis. Ergo illud Apostolicum, in quo de spiritu quoq; sancto cõmemorabatur, decurtauerunt. At postea adiecerunt in Constantinopolitana synodo, certe ideo adiecerunt, quia antea in nullo fuerat symbolo, quia in spiritu sancto Macedonius delinquebat, qui profecto non errasset, ut reor, * si Apostoli perfectum symbolum reliquissent: ausim dicere, penè maioris quàm Euangelia autoritatis futurum: quòd Euangelia singulorũ essent, symbolum uerò totius Apostolici senatus. Adeó'ne inter Latinos Grȩcosq; unquã de spiritu sancto schisma extitisset? nec symbolũ Nicenũ tantopere sed apostolicum nominatũ fuisset? Infinita alia dici possent, sed à me, quȩ dicta, apud Archiepiscopũ fuere, repetuntur. Ille probabiles sibi uideri rationes meas respondit, sed uelle se considerare diligentius. Ego ab eo digressus, & pro comperto habens: uerbũ apud Isidorum esse scribendum, secundo, non secundum, idq; nõ aduerbiũ esse, sed nomẽ, scripsi epistolam ad collegiũ Iurisconsultorum Neapolitanorum (Non potui fateor cõtinere impetũ, quin imperitiȩ inimicorũ insultarem) ut locũ illum Decretorũ emendarent, & hanc occuparent laudem emendandi mendosam in Decretis scripturam: constituere enim me de ea re ad doctorum Italiȩ collegia scribere, iussit reddi literas nobilissimo & nulli illic secundo in ea facultate, mihiq; amicissimo Antonio Maramaldo. Eas pleriq; illorum cum legissent probassentq;, Ioannes Antonius Carrafa, pari nobilitate uir, & scientia proximus, et mihi sanè amicus, sed leuis, &, ut uulgo uere dicitur, magis inconsultus, quàm Iurisconsultus, pertulit ad illum principem iurisperitorum sibi amicũ ac similem, quibus literis quasi quibusdã facibus accensus homo alioqui natura incensa ac uesana, inducit Vicarium Archiepiscopi (nam archiepiscopus aberat) in cuius episcopio ipse habitabat, familiarẽ, ut me postero die ad se citaret, ac cȩtera cõtra me instruit. Ita postero die citor, ut eadẽ hora Vicario Archiepiscopi præsto sim. Ego & si aliquid, non tamen tantũ doli suspicatus, pergo ad hominẽ, sine aduocatis: credens aliquid Altercationis fore. Non Episcopum Vrgellensem, non Ioannem Olzinam, nõ Arnoldum Fonolledam secretariorũ principem, non aliquem meorum amicorum certiorem facio. Inter eundum à multis interrogor, quò eam: respondeo, ad Vicariũ cum aduersarijs dispu-

tijs disputatum. Ita multi disputationis audiendæ cupidi sequuntur. Vbi peruenio, offendo aliquot põtifices ac pharisæos, statimq́ue me insecutus est, qui accessum meum expectarat Ioannes episcopus Alesanus: nam ille Caiphas, ut postea accepi, à fenestella quadam episcopi despectabat. Considentilli, ego cum corona sto iam tunc suspicans non esse illam legitimam disputationem. Ibi frater quidam prędicatorum, quem aiebant Inquisitorem, percõctatur, quid de symbolo sentirem, ab Apostolis'ne conditum, an non. Ego me sentire, non ab Apostolis, sed à synodo Nicena conditum, Nam quomodo secus ille? imò istud sentire hæreticum esse. Ego affirmare: me id multis rationibus esse probaturũ. Ille nõ cum disputandi, sed abnegandi esse locum. Hęc dicens, profert epistolam meam, qua me impugnare Decreta aiebat si in ea perstarẽ sentẽtia, se pro hæretico me dãnaturos. Ibi ego, ut omni turba me extricarẽ, inquam: De his idem sentio, quod mater ecclesia. Reuoca, inquit ille, quod scripsisti de his, quodq́ue dixisti. Cur nõ potius, inquam, uos docetis esse reuocandũ? Etiam, inquit, in prima opinione perstas? An uos, inquam, mauultis oris mei, quàm animi emendationem? quo enim pacto ego emẽdor, nisi idem, quod ore fateor, animo sentiam? an hoc quęritis? ut iterum uel ira uel imprudentia ex meo sensu loquar, & iterum relabar in errorem? Ibi Ioan. ille, eiusdem ordinis fraterculus, Alesanus episcopus: Istuc ipsum uolumus ut relabaris, notã enim habemus contumaciam tuã. Non fuisti, inquã, ausus ęquo campo mecum decertare, ideo me ad has angustias redegisti, sed erit aliquando tempus meum. Tunc ille exurgẽs me per pectus arripuit: Tibiq́ue hic, inquit, superbia est deponenda. Id cum cæteri tacite improbarẽt, Quid inquit Inquisitor, reuocas'ne quæ scripsisti atq́ue dixisti? De his omnibus, inquã, idem sentio, quod mater ecclesia, quemadmodum dixi. Id satis responsum cæteris uisum est. Tum Anna, hoc est, idem Alesanus Episcopus: quid de decem prædicamentis? Etiam'ne decem prędicamenta, inquam, ad fidem pertinent, tãquam decem præcepta legis? Ad hoc cum cæteri murmurassent: indecens esse de Dialecticis dogmatibus ueluti de articulis fidei queri: Quid ni, inquit Anna, ad fidẽ ista pertineant? an ignoratis illo Dialecticorum dogmate, quod iste in suis disputandis quæstionibus proposuerat, de sensu diuiso & composito, maximas in theologia res explicari, ac resolui solere? Et cum ei quidam assentirentur, quidam aduersarẽtur: Age, inquam, etsi ista mater ecclesia ignorat, tamen idem de ipsis credo, quod mater ecclesia. Eum uolentẽ ad alias nugas pergere, reliqui prohibuerũt. Iam enim quidam procerum aduenerãt, qui se ab Rege, qui ista audisset, missos mihi futurum præsidio significabant. Ita iusserunt eundem Episcopum, ut absolutionem more confessorum mihi faceret, conciliumq́ue dissolutum est. Ego uix egressus templum, præstolatus Episcopum, tanta sum in eum & in alium Episcopum Caipham absentem, qui me forte audiebat, acerbitate uerborum inuectus cum assensu populi, ut iam tunc eos facti sui pœniteret, rectaq́ue ad regem profectus de iniuria quęstus sum, tametsi iam alij renuntiarant. Rex accito Episcopo, quamuis princeps mansuetissimus: tamen exprobrauit solitam temeritatem atque uesaniam, parumq́ue abfuit, quin eum ab oculis suis abijceret: appellans eum planè Arogonẽsem, (est enim ille Arogonensis, quæ gens cerebrosa putatur & pertinax) Cui enim unquam præreptam sui defendẽdi facultatem? etiam deum, ut preberet nobis exemplum diligentis in alterũ animaduersionis, dixisse: se uelle uisere, nunquid ea, quæ de Sodoma & Gomorra sibi referrentur, uera essent: & ad populum gentilem Niniuitam misisse prædicatũ Ionam, ut cõuerteretur. Hæc enim, ut memini, duo retulit exempla. Vos uerò nullo ordine, nulla legitima uia conati fuistis opprimere innocentẽ: se scire aiebat, quid illos ad hãc rem induxisset, dixitq́ue palam de alio opere meo. Ita illud, quod antea pauci norant,

diuulgatum est, ut ad aures etiam mulierũ manarit, multiq; ut trãscriberetur, tanquam iussi ab Rege, operam dederint usq; adeò, quod extinctum uolebãt tanq; incendiũ, sua stultitia, ut per uniuersam Italiã diffunderetur, effecerũt. At ille Caiphas tuus Podi tum metu Regis, tum pœnitentia facti, quod secus successerat, atq; opinatus fuerat, plus duobus mensibus domi se tenuit. Taceo quid postea Romæ cõtra me sub alio Pontifice conatus sit. Habes Podi rem Neapoli gestã. At tu sceleratus audes dicere uirgis cæsum quoq; me fuisse. Et quomodo rex hominem hæreticũ et ignominia notatũ, honoribus, beneficijs, familiaritate sua ita, ut eius præceptor essem, fuisset prosecutus? Plura dicerem, nisi nollem esse longior, qui in refellendo hæreseos crimine fui, ut erat necesse, longissimus, quo tu pariter et cęteri stulti atq; iniqui intelligeretis, illam aduersus me Neapolitanam conspirationem apud deum & homines extitisse mihi gloriosam potius quàm ignominiosam, Superest unum, cui respondendũ est, crimen: quòd ais, me corrupisse ancillam uiri sororis meæ. Ea uerò tam ingenua est, quàm uxor tua, & tam bonis orta parentibus, ais enim: Pog. Ancillã eius seruam à te nequissime corruptam, grauidamq; factam nõ rapuisti, sed perfide prædo per summũ scelus surripuisti. Lau. Verum paulò post: quasi me purgans subijcis: Pog. Non sum ita inhumanus, ut huius rei te admodum culpem, homo es: nox, uinum, cõsuetudo, & frequens suasit uisus. Lau. Cur hoc quæso bone Podi subdidisti? ut me purgares? nihil minus: sed, ut teipsum, qui superiore anno ancillam tuam, eandemq; nutricem filij impleueras. Quod cum uxor tua rescisset, coëgit mulier religiosa & illam miserã potionibus abigere partum, & te prius uerberatũ nuptuĩ eam tradere famulo tuo, qui, ut creditur, illam prægnantem fecerat, socius herilium bonorum, ut uere domi tuæ agnoscamus illud dictum: amicorum communia omnia. Namq; hæc cum esset ancilla tua & concubina, erat famuli tui amica, nunc dum est illius uxor, est etiam amica tua, omnia tua talia sunt. Sed, ut pro me respondeã, si ancilla est, cur à domino nõ repetitur? licet tu barbarus aliud putes ancillam, aliud seruam, si quidẽ pro famula posuisti ancillam. Nunquã te pudebit senex mentecapte aperte mentiri: fœminam ingenuam & honesto loco natam appellare seruam? Tua Sempronia potius appellãda est ancilla, Sempronia inquam tua cẽsenda est serua, atq; adeò bis serua. Nihil dicam, nisi quod notum est: uno modo, quo philosophi appellãt homines seruos, qui se alteri addixerũt: mulier enim, quę libidini alicuius uiri ancillatur, iure ancilla habẽda est. Sempronia tua ante te Magno Pompeio ancillata est quàm P. Clodio in manum uenit. Altero, quod non usu, nõ farre, sed coëmptione, quæ tria genera Vlpianus in Institutionibus ponit, tibi in manũ cõuenit, & tibi materfamiliás facta est. Sed non eo coëmptione, quam ille refert, sed turpiore. Nam quòd ex ea susceperim prolem, factũ est, ne uxorẽ ducerem, ad quam ducendam omnes propinqui me hortabantur, inuitabãt, adigebãt: non tam speciosam (nam quæ tam speciosa, quàm tua est? qualem ne uellem quidem) sed ditiorem, nobiliorem, honestiorem. Cur autem nolui uxorem ducere? cum essem non maior natu, quàm tu, cum uxorem duxisti: non zelotypus, quippe qui nõ pulcherrimam, ut tu, sed optimã uellem: non alicuius mihi uitij aut morbi conscius. Nulla enim sum hernia pręditus, quã tibi in mensam dependere uicini ac noti affirmant, sed quòd clericus esse destinarem, testis est deus. Itaque cum nonnulli meorum propinquorum me uirginem, siue frigidioris naturæ, & ob id non idoneum coniugio arbitrarentur, quorum unus erat uir sororis, quodammodo experiri cupiebant. Volui itaq; eis ostendere, id quod facerem, non uitium esse corporis, sed animi uirtutem: & simul, ut suscepta aliqua prole nõ esset mihi soror molesta, quę orba liberis est, ad familiam nostram, quæ iam extincta est, excitãdam descendi ad uenerem, nec, ut tu, ad alie-

nam uxorē, aut ad prçcustoditam, aut ad pollutam fœminā adcessi, sed ad eam, quç sui iuris esset, eandē uirginem, quā (cum ex ea intra duos annos suscepissem tres liberos) inhumanissimum est uisum tam ipsius, quàm liberorum causa, abijcere. Tamē aliquandiu seorsum habitauit, nec diu spero, manebit innupta, si modo uiro collocari non recusabit. Hæc magna laus fœminæ est, etiam ei, qui non sit legitimus uir, seruare fidem. Quo maius flagitium est earum, quç fidem uiris non seruant, qualis Lucia: quç Placentinum legitimum uirum amore tui, imò pecuniç (nam quomodo amari potest herniosus?) deseruit. tametsi illa negat te secum fuisse herniosum. misi enim nudiustertius, qui eam de te percontaretur (testor deum me nihil prorsus mentiri) dicebat tamen te communes liberos pro nihilo habere, non solum tres mares iam uiros, quos iniustitia tua ablegasses, sed filiā, quç Romç esset, secūq; ex qua filios quatuordecim sustulisses, duodecim mares, & duas fœminas. Referebat autē iniustitiam atq; impietatem tuam hoc modo: quòd filios tuos à summo Pōtifice legitimandos cū olim curauisses, & tuos hçredes nuncupasses. post alios ex uxore liberos rescidisti, quod rescindi nō poterat. Simulasti enim apud miseram matrem, te uelle unū è tribus filijs clericum esse, ideoq; indigere bulla papali, hanc recusare diu illam in manus tuas tradere. Ne multis agam, cum essent qui dicerent, non debere matrem filio, quo minus clericus foret, impedimento esse, ita misera bullam tradidit, quam tu bonus pater cōtinuo lacerasti, O dignum patrem, quem sui tres filij strangulent, innocentes, innoxij, boni alioqui filij, non modo à patre sunt exhæreditati, sed etiam repudiati. Doleo, siqua est fides, uicem miserorum iuuenum, qui modo & patre & patrimonio præditi, utroq; incolumi, tamen utroq; priuati sunt. Quem patrē appellabūt filij tui Podi? quò se cōferent? potes hoc pati? potes hoc sustinere? &, quos pro tuis alueris, quos in ætatē adolescentiæ perduxeris, quos hçredes tuos scripseris, eos protinus sine causa abdicare, eijcere? pro non tuis & habere & dicere. Itaque miseri adolescentes de summa spe ad summam desperationem adducti, unà abiere militatum, de quibus nūquam postea mater utrum uiuant necne, nec literas, nec nuntium accepit. Itaque flens dicebat magis esse tuos illos ex se, quàm istos ex tua uxore. Cuius rei, ut sileantur cætera, uel hoc signi esse, quòd istorū nullus est similis, nec alteri, nisi quatenus * matrissant, nec tibi: nec desperat, si uiuant filij, nō quidem ex te, sed ex filijs uxoris tuç eos pœnas repetituros, & sibi patrimonium uindicaturos. Nō enim literas illas, si abs te laceratæ, & forte è registro papali deletç sint, esse laceratas in cœlo, et apud deum deletas. Non sum igitur in filios, ut tu Podi, impius: non sum sæuus, non sum barbarus. Sed, ut eò redeam, unde digressus sum, ad uxorem tuam, ut inquit Ouidius: *alias mitrli*

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis. En eget auxilio, qui non tulit. Et Seneca: Autorem suum repetit scelus. Malo in hac leui re gentiliū, quàm fidelium, repetere exempla. Non enim in te decet exemplum Dauid, qui ob Bethabeam Vriæ præreptam ipse uxores omnes amisit, & quidē prçreptore filio. Igitur tua Sempronia, ut specie, sic moribus Veneri comparanda est. Illa enim, quod nulla alia dea fecit, dijs atq; hominibus uel ante uel post nuptias obsecuta est: genuitq; ex Ioue Cupidinem, ex Marte Hermionam, ex Mercurio Hermaphroditum, ex Bute Herycem, ex Anchisa Aeneā, ex Vulcano marito claudo & fabro, nescio an nullum. Tua uerò uenustissima Sempronia, uelut æui nostri Venus, genuit totidem aut plures, quàm illa filios, partim ex dijs, hoc est, ex magnis sacerdotibus, partim ex hominibus, ex uiro nescio an aliquem: quasi altero Vulcano, uel quia herniosi claudicant, uel quia fulmina suis ferramentis fabricatur, uel quia tam çquo animo Venerem tolerat. Ideoq; nemo filiorum suorum ueriores cōpatres quàm Podius habet. Sunt enim nonnulli eorū, quos cōpatres

uocat,

uocat, qui patrãdis filijs adiutores extiterunt, ergo omnium cõpatrum uerissimi cõpatres. Quare mi P. Clodi, si essem tibi similis, peterem, si uelles mecum redire in gratiam, ut tali me tibi ratione faceres cõpatrem. qua tibi sunt alij quidam. Sed absit à me, ut ego tibi uel in hac, uel ulla in re sim similis, qui certe recusare non potes, quin uidearis in omni impuritatis genere uolutatus, quia tam impure loqueris, cum alibi, tum uerò in confabulationibus tuis, ut apud Græcos dicitur: ita quenque dicere, ut uiuat. Et in Sallustium Cicero: Neque qui tam illoto sermone utitur, uita honestior est. At tu nõ solum tam spurce loqueris, sed etiam de tam spurco sermone gloriaris, inquiens: Pog. Inuehit in meas cõfabulationes, ut spurcas, & bono uiro indignas, homo austerus & seuerus nimiũ, alterum Zenonem Stoicum credas, aut Catonem tertium, non bestiarum quendam bubulcum, omni plenum rusticitate. Sed quid mirũ facetias meas, ex quibus liber constat, non placere homini inhumano, uasto, stupido, agresti, demẽti, barbaro, rusticano? at ab reliquis aliquanto, quàm tu, doctioribus probantur, legũtur, & in manibus & in ore habẽtur: & uelis, nolis, rũpantur licet tibi Codro ilia, diffusæ sunt per uniuersam Italiã, & ad Gallos usq;, Hispanos, Germanos, Britãnos, cæterasq́; nationes transmigrarũt, quæ sciãt loqui latine. Licet enim & mihi Valleam iactantiam præ oculis habẽs paululum gloriari. Lau. Non est proprium Stoicorum, è quorum fuit numero Cato, uerborum reprehendere licentiam, de quibus Cicero inquit, Nec uerò audiẽdi sunt Cynici, aut si qui fuerant Stoici pene Cynici, qui reprehendunt & irrident, quòd ea, quę turpia non sunt, uerbis flagitiosa dicamus. Itaq; & mihi de illorum Stoicorum aut Cynicorum numero uideris esse, ac super omnes Cynicos, nec audis Ciceronem in eodem libro dicentem: ipsumq́; genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet. Duplex omnino est iocãdi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Sed qui sunt isti quæso reliqui me doctiores, qui te probarunt lectitantq́;? Nunquid Franciscus Barbarus, quem ausim affirmare ne legisse quidem. Num Guarinus? num alij docti? Ostende eorũ testimonia, ut ego facio. Equidem neminem grauem uirum esse opinor, qui non te cum tuis facetijs detestur: et facetias appellas? Nunquid si Cicero Quintilianusq; reuiuiscent, eas inter sua ridicula ponent? Illa est magna profecto facetia P. Clodij: libet mihi præ oculis habens Valleam iactantiam gloriari. Fateor, risum non modo alijs, sed etiam mihi mouisti isto: mihi habẽs: quod si proponas in schola puerorum, nimirũ cachinnos omnium continuo excitabis. Nam illud non risum mouet, sed derisum: transmigrarunt, cum transmigrare sit domicilio priore relicto in alterum se conferre. Sed hęc linguæ uitia sunt, illa uerò cordis: quòd palàm, ut dixi in tam spurcis, tam nefandis, tam abominandis rebus gloriari audes, & homo id ætatis ad ista non modo dicenda, sed etiam facienda nos uideris adhortari, quæ nemo est, qui non intelligat, abs te, ut dicuntur, ita etiam fuisse factitata. Vbi sunt qui ad populum frequenter de minimis flagitijs nugisq; uociferantur? Vbi tu es Antoni Bitontine, qui in meas de Dialectica opiniones ad populum perorasti? si pro republica Christiana, si pro hominum salute, si ut deo inseruiatis, concionamini, & non aut gloriæ, aut auaritiæ, aut inimicitiæ gratia, cur Podianum opus non accusatis? cur non in illud peroratis? cur non autorem librumq́; ad ignem uocatis? imitantes Bernardinum & Robertum, qui opus Antonij Panhormitæ in concione Mediolani, Bononiæ, ac Ferrariæ concremarunt. Magis hoc moribus, quàm illud nocet, uel ob id, quòd hoc latius, ut ipse Podius ait, emanauit. Et Panhormitam fortasse pœnitebat pigebatq́; operis sui. At iste etiam gloriatur ob suum, & reprehendentibus respondet: illos insanos esse, qui ipsius gloriam carpant.
Hunc

Hunc uos, si saluū uultis, presertim cras aut perendie moriturum, nō obiurgabitis? non increpabitis? non Hippocratis uinculis alligari iubebitis? nō opus eius siue pœnitētis, siue nō pœnitentis accenso in cōcione igni cremabitis, quod iam in concione angelorū, in cœlo crematum est? Ego clamo: ego uos prædicatores omnes, quanta possum uoce, cōtestor, ego cœlum ac terram testes inuoco, me uos admonere, ut librum nefandissimū, & quem Saraceni, quem Scythæ, quem omnes gentiles damnarent: exterminandū, extinguendū, sepeliendū curetis. Nihil religioni, nihil pudori, nihil moribus est uirorū mulierūq; perniciosius. Spartiatæ, q minus uerecūde loquebatur, opus Archilochi, apud ipsos legi uetuerūt. Augustus Ouidiū ob tres de arte amādi libros, etsi multa de laudibus ipsius composuerat, in ultimā tamē Scythiā relegauit: nec tot epistolarū libris illinc missis, potuit ad dandā tanto uiro ueniā exorari, saltē ut propius exularet. Vos istū hominem impurū, barbarū, elinguem, qui nihil penè nisi contra bonos inuectiuas cōposuit, impunitū sinetis? de suis quoq; peccatis ac sceleribus gloriantē, et quasi pestiferā quandā luem cōtactu afflatuq; oīa polluentē? Cacus in uno Auētino Monte, Hydra, Medusa, & alia cuiuscunq; seculi mōstra in sua quodq; terra grassabatur. At hoc nostri eui monstrū, prodigiū, ostentū, portentum, hę lues, tabes, pestis, clades, mors, nex, infamia, & quicquid dirū tetrūq; dici potest, ut ipse testatur atq; adeo gloriatur, Galliā, Hispaniā, Germaniā, Britanniam, cæterasq; linguę latinæ nationes inuasit, inquinauit, infecit. O, si uerū est, quot animas perdidit ac perdet, nisi uos animarum custodes, tutores, medici, & qui contra lupos officio canū, pro ouiū incolumitate fungimini, succurritis latratu, cursu, dētibus. An expectatis, ut ipse uestro fungar munere? En quoad possum fungor, latratus emitto, ut uos uocaliores, ueolociores, robustiores canes excitem ad hūc infestissimum lupum, non modo abigendū, uerumetiam discerpendum laniandumq;, & post mortem, ut quibusdam in locis fit, in arbore suspendendum: ut prætereūtes omnes eum lapidibus incessant. Scio expectare eos, qui facetias Podianas non nouerunt, quidnam monstri tantū illæ scelerisq; contineant. Quid agam, si quas illarum in medium proferam? polluam os meum? polluam aures auditorū? polluam hunc librū? Sunt enim quædā obscœniora, quàm ut à uerecundo, etiam capitali inimico obijci possint. Quòd si Pogius uerēda corporis ante oculos meos nudare uellet, ego uultū auerterem, ne polluerem oculos: an obscœna eius, quæ euomuit, uerba referendo, ipse os meum coinquinabo? Sin eas hoc prohibitus timore non proferā, non uidebor posse probare causam meam: nō iustè in eum fuisse inuectus. At uerò causa mea melior, credo, futura est, meliusq; audiā apud eos præcipuè quibus castè instituendę iuuētutis cura mandata est, in quorū manus hæc nostra fortasse uenient: si impudentis, si flagitiosi hominis, si deniq; bonorum morū corruptoris obscœnitatē taciturnitate uelauero. Obscœnitatem dico in fabellis illius, quā debeant optimi cuiusq; aures repudiare. Itaq; malim honoris mei iacturā facere, aut etiā calūniator, si necesse est, appellari: q per me tot lectorū polluātur animi, tāta tamq; execrāda nequissimi hominis impunitate. Satis mihi impræsentiarum fuerit, q plurimos, eosq; optimos uiros huius rei testes habuerim, ad quos, prò dolor, iam Podiana opera peruenerūt. Quare finem scribēdi faciā: si pauca admodū adiecero, quę à Podianarū obscœnitatū lectione deterreant. Solebāt olim in honorē deæ Florę, quæ fuerat nobilissima meretrix, ea uidelicet, quę populum Romanū scripsit hæredem, nudatę meretrices ante ora populi impudicis gestibus ludere. Quò cum aliquando uenisset Cato, intermissi sunt præ pudore ludi, & præsentiam Catonis iuuentus erubuit, ac tacite, ut ille abscederet, precabantur. Quam obscœnitatem Cato cum emendare nō posset, abscessu suo improbauit. Nunc quis nō intelligit, qui in fœdam illam, tetramq;

fabularum

fabularũ colluuiem inciderit, Podium ueluti Floralem aliquam meretricẽ, non modo in conspectu Romanæ iuuẽtutis, sed tot latinè loquentium nationum nudatam impudicissimis ludere gestibus? Omnes enim, qui ista legunt, sibi ipsi rem pingunt, & Podiana Floralia cernere uidentur. Non hoc facit meretrix: nõ mulier, non iuuenis aliquis, aut uir plebeius, sed Podius octoginta amplius natus annos, homo literatus, & si ei credimus, eloquentię princeps, apostolicus secretarius, cui ueluti Catoni, oculos, aut aures tantæ obscœnitati præbere deforme esset, hos ludos nobis agendos prębuit, hæc festa Floralia nationes docuit, hanc morum institutionem, tanquam optimam hæreditatis partem, filijs reliquit, hoc opus multorum instar librorũ ad trecentas fabellas siue facetias in Græcam linguam quosdã, ut transferant, hortatur: quosdã ut in Gallicã, quosdam ut in Hispanicã, quosdam ut in Germanicã, quosdam ut in Britannicam, & item in cæteras linguas. Quod si fiat, quid aliud sperãdum est, quàm ut siue secta, qualis fuit Epicurea, Stoica, Peripatetica: siue nequitia, qualis illa Gnatonica: siue institutio, qualis prędicatorũ, minorum, monachorũ, Podiana dicatur? O te Fortunatum, felicem, beatũ, atq; immortalem Podi: qui tot uel discipulos uel sectatores uel imitatores habiturus es, ut in cœlo cum dea Flora tanquam cõiuge colloceris, & una cum illa te Clerus omnis elata uoce comprecetur: sancte Podi & sancta Flora orate pro nobis.

# LAVRENTII VALLAE IN EVNDEM POGIVM LIbellus primus in Dialogo conscriptus.

## PRAEFATIO.

AVdio Pogium alteram in me cõposuisse inuectiuã, lõge priore acerbiorẽ, in qua nihil admodum de iure * causæ suæ disputat (*alibi, iure causæ*) quasi planè uictus, superatusq;, sed totus in maledictis: conuitijsq; uersatur. Eam nondũ habere potui. Interea peragã triumphum meũ, aut potius iterũ triũphabo, ritu eorum imperatorũ, quibus unus dies ad triumphandum non fuit satis: atq; eo audacius id facere possum, quòd iam, ipsius quoq; hostis confessione, uictoriam sum adeptus. Qui enim aduersus argumenta, rationes, probationesq;, non argumentis, sed opprobrijs, non rationibus, sed cõuitijs, nõ probationibus, sed spurcitijs agit, is certe declarat se imparẽ, ac uictũ esse: &, uelut canẽ à fortiori laceratũ, plagas suas ululatu latratuq; solari, & hoc saltẽ uindictę genere inimicũ suũ ulcisci. Et quia iusto è prælio nõ potuit discedere superior, sperat se superiorem iniusto. Nam quis, quęso, nõ dico strenuus, fortis, & in bello iam uictor, sed probus atq; moderatus, uelit cõtendere cũ auaro de auaritia: cũ ebrioso de ebrietate: cũ proditore de proditione: cũ libidinoso de libidine? certe nemo. Ita nec cũ maledico de maledicẽtia. De uirtutibus est cũ egregijs uirijs, nõ de uitijs cũ inhonestis, aut cũ facinorosis certamẽ, & ęmulatio. Loquatur itaq; Pogius, quantũ uelit, obscœne & spurce, facit quod suũ est: sui semper est similis, pugnator pessimus, calũniator insignis: cuius dicacitatẽ cõtemnere ac dãnare me, non imitari decet: licet nõ de ipso sim meritus, ut in me carpẽdo pergere debuerit. Siquidẽ cũ promisissem me omnes eius libros recogniturũ, & eorũ uitia in triumpho tanquam captiuos exhibiturũ, id tamen non feci: mollitia quadam animi retentus: quasi satis haberẽ, uitia Epistolarum ostendisse. Sed quoniam hostis me cogit, (si modo hostis appellandus est, qui uictus atq; captus est) peragamus ultionẽ, ac ueluti secũdo die triumphemus, & quia debellatũ est, aliquanto hilarius: repræsentantes quodam modo

modo illum priſcum Romanorũ morem triumphandi. Nam ita accepimus, inter menſas, quas ciues per uias eſculentis, poculentiſq; referſerant, exercitum uictorem comeſſabundum potabundumq; tranſiſſe. Sic nos quaſi edentes atq; potantes, aut certè ridētes triumphemus: poſtea alio modo de inuectiua triumphaturi. Decet enim de uinoſo ebrioſoq; hoſte ſuperato, talem nos agere triumphũ: incipientes ab Epiſtolis ad Nicolaum Nicoli miſſis: ſed, quo res ſit iucundior legentibus, ſub apologo tanquam Guarinus cum ſchola ſua atq; domo adſit. Erit autem uel apologus, uel ſcenicus quidam actus.

LAVRENTIVS.

SAluus ſis Guarine. Gu. Salue Laurenti, & tu Pogi, licet taceas: ſed cur taces? Pog. Vtinã tam bene loquerer, quàm bene taceo. Lau. At cur nõ ſępius taces, quàm loqueris? Pog. Quia, qui male loquuntur, rarius tacent. Lau. Atqui nunc bene loqueris, quod multo eſt ſatius, quàm tacere. Cur ergo Guarinũ non ſalutaſti? Pog. Nõ dico me male loqui, quòd loqui neſciã, ſed quòd de alijs male loquar, ideoq; ad ſalutandũ ſum tardus. Gu. Ego me abs te Pogi ſalutatũ puto, quid uultis? Lau. Guarine, quęſo te pro tua ſingulari & humanitate & eruditione, te huic facto iudicem prębeas, tui enim artificij eſt, de lingua Latina agimus, in qua tradenda tu principatũ obtines. Gu. Ego uerò libens, ſi modo Pogius forũ non declinet. Pog. Quid ego forũ declinem, quod ſemper amaui, & colui? quippe, in quo tot res ad delectandã gulã pertinentes, emere ſolemus, nõ dico lactucas, caules, allia: ſed perdices, faſianos, anſeres, anates, gallinas, columbos, turdos, ficedulas, itemq; oratas, murenas, congros, mullos, præterea paſtillos, copullos, ſalſamẽta, & ante omnia duodetriginta genera uini egregij, quæ enumerabo, ſi uultis. Gu. Iſta fora tibi relinquimus colenda Pogi, ego de illo forò loquor, unde dicuntur cauſæ forenſes. Pog. Relinquis mihi hæc fora? & relinquas uolo, malo enim ficedulas colere, quàm lites: caupones, quàm cauſas. Itaq; forũ cauſarũ per me uos colatis licet, id uobis colendũ relinquo. Gu. Geramus Pogio morem, non te in forũ ad Iudicem Pogi, ſed in ſcholam uocari ad Magiſtrum exiſtima. Pog. Egóne puer quidẽ, aut adoleſcens ſcholam adij, quomodo nunc adibo decrepitus? Gu. Non dico, ut diſcas, ſed ut cum Laurentio diſputes. Pog. Quis me ad diſputandum adiget? Gu. Honeſtas, ratio, pudor. Pog. Si de ſaporibus diſputandum ſit, non recuſo. Gu. Quid de ſonis? an pluris guſtus eſt, quàm auditus? Pog. Quid ni? cum ſine ſono uiui poſſit, ſine ſapore non poſſit. Gu. Iſtud Laurentij intereſt, non mea, ego pro Iudice uocatus ſum, nõ litigatore, itaq; uerbũ nõ addo, tu modo Pogi uideto, ne, dum iſta dicis, tergiuerſari ac fugere uideare. Pog. Egóne ſubterfugere ac tergiuerſari uelim? qui nũquam fugi, nec terga uerti: qui uictus, proſtratuſq; nunquam me fateor uictum, contràq; mihi incumbẽtem unguibus dentibuſq; pugno, ideo non eſt cauſa, cur nos audias altercantes. Lau. Tu uerò Pogi, dum modo proſternaris, pugna, quantũuis dentibus unguibuſq;. Non enim pardus es, aut leo, ut ungues tui ſint ac dentes formidãdi, præſertim habenti duriſſimam pellem, ſi tamen fateri uis, mei ſunt in te pardini leoniniq; dentes, & ungues. Cæterũ, nolo tecum pugnare, Guarinus modo ſit examinator epiſtolarum tuarum ad Nicolaum: me nihil uerborum facturo, niſi hoc unum, ne culpam in librarium reijcias. Eſt ne hic codex tuus? Pog. Quid ſi negem meum eſſe? Lau. Si negaueris tuum, ego dicam eſſe meum. Pog. Guarine, hic furti ſe alligat. Lau. Nemo eſt fur rei domino carentis. Pog. Ego iſtius codicis dominus ſum: & tu eius fur. Lau. Non dixi: me hunc librum eſſe meum dicere, ſed dicturum, ſi tuum negaſſes. Quod ſi faceres, iam huius libri fur non ero, ſed dominus: tu uerò nõ dominus libri, ſed calũniator. Pog. Imò ipſe ſum

dominus

dominus libri, non tu, quem tu forte furatus es illi, cui commodaui transcriben-
dum, nisi ab eo tu cõmodato accepisti, licet hoc illi uetuerim. Lau. Iam culpã
in librarium refundere non potes, tanquam liber inemendate sit scriptus, quem
tradis etiam non amicis transcribendum, uerum quid ita uetuisti homini, ne mi-
hi commodaret? an, ne te reprehenderem? Pog. Tu me reprehenderes, ho-
mo maximè reprehendendus? Lau. Experiamur, an isthuc possim, Guarino
disceptatore, & iudice: in plurimis em̃, ut opinor, errasti. Pog. Mentiris. Lau.
An mentiar, cognoscas licet, en locos annotaui. Pog. Vbi sunt? cedo codicẽ.
Lau. Istud non faciam, ne hinc te proripias cum codice, tu potius Guarine inspi
ce: & quoniã ipse hunc insectari non possum, tu pro peccatorũ qualitate repre-
hende. Pog. Quid poteris reprehendere? Lau. Si te non poterit, me pote-
rit, qui locos in tuo libro, ut reprehẽdendos, annotaui, uter peccauerit, eum cen-
soria austeritate insectetur, placet'ne hoc tibi? Pog. Cur non placeat mihi, te
reprehendi? Gu. Vultis'ne me castigare censorie, uel te Laurenti calumnian-
tem, uel te Pogi male loquentẽ? Pog. Accipio conditionem, dum Laurentiũ
more Pogiano, scis quid dicã, insecteris. Lau. Ita uolo, sed ut tu uicissim Gua
rine sustineas partes meas, omissis tuis, ut sicubi reperies Pogiũ barbare loquen-
tem, nõ iudicem agas, sed accusatorem. Gu. Ita fiet, igitur legam locos abs te
Laurenti notatos. Lib. Pog. Illud autem diligenter annotaui, nullo modo li
cere sacerdoti capere quicquam ex altari, præter uictũ & uestitum: quòd si plura,
furem dicũt & latronem. Gu. Vnde pendet Podi illud, quòd si plura? uerum
hæc donemus: nemo est, qui in huiusmodi non aliquãdo erret incuria quadam:
Hoc mihi præ cæteris molestiæ plus affert, quid sibi uult præ, & plus: Cicero nun
quam sic dixit. Lib. Pog. Post quindenã ab his partibus discedã. Gu. Co
quum stabulariumq́; meos sæpe sic audio loquentes: uolo ire ad partes, uenerũt
multi ex partibus meis: quos ita loquẽtes, etsi non Italicos, tamen ridere soleo:
quindenam autem in ore illorum nunq̃ audiui. Hoc si licet, non uideo, cur non
etiam liceat dicere decenam, quartenam, & quædam alia more idiotarũ? Lib.
Pog. Constitue te in locum meum. Gu. Transfer te in locum meũ, aut con-
fer, aut perge, dicimus: mane, sede, pone te in loco meo, non dicimus, ita nec con
stitue. Lib. Pog. Cum de proximo instet coronatio Regis. Gu. De proxi
mo, coqui mei iste ac stabularij sermo est. Vbi bis peccatũ est, quòd neq; de pro-
ximo dicimus, & satis erat dicere: instabat dies coronationis, hoc est, aduẽtabat:
& proxima erat dies, ut Cæsar cõmentario primo: Diem ex die ducere Hedui.
Cæsar ubi se diutius duci intellexit, & diem instare, quo die frumẽtum militibus
metiri oportebat. Et Lucanus: Instabatq́; dies qui dat noua nomina fastis. Et
mox: Dum tamẽ emeriti remanet pars ultima iuris. Lib. Pog. Vtile igitur
consilium esset, incipe quantotius fieri posset, mihi crede. Libri sacri, quos legi,
& quotidie lego, refrixerunt pristinũ studiũ humanitatis. Gu. Coquus meus
Parmeno, & stabularius Dromo, sic mecũ loquũtur, nec dedocere eos possum,
quin auribus meis inculcent quantotius: existimantes sic se loqui pereleganter,
at refrixit cum accusatiuo nunquã dixerũt. Adesdum Dionysi adolescens: ignis
calescit manus meas, dicitur'ne latine? Di. Minime, mi magister. Gu. Cur
ita? Di. Quia inchoatiua hunc casum respuunt. Gu. Voca quæso Pogi fi-
lios tuos, etsi pueri, nisi hoc sciant, uerberandi sunt? non posse dici, lectio re-
frigescit studium. Quod ergo in puero uerberibus dignum est, id in te Pogi casti
gandum non erit? Lib. Pog. Quid fiet sub diuo. Gu. Si Græca nosses:
ut nosse uideris, sua dio diceres: id est, sub Ioue, non sub diuo. Lib. Pog. Re-
rum quas miseram Pisas per unam nauem, quæ ut certum est, iamdudum appu-
lit in portum, Gu. Vna pro quædam: ut, inueni hodie unum hominem amicũ,
sæpe

sæpe ex Parmenone meo audiui ac Dromone: iamdudum pro iampridem: appulit in portum, pro appulsa est, nunquam audiui, homo potius uel uentus appellit, quàm nauis. Lib. Pog. Nam signum esset aliqualem memoriã remansisse. Gu. Plura ego à Parmenone barbara, quàm ille à me latina, didici: aliqualis, aliqualiter, quæ nollem didicisse, nequando ijs uterer, ut tu facis, quæ nũquid à tuo coquo didicisti? cum quo genere hominũ maior tibi, quàm mihi est consuetudo. Lib. Pog. Rogo ut me certifices. Gu. Et hoc culinarium uocabulũ est. Lib. Pog. Ne deuenirent in manibus fratris. Gu. Parmeno ades huc, dicitur'ne hoc grammatice: deuenerunt in manibus fratris? Pa. Mi domine, quis hoc dixit? Gu. Nempe hic Pogius. Pa. Iste Pogius peius me loquitur, qui coquinariam factito: quæso mi domine, pro me coquum Pogium facito: nanque ad hanc rem uidetur mihi sanè idoneus, ut uultus promittit, aut certe cellarium: nam nescio quid uinaticum præ se fert. Gu. Abi hinc improbe Parmeno in culinam tuam. Lib. Pog. Nescis reperire modum, quo tria frustecula panis exportentur? Gu. Redi Parmeno, redi, redi: frustecula panis, inquit Pogius, tu quomodo diceres? Pa. Ego semper frustula carnis dico, & frustula panis: heus subcoque Pogi, ueni in culinam meam, non frustulis panis & carnis, sed fustibus pro pane carnem tuã satiabo. Gu. Tace iam Parmeno. Lib Pog. Scripsi ad te, me abiturum ad uos hoc mense Maij, aut amplius ad festum Maij. Gu. Amplius, in istum sensum ubi reperisti? Cicero, cuius te cultorem ais, ad summum solet dicere. Lib. Pog. Discutiemus diligenter hoc fasciculum cogitationum mearum. Gu. Hoc fasciculum, dixisti Pogi? Pa. Mi patrone, ego, quem tu per contemptum appellas Parmenonem, non sic dixissem, semper fasciculos phaseolorum, fœniculi, herbarum dico tibi me attulisse de foro, non fascicula: forte hic de paruis fascijs loquitur, quibus cogitationes suas inuoluit, uerum tunc diceret fasciculam. Iam scio mi Patrone, recte locutus est pol homo iste, fasciculum hoc à fas deriuatur, cuius genitiuus est, ut iste uult, fascis. Gu. Iam odiosus es Parmeno. Lib. Pog. Ego uestræ huic cœnæ condimentum, quod est meæ artis, adijciam. Ideo te rogo, ut illos libros ad me quamprimum mittas, si illos habes: sin autem, sumas mutuo à Nicolao. Gu. Sin autem, pro si non, ubi apud Ciceronem legisti? Pa. Quid illud mi domine: sume librum mutuo? ego nonnunquam oleum, salem, acetum, panem, uinum mutuor à uicinis: non sartaginem, ollam, cultrum, securim, pistillum, mortarium, sed commodato accipio. Gu. Tu iam pro me factus es iudex Parmeno. Pa. Assessor tuus ero, si lubet, aut certe testis meæ doctrinæ, quã me hercule non commutauerim cum Pogiana, fac quæso periculum uter doctior. Gu. Apagesis, uino cales. Pa. At hic uinum olet, dij te perdant Pogi, ut uehementer crapulam exhalasti, eructastique. Gu. Non hinc abis? Pa. Si me irritas, etiam Dromonem uocabo. Gu. Pœnitet me hunc uocasse foras: nam coquum, cuius in manu tua uita est, caue lædas. Lib. Pog. Quæ cum omnibus grauia sint, tum mihi præsertim consueuerunt esse grauissima. Gu. Quid ita Pogi aggessisti, tum, & præsertim, & grauissima? mallem dixisses: quæ cum omnibus, tum uerò mihi grauia esse consueuerunt, eoque magis, quod Sint subiunctiui modi est: &, consueuerũt, indicatiui. Lib. Po. Vestes illas attritas, quæ penes te sunt, cupio ut uendantur. Pa. Licet'ne domine? Gu. Minime, tace, si sapis. Pa. Ego sapio, sed hic sermo mihi nõ sapit, fatuus enim est, & insulsus. Gu. Abi hinc, abi inquã. Pa. Non abeo. Dromo, herus te uocat. Dr. Quid uis here? Gu. Hic tuus est herus, is iubeat quid uelit, qui mihi nihil obtemperat. Pa. Sublimem intro hunc rape, quantum potes, in stabulum tuum. Dr. Quem? Pa. Pogiũ hũc. Dr. Quamobrem? Pa. Vt in stabulo tibi seruiat, & mihi quandoque in culina.



Appulit Sono, no nauis Dr.

Sin, pro si no, apud cicer. n. leg.

Dr. Quid fecit? Par. Latinitatem grammaticamq́ tanquam ollas frangit: quem nisi prohibeamus, actum est de lingua latina. Et postea Italici nos transalpinos barbaros uocant, cum nemo Italicorum, præter hunc nostrum herũ, grammaticus sit. Dr. Quid iste dixit? Par. Cupio, ut illas uestes attritas uendantur. Dr. Magis ipse attritum caput habet, quam illæ uestes fuerint, sed quid iubes here, hunccine attritorem, confractoremq́ latinarum ollarum in stabulũ rapio, ut cum caballo & asino uitam degat? Gu. Huic tu asino credis caballe? apagete ambo. Lib Pog. Tum quia uidi paulum cõmotum propter literas ad te meas, quia difficiliter tolluntur. Gu. Paulo commotum dicimus, nõ paulum: & difficile, difficulterq́, non difficiliter. Pa. Istæ sunt subtilitates Italicorum uanæ, in quibus nullum peccatum est, tunc uere peccatur, cum grammatica, tanquam bonum pulmentum secordia coqui, corrumpitur. Gu. Tu ergo illa iudicato, hæc ego: quanquam iniussu meo, ac partibus repugnantibus, factus es iudex. Pa. Nunquid hic alter recusat me iudicem? Lau. Ego uerò te nec iudicem, nec assessorem, nec testem, nec aduocatum recusauerim, ita mihi uideris coquorum omnium (quos uidi) doctissimus: sed uide, ne hic sint, quibus magis placeant manus tuæ, quàm lingua. Pa. Quid tu putas bonum coquũ esse posse sine lingua & palato? mihi crede, boni coqui magis lingua, palatũq́ agit, quàm manus. Non uides, ut magister coquorum quem herus meus uocat archimagirum, non manibus utitur, sed lingua, atq; palato? Quare si sapis, sine me, tanquam archimagirum, uti lingua in hunc subcoquum meum, qui barbaram linguam habet, utinam possem & manibus uti, scis'ne, quando archimagirus utitur manibus? quando peccantes subcoquos uerberat. Gu. Iam me enecas lingua tua Parmeno, reserua ista ad tua pulmenta, uereor, ne hic eam sic defatiges, ut postea nihil intelligat. Pa. Mi here, cum lingua, ueluti pinsendo, defessa est, tunc calefacta præcipue sapores intelligit, uini præsertim. Si non credis, uel Pogium interrogato, qui singularis mihi uidetur iudex, ac censor uinariorum. Gu. Iam desine. Lib. Pog. Nec nunc quoque illum mitto, sed infra paucos dies certum quid sciemus. Gu. Hoc tu uitium non uides Parmeno? Pa. Pro, ne nunc quidem, dictum est, nec nunc quoque: &, infra paucos dies, pro, intra paucos dies. Lib. Pog. Melius est peccare in hanc partem, quàm omnino esse incredulus. Gu. Quid nunc dicis Parmeno? Pa. Nescio, quid uitij uidere uideor, dic tu. Dr. Quid non uides bestia illud: incredulus? Pa. Per Iouem, istud ipsum animaduertebam, sed subdubitabam, uere bestia: nam quid subdubitare oportuit, an dicendum esset incredulus, an incredulum? sic enim construitur: esse omnino incredulum hominem est peius, quàm eum peccare in hanc partem. Nam ita construendum esse, magister meus Rodolphus Chercheph nos docebat. Lib. Pog. Aristoteles dixit democratiam omnibus peiorem. Gu. Quid hic Parmeno & Dromo? Iam iudicium numerus creuit, & testium. Dr. Certe omnium pessimam dixissem, non peiorem: sicut, hic homo est omnium pessimus, non omnibus peior: ne seipso peior esse dicatur & superlatiuum ad ea, quæ sunt eiusdem generis, comparetur: comparatiuum uerò ad ea quæ diuersi. Gu. Dignus es Dromo, qui tam recte loqueris, ut de stabulo in aliud honestius te transferam ministerium. Dr. Sed quis caballum, aut asinum tuum curabit? Gu. Quasi desint, qui illos curent. Pa. En Pogium tibi dignum me hercule, qui asinum agitet. Gu. Mitte contumelias. Lib. Pog. Summa cum animi iocunditate. Gu. Non sic loquimur, Pogi: cum uoluptate dicimus animi, non cum iocunditate: dicimus enim iocunditatem uocis, orationis, aspectus, quasi amœnitatem, hoc est, illud, unde nascitur uoluptas. Lib. Pog. Non cupio diuitem fieri, hoc est, ualde opulentum.

Gu.

Gu. Neq; hoc tacebit Parmeno. Par. Modo dicebat incredulus pro incredulum, nunc autem diuitem pro diues. An te putas factum superius emendasse posteriore? medius fidius non alio modo, quàm fecit nuper socius meus Gotschalcus, qui, quoniã à me reprehensus est (fuit enim adiutor meus in coquendis epulis nuptialibus) quòd in prandio carnes quasdam parum elixasset, uesperi, cum assaret gallinas, penè combussit: iterum à me reprehensus, respondit: nimis & minus si commisceantur, efficere temperatum, ut, si nimis temperatum aqua uinum cum meraciore commisceas, fit tale uinum, quali uti solemus. Quo responso perturbatus ego, fateor, non lingua sum usus, sed manibus, totúq; pugnis hominem contudi, ut omne, quod sorbillauerat, uinum coegerim euomere, quod idem, si liceret, in Pogium facerem, qui cum semicrudis semiusta permiscet, quæ conuiuis suis apponat: credens se uitium uitio emendare. Lib. Pog. Peractis ex more solẽnijs pluuiali ueste indutus est, inde cum Pontifex tum imperator equos conscendentes, unà uersus pontem Adriani proficiscuntur. Gu. Eodem modo locutus es, quo quidam, qui librum suum inscripsit: de insignijs & armis: cum dicere deberet: de insignibus: eadem ratione dicuntur insignia, & solennia, unde sicut insignibus, ita de solennibus dicendum est: uersus quoque pontem, negant Grammatici dici posse, sed pontem uersus, illud quoque conscendentes, ego maluissem dicere: equis conscensis. Lib. Pog. Supra pontem autẽ cum transiret, descendens ex equo, quàm plures strenuos milites, uiros atq; adolescentes, militaribus insignijs donauit.

Gu. En tu quoque Pogi dixisti insignijs pro insignibus, sicut solennijs pro solennibus, etiam quamplures dixisti pro complures, ubi enim legisti quamplures? Pa. Istud ego frequenter audiui. Gu. Vbi legerit quæro, non ubi audierit, nec de recentibus scriptis loquor, sed de uetustis. Etiam, supra pontem transire, magis auium est, quàm hominum: homines enim supra flumen transeunt, sed per pontem. Lib. Pog. Et nisi esset mendositas exemplariorum, non essem molestus Leonardo. Bellum Lucanum summa stultitia cœptum, nescio quem finem habebit. Tyrannus ille Lucanus, qui tam diu urbem illam oppressit. Gu. Exemplariorum, simile est insignijs & solennijs. An putas hæc similia illis, quæ Macrobius colligit: quale est saturnalium, & saturnaliorum? Bellum quoque Lucanum pro Lucense posuisti, perinde ac si poneres Rheginum pro Rhegiense. Alij enim sunt Lucani à prouincia supra Neapolim posita, alij Lucenses à Luca, quæ est supra Pisas. Lib. Pog. Propter inopiã exemplariorum, ut præsto possim discedere. Gu. En iterum exemplariorum pro exemplarium. Præsto quoque pro cito posuisti, cum significet præsens, semperq; positum reperiatur cum uerbo substantiuo, ut præsto sum. Lib. Pog. Ego dixi sibi, ipse autem semper cogit me ire ad eum. Gu. Abite Parmeno & Dromo hinc paulisper, ne contra me testimonium perhibeatis. Pa. Quid ita here? Gu. Quia contra uos dicam semper ita loquentes. Pa. Doce nos obsecro. Gu. Docebo, qui alium coquum uerberas, aut minus aut nimis coquentem cibos, te multo magis esse, uerberandum, cum te dico, & Dromonem, & Pogium dico, qui cibos non coquendos coquitis, & coquendos non coquitis. Pa. Istud ego nunquam feci. Gu. An hoc non facitis, cum pro ei dicatis sibi, & pro se dicatis eum? dicendum enim erat: ego dixi ei: ipse autem cogit me semper ire ad se. Pa. Here, miror cur non moriamur omnes. Gu. Quid ita? Pa. Quia nemo, te excepto, est, qui non edat cucurbitas crudas, & pepones coctos. Gu. Quid istud est? Pa. Non intelligis illud ipsum, quod dicis, de cibis coquendis, ac non coquendis? Nam cum dicimus, si tibi fides habenda est: ego dixi sibi: pepones coquimus, cum rursus, cogit me semper

exemplariorum pro exemplarium
presto semper reperitur cum verbo substantiuo
l'l presto sum

acolas pro incolas
fenestrella pro fenestella nunquam desuper.
desuper pro super

ire ad eum: crudas cucurbitas edimus. Gu. Sile iam, atq; audi. Lib. Pog. Nec miror accolas circumuicinos. Gu. Demus, quod circumuicini reperiantur, qui sunt alij accolæ, quàm circumuicini? penè nanq; idem sunt accolæ & finitimi, incolas opinor dicere uolebas. Dr. Istud mi here ignorabam: tribus ferè stadijs ex eo loco Rheni cadentis rumor exauditur. Dr. At istud non ignoro mi here, in quo, ut nunc Pogius, ita pleriq; Italici errant, cum apud nos nemo erret. Nos enim dicimus rumorem, unde rumigerulus, pro uulgi sermone de re aliqua noua, uos quoq; pro strepitu, & fragore, qualis est Rheni, qui non longe à patria mea de montibus cadit. Sed iste porcus, quonam uocatur nomine? Par. Pogius. Dr. Iste, inquam, siue Pogius, siue porcus non ruminat, cum rumorem in istum sensum accipiat. Lib. Pog. Fenestrellæ perplures demissæ. Gu. An ignoras mi Pogi, scriptorem illum uocatum esse Fenestellam à fenestra? Cur tu r interposuisti? Perplures quoq; non dici, sed complures, iamiam admonui: etiam fenestræ non demittuntur, sed canistella, & funes per fenestras, tu aũt significare uolebas (ut opinor) illas fuisse solo propinquas. Lib. Pog. Cõposita mensa, desuper aquam natante. Gu. Desuper tu dixisses Dromo? Dr. Quid? ni mentior, aduerbium est desuper, non præpositio: ideo casui nõ seruit. Gu. Dionysi, dic aliquod è Vergilio exemplum huius dictionis desuper. Di. Desuper Alcides telis premit. Lib. Pog. Desuper aquam fluitante. Gu. En iterum desuper aquam. Dionysi, dic tu aliud simile exemplum. Di. Tum syluis scena coruscis Desuper, horrentiq; atrũ nemus imminet umbra. Lib. Pog. Qui eam pilam capit, potior habetur, isq; iterum proijcit eam ad personam sibi acceptiorem, cum illam multi petant. Gu. Personam pro corpore hominis, quale est, mittere pilam ad personam, ubi legisti? tu Dionysi, utrum hæc dixisses, potior, & acceptior, an potissimus, & acceptissimus? Di. Nempe per superlatiuum, quia de compluribus sermo est, ijsq; eiusdem generis. Dr. Mi here, hic adolescens tuus senex est, ille uerò senex adolescens, & puer: sed qui iam discipulus esse, id est, discere amplius non possit. Pa. Minus dediscere. Nam nihil admodum didicit. Dr. An didicerit, nescio: si didicit, profecto iã dedidicit. Gu. Sinite respondere adolescentem. Lib. Pog. Mihi crede abiet in sudorem. Gu. Est'ne hic quippiam uitij? Di. Abiet pro abibit, Eo enim futurum facit ibit, non iet. Lib. Pog. Volebam Lucretium pro quindecim diebus. Gu. Quomodo tu hoc dixisses? Di. Ad quindecim dies. Gu. Cur ita? Di. Quia sic diceretur pro quindecim diebus: ut, pro amicis meis, quippe ea re indigentibus: at dies non indiget libro. Lib. Pog. Nihil enim unquam de te noui, quã uis sæpius inuestigaui. Gu. Quid differunt Dionysi uestigo? Di. Vestigo quasi per uestigia quæro: & inuestigo uestigando inuenio. Lib. Pog. Ipse habitat penes sanctum Petrum, ego propè Cincium. Gu. Tu'ne Dionysi ita dixisses? Di. Quid ita dixissem, penes pro propè? cum præsertim abs te audierim, penes, esse aliquid in arbitrio, & quasi in manu esse. Lib. Pog. Neque tantum damna æstimanda sunt, quantum dedecus, & ignominia. Gu. Et hoc ita dixisses Dionysi? Di. Minime, sed tanti & quanti, ut semper audio loquentem. Dr. Nunc taceo, cum audio à puero senem doceri. Pa. Caballe, & asine, negabas modo hunc posse discere, nunc contrà doceri ais. Di. Docetur quidem Pogius, sed non discit: an putas omnia, quæ magister docet, audientes discere? Pa. Me uincis. Lib. Pog.. Itaque intellige me non dormire, aut te uerbis pascere, & inani pollicitatione, ut cæteri. Pa. Hic ego pro Dionysio respondebo, hoc tale uitiũ est, quale superius, nominatiuus pro accusatiuo. Itaq; hunc nominatiuum accusabo, ohe Pogi, ohe, cur sic barbare loqueris? barbam tibi propè uellam. Gu. Caue uellas uerbero. Lib. Pog. Habes ortum egregium

gium,in quo est fons irriguus. Gu. Ha Pogi,fontem irriguum dicis:quid ap pellares hortū? Tu Dionysi,quid diceres? Ego hortum dicerem irriguū, quòd irrigaretur à fonte,uerum apud Vergilium legimus:irriguum fontem,in quarto Georgicorum: Irriguumq; bibant uiolaria fontem. Gu. Hoc est, quod parum cautos fallit, quòd putant idem sibi licere, quod poëtis. Dicit enim idem Vergilius: Sedere carinæ Omnes innocuæ,hoc est,quòd fractæ non sunt. Itaq; sicut hic posuit actiuum pro passiuo (nam innocuus est, qui non nocet: quod nunc positum est, quòd nauibus à terra nocitum non est) ita hic passiuum pro actiuo. Est enim irriguum,quod irrigatur, non quòd irrigat. Lib. Pog. Sed quia in culpanda auaritia sacerdotum ij potissime apti uidentur, quos illi dignificant. Certifices me item, si qui libri Petrarchæ sunt uenales inter istos Colutij. Gu. Tu'ne diceres dignificant Dionysi? Di. Ego ne potissime quidem dicerem,sed potissimum:& dignos faciunt,siue pro dignis habent,& certiorem me facias. Lib. Pog. Sed hic præsto scribit,& ego ad uos præsto ueniam. Gu. Quid hoc?sic tu diceres Dionysi? Di. Imò,sed is celeriter scribit,& ego ad uos propere ueniam. Lib. Pog. Nam, quod ad animum, ita excessit è uita, ut qui sponte abeunt,non qui eijciuntur. Gu. Istud,quo ad animum ,tu quomodo? Di. Quantum ad animum pertinet,nam quo ad,pro quantum,nō audiui. Lib. Pog. Credo meme propediem ualere,& rem confecturus,ut spero. Gu. Hicccine animaduertis aliquid Dionysi? Di. Quòd frustra geminat me. Gu. Nunquid aliud? Di. Quòd superuacuū duorū uerborū alterū est:credo,& spero. G. Nunquid etiā aliud? Di. Quòd ualiturū est dicendum,ut confecturū. Gu. Recte sentis. Lib. Pog. Aestimo libros Antonij, nisi quid ille secus statuit,uenum iri debere. Gu. Quid hic animaduertis Dionysi? Di. Nempe quod uenum iri non dicitur. Gu. Cur ita? Di. Quia nec uapulatum iri dicimus,sed ire. Gu. Quamobrē? Di. Quia in cæteris, quæ ambigua sunt,quòd actiue & passiue accipi possunt, ad distinguendum sensum accommodamus infinitiuū,hoc,uel actiuum uel passiuum:ut,uideo te amatum,lectum,doctum,auditum,ire uel iri. Talia enim supina ambiguæ siue ancipitis significationis sunt. At uenum,uapulatum,& si qua sunt talia,non sunt ancipitis,sed semper passiuę significationis. Ideo non potest addi utrunq;,sed alterius infinitiuū, hoc est, ire, non iri,ne duo passiua copulentur. Gu. Nunquid aliud animaduertis? Di. Superuacaneum etiam illud:debere:sic enim isti loqui solent Dromo & Parmeno:dominus iubet, quòd debeam ire ad forum. Lib. Pog. Saculum accepi, in quo membranæ erant unà cum finiculo,quem iam maiori ex parte amicis dedi. Pa. Tu nos reprehendis Dionysi,qui magistri,aut certe reprehensores huius uiri sumus, mi here hoc contrarium illi uitium est, quod Pogius superius admisit. Nam ut ibi dixit,hoc fasciculum,pro hic fasciculus: ita hic ecōtrario, hic finiculus, pro hoc finiculum: hoc profecto est uitium uerberibus, plagisq; dignum,nō illud,quod in nobis iste reprehēdit. Gu. Nunquid hic aliud uides? Pa. Ego non aliud. Gu. Quid tu Dionysi? Di. Opinor dicendum fœniculum,pro finiculum. G. Recte sentis. Lib. Pog. Nicola noster,cum est longus natura,tum rebus suis uacandum fuit. G. Quid hic uos uitij uidetis? Di. Dic tu Parmeno, qui uendicas tibi facultatem Pogium reprehendendi. Pa. Dic tu Dromo. Dr. Audiamus Dionysium,forte, quod dicet,nihil erit. Di. Vbi sunt hæc,cum & tum,ibi est semper idem suppositum,nunc non potest illud Nicola suppositum esse illius uacandum fuit, cum dicendum sit: Nicolæ uacandum fuit. Dr. Istud quod ais Dionysi,nec ego curo,nec aliud est, nisi secus herus sentit. G. Ego cum Dionysio sentio,& ea re ipsum interrogaui, uerum in hoc malo te interrogare Dromo,quod sequitur Lib. Pog. Sis contentus li-

bruncula castratelli. G. Qualis hic sermo esse tibi uidetur. Dr. De castratello loqueris? G. Et de isto, & de alio. Dr. Mallem te interrogare Parmenonem, qui carnem castratinam & emere solet, & coquere (sic enim sueterum uos appellatis Italici) an hoc est, quod me interrogas, quod castratellum dixit Pogius, pro ueruece? Vere est hic ueruex, qui pro ueruecculo dixit castratellum. G. Nunquid est aliud? Dr. Libruncula non placet mihi, & nescio quare: nam potius ego dicerem castruncula, quàm libruncula, sicut enim non dicimus librunculus, ita nec libruncula dici debet. G. Quomodo ergo pro librunculo dicis librum paruulum? Di. Certe libellum. G. Sic nunc de parua libra dicas, quam male librunculum dici sentis? Dr. Ah ah intelligo libella dicendum, sicut de labrum labellum. Dij tibi Pogi de istis tuis ueruecinis, siue castratinis libellis, ac libris, non unam libellam, sed duas libras carnis auferant, ut linguam ostendas, quæ tam barbare loquitur. Lib. Pog. Te autem non potui conuiuari, quia domus erat incœpta. G. Quid hic est Dionysi uitij? Dr. Quia conuiuari deponens est, non inuitare alium in conuiuium, sed in conuiuio esse. Lib. Pog. Emas mihi lecticam uel nouam uel ueterem, nam in domo sum quasi forensis. G. Quid hic est uitij? Dr. Lectica, qui est paruulus lectus, pro fulcris accipit, quæ sunt tabulæ compactæ, super quas lectus ponitur. Item, forensem pro extraneo, & peregrino, sed ita semper Parmeno loquitur & Dromo. Ideo uitium hoc non uiderunt. Lib. Pog. Verum ij motus parantur, ut unumquenque tædeat conditio fortunæ suæ. G. At hoc uitium fortasse isti uidebunt. Pa. Ego uideo, peccavit, quia. Dr. Et ego uideo, mitte me potius Parmeno dicere. Pa. Imò me tu potius, qui prior cœpi. Dr. Non debuisti incipere, expectare alterum fuerat modestius. Pa. Cur ergo tu me non expectas? Dr. Quia tu non prior me expectaras. G. Quid tempus teritis? quod alter dixerit, id utrunque dixisse existimabo: tu Dromo concede coquo, perniciosa res est coquum habere inimicum, saluberrimum uerò, atque dulcissimum, habere amicum. Dr. Recte admones here: Dic mi Parmeno. Pa. Quis nisi ueruex, atque castratus diceret isto modo? Quid uult mi Dromo ante se uerbum, tædet? Dr. Accusatiuum. Pa. Nunc quid habet? Dr. Nominatiuum. Pa. Quid post se? Dr. Genitiuum. Pa. Nunc quid habet? Dr. Accusatiuum. Pa. Ergo ambo hominem accusemus. Dr. Imò uerberemus. Hem dormit. Pa. Pol dormit, & (ut opinor) usque dormiuit. G. Excitate hominem. Pa. Euigila Pogi. Dr. Dormit apertis oculis, surge Pogi, surge. Pog. Quid me percutitis? quid me excitatis? Dr. Quia apertis oculis dormis, ut lepus. Pog. Semper sic dormio. Dr. Ita ne cum dormis, oculos habes apertos: cum quis tecum loquitur, aures habes clausas? Pog. Quis mecum loquitur? Dr. Guarinus. Pog. Vbi is est? Dr. En tibi Pogi. G. Imò tu hinc abieras Pogi. Pog. Aedepol nihil, si quid dixisti, audiui. G. At Vnum audi, quod restat. Lib. Pog. Si uolumen decadarum tibi placeret. G. Vbi reperisti decadarum? Pog. An non decadarum dicitur sicut cicadarum? G. Non decada, sicut cicada, sed decas. Pog. Istud tuum Græcum est, hoc meum Latinum, sed fac istos abire, si uis, ut de cæteris respondeam. G. Iam nihil est, quod amplius notant Laurentius. Pog. Notet, si uolet, sumat alios quoscunque è meis libros. G. Placet. Lau. Fiat.

# LAVRENTII VALLAE IN EVNDEM POGIVM

## Libellus Secundus.

### LAVRENTIVS.

COncedamus in hanc sane amœnam porticum nobilis adolescentis & inter primos docti ac facundi Marcelli capitis ferrei, ut possimus animos molestia disceptandi affectos, loci amœnitate relaxare. G. Illius'ne honesta ac liberali facie adolescentis, qui nos modo, cum equo ueheretur, salutauit ex hac domo egressus? Lau. Illius uerò. Gu. Eò magis in eius porticum concedamus, si modo idem Pogio placet. Pog. Præstolamini isthic mihi, dum ad meam sanè propinquam domum recurro, ut id afferam, de quo iudicandum est. G. Nempe opinor libros. Pog. Nam quid aliud? G. Sed quin potius mittis famulum? Pog. Famulum inquis? Tu uerò, si sapis, nunquam famulo aut libros, aut pecuniam aut uinum credideris, si hæc preciosa sint: cætera, si bonus ille est, credere potes. Lau. Quid uestes? Pog. Quasi non appellatione pecuniæ contineantur & uestes. Lau. Quasi non & libri, & uina eadem appellatione contineantur? Gondislauus. Here, quid ergo libros & uinum famulo nō credes, uxorem credes? Pog. Quasi uerò uxorem possit eripere, ut libros, uinum, pecuniam. Gon. Atqui tractatio uxoris magis, quàm librorum, pecuniæ, uini, periculosa est, etiam magis quàm uitri. Gu. Abi hinc scelesté cum istac loquendi licentia. Pog. Noli castigare famulum meum Guarine: habent hanc famuli mei apud me non modo loquendi, sed etiam faciendi licentiam, præterquam in libris, ut dixi, uinoq; ac pecunia. Lau. Quid tempus terimus, cur nō iss iam redi tum oportuit. Pog. Ne festines, nam te magnopere festinasse pœnitebit. Lau. Omnes afferto libros tuos. Pog. Eorū tibi uel unus satis superq; fuerit, nec te putes omnes posse reprehendere. Lau. Quot possim, experire. Pog. Scio quid agam Lau. Etiam restitas? uereor ne cito non redeas. Pog. Ego citius, quàm uoles, redibo. Lau. Si expectas, dum uolem, nunquā redibis. Pog. Faciam, ut cum rediero, euolare istinc cupias. Lau. Cum gladijs uenies, an cū libris? Pog. Libri mei dum irascuntur, gladij sunt. Lau. Etiam'ne tui libri, ut tu, irasci solent? Pog. A quibus irreuerenter tractantur, eos ueluti gladij punctim cæsimq; feriunt. Lau. Sed quid ego tibi in mora sum. Pog. Prope te adero Guarine. Gu. Facito commodo tuo. Lau. Obambulemus'ne Guarine an consideamus? Gu. Vt tibi lubet, nam ego dubito, quippe qui mallem obambulare, quàm sedere: sed timeo, ne apud Stoicos Peripateticum agam. Lau. Quid ita? Gu. Quia Stoici à porticu, quæ Græce, ut scis, dicitur στοά, & Peripatetici ex ambulando sunt dicti: quo fit, ut absurdum duntaxat Stoicis uideatur esse, in portu deambulare. Lau. Si isthuc, ne Stoicis displiceat, times, quid ni timeas quoq;, ne Peripateticos offendas, si uideant te in porticu quasi quondā Stoicorum theatro considere? Gu. Recte admones, ideoq; ne alterutros offendamus, obambulemus, sed intra porticum. Lau. Si uolumus Epicureis quoq; morem gerere, eccos amœnos etiam hortos, qualibus Epicurei delectabantur: genus hominum, etsi uulgo male audit, frugi admodū & temperatū. Sed en tibi Pogius festinabundus regreditur. Gu. Strenuus fuisti Pogi & opinione nostra celerior. Pog. Verebar ne quid tibi iste me absente persuaderet. Lau. De hoc tu uiro optimo nō optime sentis. Pog. Heus tu, suspiciosa res est cōtrouersia, nec prudentis, sinere aduersarium & iudicē colloqui so

los. Lau. Quia noluisti credere famulo libros, necesse habuisti credere aduersario iudicem. Pog. Et idcirco propere redi. G. Nō fuit causa Pogi, cur redire properares: nec postulo, nisi inter fidē mihi habētes, ferre sententiā. Sed ubi sunt codices? Pog. Profer Gondislaue librū. Go. En tibi liber uxore charior. Pog. Neq; istud tibi dolet. Go. Imò placet, & perplacet. Lau. Quid tu unum attulisti librū? Pog. Satis tibi superq; futurū, ut prædixi. Lau. Cur ita satis superq; mihi erit? Pog. Quia is est, quē nouissime cōposui. Annota in eo siquid potes, quē ausim dicere ipsam mihi Mineruam dictauisse. Lau. Tu paulo ante, quē mallem de tuis libris sumere, offerebas electionem, nūc ipse pro me eligis. Pog. An tu malles, ut cōtra te, quàm pro te eligerē? Lau. Secus mea uerba interpretaris, atq; à me dicuntur: pro me, hoc est loco meo dico, me nolle, ut tu eligas. Nam istud eligere pro me, planè est eligere cōtra me. Pog. An nō semper eligenda sunt optima? hoc aūt ex operibus meis optimū est. Lau. Non cupio aduersariū partes meas præsumere. Pog. Melius ego mea, quàm tu nosti. Mihi crede nullum possem è meis libris meliorē eligere, Neq; te debeo permittere eligere pessimū. Vide quàm tecū agam amice. Si de gallinis, anatibus, anseribus, columbis, turturibus meis, uelles eligere pessimā, id te nō sinerē facere, sed pro te eligerē optimam. Lau. Dij te diuitē faciant gallinarum, annatū, anserum, columbarū, turturū copia, qui tam munificus etiā in aduersario es. Verū timeo Danaos & dona ferentes. Itaq; sine quæso me meo arbitratu gallinam, siue anatem, anserem, columbam, turturem eligere. Pog. Nunquit tu aliam q̃ optimam uis? Lau. Non aliam, sed quam tu sentis optimam. Pog. Nempe pinguissimam. Lau. Atqui talis non est liber tuus. Pog. Quid ita? Lau. Quia non pingui Minerua & crassa cōpositus est, sed ab ipsa Minerua dictatur, qualem librum quis audeat reprehendere? Pog. Fateor in eo nihil pinguis esse & crassæ Mineruæ, & ideo esse optimum. Lau. Cur igitur eum pinguissimę gallinæ, anati, anseri, columbæ, turturi, comparabas? qui si foret pingui Minerua compositus, permitterem tibi pro me electionem. Haberem enim, quod notare in eo possem. Nunc eum elegisti, qui tibi optimus, mihi pessimus est ad nostram contentionem. Pog. Si tibi ipsi confidis, hunc sumito, cuius uel parua reprehensio pluris facienda est, quàm alterius magna. G. Gere morem Pogio Laurenti, non absurda admodum loquitur. Lau. Age fiat. Dij gallinarij & anatarij, & anserarij, columbarijq; & turturarij uortant bene. Timeo enim, ne nihil esculentum in ista Pogiana galliana uel anate inueniam G. Quid times Laurenti? Nunquid si nihil reprehensione dignum compereris, uictus discedis? Neq; enim aliter superaberis, quàm siquid falsò obieceris. Quod itē in te Pogi fit, si quid quærere in libris Laurentij uoles, uinci nō potes, si quid forte nō inueneris: sed si falsò dixeris te inuenisse, quod reprehendendū nō esset. Pog. Probe inquis Guarine. Sed non uelim Laurentium sectari atq; insectari uerba, sed res atq; sententias. Lau. Etiamne hoc postulas Pogi, idq; eo in opere, quod ais à Minerua dictatum? Pog. Mineruæ non de uerbis cura est, sed de sententijs. Lau. Ita'ne parum momenti in uerbis est? in quibus si non insunt sententiæ, tamen insunt sensus, quos negligendos esse ne Minerua quidem dixerit, nec Apollo, nec Iuppiter. Verum prius facito certiorem me, quis iste sit liber. Pog. Ille celeberrimus, tertio ab hinc anno compositus de tribus conuiualibus quæstionibus. En accipe. Lau. Ideo Guarine tantopere confidit huic operi Pogius, in cuius procemio, si memini, sibi promittit immortalitatem, legamus. Lib. Pog. Nonnulla hactenus conscripsi, quæ iam inter multos diffusa longiorem mihi paulo post obitum uitam allatura uideantur. Lau. Et quantulum est in isto opere sententiarum, quod ausim, ut abs te dictum, reprehendere? Cum in

persona

persona tua loqueris, ferè totus in recitãdis autorum testimonijs es occupatus, ut uix quippiã tuum possim notare. Cum in aliorum, si quid notaro, excusabis consuetudinem Dialogorum, in quibus nõ possunt dici uere omnia ab ijs, qui utrinque disputant: quale est, quod Nicolaũ facis ultimo loco respondentem, cui quia nemo cõtradixit, significas eam tuam ipsius esse sententiã. Hanc quoque legamus. Lib. Pog. Omnia præclara & memoratu digna ab iniuria atque iniustitia contẽptis sunt legibus profecta. Vt uero descendamus ad nostra, quid hac ætate, nõ'ne Lombardiæ duces, Veneti, Florentini, multique præterea aliena appetendo rapiendoque creuere? quibus nulla lex imperat, neque eius regũtur imperio. Credo cum Florentinus populus aut Veneti alicui bellũ inferunt, aduocant Iurisperitos, ex eorũ consilio indicunt bella: an potius utilitate & augmẽto suæ reipublicæ ducuntur? Abige hinc ergo leges & iura tua, quæ sunt imperijs propagandis, quærendis regnis, & rerum publicarũ amplitudini impedimento. Lau. Et alia in hanc sententiã permulta, quorum uerborũ scriptor fustuariũ meretur, atque in furcam suspendi, & illic nõ modo ab ijs, qui nominati sunt, ducibus, Venetis, Florentinis, sed ab omni humano genere lapidari. Hoc nõ Phalaris, nõ Dionysius, nõ Verres, non alius quispiã aut tyrãnus aut latro dixit, ausus ius diuinũ humanumque damnare, cum omnes in quocunque literarũ genere libri de iure gentium, de iure bellorũ, societatum, ciuium, hospitũque uno ore consentiant In hanc tam perditã non hominis, sed leonis, aut lupi sententiã, non unius uiri oratione, sed totius humani generis acclamatione esset obuiam eundũ. Quam tamen hic ab alio, nõ à se dictam excusabit: quasi ipse nõ illam pro sua scripserit. Talia plurima equidem notare possem, nisi hic sub umbra se alienæ personæ occultaret. Pog. Bona uerba quæso, ista (ut inquis Laurenti) alius dixit, nõ ego, neque te bonitatem sententiarũ excutere iubeo: sed an aliquid, quod ad bene componendũ pertineat, peccauerim. Lau. Cur nõ me iubes cœlũ pugno ferire? uis me hunc potissimum librum sumere ad notandũ, quem accuratissime condidisti? uis me de uerbis notandis nullum uerbum facere, sed de sententijs? uis postremo ipsarum sententiarum non bonitatem excutere, sed nescio quam bene componendi rationem. Gu. Quid Laurenti stomacharis? quasi nullus tibi sit alius liber ad excutiendum, & non ab isto, quem accepisti inuitus, quamprimũ queas discedere. Lau. Bene admones, cedo alios libros Pogi, hũc missum faciamus. Pog. Non, nisi te à me uictum esse fateare. Lau. Istæ iudicis sunt partes, alterum uictorem, alterũ uictum pronuntiare. Pog. Si tu causa cedas, imò cadas, iam non est amplius opus iudicis partibus. Lauren. Ita'ne loqueris? Faciam profecto, ut te uictum, non tu quidem confiteare, non enim est hoc abs te postulandum, sed ut iudex pronuntiet. Animaduerte hic quæso Guarine, cuius partes hic me præripere iubet. Agedum Pogi, non ex arte oratoria iubemur magis uerisimilia dicere, quàm uera, seruareque ubique in personis ac rebus decorem? Hoc quàm abs te præstetur, inspiciamus, legamus librum. Lib. Pog. Cum me ad terram Nouam natalem patriam cum familia contulissem, uenit eò postmodum rogatus à me, qui Florentiam ob negotia publica adibat, paulum de uia concedens Carolus Aretinus, uir omni laude ac doctrina præstãtissimus. Is enim pluresque alij, in quibus erant uiri doctissimi Benedictus Aretinus Iureconsultus, ac Nicolaus Fulginas insignis philosophia atque arte medicus, Aretinũ petierant pestis uitandæ gratia. Contigit autem ut eodem die & Nicolaus ex Aretio ad curandum ægrum quendam accersitus, & Benedictus in patriam iturus simul me conuenirent. Magna me animi uoluptas cœpit, quum uiderem tres ornatissimos uiros mihi'que singulari beneuolentia coniunctos forte in idem loci diuertisse. Qui omnes cum hortatu meo in hortulo mecum cœnassent,

post uarios in ea sermones habitos, remota mensa, cum tempus abeundi uideretur, Age, ut moris est, Carole, Benedictus inquit, huic hospiti nostro gratias, quia ita hilare atque humaniter nos excepit. Scis enim consueuisse homines agere post cibum gratias ijs, qui ad cœnam uocarint. Si cui uerò agendæ sunt, hic est profecto, cuius opera non solum epulis, sed etiam uario suauiq; sermone cœna iocunda fuit. Lau. Quomodo istuc Pogi aut uerisimiliter narras, aut cum decore? Et ut prius de eo, quod prius proposui, dicam: qui fieri potest ut post cœnam, quæ uarijs sermonibus traducta est, tantũ temporis fuerit, ut de tribus quæstionibus disputaretur, quas tu in librum retulisti ad quatuor amplius millia uersuum? quantum uerborum nescio an in ullo Dialogorum Ciceronis libro contineatur: factum intra medium diem, cum præsertim in calce libri scribas. Lib. Pog. Sed iam satis colloquuti sumus, aliquid dandum est temporis deambulationi. Hæc cum dixisset, surreximus, portamq; oppidi egressi ad fluuium diuertimus aëris animiq; gratia. Lau. O Solem Pogi illo die stabilem, nec se mouentem: credo subauscultabat sententiarum suauitatem, aut conuiuio intererat, ut non nisi iussu uestro discederet ad occasum, quemadmodum fecit olim iussus à Iosue præliante. At quanto minora colloquia apud Vergilium Sibylla inquit? Nox ruit Aenea, nos fando ducimus horas. Apud te Pogi nulla fuit interuenientis noctis cogitatio. Putabas te fortassis esse, ubi aliquãdo fuisti, in extrema Germania aut Hybernia, ubi noctes breuissimæ sunt æstate, & speciem diei habentes. Pog. Imò uerò cœnam pro prandio posui, ut multi fecerũt. Lau. Qui sunt isti multi? profecto siqui sunt, non nisi poëtæ fuerunt. Quanquam non uides te tecum non constare? Si tempus erat anni frigidum, non ad fluuium extra portam aëris gratia issetis. Sin calidum, ut magis credibile est (quia in hortulo comedistis) post prandium, hoc est, in meridie non suasisset ille medicus, ut secum uos ad solem & æstiuum & meridianũ è conuiuio & longis altercationibus deambulatum extra oppidum prodiretis. G. Caue istuc dicas Pogi: non modo quia nunquam pro prandio dixisti cœnam, uerumetiam, quæ tua liberalitas est, nequaquam fecisses, ut tales uiros, & tam tibi familiares in tua patria ad prandium modo, & nõ etiam ad cœnam inuitares. Ego nunquam amicum meum quempiam prandio accipio, nisi eodem die mecum etiam cœnaturum. Lau. Atqui ego Guarine opinor neq; prandium illud, neq; cœnam fuisse, sed à Pogio fictum, ideoq; in fingendo hallucinatum, ut alijs in multis solet: immemor illius præcepti, quod Quintilianus tradit: Prima sit curarum, ut id, quod fingemus, fieri possit: deinde, ut & personæ, & loco, & tempori congruat. Et mox iterum: Curandum præcipue, quod fingentibus frequenter accidit, ne qua inter se pugnent. Po. Ita disputas non fuisse conuiuium illud uerum: quasi non soleam amicos & ad prandiũ & ad cœnam inuitare. Lau. Soles tu quidẽ istud facere, sed nõ post prandium æstiuum conuiuas ad solẽ meridianum educere, aut post Hybernũ ad flumen & aërẽ. Pog. At illa, fateor, cœna, non prandium, fuit. Lau. Si fuit uera cœna, profecto non fuit secundum eam tamdiu disputatum: &, si tamdiu disputatũ, quod tamen incredibile est, nõ ab oppido exitũ, & ad flumẽ itum, nisi forte, ut per noctẽ piscaremini. Hæc sunt quæ probant, tuam narrationem non esse uerisimilem. Illa autem, non seruatum esse in rebus ac personis decorem: quòd secundum cœnam uarijs, ut dixi, sermonibus traductam, cum iam remota mensa conuiuæ sibi abeundum putarent, atque abitum pararent, introducis eos disputãtes, & quasi in causis iudicialibus, utrinq; orantes, & in secunda causa ita rixantes, conuitiantesq;, ut uterq; mihi Pogius esse uideat, quod eos tẽ adeò otiosos facis, uel ad loquendũ, uel ad spaciandum: quasi non unus ad curam ægrotorum accersitus esset, alter in patriam properaret, tertius

ob publica

ob publica negocia sibi iniuncta iter faceret, quod præterea post duas sane prolixas disputationes te conuiuatorem, postquam conuiuæ tibi gratias egerant, facis apud eos iam abire uolentes esse loquacissimum, quæ tua fabulatio ad mille amplius uersus in tuo libro extenditur. Neq; te excusat quod scribis Lib. Pog. Et certe is mihi animus semper fuit, ut aliquid contra suam sententiam scriberem, sed uariæ occupationes fuerunt hactenus impedimento. Nunc quoniam & otium est nobis, & Benedictus postulat, Carolus uerò in me hanc prouinciam rejcit, parebo uoluntati uestræ: afferens primum ea, quibus arbitror causam meã facile omnibus probaturum, deinde ad Leonardi epistolam respondebo. Lau. An te Benedictus & Carolus ad hoc sint adhortati, ueritas uiderit: certe tu cõuiuator post tot sermones, & ea hora, & apud proficisci uolentes breuissimus, non uerbosissimus esse debuisti: quòd postremo, & id nescio an sit omniũ maxime indecorũ, quos feceras in principio libri uoluisse abire abs te, eosdem in calce libri facis non abijsse, sed tecum portam egressos, ad fluuium diuertisse deambulatum: oblitos domũ reuerti, opinor, ut postquam ad flumen deambulassetis, iterum disputaretis, quoniam satis diei ad confabulandum supererat. Vtrum horum quæso Guarine maius sentis esse peccatum, quòd fidem Pogius, an quòd decorem non est sectatus? G. Diuersa sunt ista peccata, ideoq; non facile dixerim, utrum utri præstet. Lau. At id, quod subijciam, longe grauius utroq; iudicabis. Pog. Aliquid friuolũ, ut hactenus fecisti, obijcies. Lau. Guarini stabo sententia, imò etiã tua ipsius. Pog. Stabis mea sententia. Lau. Stabo equidẽ, sed cordis dico, quæ uera est sententia, non oris. Pog. Et quomodo scies, an quod sentio, pronuntiem? Lau. Si pro me pronuntiaueris. Pog. Iã nolo stes mea sententia. Lau. Tu iã culpa sit, si tuo iudicio nõ stabo. Po. Omitte loqui friuola, & ad rem redi. Lau. Non'ne in tuo libro, etsi abs te postmodum scripto, te ipsum inducis, loquentem, ut uerba quæ modo recitaui, testantur? Pog. Induco me loquentem, aut potius locutus sum uere, quæ scripsi. Lau. Loqueris tu in uno libro, ut unus quilibet aliorum collocuturũ? Pog. Loquor, quid istuc. Lau. Quia postea facis te scribentem. Pog. An non ea, ut modo dicebam, scripsi uerba, cum retuli in libellum? Lau. Nõ istud ego dico, sed inter cõuiuas scribentem. Pog. Ego inter cõuiuas scripsi inquis? deliras, ut uideo: quippe qui nunc fatebare, librum à me postea scriptum. Lau. Istud ipsum miror, quòd cum librũ postea scripseris, hoc est, inter cõuiuas locutus sis, non scripseris, tamen te inter eos scribere magis, quàm loqui significes. Pog. Nescio quid dicas, nisi deliramenta. Lau. Scies, si auscultabis, non'ne in his uerbis quæ Paulo ante recitaui, dicis inter conuiuas? Lib. Pog. Is mihi animus semper fuit, ut aliquid cõtra suam sententiã scriberem. Lau. Et mox. Lib. Pog. Nunc quoniã & otium est nobis. Lau. Nempè otium rescribendi. Pog. Non'ne dicebam probe te nihil dicere, sed delirare? Dixi tunc esse otium, non mihi soli, sed omnibus, ergo otiũ illud erat loquendi, nõ scribendi, ut tu prauissime interpretaris. Lau. Qua ratione tu istuc dicis? Nonne illud, quod sequitur, te de ipso sentire conuincit? Lib. Pog. Sed uariæ occupationes fuere hactenus impedimento. Lau. Cuius istæ fuere occupationes? certæ tuę, & cui fuere impedimento? certe tibi, & cuius rei impedimento? certæ scribendi, nõ loquendi: ergo istud otiũ est interpretandum, nõ loquẽdi, sed scribẽdi. Po. Nunc magis deliras, qui contendas: melius te intelligere sensa orationis meæ, quàm ipse, qui loquor, intelligam. Lau. Accipe in quo tergiuersaris, è quo elabi non poteris. Scribis non multo ante finem tuæ disputationis per orationem hoc idem apertius, legamus tuum librũ. Lib. Pog. Quanquam cui hæc quæ à me relata sunt, nõ sufficiant, nescio quid satis esse aliud queat, ita multis

testibus

testibus probatum est priscos Romanos omnes latine fuisse locutos, & latinum sermonem maternum fuisse, quibus licet Leonardi epistolæ satis responsum sit, tamen paucis ad quasdam eius sententias rescribam, quæ, pace sua dixerim, nimium a uero aberrare uidentur. Lau. Deinde confutare niteris Leonardi rationes certe loquendo, nō scribendo. Cur ergo te scripturū atq; ei rescripturū dixisti, etsi nō ad te ille, sed ad Flauiū Foroliuiensem scripserat? Pog. Respondebo, me credidi scribere, sed lapsa est manus, ut solet. Lau. Quid in illo, quod est apertius, uitio, num manum excusabis? In fine enim disputationis audi, quæ scripsisti. Lib. Pog. Multis insuper uerbis suam sententiam nititur tueri, quæ facillime dilui possent. Sed nos superius adeò multis autoribus exemplisq; hanc causam tutati sumus, ut nullum quantumuis proteruum, qui ea legerit, non extimem tantorum uirorū autoritati sententiæq; cessurum. Quæ cum à me dicta essent, Ego, inquit Carolus, tecum sensi semper: & qui secus opinantur, nō recte, meo iudicio, existimant. Lau. Cum loqueris Pogi, ais: qui ista legent: ergo scribere te significas, non loqui. Esto uerum fuerit illud conuiuium Pogi: sint inter uos habitæ illæ disputationes: sis tu hac oratione usus: finge tibi aliquē illorum admirabundum dicere: Quid ais Pogi? quæ sunt ista, quę legenda dicis? si scripsisti, cur ais te scripturum? quin illa profers? Si non scripsisti, cur ais: Qui ista legent? Nemo enim dicit, qui ista legent, nisi de rebus scriptis, quasi non scripsisses. Cur igitur ista inter se diuersa dixisti? nempè quòd, ut fert mea opinio, de hac ipsa materia prius sine ulla fictione Dialogi, composueras, in qua uerba ista inerant: scriberem, rescribam, legent: quæ cum per Dialogum disputare iucundius existimasti, immutare oblitus es, siue quia personam tuam ad loquendum cum cæteris introduxeras, neq; id colloquium unquam extiterat, excidit tibi: te sub persona collocutoris ista disputare, & iam habita abs te uerba scribere, sed tunc primum promere, quod sentires, in persona autoris scribentem opinatus es: maiore uitio quàm illa, quæ superius annotaui, nisi aliter Guarine sentias. Gu. Equidem aliter non sentio. Cui simile quiddam admisit uir eximius, & in iure pontificio interpretando, ut aiūt: nulli secūdus Franciscus Zabarella in libris de summo bono, in quibus cum quosdam loquentes inducat, quorum unus est ipse autor, tamen facit se aliquando dicentem collocutori: quemadmodum in primo aut in secundo libro probaui: quasi eis colloquentibus libri per sese scriberentur, ut lebetes Vulcani, qui sua sponte in certamen prodierunt, aut fistulæ illæ deorum, quæ per se ipsæ canebant, ut poëtæ narrant. Id docti non faciunt: sed, aut quemadmodum heri probauimus, aut quemadmodum hodie à Crasso dicebatur, aut aliquid huiuscemodi, etsi magnus quidam ecclesiasticus in hoc incidit, cuius nomen satius est subticere. Lauren. Istud, quod tu ais Guarine, nescio maius, an Pogianum hoc uitium sit, simile illi, de quo Cicero ait in Bruto de Curione: Magna hæc immemoris ingenij signa, sed nihil turpius, quàm quòd etiam in scriptis obliuiscebatur, quod paulo ante posuisset, ut in eo libro, ubi se exeuntem è senatu, & cum Pansa nostro & cum Curione filio colloquentem facit, cum senatū Cæsar consul habuisset, omnisq; ille sermo ductus è percontatione filij, quid in senatu esset actum. In quo cum multis uerbis inueheretur in Cæsarem Curio, disputatioq; esset inter eos, ut est consuetudo dialogorū, cū sermo esset institutus: senatu misso, quem senatū Cæsar Cōsul habuisset, reprehēdit eas res, quas idē Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administrauisset in Gallia. Tū Brutus admirans, Tantā'ne fuisse obliuionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantū flagitij cōmisisset? Quid autem inquā Brute stultius, quàm si ea uituperare uolebat, quæ uituperauit, non eo tempore instituere sermonem, cum illarum re-

rum tempora iam præterijſſent? Sed ita totus errat, ut in eodem ſermone dicat in ſenatum ſe Cæſare conſule non accedere: ſed id dicat ipſo conſule exiens è ſenatu, iſta de te Pogi puta Ciceronem dicere, qui non minus illo Curionis flagitium admiſiſti. Po. Dummodo me parem Curioni facias, id non laboro, de quo in eodem idem Cicero loco ita inquit: Orator autem proximus optimis numerabatur, propter uerborū bonitatem, & expeditā & profluentem quodammodo celeritatem. Itaq; eius orationes aſpiciendas cenſeo. Fuerint itaq; optimi oratores Leonardus & Guarinus, ego autem eis proximus, hoc eſt, tertius orator. Lau. Quid ego? Pog. Non niſi tres primi nominantur. Vnde Vergilius: Tres præmia primi Accipient. Lau. Ex tuis uerbis redeo in memoriam facti Hannibalis, qui à Scipione interrogatus, quem maximum imperatorem iudicaret? reſpondit, Alexandrum: quem ſecundum? reſpondit, Pyrrhum: quem tertium? reſpondit, ſe. Itaq; facile patior te in tertio loco teipſum ponere, me in nullo: quoniam ipſo facto te Hannibalem, me Scipionem eſſe ſignificas. Pog. Ego iſtuc non cogitabam, ſed cur non potius, quàm de his nugis, aliqua diſputas contra rationes meas de lingua latina? fuerit'ne eadem literatorum & illiteratorum? quibus ſi nihil habes, quod opponas, quid ita ſuperius calumniabaris, nihil eſſe, quod in eo libro, ut meum, poſſes reprehendere? Lau. Noli tantopere tibi placere ob illam diſputationem, tanquam hominibus perſuaſeris: nullam fuiſſe inter literatos illiteratosq; uerborū differentiam. De quo quid mihi dubium faciat, promam, ubi duo quædam tua errata paucis, ſed non parua notauero. Primum eſt, ubi Ariſtotelem male uideris accipere, ita enim ſcribis. Lib. Pog. Anglici etiam poſt decimum diem, quoties in eum, qui ſe pauit, inciderint, gratias pro ſuſcepto prandio agūt, ne immemores honoris impenſi uideantur. Id quoq; mecum ſentire arbitror, ſententiam uidelicet Ariſtotelis tibi notā, qui honorem inquit eſſe honorantis. Apud illum igitur, penes quē honor remanet, neceſſe eſt & gratiam reſidere. Ergo & conuiuij magiſtro gratia mihi uidetur habenda. Lau. Ariſtoteles non ſentit honorē aut eſſe honorantis, aut nō eſſe honorati: cuius hæc uerba ſunt: δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ, τ' ἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι, καὶ δυσαφαίρετον εἶναι μαντευόμεθα. Quod ſic poteſt interpretari: Videtur honor in honorantibus potius eſſe, quàm in eo, qui honoratur: hoc eſt, uidetur eſſe in poteſtate dantis, non autem accipientis: ideoq́ue non eſſe illud excellens bonum, & quod ipſe appellat δυσαφαίρετον, id eſt, quod difficulter eripi poſſit, quale bonum eſt uirtus, quæ in noſtra ipſorum, non in alterius, eſt manu. Pog. Atqui ita uulgo accipiunt, honorem non eſſe honorati, ſed honorantis. Lauren. At uulgus non ſanè probatus eſt bene ſentiendi magiſter. Pog. Ita omnes fermè accipiunt hac tempeſtate philoſophantes. Lauren. At non peritiores, ſed quid oportet te Latinos ſequi in autore Græco, homo (ſi tibi credimus) interpres Græcorum librorum optimus? Verum ubi eſt acumen tuum? ubi tam diuturnæ ætatis experientia? ubi notitia illa, quam tibi uendicas, antiquitatis? Nunquid cum ſtatuas, triumphos, cæteraq́ue ueterum monumenta cernis, ea magis honorifica eſſe illis exiſtimas, qui hunc honorem habuerunt, quàm ijs quibus hic honor habitus eſt, nedum nullum honorati, omnem autem eſſe honorantis? Equidem non uideo, cur honoratum queamus illum appellare, ad quem honor ipſe non peruenit. An illi qui à regibus, principibus, ducibus aliqua accipiunt inſignia, aut utcunq; honeſtantur, non honore afficiuntur, ſed ipſos duces, principes, reges honore afficiuntur? Hoc pacto non honorati forent appellandi, ſed honorantes. Quod ſi dedecus, ignominia, cōtumelia, iniuria eius eſt, cui fit, cur non etiam honor, hoc eſt decus, gloria, laus? G. Quid multis Lau-

rentị

renti disputas, quasi de isto sit tibi controuersia, & non de Aristotelis sententia? eam certum est tecum facere, perge ad alias, si quas habes. Lau. Vnum superest, quod hic ita scribit. Lib. Pog. Mercurius inter medicinæ artis repertores perhibetur, qui ob eam rem relati sunt inter deos. Mercurius uerò etiam inter planetas annumeratus. Aesculapius eius filius honorem immortalium medendi exercitio adeptus est: tanta inter priscos gloria ac nominis fama, ut coram Ioue à dijs sit inferis accusatus, quòd eorum imperium diminueret. Lau. Sine quæso Guarine paulisper interrogare Pogium, præter rem, cuius gratia recitaui hæc uerba. Quæro abs te Pogi, nunquid honor, quo homines Aesculapium prosecuti sunt, hominum sit ipsorum, an Aesculapij? Pog. Perge quo institueras. Lau. Certe Aesculapij, non hominum, nec alia ratio est diuinorum honorum, quàm humanorum. Quare posthac caue dixeris honorem non esse honorati, sed honorantis: nec iniuriam etiam dicas esse inferentis, non patientis. Verum, ut ad rem redeam, à quo nam accepisti Pogi Mercurium fuisse medicinæ repertorem, eundemq́ue Aesculapij patrem? Po. Quis id negat? Lau. Nemo negat, quia nemo id dixerat, poetæ enim scriptoresq́ue testantur omnes Apollinem fuisse Aesculapij patrem, ac medicinæ repertorem. Pog. Deum pro deo posui. Apollinem cum deberem, scripsi Mercurium. Lau. At quomodo inter planetas Apollo numerabitur. Pog. Ista culpa est Nicolai medici, cui sermonem attribui. Non enim præstare scriptor debet omnes, quæ à collocutoribus afferuntur, rationes. Lau. Tu si istam non probasses sententiam, per aduersariũ medici Iurisconsultũ improbasses. Et tamen stolidissimum est, disputantes introducere uiros graues ac doctos, qui leuiter & imperite loquantur. Pog. Ista dicta sunt à me in aliena persona. Inspice quæ dicta sunt in mea ipsius. Lau. Tu prohibebas dudum me excutere bonitatem sententiarũ, nunc econtrario facere iubes. Pog. Vetabam dudum te facere id, quod facis: excutere bonitatem sententiarum sub aliena persona dictarum. Nunc meas ipsius excutias uelim: non magis id facturus, quàm si ex Adamante coneris stilo imaginem sculpere. Lau. Equidem an istuc efficere possim, haud scio, id certe scio: tecum ipso te discrepare. Pog. Quid ita? Lau. Quoniam quæ inter se discrepant scribis. En legamus. Lib. Pog. Sentio enim de hac re uiros doctissimos dissentire. Leonardus Aretinus epistola, quam scripsit ad Flauium Forliuiensem probare nititur: non fuisse eam linguam omnibus communem, sed aliam popularem, aliam eruditorum uirorum extitisse locutionem. Qua in sententia fuit uir clarissimus Antonius Luscus, qui aiebat se adduci non posse, ut crederet cerdones, sutores, coquos, ac reliquam uulgi fecem latino sermone usam. Lauren. Legamus alia quoque deinceps loca. Lib. Pog. Hic ego, inquam, fateor Carole me cùm antea cum Leonardo Antonioq́ue sæpius disceptasse, tum post illam Leonardi epistolam plura ex uarijs collegisse scriptoribus, quibus facile probatur, illos non recta sensisse. Leonardum quippe memini dixisse mihi: eam se conscripsisse epistolam, quo me alliceret ad respondendum, etsi certe mihi semper animus fuit, ut aliquid contra suam sententiam scriberem. Lauren. Atque iterum hic. Lib. Pog. Sed non tam ad ostendendam suam opinionem, quàm ad meam cognoscendam, ut ab eo accepi, arbitror ab eo epistolam illam fuisse conscriptam. Nam leuibus admodum argumentis ostendere nititur: alium uulgarem, alium literatum, ut suis utar uerbis, sermonem extitisse. Lauren. Et ad extremum. Lib. Pog. Multis insuper uerbis suam sententiam nititur tueri, quæ facillime dilui possent.

Laurent. In his, quæ scripsisti Pogi, quæro, quomodo tecum constes. Cum enim dicas ter, Leonardum probare sententiam suam esse nixum, eundemq́ue

demq́ꝫ tecum sæpius disceptasse, qui fieri potest, ut idem tibi dixerit se illam epistolam conscripsisse tui alliciendi ad respondendum gratia, nec ad ostendendum opinionem suam, sed ad cognoscendam tuam? In quo mecum agnosce quot insint contraria. Vnum, quòd, qui non solum frequenti disputatione cum dissentientibus, quorum tu unus fuisti, egit, sed etiam scriptis, idq́ꝫ multis uerbis multisq́ꝫ argumentis probare nititur sententiam suam, is profecto non aduersarij elicere uult opinionem, sed suam ostendere. At sunt leuia illa argumenta. Esto: tamen pro grauibus ille, non pro leuibus scripsit. Neqꝫ quisquã adeò stultus esset, ut leuiora promeret argumenta aduersus hostes, nec grauibus unquam uteretur. Alterũ, quòd nemo scribit epistolam, quantumuis etiã leuibus argumentis nixam, ad cognoscendam eius opinionem, quo cũ sæpius disputasset (inter disputandũ enim cognoscit eius opinionẽ) præsertim cũ non ad hunc, sed ad aliũ scribat, à quo esset literis prouocatus. Tertium, quòd si ille dixit, ut meministi, &, quemadmodũ iterum ais, ab eo accepisti: ab ipso epistolam ad Flauium fuisse conscriptam, ob eam, quam dixisti, causam, certe non diceres, te arbitrari. Ea enim, quæ uidemus, audimus, aliquo sensu percipimus, non opinamur siue arbitramur, sed scimus. Quòd si illum fuisse Leonardi suspicaris animum, profecto tibi nunquam hæc ab eo sunt dicta, sed ad tuam utilitatem tuo more præsertim de mortuo ista finxisti. Pog. Imò tu uictor es, qui poëtari soles. Ego de Leonardo uera scripsi. Lau. Ergo de te non uera, quòd ab illo arbitratus es ob id illam epistolam fuisse conscriptam. Pog. Non arbitratus sum, sed scio, quia ab ipso audiui. G. Verum loquitur Pogius, perge Laurenti. Pog. Dic quid sentias de opinione mea, quòd prisci Romani latine loquebantur omnes. Lau. Quis istuc negabat? Pog. Leonardus ipse, non'ne legisti? Lau. Non animaduerti. Pog. Hui tardus es, atque hebes, & nihil nisi ad carpendum acutus. Lau. Ne ad carpendum quidem satis acutus sum: nam multa, opinor, quę carpi possent, non animaduerti. Sed legamus iterum. Lib. Pog. Probare nititur nõ fuisse eam linguam omnibus communem: sed aliam popularem, aliam eruditorum fuisse locutionem. Lau. Et iterum. Lib. Pog. Nam leuibus argumentis ostendere alium uulgarem, alium literatum, ut suis utar uerbis, sermonem extitisse. Lau. En, non negat, latinũ sermonem fuisse uulgarem atqꝫ popularem. Pog O tardissimo ingenio uirum, cum negat linguam eruditorũ fuisse eandem popularem, non'ne negat uulgus latine locutum fuisse, cum eruditi latine loquerentur. Lau. Nondum istuc uideo. Pog. En tibi mea ocularia. Lau. His, qui bene uident, nõ est istis opus. Quod autem hæc non uideo, non mea est culpa, sed tua, qui rem non promis. Pog. Non est opus promi, quæ prompta sunt. Lau. Imò in promptuario cõdita. Pog. Quid ais? Nõ'ne est alius nunc uulgaris sermo, alius latinus? Lau. Nunquid Leonardus sentit ita uulgus olim Romæ locutum, ut nunc loquitur? Pog. Non ita quidem, sed multo melius, ueruntamen aliter, quàm literati & eruditi. Lau. Nunquid igitur non latine? Pogius. Sanè uerò, cum enim confiteatur, alium esse sermonem literatum, alium uulgarem, necesse est confiteatur, ut nunc Romani non loquuntur latine, ita olim uulgo non fuisse latine locutos. Lau. Quid ergo Hebraice nunc Romani loquuntur? Pogius. Rides me, non istud dico, sed uulgariter. Lauren. An non etiã olim fuit sermo uulgaris, ut Leonardus ait? Pog. Istud est, in quo ipse aduersor Leonardo. Lauren. Imò & tibi. Pog. Quam ob rem? Lauren. Quia ista tu affers Quintiliani uerba legamus. Lib. Pog. In duodecimo uerò cum scribit de genere dicendi, ait: Nam aliam mihi quandam uidetur habere naturam sermo uulgaris, aliã uiri eloquentis oratio, cui si res modo indicare satis esset, nihil ultra uerborum proprietatem

elabo-

elaboraret. His uerbis constat eundem fuisse sermonem hominis uulgaris, & eloquentis, quo ad uerborum proprietatem, elocutione differre atque ornatu. Lau. En quod Leonardus aiebat alium uulgarem, alium eruditum esse sermonem, quod pernegabas. Pog. Aliter isthic accipitur uulgaris, atque Leonardus intelligit. La. Istud nescio. Tu tamen uideris loqui cōtraria, dum negas aisque quendam uulgarem fuisse sermonem. Leonardus sentit de sermone uulgari priscorum, qualis nunc Romæ est uulgo loquentium, & si non adeò, ut nunc, deprauato, qui certe sermo latinus nō est, sed uulgaris: tu uulgarem alicuius gentis appellas sermonem. Afferam tua iterum contra te scripta. Lib Pog. Nempè opinor illam, qua latini populi utebantur, & ab eis ortam, illaque eos fuisse usos, qui dicebantur Latini, à quibus & nomen sortita est, quam & Romanis, cum Latini essent, & in Latio siti, in usu fuisse communi necesse est. Nam sicut linguam dicimus Gallicā, Hispanam, Germanā, Italam, qua Galli, Hispani, Germani, Itali loquunt, itemque de Græca & reliquis, eodē modo, & latinā linguā eam fuisse oportet, quæ in cōmuni erat usu apud Latinos. Lau. Si Romani Latini sunt, & à gente nominat lingua, nō ergo lingua Romanorū alia nunc est, quàm latina, sicut & olim fuit, quemadmodum ab omnibus alijs nationibus appellatur. Siquidem Italica lingua, quæ olim diuersa, ac multiplex fuit, & mox propter Romanas colonias ac Romanorum consuetudinem in linguam Romanam concessit, id est, latinam, ab exteris gentibus non nisi latina nominatur. Itaque non modo quondā loquebant, uerumetiā nūc uulgo latine Romani loquunt. Vides ut tibi conceditur, quod tu tantopere probare contendis: olim Romanos fuisse locutus latine? Pog. Non isto modo, ut ex meis uerbis licet cognoscere, accipiebam latinè. sed grāmaticè, ac ne Leonardus quidem. Lege mea uerba. Lib. Pog. Quæro à uobis, quam linguam appelletis latinam: eam, quam grammaticam uocamus, & à quibus ortū habuisse putetis? Nempe opinor illam, qua Latini utebantur, & ab eis ortā. Lau. Et iterum. L. P. Diutina me dubitatio tenuit, utrum priscis Romanis latina lingua, quam grammaticam uocamus, fuerit omnium communis: an alia quædam esset doctorum uirorum, alia plebis & uulgi oratio, id est, ut apertius loquar, utrum docti pariter & indocti ab ipsa usque infantia latino ueluti materno domesticoque sermone loquerentur, an esset alius quispiam doctorum hominum, prout nobis contingit, ab usu uulgari diuersus. Sentio enim hac de re uiros doctissimos dissentire. Pog. Ecce, quem uoco latinum, hoc est, grammaticum, nihil enim interesse uolo, grammaticum dixerim, an latinum. Lau. Te miror Pogi, qui passim tibi ipsi repugnas. Pog. Quid ita? Lau. Legamus tua, quæ non longe sequuntur, uerba, ubi Quintilianum affers testem. Lib. Pog. Idem in primo sui operis libro, cum de grammatica disputat: Quid, inquit, de alijs dicam? cum senatus senatui, an senatus senati senato faciat incertum sit? Quare mihi non uenuste dici uidetur: aliud esse latine, aliud grammatice loqui. Quibus cōstat uerbis omnes latine, sed non omnes grammatice loqui solitos, cum latinam linguam omnibus tribuat: grammaticam, hoc est, loquendi doctrinam, literarum peritis. Latine igitur omnes, sed emendatius docti loquebantur, à quibus senatum quartæ declinationis dici affirmat, ab indoctis secundæ. Docti enim ratione iudicabant, quod alij usu affectabantur: nulla suorum uerborum ratione habita. Lau. Ais linguam latinam eandem quam grammaticam esse: dehinc affers Quintilianum dicentem: aliud latine esse, aliud grammatice loqui. Quid aliud uult Leonardus, quàm omnes Romanos fuisse latine locutus, sed non grammatice? Vides ut tu causam aduersarij agis, & tuam euertis? Sed ego te Pogi subleuare uolo, atque ostendere, nihil ad hanc rem uerba Quintiliani agere. Nam ea tu non recte accipis, qui ais, eum

uelle

[Margin, partly cut off:] ...natus. ...nati.

[Margin, partly cut off:] ...tinè et loqui. ...ámaticè

uelle emẽdatius dici grãmatice & doctius, quàm latine. Hoc ille non sentit, sed melius esse, latine quàm grãmatice loqui, hoc est, ex consuetudine peritorum, quàm ex artis analogia: cum tota sit illa Quintiliani disputatio de laude consuetudinis loquendi aduersus analogiam, de quarũ utraq; ita ait: Consuetudo uerò certissima loquẽdi magistra, utendumq; planè sermone, ut nummo, cui publica forma est. Deinde: Sed meminerimus nõ per omnia duci analogiæ posse rationẽ, cum sibi ipsa plurimi in locis repugnet. Et paulò pòst: Non enim, cum primum fingerentur homines, analogia demissa cœlo formam loquendi dedit, sed inuenta est, postq; loquebãtur, & notatũ in sermone, quid quoquo modo caderet. Itaq; non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio: ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm cõsuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligentiæ peruersitate, ut audaciter potius dicãt, quàm audacter: licet omnes oratores aliud sequantur: & emicauit, non emicuit, & conire, non coire. Et cum multa in hanc sententiã disputasset, ad extremũ intulit: Quare mihi non inuenuste dici uidetur: aliud esse latine, aliud grãmatice loqui. Vides, ut latine loqui est oratorũ & eruditorũ: & plus etiã quàm grãmatice: Ideoq; latine loqui, inter uirtutes Rhetoricæ ponitur, ut grãmatica sit locutionis, latinitas elocutionis. Hæc est inter grãmatice ac latine loqui differentia, non quam tu cõstituis, & quãtumuis falsa ratione conaris probare, inquiens: Senatũ quartæ dici à doctis, secundæ ab indoctis. Nam neq; istud, ut tu ais, Quintilianus affirmat, sed planè negat: neque ullo exemplo cõfirmari potest. An Cicero indoctus est, qui cum alibi, tum uerò in Philippicis ait: Nõ semper habebitis eundem senatũ, nec senati ducem: qualia exempla sunt plurima, ut ista uera sint tu propositũ meũ tueris: nõ alium fuisse latinum, alium grammaticũ sermonem: de quo à me disputatio fuit instituta: nam qui latine ijdem grãmatice loquebãtur. Quomodo tu isthuc dicis: ut sermo latinus, qui grãmatico præstat, esset omniũ cõmunis, nec plebis modo, & uulgi mulierumq;, uerũ etiam puerorum atq; infantũ? O rem miram Pogi, infantes eam habuisse facultatẽ, quam Cicero sæpenumero in quibusdã oratoribus desiderat, in nonnullis prædicat. Si omnes latinũ sermonẽ à matribus nutricibus'ue discebant, ergo omnes norãt, quemadmodum nunc in omnibus ciuitatibus fieri uidemus de sermone uernaculo, quæ res nulli hominũ inter cõciues unquã laudi data est. Sin uerò laudanda, quia labore, studio, industria cõparatur, ergo non à parentibus aut nutricibus tradebatur. Pog. An non ego dixi omnes Romanos latine locutos, sed emendatius doctos? Lau. Cur dicas emendatius, non uideo. Alius alio ornatius, sublimius, eloquẽtius, fateor. sed nõ latinius, si omniũ Romanorũ sic erat cõmunis lingua latina, ut nunc est ciuitatũ sua cuiusq; uernacula, ut Florentinorũ Florentina, ut Neapolitanorũ Neapolitana, ut Venetorũ Veneta. Quoniam nunquã animaduerti Romanũ Romane, aut Florentinũ Florentine, aut Neapolitanũ Neapolitane, aut Venetũ Venete alium alio magis loquentẽ. Vnus est modus, atq; unũ genus, & una ueluti in suo cuiusq; ciuitatis numismate, figura dicẽdi. Quod si nõ loquebanẽ prisci Romani alius alio latinius, ergo nihil est, quod dicis, emẽdatius locutos doctos. Quanq; nõ uides, cum dicis doctos: fateri te doctrinã fuisse, quæ supuacua fuisset, si linguã latinã infantes sine doctore didicissent. Pog. Quasi nõ fuerim cõfessus à Quintil. tribui literarũ peritis, loquẽdi doctrinã, hoc est, grãmaticam. Lau. Istud Quintilianus nec dicit nec sentit. Pog. Ergo si grãmatica nõ magis peritorũ doctorũq; est quàm imperitorũ & indoctorũ: sequitur id quòd à principio proposuerã: grammaticã fuisse etiã uulgi infantiumq; sermonẽ. Lau. Nõ id dixi equidẽ: sed Quintilianũ nõ id sentire, ut doctorũ sit grãmatice loqui magis quàm latine. Pog. Igitur quod uolebam, doctorũ sit pariter & indoctorũ apud priscos latine ac gram-

Consuetudo loq̃ndi magistra.

Audaciter et Audacter.

Emicauit et Emicuit.

Conire et Coire.

Latinè et grãmatice loq.

Senati.

matice loqui. Lau. Idem Pogi, modo ais, modo negas: nunc grammaticã esse doctorũ & peritorũ tantũmodo: nunc etiam imperitorum atq; infantiũ. Sed qui fieri putas potuisse, ut infantes grãmatice loquerẽtur? Nempe quòd illam à matribus, ut inquis, nutricibusq; discebant, idq; duabus te rationibus probasse confidis. Vna, quòd scribis. Lib. Pog. Cum ab ipsa infantia barbarorũ filij cum materno lacte uernaculam linguã discant, quãuis hiulcã, rudem, asperam, barbaram, absonam prolatu, quæ uobis uiris esset admodũ scitu difficilis. Lau. O te præter ceteros homines ridiculum Pogi. Cui nõ aliena lingua difficilis, absona, atq; adeò barbara? Nũquid putas minus absurdã uideri Germanis Italicã, quã nobis uideatur illorũ? aut nõ ita laborant Teuthones in percipienda nostra, ut nos in ipsorũ? Equidem nescio an aliquem Germanũ audierim recte loquentẽ Italice, quãuis in Italia totã penè egisset ętatem: quod facerent, si nostra, quàm illorũ esset scitu facilior. Quotusquisque est, aut Græcus, qui latina: aut Latinus, qui gręca recte pronuntiet? Audiui adolescens à quibusdã, qui se audisse dicerent, cum iter ad Alpes facerent: quendã sociorũ suorum admiratum, quòd pueri illi Teuthonice loquerentur, dura, rigida, & minime apta pueris lingua, quasi deberent omnes infantes statim Italice loqui, lingua, si tibi credimus, suaui, dulci, & accõmodata infantibus ueluti lacte. Cur ita? nempe quia Itali sic loquebantur. Non aliũ opinor fuisse, quàm te Pogi, qui miraris, tanq; rem arduam, & discẽdæ grãmaticę similem: pueros discere barbarã aliquã linguam. Altera quòd scribis, multos te nouisse in Curia Romana, qui solo usu grãmatice loquẽdi, grammatici euasissent. Ego certe & natus & alitus Romæ, atq; in Romana (ut uocant) Curia, qui cõgrue loqueretur, cognoui neminem, nec hoc contingere posse existimo. An tu ignoras illam sacerdotis fabulã, qui famulũ iubebat secũ loqui grãmatice: identidẽ eum reprehendens, quòd nesciret dicere: da mihi clauem, ubi est clauis? iuberetq; nũc clauis dicere, nunc clauẽ. Quo facto ille desperãs uicissim cœpit herum indignabundus reprehendere: his uerbis, quæ in iocũ uulgi emanauerũt: modo clauis, modo clauem, nunq; uidi homo talem? & tu hæc facillima etiã pueris esse existimas? Quæ quantopere facilia sint, uel tu (nam quid alia documenta quærimus?) testimonio es, qui ista ætate, isto studio, ista perpetua grammatice loquendi atq; scribendi consuetudine, nondum tamen grãmatice aut loqueris, aut scribis. Quo minus tibi obsequar postulãti, ne quid de erroribus uerborum tuis in hoc opere loquar. Quod cum à me poscas satis significas, te nondum satis grammaticum esse: hoc est, difficile admodum grammatice loqui. De quibus tuis erroribus ad extremum agam. At tu grammaticam ideò facilem facis, ut eam artem esse negare uidearis, idq; Quintiliani testimonio. Nam ita scribis, Lib. Pog. Quod consilium superuacaneum esset, si lingua latina tunc in scholis è præceptoribus tradita extitisset. Lau. Cur quæso Pogi semper à te ipso dissentis? quæ est tua inconstantia? aut quæ tanta ingenij hebetudo? præceptores fuisse cõcedis, scholas non concedis. Quid est enim aliud schola, nisi ubi præceptor docet plures duntaxat? An non scholas nõ dico fuisse, sed etiam debere esse cõfirmat, ad quas pueri etiam infantesq; mittantur, cuius secũdus titulus est: Vtilius domi, an in scholis erudiantur? Quid ais Pogi, grãmatice statim pueri loquebãtur? nullæ scholæ erant? frustra igitur cõpositi erant tam scrupulosi libri de arte grãmatica: frustra uocabãtur pręceptores: frustra ei doctrinę dabatur opera, si usu percipi poterat: frustra de ipsa Quintilianus idẽ inquit: Quæ nisi oratoris futuri fundamenti fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris iucunda senibus, dulcis secretorũ comes: & quæ uel sola in omni studiorum genere plus habet operis, quàm ostentationis. Pog. Quasi uerò ego non dixerim doctos ratione iudicasse: quod alij usu assequebãtur: nulla suorum

uerborum

uerborũ ratione habita. Lau. O ineptissimũ hominẽ: quasi oporteat de ea rẽ rationẽ reddere, quæ non ratione cõstabat, sed usu. Quo mihi rationem istã, si satis est usus? Quis de lingua Gallica, Hispanica, Germanica, Florentina, Neapolitana, Veneta, & item de reliquis rationẽ exigit, & nõ ipso usu cõtentus est? An Quintiliani ex eodem libro uerborũ oblitus es, quę paulò antè retuli? Itaq; non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm cõsuetudo. Cum dico analogiam, quicquid penè rationis est in grãmatica, cõplector. Nam ita ait idem in eodẽ loco autor: Sermo cõstat ratione, uetustate, autoritate, consuetudine. Rationẽ pręstat præcipue analogia, nonnunquã etymologia. Vides ut uix reddi ratio possit grammaticæ, quam tu uis totam cõstare ratione. Pog. Tu uerò pro mea causa loqueris, qui non artificiũ olim fuisse grammaticã, ut nunc est, sed usum & cõsuetudinem uolo, eoq; pueris quoq;, & infantibus scitu facilem. Lau. Istud Pogi tua fit culpa, non mea. Pog. Cur ita? Lau. Quia cum inter se cõtraria loquaris, idq; persæpe, non possum facere, quin etiã pro te dicã, ut mirũ quiddã, & prima fronte ridiculum uideatur esse: altercãtes inter se alterũ pro altero dicere. Verũ hoc inter me atq; te interest, quòd ego etsi pro te, non tamen cõtra me dico, tu non magis cõtra me, quàm cõtra te ipsum dicis. Verũ Pogi nec aduersum me, nec pro causa tua loquor. Nam hæc est, ut ad ipsum caput ueniam, quæstio tua: utrũ priscis Romanis latina lingua, quã grãmaticam uocamus, fuerit omniũ cõmunis etiã infantium hoccine tu sentis Pogi? Pog. Quid ni sentiam? Lau. Ergo grammaticè fuisse locutos cõfiteris infantes. Pog. Sentio & cõfiteor. Lau. Cur igitur ad præceptorẽ grãmatices mittebantur, ut discerent linguæ, quã norãt, rationes, & causas? Pog. Eodẽ reuolueris, utinã ego rectè grammaticè loquerer, * ne aliquid causarũ ac rationũ grammaticę nossem. Quanquã in hac tu re longe antecellis, qui nunq; de huius artis præceptis magnopere curasti. Quid ais? aut ars grãmatica est, & ab eruditis, non autẽ à nutricibus tradebatur: aut ars nõ est, quã omnes fatentur esse artẽ: ut tu unus plus omnibus sapere uideare, & cæteros tanquam tardissimo ingenio damnare, qui artẽ fecerint id, quod usu & sua sponte percipi poterat. G. Noli reniti ulterius Pogi, ac contendere: grãmaticè omnes priscos Romanos cuiuscunq; cõditionis, sexus, ætatis, locutos fuisse. Pog. Si istuc concedendũ est, illud certe cõcedat Laurentius oportet, omnes fuisse locutos latine. Lau. Ego uerò etiã hodie Romanos loqui latine fateor. Pog. At multũ differenter à priscis. Lau. Et istud quoq; fateor, sed abs te discere uelim, quàm differenter olim uulgus ab oratorũ sermone loquebatur. Pog. Quantũ ad uerba pertinet, nihil omnino. Lau. Iam in idem redimus. Pog. Quamobrem? Lau. Quia sermo oratorum ad grãmaticam cõpositus erat, ut omnes scriptores huius artis præceptoresq; testantur: & tu pręter ullam artem esse uulgi sermonem modo concedebas. Pog. Dicam igitur non grammaticum uulgi fuisse infantiumq; sermonem, sed tanquam grammaticum. Lau. Ad risum me adigis. Pog. Quare? Lau. Quia uideris itidem loqui, atq; illi, qui aiunt: deos non habere sanguinem, sed tanquam sanguinem. Nam quis intelligat, quid illud sit: tanquã sanguis, non tamen sanguis? Ita te quis audiat dicentem: illos non grammaticè, sed tanquam grammaticè locutos? Pog. Dum ita loquor, id intelligo: sermonem uulgi atq; infantium parum abfuisse à sermone oratorum, duntaxat in uerborum proprietate. Lau. Hoc ipsum, quantum distantię erat, quæritur, & in controuersia est. Si multum, rectè sensit Leonardus, sin parum, & propè nihil, tu uiceris. Neq; uerò tua exempla palàm ostendunt: nihil interfuisse inter eorũ orationẽ, quorũ scripta legimus, & eam, qua pueri à nutricibus matribusq; imbuebantur. Nam illa, quæ ex Quintiliano repetisti, magis



Grãmatica nõ ratione, sed usu ... cõstat.

obseruatio.

Lingua latina, quę et grãmatica dicitur, omnium priscis cõis fuerit.

Grãmaticè oẽs priscos locutos.

contra te facere probaui, cuius & illud testimoniū uide, an tecū faciat, ex eodē li bro: Id uel hoc argumento patet, quod intra bienniū, postquam recte formare uerba potuerūt, quāuis nullo instāte omnia ferè loquūtur. Nō dico nūc, si fuisset eadē lingua indoctorū, & doctorū, quid oportuisset pueros iam grāmatice loquētes ad grāmaticū mittere: sed qui fieri potest, ut quod nos tanto studio ac labore, instātibus præceptoribus, pędagogis, patribus, in assidua scholarū ac cōdiscipulorum cōsuetudine, intra tot annos nequimus assequi. Loquor de grāmatice fando. id infantes inter lusum, nullo instante, intra bienniū, ex quo cœperant posse uerba proloqui, assequerētur, ita. ut oratores ac poētas intelligerent, quos uix nos exacta pueritia intelligere possumus? Neque nos tardiori, quàm illi fuerūt, ingenio facias, (quoniā quibusdā in artibus nequaquam illis cedimus) quales, si non sumus, * sed ueteribus pares, unde fit, ut uulgus (Romanū atque adeò Italicū illiteratorum dico) non possit ullo pacto cōseruare, imò consequi & imitari sonū literatarū uocum etiā millies auditarū, & quotidie inculcatarū, cuiusmodi sunt eæ, quę à sacerdotibus subinde repetūtur? Et, ut de Romanis, de quibus cōtrouersia est, potissimum dicam, frequētissime audiunt legentes in uia Appia: domine quo uadis? at uulgus ait: domina couata? de ara cœli, dicit, arocielo, de arcu Neruæ, arcanoe, sancti Petri ad uincula, sancto Petro mencolo, & alia infinita, adeò nullū literati soni uerbū in ore uulgi est. Neque aliter in cętera Italia Hispaniaque & Gallia, quæ quandā habēt cum nostra lingua cognationē. Neque illud fuit abs te faciendū. ut exēpla linguæ Hispanæ in testimoniū afferres: quasi aut Italici pauciora uocabula habeāt grāmaticis similia, aut non illi cūcta nomina numero plurali, s litera finiant: quo nullū maius iudiciū est, gentē illā olim grāmatice locutā. Quæ natio, si quondā more literatorū loquebatur, cur nec ipsa inflexionē illam casuū, de qua Leonardus quærebat: nec participia quędā, atque gerūdia, supinaque: nec deriuādi, nisi in paucis, usum: nec alia plurima, quę grāmatica pręcipit, custodiuit? unde articulos, quos lingua latina nō habet, adsciuit, quēadmodū & Roma, & Gallia, et Italia? Sed hæc hactenus. Nolo enim in pręsentiarū meam promere sententiā, cū nō sit id mei propositi, sed, ut tuæ aduerser, ne tantopere tibi de isto opere placeas, ex quo tibi te immortalem fore promittis. Nunc quo uideatur id, quod disputaui, uerisimilius, non fuisse facile factu, sed difficile sanè: loqui uulgus. ut oratores, solitū esse, tua in lingua latina annotabo uitia, quæ in hoc opere admisisti, si idē iudici nostro arbitroque uideatur. G. Ego uero, & quòd ita fecisti probo. &, sicuti ais, reor esse faciendū. Lau. Et eo magis. quod si qua sunt, alia (puto aūt esse multa) quæ ad hāc rem pertineāt, cōmodius abs te explicabūtur. si ea Pogio libebit audire. G. Sunt, ut inquis Laurēti, alia in quibus ista quæstio finiri potest, nec mihi ignota: quæ si Pogio, sicut ais, libebit audire, explicabo. Pog. Libebit nimirū mihi audire, si cōtra me nō sis locuturus. G. Cōtra te uelim ego loqui? sum iudex: istæ Laurentij, qui aduersarius est, sunt partes: meæ sunt, non contra quempiā, imò nec pro quopiā loqui, nisi pro ueritate. cōtraque mendaciū. Pog. Iam mihi libet audire. Lau. Mihi quoque, sed ubi paucula in te non latine posita uerba notauero: Latine dico, ut docti loquebātur, non ut indocti: aut quomodo nunc seculum nostrū latine loquitur, quod potius dicendū est loqui semilatine, ac semibarbare: scripsisti enim primū. Lib. Pog. Natalem patriā. Lau. Pro natale solum. Idem enim pollet unum nomen: patria, quod duo: natale solum. Ex quo superuacuum est natalem. Item. Lib. Pog. Conuiuij magister potius gratias conuiuis debeat, qui uenerint, quàm illi ei, qui ad epulum uocarit. Et iterum: Horū quemuis non magis gratias debere arbitror cōuiuij autori, quàm tibicines, aut cytaristas, uel cantores ad epulum adhibitos uoluptatis causa, qui nedum gratias pro cibis impensis agunt, sed præmium insuper suæ artis exposcūt.

Atq; iterũ: Sicut ergo turpe ducimus non adhiberi ad epulũ aliorũ, sic honestum uidetur accersiri. Lau. Cur dixisti modo cõuiuĳ magister, modo autor? nempe quia ignoras conuiuatorem reperiri, quod reperias licet cum alibi, tum apud Liuiũ lib. 6. de bello Macedonico. Præterea epulũ pro epulis ponis, quam differentiã aperirẽ, exẽplisq; cõprobarem, nisi doctissimus uir adesset iudex noster. Nedum quoq; non secũdo loco posuisti, ut debebas, sed primo, quod sæpe aliàs reprehdiẽ. Sed illud nõ semilatinũ, sed barbarũ fuit: accersiri, ut dicimus audiri: quasi dicatur accersior, & non accersor. Posuisti item multoties pro frequenter: quelibet pro unaquæq;, umbeculã pro umbellã: sua pro eius: & eius pro sua, sibi pro ei: eũ pro se: abhorreo rem, pro abhorreo ab re: aliàs pro aliter, siue alioqui: subtus lectum pro subter lectum: impartiti sunt studium suum in illis, pro impertierunt studium illis: quantum pro quanto: quoad pro quantũ: applaudisse pro applausisse: etiam necessarius neutro genere, tanquam comparatiuum. Quod si forte nõ credis, en legito. Lib. Pog. Nil utilius, nil necessarius nobis ad tuendam uitam corporisq; tutelam quàm domus. Lau. Hic quoq; aliud se prodit uitiũ: quasi dicatur ad tuendam corporis tutelam, aut certe, si uis ad corporis tutelam intelligi, quid interest inter, ad tuendã uitam, & ad tutelam corporis? Neque tu locum quendam apud Ciceronis Officia dixeris huic esse similem. Nam & dissimilis ille est, & tu hoc uitium frequenter admittis, ut in ultimis uerbis. Lib. Pog. Aëris & animi gratia. Lau. Quod uix ullus poëta dixisset, cum præsertim differant aër, propter quem hauriendũ: & animus, propter quem relaxandum prodibatis: huiusmodi causæ inter se ita dissimiles non solent coniungi sub illo uocabulo gratia siue causa, quod genus loquẽdi freque͂ter captas, quale est. Lib. Pog. Et qui secus opinãtur, non recte meo iudicio existimãt. Lau. Ne diceres iterũ opinantur, quod etiam erat melius, dixisti existimant. Tersius sic dixisses: & qui secus, ĳ, meo iudicio, non recte opinantur. Eiusdem uel affectationis uel negligẽtiæ est, quod ais. Lib. Pog. Sententiam Aristotelis tecũ sentire. Lau. Quasi sententia sentiat, quod nemo unquam dixit. Ego uero ne sensa quidẽ uerborũ dixerim, ut tu facis, qui scripsisti. Lib. Pog. Vt etiam rudes indoctiq; percipiant, uerborũ sensa. Lau. Ac ne illud dixissem: nulla suorũ uerborum ratione habita. Habere etiam rationem est, habere respectũ, non autem ignorare rationem, ut tu illic accipis, neq; cum ais. Lib. Pog. Qui si quod uerbum inter stultos, qui undiq; redundant, protulerint. Lau. Maluissem dicere: quibus omnia redundãt, ut Cicero dixit, qui nusquã sic locutus reperitur, ut tu: inquiens, Lib. Pog. Quibus ex rebus planè intelligis à medicinæ scientia, in multo facultatem legum anteiri. Lau. De illo loquor: in multo. Et ad extremũ uelim mihi distinguas significata cerdonis ac sutoris, nam pro diuersis ponis, cũ inquis. Lib. Pog. Cerdones, sutores, coquos. Pog. Cerdones faciunt calceos, sutores uestimenta. Lau. Si uestimenta è corio intelligis, aut calceos uenire appellatione uestitus, nõ negauerim sutorem etiã circa uestes uersari. Verũ non ita accipitur à doctis: sed is, qui calceos facit, sutor: qui uestes, sarcinator nominatur. Hęc si Pogi ignoras, alter censorius Cato, non dico, quia mordax, sed quia doctus, ut ille, & senex es, quo tandem modo pueri sciebãt, atque infantes? Pog. Expectemus, quid de hac re sentiat Guarinus. Multa enim legit, multa audiuit, multa composuit, profectò aut hic scit, quid uerum sit, aut nemo. Lau. Nunquid eum proteruũ, si secus ac tu, sentit, appellabis? etsi isto uocabulo proteruus, non recte es usus. Pog. Vt eum uidero sentientẽ, sic appellabo. Sed cur eum iam loqui paratum impedimus.



Conuiuator.
Epulum & q[uo]d differat. sup. fol. 13 Epulæ
Habere rationem.

# LAVRENTII VAL-LAE IN ERRORES ANTONII RAVDENSIS adnotationes, ad Ioan. Lucinam Alfonsi regis Secretarium.

INtellexi Ioannes, cum aliâs nonnunquā, tum uerò in præsentiarum accidere solere, ut quædā agamus inopinati, ut quæ uolumus, nolimus, quæꝗ rata habuimus (ut inquit Terentius) irrita, ut quæ facta sunt, infecta cupiamus. Quē enim casum existimassem ita ferre posse, ut in amicū, in familiarē, in eum quē libris ornassem, scribere aut cogerer, aut deberem, aut uellem? Etenim (ut alia necessitudinis signa prætéream) inter me, & Antonium Raudensem, quid magis ostēdi potui, quàm quòd in libris de Vero bono partes ei (ut sic dicam) censorias tribui, defensionēꝗ religionis: ut non plus in libris de Repub. tribuerit aut Scipioni Cicero, aut Socrati Plato. Eum nūc quibusdā in locis operis sui cogor refellere, & carpere, quem laudaui. Postea dicā, cur debeā, uelimꝗ. Testor mi Ioannes, mutuam nostri charitatē, & ipsius amicitiæ sanctissimum numen, me tibi rem gestā enarrare, candidā, atꝗ simpliciter, nullo admixto mendacio: quod cum per se obscœnū est, tum uerò quoties non sui defendendi, sed alterius accusandi, calumniādiꝗ gratia adhibetur. Cum essemus nuper Baroli, Raudensianus codex Mediolano missus, regi dono datus est, quem Ioānes Alzina, quasi alter hoc seculo Mecœnas, tum transcribendum curaret, mecū egit (eram enim tunc eius cōtubernalis) ut si qua in parte dissentirem ab illo opere, subnotarem. Cui ego si quid dissentirem, id me in opere de elegātia tradidisse respondi: præterea nolle cōmitere, ut dum amico morē geram, amicū alterū lædam. Tum ille: Nō uacat mihi (inquit) nec per tot occupationes licet multa euoluere, & tuū cum isto opere conferre. Adhoc, multa hic sunt, quæ in illis libris fortasse, ut minuta tu quidem, sed tamen multis utilia omisisti, præsertim, Ioanni meo filio unico, cui hanc rem nō minus, quàm mihi prospicio adolescenti (ut ex epistolis suis iudicare potuisti) studioso, acuto, dignoꝗ, qui in imitandis libris minime fallat. Nam quod de amicitia lædēda uideris uereri, neꝗ has annotationes alius præter filium leget, & siquādo forte quis leget, has tuas esse profecto non diuinabit, utpote nullius nomine scriptas. Hæc ille cum diceret, magis hominis mouebat autoritas, ꝗ ratio, magisꝗ iuberi uidebar, quàm rogari. Transcurri itaꝗ opus pauculis admodū diebus, annotās penè inuitus, siquid forte reperiebā. Cum autem ad uocabulum omnis peruenissem, meꝗ illic, etsi non nominatim, tamen apertè reprehendi animaduertissem, non exiguā sanè bilem, uel criminis, uel accusatoris indignitate cōtraxi: intellexiꝗ famæ meæ, quæ à falsis amicis in discrimen adduceretur, esse succurrendum. Neꝗ id ob hunc tantūmodo locū, sed ob uniuersum de latinitate, & elegantia opus, quod ab isto damnatū, & ideo illius post nostrum fuisse cōpositum, aliqui non admodum prudentes fortassis opinarentur. Quo factū est, ut non tantū necessario, sed etiam iuste ad hanc rem libenter descenderem, nollemꝗ ea re illum à me unquam fuisse laudatum. Huc accesserunt tertio loco literæ tuæ, quę non modo, ut opus uni conderem, sed ut omnibus etiā ederem, induxerūt quodā profecto miraculo. Siquidē scribenti mihi Raudensianas annotationes, illæ sunt redditę cum degustatione quadā operis ipsius, cūꝗ hoc tuo (ut sic dicam) elogio. Videntur nanꝗ copia multa abundare, sed non radicem attingere. Confert tempora quibus tuæ literę ad me datæ, quibusꝗ rex Baroli, seu Foggię erat, id est quādo codex ille regi donatus est, & unà reperies atque eadem fuisse, ne dubitare deberem id aggredi, quod tot causis aggrediendū esse

esse diuina uoluntas (ut interpretor) demõstraret. Nam prima quidem causa uehemens, ac necessaria erat, sequens uero honestissima, tertia autẽ perpensissima & quasi cœlesti nutu cõmendata. Etenim cũ tuo amori nihil denegare possim, tum literarũ ipsarũ, quas tam longinquo terrarũ tractu misisti (ut dixi) miraculũ, ita obstupefecit pectus meũ atq; penetrauit, ut non modo facerem quod postulabas, uerũetiam ipsum tibi potissimũ opus inscriberem. Facio tamen fortassis imprudẽter, qui antea librum inscribo, quàm sciam, an editione, & (quod pluris facio) an te tam docto, & exculto uiro sit dignus. Sed ueritus sum ne quod elegantijs accidit, id huic libro accideret. Cum enim illas ad nullũ scribo, sed ad te atq; ad Ioannem Aurispam cognoscendas mitto, te absente Aurispa publicauit, ut iam post infinita exempla, uix ausim eas ad aliquẽ scribere, sed quia tu & suades, & hortaris, faciam, propeq; diem quia inemendatæ sunt, ut ais, ad te emendatissimas mittam, qui nõ sines (ut alter fecit) ab indoctis librarijs corrũpi, quod Quintilianus intelligẽs, misso ad Tryphonem opere, inquit: Multũ autem in tua quoque fide, ac diligentia positũ est, ut in manus hominum quàm emendatissimi ueniant. Hoc cur tam sapiens autor dixisset, quod tantum in aliena fide, ac diligentia reponeret, non antea quàm meo doctus experimẽto, didici. Tu tamẽ non minus in me & fidelis, & diligẽs eris, quàm Trypho in illum fuit, & interim uolui hoc opus anteuertere, ut literis tuis nõ tam respondere, quàm parere. Hoc tamẽ testificatũ à me uolens, quo uiris bonis satis faciã, qui amicitiam sanctè inuiolateq; usq; ad extremũ seruandam putant, inter me, ac Raudensem paruam sanè familiaritatẽ intercessisse, paucisq; diebus cõsuetudinem fuisse, nec eam unquam epistolis nos mutuis cõfirmasse, ut ipse ex iniuria mei magis ingratus, quàm uiolator amicitię esse uideat. Et ego me defendẽs, magis beneficij mei perdidisse rationem, quàm amico lacessenti non pepercisse. Et laudem quam illi tunc tribui liberalius, ut fieri solet, benigniusq; cõcessisse, quàm nunc in eo notando inconstantiæ crimen incurrisse.

QVantopere sit elegãs Raudẽsis noster, & quàm decuerit eum de eloquentia scribere, uel prooemiũ ipsum testimonio est, cuius tres tantũ ex principio uersus cõsideremus, sic enim incipit. Raudẽsis. Puto erit operæpretiũ his, qui eloquẽtiæ, humanitatisq; studijs uidentur aspirare, & librorũ copiam quasi nullam habent, quos lectitare possint, unũ hunc pro omnibus, quẽ sæpe legant, scrutenturq;. Lau. Sæpe te legemus Raudẽsis, omissis alijs, si eloquẽtes euadere uolumus. Nõne ingrato animo in ueteres, atq; impio es, qui uel clàm, uel palàm nos adhortaris ad negligẽdos omnes aliorũ autorũ libros? At nõ loqueris de ijs, qui librorũ copiam habent, ergo tu talibus nihil scribis: & quibus nulla ad assequendã perfectã eloquentiam adiumẽta desunt, ijs tuũ opus nõ prodest, sed pauperibus tantum: ut in te Ouidianum illud de arte amandi aptissime cadat,
Pauperibus uates ego sum, quia pauper amaui. At quantũ prodest pauperibus opus tuũ, unde per illud in summũ facũdiæ fastigiũ perueniãt? Si ita est, etiam diuites istã uiam tam expeditã ingredi mallent, q̃ se per multiplicẽ lectionem fatigare: sin in fastigiũ hoc modo peruenire nequeũt, nõ uideo quid prosis, uel diuitibus, quibus obstas, si te cõtenti sunt, ne in summũ, quò cupiũt, euadant: uel pauperibus, qui quò per te euasuri sunt, nesciũt, quibusq; & ipsis spem, atq; adeò animum eripis, aliquando ulterius euadendi: cum præsertim nemo sit ita pauper, ut se quãdoq; diuitẽ, aut certe meliori fortuna fore desperet. Quid ais, unus iste pro omnibus libris satis est? cur ergo multis in locis legẽdos alios esse uis, legiq; iubes, ac precaris? I nunc, et iacta tantopere librũ tuum. Et unum librũ appellas, ut nos nomine ipso circũuenias, qui uerbosior est, quàm duo & quadraginta Var-

ronis, rerum humanarũ, ac diuinarũ libri: & eum de imitatione inscribis, de qua quæso imitatione? Vniuscuiusq; enim artis est imitatio. Hoc tibi quidem addere in mentẽ non uenit. Sed tamen intellegis de imitatione eloquentiæ. Quid igitur de hac ipsa re tibi credimus, posterius glorianti? tu primus scribis, & non antè Quintilianus? tum de omni imitatione in uniuersum, tum de ea, quæ ad eloquentiam pertinet? Post quẽ aliquid de arte Rhetorica (nam imitatio ipsa, ut idẽ ait, pars artis est) scribere, hominis est artẽ oratoriã nescientis: quanq; nihil minus, q; de imitatione loquit̃, opus hoc de imitatione titulũ habẽs, quod autor ipse sępe legere, sæpe scrutari nos iubet, uidelicet mysteria quædã in eo latẽt, quæ nisi scrutemur, inuenire nequeamus. Verũ quoniã hoc postulat Raudẽsis, agedum, scrutemur, an recte dicat, an secus. Et antequã de cæteris ordinẽ, id agamus, horum triũ uersuũ uerba, sicut de sensibus fecimus, an imitatione sint digna, uideamus. Ait: qui studijs eloquẽtiæ uidẽtur aspirare. De latinitate & elegãtia uidẽtur uelle loqui Raudensis: At hoc nec elegans, nec latinũ est. Siquidẽ dicimus aspirare rei, pro auxilium aliquod præbere deos. Vergil. Aspirat primo fortuna labori. Aspirare ad rem, est proprie hominũ, nec ferè nisi cũ negatione aut interrogatione, quæ in negationẽ resoluitur, significatq; ne spiratu quidẽ ac flatu proximum esse posse, nedũ ore cõtingere quod cupit. ut Cicero sępe: Ad hanc laudẽ aspirare non possunt. Et in Verrẽ actione 1. In eiusmodi re quisquã tam impudẽs reperiretur, qui ad alienã causam inuitus ijs, quorũ negotiũ est, accedere, aut aspirare audeat? Quid quòd ait, uidentur aspirare, non autẽ aspirant, quasi uideãtur, non sint aspirãtes? Ait præterea quasi, pro eo quod est ferè, de quo latius in elegãtijs diximus. His etiã pro ijs posuit, cum alterũ sit ab hic hæc hoc: alterũ ab is ea id. Reliqua pergamus. Ra. A, ab, abs, præpositiones sunt: à quidem, consonantibus omnibus rectè præponit̃: sed rectissime liquidis. Lau. Est'ne hæc de imitãdo disciplina? Hęc'ne de eloquẽtia pręceptio? an potius grãmaticę, aut si uis elegãtiæ, quod tradere non oratoriæ est? Nam (ut ait Quintil.) docere uim cuiusq; uerbi si quod minus usitatũ incidat, multũ infra rhetoris officium existimandũ est. At si oratoriæ artis esset, non & alij hoc præceperũt, quod se unũ Raudensis præcipere ait? Nunc uideamus, an recte præcipiat, quod certe non facit. Nam ab, nõ solũ duabus liquidis recte præponit̃, r & l, sed etiã i cõsonanti. Vt Vergil. Ab Ioue principium musę. Nullam uero aliarũ consonantiũ amat. Abs autẽ non solum t, pręponitur, ut abs te: sed etiã q, & forte etiã c, ut in libris de elegãtia diximus. Ra. Cicero uerò persæpe ponit ex pro à uel ab. uerbi causa, si imitari uolueris, dices: aliquid ex Pompeio sciã, id est à Pompeio. Lau. Omisit Raudensis, quia etiã dicimus è Pompeio, quanquã hoc simile illi est, & præterea de Pompeio, ut Cicero: Audiebam adolescens de patre meo, id est à patre meo. Ra. Ablatiuo utitur sępius Cic. terminato in e, quàm in i. Lau. Quis ais? Nonne dicitur & à Cic. & ab omnibus: In illa infelici pugna, potius quàm infelice: ab illo infelici bello, in hoc felici certamine à potenti rege donatus sum. Item ab antecedẽti, à consequẽti, à repugnãti, hoc mallem dixisses quãdo ablatiuus regitur absolute, tũc frequẽtius usurpari, e, ut Cicero: Afflante fortuna, flãte austro, nõ flanti. Vergil. Pluuia impendente recedũt. Ra. Inuenies tamẽ hoc unũ obseruatũ ab ipso, ut semper ablatiuos cõparationis terminet in e, nõ in i. uerbi gratia, diceret lõgiore uia, nõ uia lõgiori: prosperiore fortuna, nõ prosperiori, ut grãmaticuli nostri dicunt. Lau. An non dicimus è contrario, sic semper, à maiori, à pari est hoc argumentum? Melius igitur dixisses comparatiua cum iunguntur generi fœminino sæpius postulare, e, in alijs generibus sæpius i: ut nunc uiuimus meliore fortuna, cõmodiore ualetudine sum. Nam quòd ais Ciceronẽ dicere igni, nõ igne: Quid mirũ? cum ablatiuũ habeat hoc nomen in i potius quàm in e: sicut febris, & similia

& similia. Item pro uetere amicitia, dicendum esse pro ueteri amicitia, non probas quod ponis. Nam recte dicam, in ueteri templo, in ueteri domo, de ueteri urbe. Vnde illa urbs dicta est, à qua qui proficiscuntur, de urbe ueteri proficiscuntur, non de urbe uetere: & de ciuitate ueteri, non de ciuitate uetere mare intramus. Rau. Accusare. Lau. Perduellis & perduellio non idem sunt, ut ait Raudensis: cum perduellis uocetur hostis: perduellio autem crimen aut læsę reipublicæ aut læsę maiestatis, siue is qui ita læsit. Rau. Aduena. Deinde, Inquilini non permanent, sed aduenę sic. Et iterum, Conuena idem, quod aduena. Lau. Inquilini non sunt, qui non permanent, sed qui in aliena & domo, & urbe habitant, aut saltem domo. Conuenę qui ex diuersis populis, gentibusq́ in una mœnia cōuenere, simulq́ coalescunt. Multa omitto, quę à me in elegantijs tractata sunt. Rau. Aduocatus. Deinde: Et aliqui in meum patrocinium inciderunt, id est aduocati fuerunt. Lau. Non hoc dicit Quintilianus, sed quòd ipse causarum illarum fuit aduocatus, scribendumq́ est aliquę non aliqui. Hoc est aliquę causæ, non aliqui aduocati. R. Adulter. Deinde: Pellex id est adultera. L. Pellex est fœmina, quę corpus miscet cum uiro alterius, non autem meretrix, ut in elegantijs dixi, improprie autem, ac præter naturam de puero dicitur concubino, illius qui uxorem habet, ut Cicero in Sallustium. Omnium cubiculorum pellex, & idem postea adulter. Id est puer lædebas alienas uxores, pręripiens eis maritos, ut postea læsisti maritos, præripiens eis uxores. R. Affinis. L. Necessarij non affines tantum sunt, sed etiam amici, & quibus uti familiariter solemus: ut Cicero ait sibi cum equitibus Romanis necessitudinem esse. Tribulis autem nō est (ut Raudensi placet) affinis, sed ex eadem tribu, ut Romę erant quinq́, & triginta tribus: apud Hebréos autē duodecim, tredecimúe: & in ciuitate Aquileia nouē & uiginti. R. Alacer. L. Non debet lettū scribi gemino t, ut Raudensis ait: sed lętū. nam diphtongo distinguetur à letum, quod mortem significat. R. Alapa. L. Non recte hęc duo nomina distinguit, alapā & colaphum. Cum illud latinū, hoc Grecum sit. Ideóq; per ph scribendū: nam sola Gręca, & quędā hebræa sic scribuntur. R. Ala & pinna, quasi idem sunt. L. Aut penna scribendum est, aut errat noster autor. Pinna enim acutum significat, ut ait Quintilianus: unde pinnaculum templi, & pinnę murorum. R. Alicubi. L. Male exponit quoquam pro alicubi: cum quoquam sit aliquò, id est ad aliquā partem, locum'ue. Alicubi uerò, in aliquo loco. Item male aliquo pro alicubi eadem ratione. Item male alicunde pro alicubi, & necunde pro ne alicubi, cū illud sit ex aliquo loco, hoc autē, ne ex aliquo loco. Item male necubi pro nullibi, cum exponi debeat pro ne alicubi, id est, ut non in aliquo loco. Quo in aduerbio ut hic præcipiendo labitur, ita quidam in utendo, quorum nomina à me hoc loco proferri malignum forte uideatur. Studiosi tamen inuenient, quod dico ratione. Nullibi autē an recte dicatur, Raudensis uiderit. R. Aliqualiter. L. Non diserte exponit autor, nōnihil pro aliqualiter, cum deberet exponere pro aliquantulum. Aliud enim est quantum, aliud quale: sed nec latine dicitur aliqualiter, uel aliqualis, sed rustice, & barbare. R. Aliquod. L. Miror interdum huius autoris ingenium, qui nesciat differentiam inter aliquid, & aliquod: itemq́ inter hoc uocabulum, & quiddam, ac quoddam, nam aliquid substantiuum est: ut aliquid mirabile: aliquid boni: non autē aliquod mirabile: aliquod boni. Rursus aliquod templum, aliquod ædificium, non aliquid templum, aliquid ædificiū, quippe adiectiuū est. Item quiddā pulchrū, quiddam boni, non quoddā, rursus quoddam templum, quoddā uolumen, nō quiddā, cum illic sit substantiuū, hic adiectiuum. Pręterea hęc duo siue pronomina, ut Donatus uult: siue nomina, ut Prisc. sic differūt, ut illud superius

significet rem incertam, posterius rem certam, ut aliquis uidit me fugientem, id est unus, quisquis ille sit, etiam si non unus, sed multi fuerunt. At quidam uidit me fugientem: uidelicet unus, quem ego scio, & quem ipse cognoui. Illud cum negatione fit uniuersale ferè, ut non uidit me aliquis fugientem, id est nullus me uidit, hoc non fit: ut, non uidit me quidam fugientem, perinde est, ac si dicerem: Scipio nō uidit me fugientem, sed hæc latius in dialecticis nostris. Vllus idē est, quod aliquis, ut in eodem opere præcepimus, sed hac differentia, quòd nunquā usurpatur, nisi aut cum negatione aut interrogando, aut dubitando, aut nesciendo: ut, non est ullus beatus in uita, est'ne ullus beatus? dubito, nesciócp, an sit ullus beatus in uita. R. Aliquando. L. Aliquoties etsi raro apud Ciceronē, tamen reperitur, ut pro Quintio: M. Iunius, qui hanc causam aliquoties apud te egit. Multoties, nescio an usquam repererim, sicut nec pluries, nec nullatenus, duntaxat usitate. R. Amicitia inter bonos, fautio inter malos, à fautor, unde fautiosus fautiosa fautiosum, Sallustius inquit, Amicitia inter bonos, fautio inter malos. L. Factio dixit, non fautio. unde & factiosi dicuntur, ut sunt in Hispania principes Bandorum, & Genuæ Capellatij dicuntur. Hoc uocabulum Augustinus de Ciuitate dei exponit. R. Animal. Deinde: Pullus est animal quodlibet nouellę ætatis. L. Imò pullus est fœtus uel auium, ouaćp parientium, uel animalium non ferocium. Neque enim pullus dicitur leunculus, sed catulus leonis, ursi'ue. Ceruorum uerò, caprarumćp, ac capreolorum, similiumćp dicitur hinnulus. Camelus falsum est per geminū l scribi, interroga Græcos, unde uocabulum hoc fluxit. R. Antiquus. Deinde: Situs est antiquitas. L. Imò sordidus quidam humor in locis opacis & incultis, adhærens parietibus, uel solo, ut in elegantijs dixi. R. Appodiare. L. Hoc uerbū nusquam inueni. R. Apotheca. L. Ergasterium, & ergastulum, nec idē sunt, & neutrū uere exponitur. Ergasterium nescio an apud doctos inuenerim, nisi apud Gregorium, ideóćp de eo non dicam. Ergastulum autē, est quasi priuatus carcer, ubi seruos dominus, uel uinctos, uel solutos noctu includit, quosdam etiā interdiu, unde ad operas mane emittat. Apotheca est proprie uini: ut horreū proprie frumenti. Hinc Cic. in Philip. Apothecas uini obiecit Antonio. De taberna, & officina dixi in elegantijs. Tonstrina autem, nec taberna recte, nec officina dici potest, licet Raudensis officinam uocet. R. Appropriate. L. Improprium uerbum est. R. Aptus. L. Vt plurimum (quo aduerbio & Raudensis, & uulgo multi utuntur) existimamus esse apud ueteres non usitatum. R. Aqua. Paulo post, Liuius ait: equos aquatum ibant, & aquatu ueniebant. L. Vbi istud Liuius dixit bone Raudensis? Sæpe ex te fingis testimonia, quæ alteri tribuis: aquatu ueniebant, barbare dicitur, ut in elegantijs disputaui: aquatum ire, est ad capiendam aquā ire. R. Hydraula (ut in legibus inueni) est aquā in aulam ferens. L. Nō occurrit mihi ad uerbū locus, quem Raud. affert. Vitruuius uerò pro machina quadā simili tympano, seu molendino accipit, simulćp pro instrumento musico, quod organa uocant: licet proprie organa ex chordis constent. Nisi scriberemus potius hebraula, hoc est, à sessione tibiarum, quę follibus inflantur. R. Acquirere. Paulopost, Vt pleniore obsequio demererer amātissimos mei, id est, acquirerē, uel lucrarer. L. Si amātissimi mei sint, qui possum eos acquirere, ac lucrari? Et demereri est merito aliquo sibi alios cōstringere, et hoc intelligit Quintil. cuius ea uerba sunt. De hoc uerbo dixi in elegātijs. R. Arbor sine fructu est, arbos cū fructu. L. Quasi nesciamus arbos quod ueteres dicebant, in arbor esse mutatum, ut in alijs quibusdam, quod testatur Quintilianus inquiens: Nā ut Valesij, & Fusij, in Valerios, Furiosćp uenerūt: ita arbos, odos, uapos, etiam & clamos, id ætatis fuerūt. R. Arbusta etiā sunt poma syluestria.

Lau.

Lau. Imò sunt arbores multæ ad fructum consitę: ut oliuetum, auellanetum, amygdaletum, uel uites arboribus applicitę. R. Arbutum. L. Exponam ego apertius. Arbutus est arbor illa, quę poma instar cerasorum, seu fragorum fert, arbutum uerò, ipsum pomum. Arbor pyrus, non pyri, & idem in cæteris. R. Subter arborem salicem, & non salicis, & subter arborem ficum, nec dixit fici. L. Quid miraris Raudensis A. Gellium sic dixisse? quasi cæteri aliter dixerint, aut aliter dicere possimus. Ramum enim aut surculum, aut truncum, aut radicem arboris dicimus, quia pars arboris est: arborem lauri non dicimus, sed arborem laurum, quia laurus ipsa arbor tota est, non pars arboris, & ita in similibus. Montem Caucasum, non Caucasi: collem Ianiculum, non Ianiculi: nisi foret nomen hominis, ut montem Auentinum, & montem Auentini: Auentinum quidē, quia hoc nomen montis: Auentini uerò, quia rex ibi Auentinus sepultus est, & quasi nunc locū illum possidet. Item urbē Mediolanū, urbem Placentiam, urbem Romā, Non autē urbem Mediolani, Placentię, Romæ: nisi forte apud poëtas, ut urbem Patauii apud Vergiliū. Cic. in Verrem actione quarta, Vt ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentū, nihil ex sacro, nihil ex publico attingens. Sallustius, Vrbem Romam sicuti ego accepi, &c. Ideoq; rectius dicimus, accepi literas ex urbe Messana: ueni ex urbe Florentia, quàm ex Messana, & ex Florentia. Nescióque an probe dicamus ex Messana urbe, ex Florentia urbe. Item prouinciam Macedoniam, non Macedonię: continentem Galliam, non Gallię. Insulam Siciliam, non Siciliæ: ut in oratione quam apud Alfonsum habui, latius disputaui. Item primum diem Decembris calendas ianuarij, nonas Februarij, idus Martij: Non autem mensem Decembris, Ianuarij, Februarij, Martij: sed mensem Decembrem, Ianuarium, Februarium, Martium. Dicimus etiam calendas, nonas, idus Ianuarias, Februarias, Martias, & ita in cæteris. Quia adiectiua sunt hęc nomina, non modo quę sunt secundę declinationis, sed etiam, quæ sunt tertię, ut calendas Septembres, nonarum Octobrium, idibus Nouembribus. Non mutant autem uocem hæc adiectiua à suis primitiuis, qualia nōnulla alia sunt, ut Domitianus exercitus, id est, Domitiani exercitus. R. Ilice sub nigra, id est sub quercu. L. Ilex multum differt à quercu. R. Armiger. Paulopost, Argyroaspidas, id est, aurata argentata arma ferentes. L. Imò qui argentata scuta. R. Ars artis, sed ut imiteris nota, quod Cicero, & qui imitantur illum, non utuntur hoc uocabulo ars, sed illud subintelligunt. Vnde Suetonius dixit, funariam exercebat: nec dixit artem chordarum. L. Hoc ego aliter sentio. Nam si substantiua sunt, quid ais subintelligi artem? cum enim dico musicam, geometriam, medicinam, non subintelligi necesse est artem. Sin uerò adiectiua hæc, sine substantiuis esse non possunt. Quare magis sunt dicenda substantiua esse, & ideo non subintelligi artem, pręsertim ea quę artes dici non possunt, ut apud eundem in uita Cæsaris: Neue ij, qui pecuniam facerent, quod siquando artem experiamur adiunctam, dicamus tunc esse adiectiua. Sciamus tamen quędam non admittere substantiuum, quia semper ipsa substantiua sunt: ut sutrina, fullonica, aurificina, architectonica, figulina, argentaria, si tamen argentaria ars est. Quædam sine substantiuis non solere esse. An non dicimus artem ludicram, quæ est histrionum? Artem armorum, quæ est gladiatorum: artem statuariam, artem tectoriam, artem amatoriam, artem gemmariam, uitreariam, purpurariam, & mille huiusmodi? Illud uerò bis barbare dictū est, artem chordarum: cum chorda sit musicis apta instrumētis, nec ad funarios pertineat. Præterea dicendum erat, artem chordarum faciendarum, non artem chordarum: sicut artem scalpendi marmoris, nō autem artem marmoris. Quod autem attulit exemplum Quintil. dicentis rhetoricen in latinum transferentes,

cum

Arbor laurus, nō lauri & folium lauri.

cum oratoriam, tum oratricem nominauerunt, miror quippe cum reprehendat Quintilianus eos, qui ijs uocabulis utebantur. Praterea transferebant illi unũ græcum uocabulum in unum latinum, quòd ſi ſubintelligi poſſet ars, non male dixiſſent oratoriam, aut artem oratricem. Rau. Aliptes. Lau. Non eſt medicus plagarum, ſed qui augendis uiribus, atque exercendis corporibus, ungendisq; precipue athletarum præſunt, artificio quodam præditi. Rau. Aſper. Lau. Non idem eſt ſcaber, & aſper, ut ait Raudenſis. Loricam enim contextam hamis, auróq; trilicem, aſperam appellamus, non ſcabram. Rurſus ſcabram, ſi fuerit rubiginoſa: & ungues ſcabros, ac dentes uocamus, qui ſordidi ſunt, etiam ſi non aſperi tactu. Rau. Aſtutus. Lau. Hoc nomen deductum ab ἄστυ Græco nomine, quod oppidũ, urbemq; ſignificat, nõ à Greco oppido, ut ait Raudenſ. Rau. Sciſti uti foro, id eſt aſtutus fuiſti. Lau. No plane uim huius prouerbij Raudenſis expoſuit, licet ego nõ legerim Donatũ ſuper Phormionem Terentij, ubi hęc uerba ſunt. Nondũ enim in manus meas autor ille totus peruenire potuit. Ita à quibuſdam tanquam ſacer theſaurus, aut religioſum Palladium cuſtoditur. Sed ita interpretor: Scire uti foro, cum forum ſignificet locum illum amplum, ubi & cauſę publice aguntur: unde dicuntur cauſæ forenſes, & res multę, uariæq; ueduntur: unde forũ boariũ, forum holitoriũ, itemq; forum Cornelij, forum Liuij, forum Iulij. Erit huius prouerbij ſignificatio, ſcire uel accõmodare ſe ad mores iudicum, cæterorumq; hominum, nec opinioni illorũ, ſtudijsq; aduerſari: uel in rebus cõtrahendis cauere, ne fallatur, ne uendat, emat'ue, quod in alio foro melius, quàm in hoc uenderetur, emeretur'ue. R. Aſtrologia. Paulopoſt, ſed ſi uis ſeminare farrũ. L. Farrum pro far dixit. Item ſcorpionẽ pro ſcorpiũ: nã ſcorpius dicitur, nõ ſcorpio. Scorpionẽ enim dicimus (ut ait Marcellus) teli genus, & ita omnes utuntur, quidã etiã pro genere inſtrumẽti torquẽdi, ut in alio dixi opere. Idẽ, diuerſimode, & alibi, omnimode, quod uerbũ nemo ueterũ ſcriptũ reliquit. Aſtronomia hic dicenda eſt nõ aſtrologia. Nam illa loquitur de curſu aſtrorũ, hęc de iudicijs ad uitã, fortunamq; pertinentibus. R. Audax. Paulopoſt, Petulans, id eſt, temerarius et audax, ui petendo laſciuus, & in loco audax dicitur. Infrunitus dicitur ſine freno. L. Imò petulans eſt aut libidinoſus, aut ad iniuriã faciendã pronus: ut ferociores equi imbecilliores, de quo nomine in elegantijs diximus. Laſciuus eſt tũ in uita, tum in ſermone molliculus, ac plus teneri, quã robuſti, ac uirilis habẽs. Infronitus nõ dicitur homo ſine freno, ſed ſine prudẽtia, ſcribendũq; per o, nõ per u: φρόνησις enim Græcè prudentia eſt. R. Auſim, nõ eſt pro audebo, ſed pro audeam, ut nolim pro nõ uelim, non autẽ pro noluero. L. Mallem talia potius tradidiſſe, quale hoc eſt quoſdã magnos uiros eccleſiaſticos, qui dicãt: Siti periclitor, famę periclitor: cũ docti potius finẽ periculi, quã cauſam cũ uerbo cõiungãt, ut uita, ut capite, ut fama, ut fortunis periclitor, id eſt, in periculo ſum iſta perdẽdi. R. Auis, ales, pullus, præpes, quaſi idẽ ſunt. L. Præpes nõ eſt auis, ſed adiectiuũ uelocitatem ſignificans: ut apud Vergil. Et præpetis omnia pennę. Voluntq; hoc nomine ſignificari uelocitatem in altum uolantis. R. Attago attaginis eſt gallina ſylueſtris. L. Attagen dicitur, nõ attago: nec gallinam ſignificat, ſed francolinum, unde Horat. Non me Lucrina iuuerint conchylia, nõ attagen Ionicus. Et Hieronymus (quem ſuum Raudenſis appellat) attagen, & ficedula. Martialis genere fœminino, & prima declinatione poſuit in Xenijs. Intus ſapores fertur alitum primus Ionicarum guſtus attagenarum. R. Altilia. L. Non tantum capones pingues (ut noſtro autori placet) ſed gallinæ quoque & anſeres, & anates, & turtures, quinetiam ſues, & quicquid domi uel in uillis, uel in uiuarijs ſaginatur. R. Coturnix, & perdix, quaſi idem ſunt. L. Imò coturnix eſt auis,

Nycticorax bubo, noctua.

auis, quam quidã uulgo qualiã uocant. Nycticorax est bubo: Hieronymus idẽ
ait quod noctua. R. Auisare. Sordidum uerbum, nec dignum de quo scribe-
retur: quippe quo nemo ueterũ usus est, quodq́; ratio grammaticæ improbat, &
auisere diceretur, non auisare. R. Auxilium. Paulopost, Pręsidiũ est, quod est
loco utili positum. L. Ieiune, obscureq́; exposuit: nam saltem (ut breuissime di
cam) hunc in modum debuisset exponere: Pręsidium est auxilium quod præ-
statur alicui, & præsertim quod satis ad defensionẽ uidetur fore, ac primas pu-
gnę partes posse sustinere. Nam quod ad succurrendũ uenit, magis subsidiũ di-
citur. Pręsidium quoq;, est manus armatorũ hominũ, alicui tuendo loco impo-
sita, ut sæpe legimus præsidiũ Annibalis Capua, Tarento, Rhegio pulsum est.
R. Baptizare. Statimq́;, Catechizare est baptizandũ docere. L. Catechizare
est quidẽ docere, sed nõ solummodo illũ qui baptizandus est, ut Paulus: Com-
municet qui catechizatur ei, qui se catechizat, id est qui docetur ei qui se docet,
de baptizatis uidelicet, nõ de baptizandis. Nam ab re fuisset iubere his, ut mu-
nera præceptoribus tribuant, cum ambiguũ sit, an baptizari uelint. Pręterea de
omnibus nostrę religionis præceptorib. ac discipulis apostolus loquitur. Quod
uocabulum nonnunquam alibi reperimus, ut in principio Lucę: Vt cognoscas
eorum uerborũ de quibus eruditus es, ueritatẽ. Eruditus, id est catechizatus. Et
alibi: De quibus didicerũt de te, quòd doces discessionẽ à Moyse, didicerunt, id
est catechizati sunt. De illo mallem uerbo sacrę scripturæ locutus esset: Erue me
ab inimicis meis. Quo uerbo, nisi in malam partem, uti non solemus: ut erue o-
culos meos. Erue autẽ me à periculo, inusitatũ est. R. Balneum. L. Et balneas
& thermas (licet alterũ Latinũ sit, alterum Gręcũ) tamen in hoc scilicet differre
dicamus, quòd in thermis tantum calefacimur, in balneis etiã lauamur. Nam &
Baijs, & in multis alijs regionibus, sunt loca quędam sicca, quæ nos uehementi
calore resoluunt in sudorem, quę nequaquam balneæ dici possunt, quia non la-
uãt, sed potius ut necesse lauari, atq; ablui habeamus, efficiunt: ut thermas uoce-
mus, quę natura sunt calidę, balneas uerò etiam, quę à nobis calefaciuntur igni.
Nã & Græcè βαλανεῖον dicitur. R. Popina apud nos corrupte dicitur pro pro-
pina. L. Neq; corrupte dicitur, neq; hoc significat. Nam propina non inueni-
tur, sed propinare, quod à Gręco sumpsimus in significatione, quę est alteri ui-
num cratere infusum manu tua porrigere. Popina autẽ est, ubi uel publice obso
nia, caroq́; cocta, ac delicate confecta, uenditatur, comediturq́;: uel priuatim, ubi
gulosa familia extraordinarie ligurire, helluari consueuit: siue ipse (qualem di-
xi) cibus. R. Bancalia. L. Illiteratũ uocabulum. Dicuntur enim peristroma-
ta, siue peripetasmata, siue aulæa, siue insignia: quanquam hęc nonnihil inter se
differũt. R. Barba. L. Barbitonsor nõ est nomen dignũ quo utamur, quo ta-
mẽ utitur Raudensis. Idẽ ait capillũ significare barbã, & quencũq; pilũ: cum ta-
men dicamus capillũ pro capitis pilo. Idem alibi dicit pilos ad genas, quod est
pilos in genis, cum Ad, significet propinquitatem loci, non autem in loco. R.
Bellũ. L. Autor hic imitationũ (cum ait pro inducię treugæ) facit, ut se nequã
quam imitari uelimus, quos barbarismos frequẽter admittit. Vt hoc eodẽ loco,
Portitores signorũ, quod alibi etiã facit: cũ portitores sint custodes portus, uel
ripę, pontisq́;, qui præsertim uectigal loci illius à transeũtibus applicantibusúe
exigunt. R. Bibere. Paulopost, Fecem ex uuaceis expressam, quam uulgari-
ter Insubres poscam appellamus. L. Latine dicimus puscam, uinum in tor-
culari aqua mixtum, ut aliqui uolunt: apud Plin. uerò, Varronemq́;, & alios, lo-
ra dicitur. Nam hæc Varronis uerba sunt: Expressi acinorum folliculi, in dolia
conijciuntur, eóq; aqua additur, ea uocatur lora, quòd lota acina. R. Crudũ
epulum. L. Non recte epulum pro epulas dixit: de hoc in elegantijs diximus.

R. Blasphe-

R. Blasphemare. L. Hoc Gręcum uerbũ est, significans nõ execrari, ut autor uidetur significare, siue (ut suo uerbo utar) maledicere, sed uerbis cõtumeliam facere, dignitatiq; alterius, honoriq; derogare. R. Bonus, bellus. L. Multa quę ad eiusdem uocabuli expositionem pertinent, autor omittit, et hoc ferè ubique: quę omnia supplere, alienum est à nostro proposito, utpote nimis longum futurum: hoc autẽ loco de bellus non siluerim fuisse etiã dicendum: Hoc quoq; uocabulo significari pulchrũ, ut, bellus puer, bella puella, bellũ corpus, quę exẽpla sunt plurima apud Catullũ, Tibullũ, Propertiũ, Oui. Marti. & alios cõplures. R. Brachę. L. Fœminalia prius dicit, deinde nominat fœmoralia. Scimus tamen horũ (si utrũq; nomẽ inuenitur) fœminalia, nõ à fœminis, sed à fœminibus dicta, quæ, penè idẽ, quod fœmora sunt, quas partes, quia brachę uelant, dicta sunt fœminalia, uel fœmoralia. Saraballa quid attinebat exponere, cũ sit chaldaicũ nomẽ, ut Hieron. ait, imitanda pro brachis nemo, nisi nõ ferens brachas dixit. R. Bracchiũ scribit̃ per duplex c. L. An uerũ sit, Gręcos interroga. R. Alæ & ascellę idẽ sunt. L. Poëtę appellãt locũ illum concauũ subter brachiũ alã, quia in eo pili, quasi pennę nascũtur. Proprie tamẽ uocatur axilla, nõ ascella, ut ait Cicero in Oratore, diminutiuũ faciens ab ala, ut maxilla à mala, & paxillus à palus. R. Cacare. Paulopost: Cloacę sunt in quas publica stercora fluunt. L. Imò uiæ illę subterraneæ parietibus, in modũ aquæductuũ munitæ, per quas aquę pluuiæ extra urbem, uel in fluuiũ dilabuntur. R. Campus. Paulopost, Sed saltus est campi spaciũ. L. Imò sylua densior, aut in qua pecora æstiuare, aut hybernare consueuerunt, exemplis plena sunt omnia. R. Canto. Paulopost: Sunt enim exodia, cantilenę ludicræ, & scurriles in scenis. L. Nonius exponit pro fine hoc nomen, cur tu de Nonio nõ facis mentionem? Nam hoc uocabulum nisi alio exponente scire possumus. Quod si alius exponit, nos iterum inculcare minime debemus, id quod in toto tuo opere facis. R. Nenia est cantus factus homini nõ habenti propinquos, per mulierẽ ibidem adductã. L. Quanto melius Quintil. Tertius est huic diuersus modus, cum res cõmunis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium, ut carmẽ funebre proprie nænia. At cur addidit Raudensis, homini non habenti propinquos, cum magis hoc talibus fiat, quàm obsequio propinquorum destitutis? sciamus tamen improprie nænia accipi pro ineptia cuiuslibet cantus, aut sermonis. Etiam minus grãmatice locutus est, ibidem pro illuc, cum ibidẽ significet in loco, illuc uerò ad locũ. R. Candelę. Paulopost: Sepatus id est cum sepo. L. Seuũ dicitur, non sepũ, lege Pliniũ. R. Canister. L. Canistrũ dicitur, nõ canister. R. Cartha per h, scribi debet. L. Verũ est, sed aliter, hoc est in prima, nõ secunda syllaba sic, charta. R. Chirografus. L. Hoc quoq; aliter scribendũ est, sic chirographus: & aliud significat, id est scripturã manu propria, nec etiã debitoris: lege elegantias. R. Membrana est cartha, similiter & dica. L. Imò membrana est pergamena charta. Dica uerò actio, è Græco sumptum, Vt Terentius in Phor. Scribam tibi dicam. Et Cicero in Verrem actione quarta, Scribitur Hæraclio dica. R. Castus. L. Minus recte exponitur cœlebs ac cœlibatus, pro pudico, ac pudicitia. Est enim cœlebs, qui non est maritus: cœlibatus autẽ eodem modo dicitur, non matrimoniũ, pluresq; in cœlibatu sunt impudici, quàm in matrimonio, de hoc etiam in elegantijs. R. Casus. Deinde, Vicem alterius dolere, est casum illius dolere. L. Recte, sed nõ tamen omnino. Nam cum propter alterius uitiũ, peccatumq; doleo, nõ casum illius doleo. Non enim est casus, sed uitiũ. R. Caue ab illo. L. Hoc nõ recte dicit̃ cũ accusatiuo. Preterea caue facias, & caue ne facias, idẽ sunt, quod autor negat, ut apud Terẽ. Caue ne tristẽ sentiat, id est, caue tristẽ sentiat. Qui hæc tã clara nõ prouident, quomodo cernerent illa obscuriora? quorum

ra: quorum unũ hoc sit exemplũ: Scio multa genera salsamentorũ, potius quàm scio multorum generũ salsamenta. Rursus, scio facere multorũ generum salsamenta, potius, quam scio facere multa genera salsamentorũ. Illud quoq; poterat addere (quod huic loco simillimum est) licet, ferè non accipere post se, ut: uelut i apud Verg. Casta licet patrium seruet Proserpina limen. Et Quintilianũ: Nusquam prodest, nusquam opus est, iam licet uendas. Cic. pro Cælio: Quò omnis iuuentus natandi causa uenit. Hic licet conditiones quotidie legas, cur huic, qui te spernit, molesta es? R. Cœnare. Deinde, Obsonium per p, scribi debet, & est id quod post cœnam, aut ante somnium sumitur. L. In hac etiam scriptione obsonij (nã per b scribi debet) & diffinitione dissentio. Nam puto esse quicquid carnis, piscis'ue ultra panem, pulmentumq; comedimus. R. Cæcus. In fine, Cæcutiens, est parum uidens, idẽ & luscus. L. Vt idem sit cæcutiens, quod ait Raudensis (quod omnino non concedo) certe luscus est, qui altero oculo caret, non qui parum uidet, qualis fuit Antigonus, Philippus, Annibal, de quo Iuuenalis: Portaret bellua luscum. Et nos in elegantijs. R. Censores. Circa medium, Quid dicam, quàm leuissimis ex causis censoria urere nota consueuerunt. L. Ineleganter usus est, quam pro quantum cum superlatiuo. Nec longe post, R. Ridiculose. L. Inusitate dixit pro ridicule. Plurima à Raudensi præcipiuntur impropria, quę idcirco pretermitto, quia ab opere meo de elegantia linguę latinę satis abundeq; cõfutantur, cum aliter tradantur. R. Certare. Paulopost, Est enim agonotheta, qui certaminibus præest. L. Si sciret autor, quid agonotheta significat, debuerat dicere eum esse, qui præmium certantibus in quolibet ludorum genere proponit, qualis Aeneas apud Vergilium, qualisque Achilles apud Homerum. Est autem Græcum nomen. R. Circundo. Paulopost: Tantum telluris obiuit, id est, circũdedit. Lau. Imò circũiuit Hercules terram non circundedit. R. Circulus. Statimq;. Est planities rotunda, ut est sphæra, & staminum glomera. L. Sphęra non est plana, sed globosa, & à geometris planities, siue figura plana, à solida qualis est sphera, distinguitur. R. Cito. L. Quantotius (ut ait Raudensis) significare quàm primum, tunc credam, cum apud doctum aliquem inuenero (si modo inueniri potest) quod contra rationem latinitatis est, ut ex elegantijs liquet. Rau. Parumper, id est, cito, uelociter. Lau. Ego sentio idem esse quod Paulisper, id est per aliquantulum tempus. Rau. Clamare, deinde mouere tragœdias, est mouere exclamationes & exclamare. Lau. Affertq; exemplum Quintiliani, sed neque apud Quintilianum, neque apud Ciceronem in hanc significationem inuenitur. Imò rem uerbis atrocem magis, & indignam efficere, quale est opus tragicorum de rebus atrocibus semper, mœstisq; loquentium: sicut econtrario, comœdias agere, siue comœdiari, pro ridicule, ac dicaciter loqui apud Aristophanem, & alios nonnullos Græcorum. Rau. Cognoscere. Deinde: Nosse imperatiuus de nosco, uel est per syncopam præteriti plusquamperfecti temporis. Lau. Mirum, quòd ita in minimis erret. Nosce enim, imperatiui est: nosse uerò infinitiui pro nouisse à nosco, siue à noui. Rau. Omnes ignoscunt, nemo succurrit, id est noscunt. Lau. Male Senecam interpretatur, cum ille hoc dicat: Omnes quidem misereri infelicium, sed tamen eis succurrere neminem. Rau. Collũ, ceruix, iugulus, idem sunt. Lau. Imò diuersum, lege nostrũ opus de elegantia. Rau. Plin. dixit. Minando cuidam: uideo iugulũ, id est collum. Lau. Non istum sensum locutus est Plinius: refert enim uerba Reguli cuiusdam pessimi oratoris, non minantis, sed iactantis se non terere tempus in orando, more aliorum circa inania argumenta: statim enim uidere iugulum, ubi infigat gladium, id est anteriorem partem colli super malam: uidelicet locũ sanè morti obnoxium;

*obsonium.*

obnoxium: quia incisis illis uenis, statim quis moritur. Hoc metaphorice dictū est, quòd statim uideat locum esse, quo percusso, ac iugulato, pars aduersaria pereat. R. Componere. L. Non idem est soluere pecuniam, & dissoluere. Dicimus enim contractum æs alienum dissoluit, id est contractum debitum dissoluit: nec idem curatum & procuratum. Nec idem posuit, quod proposuit. Nec idem protulit, & tulit. Nec idem orauit, & adorauit, ut autor hic ait. Ra. Comœdia. L. Autor uidetur nescire togam esse uestem Romanorū, ut pallium, uestem Græcorum. Et togatas esse comœdias, non è Græco traductas, sed à Romanis, Latinisq; compositas. Qua in re Afranius princeps est, licet demortua sint & eius, & cæterorum opera. Etenim omnes, aut ferè omnes summorū comicorum libri è Græco traducti sunt, Cæcilij, Plauti, Terentij: eoq; non fuit Raudensi dicendum, fuisse Plautum maximū fabularum inuentorem, nam (ut taceā Græcos comicos, qui & tempore, & ingenio superiores sunt, ut Menander) certe Afranius, & alij similes magis inuētores, quàm Cæcilius, Plautus, Terentius dicendi sunt, qui ipsi inuenerunt non transtulerunt. Præterea cur Raudensis ait Plauti comœdias præter illas octo, quę prius extabant, non esse Plauti: nimirum eas nōdum uidit, quę nihilo inferioris gratię, & eloquentiæ sunt, quàm cæterę. Sed hoc diuinare fuit, illud uerò dormire. Nam uigilans, nō dixisset, dum preponere Plauto Terentium uult: In argumentum familiaritatem Ciceronis affert, quòd dicat Ciceronem fateri illum familiarem suum esse, quod nō Cicero, sed apud Ciceronem Lælius dixit, si unquam tamen ille hęc dixit. Eodem modo peccauit Beneuenutus, qui motam à se quæstionem, qua Cicero dicat in Catone maiori, Flaminium à se è senatu eiectum, & Valerium Maximum à Catone: sic soluit, Ciceronem Catonemq; unà censores fuisse, nec intelligit nō Ciceronem hoc dicere, sed Catonē in opere, quod illius nomine Cicero inscripsit. Quòd si Lælio, ac Scipioni familiaris Terentius fuit, sciat Raudensis hoc nihil adiuuare Terentiū, nam dicitur Scipio magis, quàm Terentius illas comœdias fecisse. R. Comparare, conferre, contendere, quidam ait. illi suam uitam mecum cōtendunt, id est comparant. L. Barbare ille, si quis fuit, locutus est, adijciens accusatiuum uerbo contendunt. Si hoc tradidisses, rectius fecisses, Quod cęteri dicunt, tu es magis audax, quàm fortis: doctiores solere dicere, tu es audacior, quàm fortior, & ita in cæteris. R. Commentaria. Paulopost, Commentarium est locus ubi commenta ponuntur. L. Proba. R. Commodum. Paulopost: Tempus meum amicorū temporibus cōmittendum putaui, id est commodis. L. Imò periculis laboribus, difficultatibus. Sic enim Cicero, eius hæc uerba sunt, loquitur, ut tempora aut sua, aut amicorum pericula, difficultatesq; intelligat, & hoc loco significat se aduocatum fuisse, non omnium, sed amicorum, ne quis eum putet rabulam, ac litigiosum, & aduocatū accusatorum, actorumq;, non reorū, quia deforme est, ut Cicero quoq; ipse testatur, accusatoriam uitam uiuere, & homines in periculum uitę, ac fortunarum frequenter uocare. R. Terentius ait, in tempore redijt, id est, quàm cōmode. L. Raudensis præcipit, quàm, non nisi cum superlatiuo debere coniungi, & ipse cum positiuo iungit: quod non faceret, si inuentor ipse huius elegantię esset, & non ab auditoribus meis audisset. R. Compensare. Et statim: Pensitanda sibi ista res, id est, compensanda. L. Imò ualde ponderanda, examinandaq;. R. Consilium. Paulo post: Est etiam consultus, qui consiliū petit. L. Proba, nam econtrario potius consultorem Sallustius dixit, pro eo, qui consilium dat, cum sit proprie, qui consilium petit. R. Alium tamen, quàm consularem uirū rogari fas fuisse negant, ex qua sanè consuetudine Iulius Cæsar Catonem sententiam rogauit. L. Labitur Raudensis in cognitione historię: non enim consularis fuit Cato

posterior,

posterior, id est, qui cōsulatum gesserit, ideóq; post pugnam Pharsalicā, uoluit reliquias exercitus (quas collegerat) Ciceroni tradere, cōsulari, nō consularis. Vt apud ipsum Ciceronem in Philippicis: Qui uerò prætorij, quorū princeps omniū Cato, idemq́; omnium gentiū uti iure princeps. R. Conuiuiū. Deinde uerba Senecę subdit: Nam sine amico uisceratio leonis, ac lupi uita est, uisceratio, ait, repletio. L. Non ait Seneca uiscerationē pro repletione, sed conuiuiū, quod ex uisceribus, id est, ex carne, multis datū sine suauitate amicorum, simile esse comestioni leoninę, aut lupinæ, quia quodammodo caro tanquā feris deuoranda, apponitur, ut unusquisq;, quod uult rapiat, cibi, tantum ac sagine memor. R. Contra. Paulopost: Quintilianus dixit euerso, id est, econtra. L. Nō hoc dixit Quintil. sed ediuerso, Nec Raudensis exponit latine ecōtra (quòd nō inuenitur) sed econtrario. R. Contentor. L. Non est uerbum latinū. R. Cooperio. Paulopost: Operto capite, id est, discooperto. L. Verus sensus est huic expositioni contrarius. R. Chorea. Paulopost: Choraules, id est, princeps, ac magister chorearū. L. Imò, qui tibijs ad choreas canit. Nā αὐλος Græce, tibia latine: unde apud nos usitatum nomen pro latino aulœdus, & Cic. Qui citharœdi esse non possunt, aulœdi fiunt. R. Cortina, aulœum, conopœū. L. Quare nō distinguat uocabulorū significata Raudensis, ipse uiderit. Vnū enim exponā. Conopœū est papilio ille, qui thoro circūdatur ad arcendos culices: κώνωψ enim Græce, Latine culex. R. Custodire. Paulopost, Specula, locus editus, scilicet magis ad uidendū q̃ ad custodiendū. L. Imò ad custodiendum potius: nec locus editus, nisi cū ex eo speculamur, an hostes ueniāt, trāseant'ue, an maneāt, quot sint, & quæ sunt id genus, quod ipsum ego appello custodire, arbor nonnūquam prominens, ac porrecta pertica uicem hanc præbet. R. Excubijs, id est, uigilijs noctis. L. Imò diei, ut in Elegantijs diximus. R. Curia Deinde: Ariopagus locus Athenis ubi sapientes conueniebant. L. Imò locus iudicum, qui à Solone erant instituti. Non afferam exempla Græca contra hominem latinum. Cicero in Philippicis ita ait: Quæro igitur, si Lisiades citatur, iudex non respondeat, excuseturq́; Areopagites esse, nec debeat eodē tempore Romæ, & Athenis res iudicare, accipiet'ne excusationem is, qui quæstioni præerit? Græculi iudicis modo togati, modo palliati, Atheniensium ne antiquissimas leges negliget. Quidam interpretantur hoc nomen ab ἄρης, quod est uirtus, quod falsum est: nam uirtus dicitur ἀρετὴ: ἄρης uerò Mars. Ob hunc errorem, puto istos existimasse hunc esse locum sapientum, ac philosophantum, ut in alio dixi opere. Curia solum dicitur locus consilij, ergo curia regis, aut curia Papę non recte dicitur: nisi pro loco consilij publici. Autor etiam dixit ubi conueniebant, pro quo conueniebant. R. Cum, si tempus significat, scribi debet per c, ut, cum fueris Romę. Si uerò comitem significat, debet scribi per q, ut duas uu, ut, quū princeps erat. L. Non ita scriptum reliquit Quintilianus, quem Raudensis affert, sed sic: Cum, si tempus significaret per q: si comitem, per c, ac duas sequentes scriberetur, duas literas dixit sequentes, non duas uu. Neque enim dixisset duas uu: sed duplicem, siue geminam uu. Ergo si de duabus literis sequentibus locutus est, palàm est de sequentibus c literam non q, in secunda parte locutum esse. Nam q, tres literæ sequerentur, & ob id Raudensem in utroque contrarium tradidisse. R. Damnum fit ex tempore, iactura quidem de industria, ut proijcere merces in mare. L. Proba, ut credamus. R. Decipio. L. Versura non est deceptio, ut hic autor ait, qui cur à Pompeio Festo recedat, non uideo, dicente: Versuram facere, mutuatam pecuniam soluere ex eo dictū est, quòd initio, qui mutuabantur ab alijs, nō ut domum ferrent, sed ut alijs soluerent, uel ut uerterent creditorem. R. Defectus.

Deinde, quidã dixit, ex uitio tuo hoc profiteri uidetur, id est, ex defectu. Et paulopost: Quispiã cum dicere uellet, id defectuosius esse uidetur, dixit, culpatius. L. Impolite locutus est defectuosius, imò improprie: nã defectus est (ut sic dicam) penuria, non uitium, aut morbus, aut culpa, ut defectu ciborum, siue defectu cibi dedimus nos hostibus. Item dixit inusitate, quispiam pro quidã, & hoc frequenter etiam in plus se habet. Item nõ longe antè dixit, pariformiter, quod non inuenitur. R. Delectare. Paulopost, Cic. in Tusculanis: Item delectatio extrinseca, uoluptas intrinseca. L. Non Cicero hęc ait, sed Leonardus Aretinus in prooemio Ethicorum Aristotelis, ab eo traductorum. Qui uerè fortasse dixisset, si delecto tantum reperiretur, & non etiam delector deponens, & delectat impersonale: & sanè hoc nomẽ delectator, siue oblectator uidetur frequentius significare (ut grammaticorum uerbis utar) passionem innatam, quàm actionem in alterum. Nescio, an intrinsecus & extrinsecus nomen reperiatur. Internus, & externus magis dicitur. R. Delicatius. In fine: Dicitur etiam lauititius. L. Lautitia inuenitur, non lautitius, sed lautus pro homine diuite, ac nitidam, splendidamq; uitam agente, tum in uestitu, tum in uictu. R. Despicere. Paulopost: Terentius inquit, parui curauit illũ. L. Hoc non inueni apud Terentiũ: nisi forte Raudensis in illis Terentij comoedijs legit, quę naufragio interciderunt. R. Daemon. Paulopost, Energuminus est, qui à daemonio arguitur. L. Graecum nomen est. Et ideò ab arguo non componitur, sed ab ἐνεργοῦμαι, quod latine dicitur agor, id est agitor. R. Diabolus deorsum urens apud Hebraeos. L. Graecum nomen est, non Hebraeum, significatq; criminatorẽ. R. Desiderare. L. Non est gestire (ut hic ait) idẽ quod desiderare, sed quod laetari, siue laetitiam ostendere, ipso etiam corporis gestu, ut Cicero quoq; diffinit in Tusculanis. Autor hic frequentissime ait, alter dixit, pro alius dixit. R. Versificator quispiam sic desideranter scribebat, O mihi praeteritos referat si Iupiter annos. L. Aut ignorat hunc uersum esse Vergilij in octauo: aut contumeliosus est in summũ poëtarum latinorũ, quem appellat uersificatorẽ quendã. R. Concupiscũtur quę habentur, & quę nõ habẽtur. L. Hoc rerũ natura nõ recipit, quod enim quis habet, qui potest id cõcupiscere? R. Terentius, Sed cesso ire intro? id est desidero. L. Imò quid moror, aut quid negligo ire intro, est enim dictum illud cesso, interrogatiue: ergo non potest significare desidero. R. Detrahere. Deinde, Quintil. ait: Sic nec mirum, cum id inter opices quoq; uulgatum sit, id est, corrosores. L. Opifices ait Quintil. nõ opices, nec de corrosoribus ille locus loquitur, nec qui sint corrosores, intelligo. R. Cornicum (ut dicitur) oculos configere, id est, aemulorum. L. Hoc prouerbio & Cicero pro Murena, proq; Flacco: & Hieronymus in quodam prologo utitur, neuter accipiens cornicum pro aemulorũ, sed pro eorũ, qui se sapientiores, et duces aliorum censent, ac uideri uolunt. Nam cornix dicitur dux auiũ esse. Lege & eius naturam, & de illa fabulam. R. Diluuium. Paulopost: Diluuium sic fit ex igne, sicut ex aqua. L. Negatur, quòd si quis afferat Vergilianum illud, Diluuio ex illo diuersa per aequora uecti. Metaphorice dixit Vergilius euersionẽ Troiae diluuium. R. Item alluuiones sunt mixtiones uicinorũ agrorum, ita ut uix quo fuerãt, termini, agnosci possint. L. Obscure diffinit, nõ addens uiolentia aquarum, uel fluuialiũ, uel pluuialium, similiumq;, quę alluuio nõ tantum agros confundit, sed nõnunquam eripit, nõnunquam funditus destruit. Ad hoc autor dixit, quo fuerant, pro ubi fuerant, sicut superius ubi, pro quo. R. Diffinire. L. Non tibi assentior, idem esse dicenti definire, & diffinire: est enim definire terminare & quasi finẽ dare. Diffinire autẽ hoc ab illo, quasi dispertiendo distinguere, unde diffinitio uocata est, non definitio, qua in disputando uti solemus.

Et esse infinite, ac definite, id est, certũ finẽ habentes, mallẽ dixisset. Diuido tecum, est partior, siue cõmuniter tecum habeo, ut Quintil. in apibus: Num æqua portione cũ sceleratis terras diuisimus? Vergilius, Diuisum imperiũ cũ Ioue Cæsar habet. R. Dies est præsentia solis dictum. Cic. dixit pro maiori parte singulos dies, non singulis diebus. L. Quid de uno uocabulo attinet loqui, & non uniuersum? ut melius apud Seruium sit, qui ait: accusatiuo magis usos, quàm ablatiuo, ut unam noctem, unũ diem, septẽ menses, decem annos. Verũ quis primis labris eruditionem attigit, qui dicat pro maiore parte, pro eo, quod est plerunq;, siue ferè, siue frequentius, nedum hic magister elegantię? An sit hoc turpius, nescio dixisse pridie pro preterito die, quod nemo antea dixit. Ego tamen in alio opere scripsi quot mensibus, pro singulis mensibus dici nõ posse, ubi de usu dixi, & cõsuetudine. Nam etsi Terentius Varro hoc uocabulum aliquoties usurpat, nescio tamen an alij eorum (quos legimus) utantur. R. Multo mane, multa nocte. L. Multo mane, non memini me legisse: dicimus enim prima luce, ante lucem, multo ante lucem, & multa luce, ut apud Curtium, Parmenon ad Alexandrum: Multa, inquit, lux est. R. Quinto die, quàm à senatu recederent, id est, per quinq; dies ante. L. Imò per quinq; dies post, ut Liu. lib. XXI. Octauo mense, quàm cœptum oppugnari, captum Saguntũ quidam scripsere, inde Carthaginem nouam in hyberna Annibalem cõcessisse, quinto deinde mense quàm à Carthagine profectus sit, in Italiam peruenisse. R. Infra tres dies. L. Inerudite dixit, dicendũ enim est intra, infra nanq; subter significat. R. Dicere. Deinde, Dicax, qui multa dicit. L. Cicero, Quintilianusq; aiunt esse dicacem hominem, cum risu aliquos incessentẽ, mordentemq;, & hic nonnunquam, & alij quidem, dicto accipiũt pro dictito, ut tuæ literę dictabant, sed non rite utuntur. Dicunt epistolę, uel dictitant, hoc est, tu in epistolis dicis, seu dictitas, sed in hunc errorem inciderunt, quòd reperiunt, ratio dictat, quod est frequentissimũ, & quale est illud Plinianum in epistola quadã: O sylua, ô littus quàm multa cõponitis, quàm multa dictatis. Et illud Bœotij: Ecce mihi laceræ dictant scribenda camœnę. Verum hic manifesta ratio subest: nam camœnę littus, ac solitudo, tacite nobis suggerũt, quod scribamus, ita & ratio loquit, quod nos scribendum putemus, & indignatio dictat, quod in alterũ effundamus. R. Discerno. L. Non est, ut hic ait, discernere in duas partes, secernere uerò in multas. Imò discernere in duas partes, plures'ue, secernere uerò, separare, ut ex chao omnia elementa discreta sunt. Et Cicero: Secernant se mali à bonis, id est, separent. R. Domus. Paulopost, Architectus est princeps tectorum, aliquando pro ipso deo accipitur. Tignarius est sarti tector. L. Nescit quid dicat, architectus est princeps ædificantium, id est, qui ædificium ordinat, & ipse aut primus ædificat, aut ædificare iubet: inde Vitruuius opus de architectura condidit, id est, de ædificijs construendis. Faber autem tignarius est, qui solaria lignea facit, hoc est, trabes, cęteraq; ad tabulata domus uulia. Nam in iure ciuili scribitur, tigni appellatione, in lege XII. tabularum, omne genus materię ex qua ædificia constant, significatur. Contignatio igitur dicitur solariũ domus, siue stratum sit cæmento, lateribus'ue, siue non stratũ, qualia sunt ferè solaria domorum Apulię, eoq; apud Liuium pro miraculo refertur, bouem in tertiã contignationem conscendisse, id est, in tertium solariũ. R. Diuersoriũ proprie est hospitale. L. Negat antiquitas, apud quam hospitalia non erant, quinimò non est hospitium idem quod diuersorium, ut ait Raudensis: sed flexus uiæ minor, ac secessus. R. ff. de eo, qui certo loco, dicitur, quòd insula est qualibet domus. L. Non hoc ait iurisconsultus, sed eam domum esse insulam, quę uia cingitur, unde autor quidã enumerauit insulas Romanę urbis, nõ domos. R. Fundus

Architectus
Tignarius faber.
Tignus.
Contignatio.
Diuersorium.
Hospitalia antiquis nõ fuisse.
Hospitium.
Insula.

est alicuius mansio cū accessionibus. L. Ab omnibus Iurisconsultis, & ab ipsa ueritate dissentit, ut breuiter autē ipse dicā, non sententiam inter Iurisconsultos feram. Fundus est possessio in agro. R. Hippodromus est stabulum equorū currentium. L. Imò est uia lata, per quam etiam multi equi possunt una currere, uel potius locus in quo equi currere solent. R. Duellum. L. Duellum non est tantum duorum, ut hic ait, sed multorum quoque, & ipsorum etiam exercituum, alioqui non diceretur à Plauto, duellum inter Thebanos, & Theleboas. Et ab Horatio: Græcia barbariæ lento collisa duello. Nescit etiam autor pugilem esse, qui cæstibus pugnat, pancratiasten qui ad omne certaminis genus ualet. R. Ecclesia. Paulopost, Adytus per y grçcum, est locus secretus iuxta altare. L. Hoc adytum dicitur, non hic adytus, estq́ penetrale templi, id est, locus interior, & uulgo inaccessus. R. Versificatores ferè peccant secunda syllaba, pro breui utentes. L. Imò & Maro breuem ponit. R. Edere. L. Non optime exponit nuces esse non pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est, Malum uerò, quod foris habeat quod est esui, & durum intus includat: cum illud prius nō sit pomū, neque hoc secundum malum, sed illud nux, hoc uerò pomum. Valerius tamen Martialis nucem pineam, pomum uocauit, in distichis inquiens:

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede uiator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Malum autem indiuiduū, id est, quod uulgo dicitur melum è Græco sumptum. R. Est enim eduliū prçgustatoria comestio. L. Imò edulium est quicquid edimus, aut quicquid ad prandium, cœnamq́ edendi gratia apponitur, & sumimus: ut apud suum Hieronymū millies, ut ibi, lentis edulio. R. Aedificare. L. Eodē Raudensis errore, quo Accursius ducitur, ut sentiat tigni appellatione aliud, quàm materiam, id est, ligna cōtineri, ut in elegantijs diximus. Indecorum sanè est homini, qui de elegantia scripturū se pollicetur, Accursium ac cæteros glossatores sequi, ut facit Raudensis, cum illi ab elegantia lōgissime absint. R. Eligere. Aliquanto post, Comitium locus, in quo fiebat electio magistratuum, quasi communium. Item uocabatur ipsa electio, & gaudium resultans ex tali electione, & etiam ipsa collatio personalis. L. Comitium est tantum locus: comitia actus creandorum magistratuum, ut in foro est, & in comitio. Item actis comitijs suffragium non fiebat manu, ut ait Raudensis, sed uoce, interdum scriptura, ut Plinius posterior refert. R. Eloquentia. L. Omitto, quæ de rhetorice præcipit à uia ueterum uel recedens, uel cadens, quid negligentius fuit, quàm quç Seneca alteri tribuit, notans ut stomachosiora, ea ab ipso Seneca dicta esse uelle? Cassius Seuerus in Sextū dixit, Si cloaca esses, magistra esses, nō Seneca. R. Et que pro &, ne pro &. L. Ne, nunquam reperitur pro &. R. Item neu hoc faceret persuasit, id est, ne. L. Nescio ubi hoc Cicero (quem affert) dixerit, aut aliquis alius, neu (ut sentio) apocopatum est à neue. R. Excursiones sunt, quç fiunt ab armigeris. L. Excursiones uocantur rumores illorum, à quibus recedunt, tamen eædē sunt incursiones, rumores eorū, in quos incurritur. Est autem abusus significatione armigeri, de quo nos uocabulo in alio opere diximus. R. Expecto. Paulopost, Tempus redimitis, id est, expectatis. L. Imò tempus emitis, unde in iure ciuili, & alibi, redemptores uectigaliū, id est, emptores: & apud Paulum redimite tempus, id est, emite, ut è Græco fonte apparet. Cicero in Verrem actione secunda: Vt primum ex prouincia redijt, redemptio huius iudicij est facta grandi pecunia. R. Exul. Paulopost, Inscriptus, qui manet in patria, sed re spoliatus. L. Hoc nunquam audiui. Proscriptus, idē est quod exul, quia nomen suū in publico, tanquā exulis scriptū est.

L. Circum-

L. Circunscribere est damnare, bonis fallere. L. Imò fraudulenter in re contrahenda atque commercijs aliquem bonis aliquibus priuare, ut apud Senecam de eo qui fratrem circunscripsit in diuisione hereditatis, cum ex altera parte matrem fratris, ex altera omnia bona posuisset. R. Exercitus. Postea, In summa igitur erant pedites sex mille, & centum. L. Contra latinitatem dicitur, pro eo, quod est ad sex millia, aut sexies mille, aut peditum sex millia. R. Facies. Paulopost, Cæsius, id est, lenticulosus. L. Imò, qui habet oculos glaucos, id est, in similitudinem noctuę, nec unquam cæsium, nisi de oculis, legitur, unde Cicero ait: Cęsios Mineruę oculos, quæ dea apud Græcos dicitur habere oculos glaucos, ut millies apud Homerum. Quidam uolunt cæruleos esse, cęsios oculos. R. Fastidio, fastidis fastidire fastiditum, dicimus enim, quare fastidis mei? & fastidimus bonorum. L. Si hoc uerum est, cur exempla non proferst? ego uerò cum accusatiuo reperio, non cum genitiuo. Vergilius: Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis. R. Fœmina. L. Cinædus non scribitur y Græco, ut ait Raudensis, nec caninum significat. Marcellus pro saltatore exponit, alij pro re turpiore, non quòd moueat membra in saltando, sed quòd in obscœna uenere. R. Fœnero. L. Vtrunque fœnero, & fœneror pro eodem male accipit Raudensis, quod alio opere docuimus. R. Ferrum, & chalybem in aspectu similia uidemus, specie tamen differunt. L. Non differunt specie metallica, cum idem metallum ambo sint. Nam nec aurum auro differt, licet purgatius sit, nec sapphirus sapphiro, licet splendidior, nec similia à farina. Verg. certe inquit, At Chalibes nudi ferrū, ergo appellatū est optimū ferrum ab illis populis, qui scientissime ferrū temperāt: uel populi illi uocati sunt Chalybes ob hanc ipsam temperandi ferri scientiam, siue facultatem: siquidem aquę quædam hoc apud eos efficere dicuntur, qui nunc Viscani nominantur, quasi uis chalybis, quòd apud eos sit uel copia ferri, uel potentia ac facultas ferri temperandi, si modo etymologia uera est. R. Filocaptus. L. Non est nomē hoc à doctis, sed ab indoctissimis fictum. Philos enim non amorem, sed amicum significat, siue amatorem. Et hoc Græce, cum quo nomine dure latinum coniungitur, sed cur in f, litera posuisti, cum per ph, scribendum esset? sic, philocaptus. L. Procus est ipse solicitator amoris. L. Imò, qui aliquam pro uxore postulat, ut Penelope apud Ouid. Turba ruunt in me luxuriosa proci. R. Filius. L. Quòd nothus sit natus ex nobili patre, & infami matre, miror cur dixit, cum parum ante Quintilianum attulerit, dicentem, nothum qui legitimus non sit, Græci uocant, non aduertens eodem loco dixisse Quintilianum ut Catonis oratione testatum est, quia non habemus nostrum, utimur peregrino. Igitur nothus est absolute illegitimus. L. Flere. Paulopost, Plorare, est cum lachrymis, & uoce pectus, aut faciem tundere. L. Negatur, huiusmodi enim percussio, planctus dicitur, ploratus ipsa uox flentis, sicut fletus ipsa lachryma ex oculis emanans, prę dolore tamen potius, quàm præ lętitia. R. Fungus. L. Non est asparagus, nec de fungo intellegit Iuuenalis, quem testem citat Raudensis, nec aspargus, sed asparagus dixit, ut Martialis: Non erit incultis gratior asparagis. R. Gaudium. L. Non est ouare, gaudere, sed se gaudere significare, & exclamare. R. Galea. L. Iuba non est idem quod galea, sed quod galeæ imponitur, instar iubarum, aut equi, aut leonis, aut draconis, quales in ueteribus numismatis, statuisq; agnoscimus. unde Vergil. Cristaq; insignis equina. Et alibi: Graiarum errore iubarum. R. Gladiorum. L. Abensis deriuatur ensicula, cum dicere debuisset ensiculus. Spatha, longior ensis, ac latior à quibusdam esse dicitur. Phramea Græcum est nomen. Pugio non est cultellus breuis, plus enim est quàm cultellus, nedum maior, quàm breuior cultellus, hunc pugnalem Hi-

ſpani uocant. Mucro non eſt pugio longus, ut enſis (nam is enſis foret) ſed cuſpis ipſa enſis. Improprie autem pro enſe accipi bipennem ait ex altera parte acutam, cum Quintilianus dicat ex utraque, ut ipſum etiam nomen indicat. R. Guloſus. Paulopoſt, caſtrimargia gulę concupiſcentia. L. Gaſtrimargia dicendum eſt, ſignificatq; nimiam ingluuiem, ut apud Ariſtotelē in ethicis. Scurra non eſt cibi captator, ſed qui riſum uerbis mouere captat, non habita ratione uerecundiæ, aut dignitatis. R. Hæres. Paulopoſt, Caducus eſt, quicunque fit hæres in bonis alicuius, qui hæredem non habet. L. Imò caducum eſt, ſiue caduca bona dicuntur, hærede carentium, non autem (quantum ego quidem ſciam) horum bonorum hæres, ſed fiſcus, aut dux militum publica perſona. R. Ibi. Deinde, Cicero ſępiſſime, cum uult dicere ibi, dicit iſtic, uerbi gratia, Tarenti es, non ſpero te iſtic hyemare non iucunde, id eſt, ibi. L. Barbare exponit iſtic pro ibi: ſi enim diceremus, ſpero te ibi hyemare, non recte diceremus. De hoc latius in elegantijs. Hæc fuit cauſa, cur Ciceronem unū afferret, & eum ſic dicere ſæpiſſime teſtetur, quaſi nō ſemper & ipſe, & cęteri ad ſecundam perſonam ſic loquantur. Nec per hoc aduerbium modo, ſed per alia quoque, & per ipſum pronomen iſtic, iſtuc, iſtac, iſtorſum, iſte, iſta, iſtuc. Quanto ſatius feciſſet Raudenſis, ſi alia potius præcepiſſet, quale eſt hoc pronomen ipſe ſolere proprie & eleganter uſurpari, ſic: Expectabat exercitum auxilio uenturū, cum exercitus ipſe magis auxilio egeret. Huiuſmodi repetitio ferè per hoc pronomen fit, qualia exempla oſtenſo indicio, infinita ſibi quiſque comperiet. Nonnunquam ſi non licet idem repetere, mutuamur ſimile, ut Iuuenal. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Quia, quantum ipſe nūmus, propter uerſum dicere non potuit. Vergilius: Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam. Cic. tertio Officiorū. Qui exercitu Populo Romano populum ipſum Romanum oppreſſiſſet: quod ita neceſſario conſtruendum, qui populū Romanum oppreſſiſſet exercitu ipſius populi Ro. nam ipſum in reponendo nomine locum habet. R. Impedire. Statimq;, Paucorum culpa non pręiudicat religioni, id eſt, non impedit. L. Non eſt præiudicium impedimentum, neque (ut aliqui uolunt) offenſa quędam, atq; iniuria, imò quaſi ſententia quædam eſt ante iudicium, ac ſententię lationem, ſiue pro me, ſiue contra me. Nam præiudicia in cauſa Miloniana ſic contra Milonem fuerunt, tamen pro Clodianis erant. Et utraq; pars præiudicia appellat, & ut afferam de medio exemplum, Nunc duobus ſcribis, de officio contendentibus, quia lis in longum procedit, Rex iuſſit interea, dum ſententia feratur, alterum officio fungi, quaſi iudicans iam nunc ſe pro ea parte ſentire, penes quem eſſe uult rem, de qua litigatur. Et hoc præiudicium nimirum tacite exhortans iudices ad iudicandum, pro eo pro quo præiudicium factum eſt, ualde adiuuat poſſidentem, ut obeſt excluſo. R. Infirmitas. Paulopoſt, Meliuſcula eſt, id eſt, pauliſper melius. L. Indocte expoſuit pauliſper pro paululum ſiue aliquanto melius habet. Eſt enim pauliſper idem quod per aliquantulū temporis. Vomica non eſt, quod Raudenſis ait, ſed craſſities illa, quę naſcitur in aliqua parte corporis extenus eminens, in quā multum humoris ſanguinisq; deſcendit. Vnde apud Plautum ſeruus geſtans in collo crumenam, per iocum inquit, Vomica eſt. R. Inducię. L. Magis nos loqui non latine Raudenſis docet, quàm latine, quis unquam induciari audiuit pro eo, quod eſt morari, aut differre? niſi qui uernacula tuę gentis lingua loquitur, non latina. Item exponis Vergilium. Opere omnis ſemita feruet, id eſt, differt. L. Cum Vergil. ſignificet laborem, ardoremq; feruentem, id eſt uehemens ſtudium formicarū in opere faciundo, multa quoq; alia ſimilia peccas, quæ perſequi infiniti fuerit operis. Mallem hoc pręcepiſſes, indicem eſſe catalogum titulorum,

lorum, quibus uel libri, uel capitula inscribuntur. Item inter pello nonnunquam apud ueteres pro rogo inuenitur, ut Valerius libro 5. Cato ut socios apud auuriculum adiuuaret, constanti uultu non facturum respondit. Iterum deinde, ac sæpius interpellatus in proposito perstitit. R. Iocosus. L. Vult seriose à serio uenire, cum dicatur serius, id est, grauis siue seuerus, non seriosus, ut Quintilianus: At nunc ista seria grauis, quæ nunc amari recusat, ô quàm uoluit amari. Sic hoc loco peccasti Raudensis, ut superius, ubi dixisti, industriosus, quod non inuenitur, sed industrius. R. Iocus. Deinde, Mimi ethologi, id est, de Etholia sunt recte scurrę. L. Mimi non sunt scurræ, ut alio opere docui. Melius, si dixisset mimi ethologi, ijdem & ij qui omnia dicunt tam honesta, quàm turpia. De ethologis si Gręca non uidit, saltem suffecerat Quintilianus libro primo, dicens: Chrię, & ethologię subiectis doctorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt, quorum omnium similis est ratio, forma diuersa, Quia sententia uniuersalis est uox, ethologia personis continetur. R. Larua Multopost, Lodicem, id est, lectum, seu culcitram. L. Alij pro cortina, quæ lecto circundatur exponunt, de qua Martialis: Nudo stragula ne thoro paterent, Iunctę nos tibi uenimus sorores, id est, lodices. R. Lapides. Paulopost, Tofus est scaber lapis, cauernatus, mollis, id est pumex. L. Hæc ciuitas Barolitana negat, quę pulcherrimas quasque domos ex tofaceis lapidibus habet. Suntq; passim tofacei montes etiam nihil rimarum, iuncturarumq; ostendentes, ut solent montes marmorei. Negat pręterea Cathanensis ciuitas idem esse punicem, & tofum. R. Laudare. Postea, Eferunt, qui laude extollunt per unam f, sed efferunt per duas, ff, dicimus. L. Priscianus & omnes grammatici negant. Longe post confert sententias Demosthenis ad Alexandrum, & Ciceronis ad Cęsarem, nesciens non esse illam Demosthenis orationem, sed factam ab aliquo latino. Item alias tres, quarum una est Demadis, qui (ut notum est) nihil scriptum reliquit, ut Pythagoras, ut Socrates, ut Carneades, qui omnes cum loquendo mirabiles extiterint, nihil tamen literis mandauerunt, ipsa tamen inspectio, deprehendit illas esse commentitias orationes, longeq; à Græco sermone, & ab illorum oratorum uita abhorrentes. R. Litera. L. Portitores literarum male dici, superius admonuimus Raudensem. Eundem ignorare diploma quid sit, miror, cum Seruius exponat, uelitq; significare epistolam uel scripturam aliquam ad alium missam. R. Loco. Paulopost, Necubi inuentus est, id est, nullo loco. L. Hoc superius quoque reprehendi, nam necubi duo uerba postulat, ut iussi necubi mihi præsto sis, id est, ne in ullo loco, nam præter morem dixit Vergilius, Tu ne qua parentis Iussa time. R. Longe eminus, id est longe. L. Eminus hoc modo differt à longe, quòd non recte dicam eminus habitas, ut longe habitas, sed eminus iacula mittebant, id est, à loco remoto, non autem in hunc sensum, longe iacula mittebant. Eodem modo cominus dicimus à loco proximo, non autem in loco propinquo, neque prope, ut cominus te percutiam, non autem cominus sedeo. R. Lupanar. L. Non est prostibulum id, quod lupanar, sed ipsum scortum, ut apud suum Hieronymum frequenter, dico suum, quia sic ipse appellat, quasi aliorum non sit. Ait autem, prostibula regnum dei non possidebunt. R. Luxuria. Paulopost, Stuprum illicita uirginum defloratio. Raptus cum puella uiolenter à domo patris educitur, ut in uxorem habeatur. L. Non uerum hoc esse elegantię nostrę ostendunt. R. Alij cardurcū tentiginem uocant. L. Imò est uas illud numerosum, quod ex piscina aut puteo aquam haurit, iumento rotam uersante. Solent ex his etiam fieri canales in parietibus domorū, per quos aquæ ex tectis defluant in cloacas, etiā in quibusdam urbibus, per quos aquę pluuiæ cisternas

 impleant.

impleant. R. Macies. Paulopost, Obesus, id est exilis, & macilentus. L. Imò pinguis, & crassus. R. Macellū. Deinde, Lanista qui carnes laniat. L. Pro lanio dixit lanista, est enim lanista qui homines emit, quos arte gladiatoria imbuat, postea in ludum uendendos. R. Macula. Deinde, Næuus macula in facie hominis. L. Ergo mētitur Cicero qui ait: Næuus in articulo pueri delectat Alcæum, est igitur næuus in qualibet parte corporis. R. Memor. In fine, Memini sermo est totus temporis præteriti, si dixeris memini me fecisse, duo tempora simul iungis. L. Vult igitur Raudensis memini debere cōiungi utiq; cum uerbo præsentis temporis, nec usquā aliter factitatū, nisi in uno uersu Verg. Nanq; sub Oebaliæ memini me turribus altis Coryciū uidisse senē, & poëtę ipsi necessitate metri facere licuisse. Hoc quàm ridiculum pręceptū sit, quis non uel puerorū intellegat? si enim memini idem est, quod recordor, nunquid minus rectè dicam, memini disputasse cū Paulo, quàm recordor disputasse cū Paulo? At enim memini pręteritū est, sanè uerò, nec enim inficias eo in præterita quoq; significatione accipi, sed in præsenti tamen etiam accipitur, & quidem ferè semper, ideo pene improprium est iungere tempus præsens, cum hoc uerbo memini, similibusq;, neq; ab re. Pręterita nanq; recordamur, nō pręsentia, igitur pręterito tempore utendum est, ut memini te fuisse uirgis cæsum, non autē cædi: memini te coronatum spectasse ludos, nō autem spectare: meministi ne te interfuisse cęterę Sabinorum, nō autem interesse: & quale illud Vergilianum, quod ab hac regula Raudensis excepit, nam uersus ille apud eundem, Cantando puerū memini me condere soles. magis licentiam poëticam ostendit, qua ego non uterer duntaxat in prosa. Dicerem enim sic, memini me puerum condidisse, seu condere solitum esse dies cantando. Vides, ut in contrarium res ipsa recidit. Raudensis præcipit, ut tantum cum tempore pręsenti memini iungatur, ego sentio iungi debere semper cum pręterito, aut ferè semper. R. Meretrix. Paulopost, Seneca. Pellices cœlum tenent. Pellicatus locus concubinę, & propter pellicatus suspicionem, id est, concubinatus. L. De hoc nomine in alio opere disserui, nec me fallit quosdam accipere pellicem pro concubina, quorum est Iustinus, tamen Seneca eas hic intellegit, quę cū uiro alterius corpus miscerent, ut Cic. ait Theben Alexādri Pheræi uxorē propter pellicatus suspitionē, id est, quòd suspicaretur pellicē habere, occidisse uirū. R. Mille. In fine, Liuius enim dixit Gallorum undecim millia sunt occisa, & peditum septem centena millia. L. Hoc nō dixit Liuius, quoniā nunquam doctorū aliquem ita locutū inuenimus, siquidem dicendū est septies centena milia. R. Mors. Postea ait, Cædes est mors. L. Imò mors nō fatalis, sed ferro, aut ligno, aut saxo similibusq; illata, præsertim occidere, aut ferire, aut percutere uolentis, inde dicimus aliquem commisisse cædem, & Milo de cæde accusatus est. R. Morbus. Deinde, Papula paruissima cutis erectio. L. Paruissima non inuenitur, præterea papula est pustulis similis næuus. R. Mutuare, & mutuari, quidam ait, sibi pecuniam credidit, id mutuatus erat. Cicero etiam dixit, Nec temere se credere putabat, id est mutuari. A. Gellius inquit, pecunia mutuata. L. Si plura in hoc capite dixisset, plura peccasset. Vt enim in elegantijs dixi, mutuo tibi pecuniam, id est credo tibi pecuniā, mutuor autē abs te pecuniā, id est accipio abs te creditore pecuniam. R. Mus. Statimq; post, Inde muscipula, muriceps, catus & catulaster idem sunt. L. Muscipula cum apud alios, tum apud Hieronymū machina est ad capiendos mures. Catus apud Seruium in libro quem de Græcis, latinisq; nominibus scripsit, est generis fœminini. Quod si ita est, non potest formare catulaster, uoce masculina. Et nihilominus aliud est catulaster, quàm animal mu-

rium uenator. Municeps uocabulum est insuetum, quanta multa cum summa licẽtia Raudensis excogitat. Rau. Natura suopte ingenio, id est natura, suopte cõsilio, item meaptim, tuaptim, suaptim, nostraptim. Lau. Videtur autor accipere posteriora in sensum priorum, cum aliter significent, & aliter scribi debeãt. Meatim enim est meo more, tuatim tuo more, Hoc Seruius ait super Donatũ, & alij quidam. Rau. Naues Lyburnæ sunt naues negotiatorum. Lau. Hieronymus ait esse naues longas. Rau. Lembus lignũ cauatũ quasi cymba. Idem est campillus, & carabus & linter discurrens in pelago ex uimine & corio, unde ille dixit, Cauat arbore lintres. Lau. Lẽbus, & cymba an ex una arbore sint, qui dicunt, ipsi uiderint, proprie autem tantum lintres è singulis arboribus cõstant, atq; ita uulgo uocãtur cauatæ ad traijciẽda flumina trabes, qod Vergilianus ipso loco (quem Raudensis attulit) uersus testatur. Verum an ex corio, ac uiminibus lintres Raudensis intellegat, nescio, quod si ita sentit, ex una tantum arbore esse non possunt: sed si utrunq; sit, nego usum lintris esse in pelago, quæ solũ aut conto, aut palo fluuijs, stagnisq; aguntur. Rau. Trieris nauis magna, quam Greci duracon, uel dulconem uocant, à tribus sessionibus, unde dictum est, trieris magna trãsibat. L. Quid attinebat dicere hoc nomẽ Grece duracon uocari, si modo sic uocatur, cum ipsum nomen Græcũ sit, & (ut sentio) idem quod Latine triremis, aut penè idẽ? R. Artemon est uelum nauis breue, quia melius leuari potest, in summo periculo extenditur, unde Actuum 27. Artemone leuato, secundum flatum auræ tendebant ad litus. L. Quam planè Raudensis ostendit se in mediterranea urbe natum, nec unquam mare intrasse, qui pro amplissimo uelo, breue esse artemonem ait. R. Naulum, id est lucrum & capitale. L. Imò pecunia, quæ soluitur pro uectura in naui. R. Nauclerus primus nauigator. L. Imò qui in naui nautis imperat, quæcunq; ad faciendam nauigationem pertinẽt, nec absurde in triremibus idẽ intelligitur, qui comes uel comitus dicitur. Rau. Ne neu, id est, ne &. Lau. Imò neu idem est quod néue, ut superius ostendi. R. Nec. Deinde, Ne, pro nec sæpissime utitur Cicero, & antiqui, sed ad ornatũ post addebant quidem, uerbi gratia, non est amicus, ne noster quidem qui bona nostra tollit. Lau. Sunt'ne ista Ciceronis & antiquorum uerba quæ recitas? Imò adeò hoc exemplum non Ciceronis exemplum est, sed ex Biblia deprauatum, ubi meretrix illa puerpera apud Salomonem contra alteram litigat, uerum non modo hæc exempla falsa sunt, sed etiam præcepta, quippe nunquam ne pro nec reperitur, nisi iuncta quidem, aliqua tamẽ interiecta dictione, quale meum (quo nunc usus) exemplum probat, & ut in elegantijs latine disputaui, quod igitur sine quidem, ne, in hunc sensum esse non potest, liquet hanc coniunctionem necessitatis, non ornatus causa adhiberi. Ne'ue quoque non accipitur pro nec, sed pro uel ut non. Vt Cicero: Ne'ue uastius syllabæ deducantur, id est, uel ut nõ uastius deducantur. Rau. Negare, infirmare, inficiari, infiteri, defiteri. Lau. Infiteri, & defiteri non reperies sed potius diffiteri id est negare non fatendo. Inficiari proprie est negare, quod factum, dictum'ue aut cogitatum est, à quo uerbo status coniecturalis dicitur inficialis, ab in quod est non, & facio. Vnde infecta negotia, quę non sunt ut debuerunt facta, dicuntur. Nescio enim an Latine diceretur, Plato ait mundum creatum esse, Aristoteles inficiatur. Quippe non factum nunc negatur, sed opinionem ueram esse. Item, Orestes impie occidit matrem, & Horatius sororem, nescio an posset patronus respondere, inficior impie occidisse. Rauden. Nomen. Lauren. Quia pluribus uerbis longa autoris oratio refellenda esset, ideo quod uerum sit, paucis absoluam. Sic enim quid ille quoque peccauerit, apparebit. Veteres Romani terna singuli ferè nomina habebant. non attinet hoc loco causam reddere, cur terna non singula,

prænomen, nomen, cognomen. Vt P. Cornelius Scipio. Publius est prænomen, Cornelius nomen, Scipio cognomen. Et nomen quidem, atq; cognomẽ omniũ eiusdem familiæ cõmune erat, prenomen uero tantum singulorum, & ideo proprium nomen quo se inuicẽ gentiles uocabant: uerbi gratia, pater appellabat ex duobus filijs alterum Publium, alterũ Lucium, nec aliter inter se fratres ipsi uocabant. Agnomen uerò accessit ex gestis, alioue casu. Vt Aphricanus, ut Creticus, ut Caligula, ut Scropha, sed hoc raro usurpatur, cognomen nanq; potius, quàm agnomen dicitur, ut Sallustius, Liuiusq;, Scipio cui Aphricano fuit cognomen. Ra. Nox. Deinde, Nocte intempesta, id est incongrua. L. Imò nocte tacita, ac silenti, & ferè media nocte, an incongruam noctem Vergilius intelligit? Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat. aut Cicero in Verrẽ? Affertur nocte intẽpesta grauis huiusce mali nuntius. Et iterũ, Teq; Hercules, quẽ iste Agrigenti nocte intempesta seruorũ instructa, & cõparata manu conuellere, et in suis sedibus auferre conatus est. Aut illud in libris Regum hoc significat, quod inquit? Cum intempestæ noctis silentio sustulit filium meum. Ra. Nugas, nugę sunt uerborum circuitus, & perplexitates. L. Imò sermones leuium rerum, ac nullius ponderis, & plerunq; scurriles, ioculatorijq;, unde Catullus, ac Martialis poëmata sua nugas uocant, ut de inanibus rebus loquentia. Hoc uocabulũ Hieronymus ait Latinũ & Græcum, & Hebraicũ esse, sed ab Hebræo fonte ad Gręcos, Latinosq; deriuatum. R. Nunquid utrum, pro nunquid sępissime Cicero in orationibus suis dixit. L. Imò utrum de duobus interrogat. Nũquid uel de uno, uel de multis, & nonnunquam de duobus. Impolite loquitur sic Raudensis, Cicero in orationibus suis, & in epistolis suis, in libris suis officiorum, Vergilius in Aeneide sua, Ouidius in opere suo de arte amãdi, quasi dubitari possit, an hoc illi in alijs operibus, quàm in suis possint dicere, immundæ igitur, non terse additur illud suis. Hoc tamen non est omittendum, nunquid nunc aduerbiũ esse, nũc nomen, ut nũquid ego sum, qui te accusaui? nunquid est aliquod nauigium meo capacius? nunquid alterum filiorum occides, ut alterum serues? Nomen autem erit sic, Nunquid criminis habes, quod mihi obijcias? id est nunquid aliquod crimen, sed aptius in genere neutro, ut, nunquid omniũ nostrũ te offendit? nũquid meorum parentum tibi iniuriam fecit? hic interrogatio fit de uno de duobus, ac pluribus. Ra. Nuntius. Deinde, Apocrisarij nuntij papæ, quasi secretarij, crisis enim quandoq; dicitur secretum, quandoq; aurum, quandoq; iudiciũ. L. Vtinam contentus esses lingua latina, nec ea, quæ ignoras, attingeres. Apocrisarij sunt legati, non tantum papæ, & κρίσις significat tantum iudicium, nam pro abscondito per y, non per i, aurum uerò per y, & h, atq; o, & in genere masculino, proferendum est, sic χρυσός. Verum apocrisarij, non aliter apud Græcos nitidum uocabulum est, quàm apud nos ambassiatores, quod nemo (nisi barbarus) dixit. Ra. Item reperitur nuntius nuntij masculini generis, & non sumitur pro nuntiatione alicuius rei, reperitur etiam nuntium neutri generis: & tunc sumitur pro re aliqua, quæ renuntiata est. Lau. Nuntius pro hac significatione nemo dixit, sed pro homine nuntiante, nuntium in genere neutro Seruius ait pro ipsa re nũtiata accipi. Gestus pro utraq; significatione in masculino accipit, sed Raudensis nullum exemplum affert, quod frequentissime facit, & sæpe aut ad rem non pertinens, aut contrariũ affert. Rau. Obscuritas. Paulopòst, Videtur accipere teter pro eo, quod est ater, obscurus, & subniger, ut in prouerbio ueteri, quid curem, an ille ater, an albus sit? Et Cicero Philip. libro secundo: Et quidem uide, quàm te amarit is, qui albus, ater'ue fuerat, ignoras. Lau. Est autem teter idem, quod malus, & insuauis, cum ad mentẽ pertinens, tum uerò ad cæteros sensus, ut tetra belua, teterrimus hostis, teterrimũ facinus, teterrima mens. Itẽ tetro

aspectu,

aspectu, tetra uoce, sed in his potius sensibus usitatū est, quòd si dicatur illud Vergilianum: Tetro fœdabant omnia tactu. ad odorem refertur, quē tangēdo relinquebant. Ra. Obligatio. L. Obnoxius ait esse obligatus, imò potius est subiectus, appositus'ue ac summissus, unde locus aliquis dicitur obnoxius uētō alicui, ut Lucan. Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. Ra. Obloqui. Deinde aliquanto post, Audi nunc illum de Catilina, & complicibus suis, sic dicentem. L. Cōplices non est uocabulum latinū, licet ipse non longe post afferat hæc uerba Ciceronis in Catilinam, Tuorū complicium magna, & perniciosa sententia, quod scribendū est comitū. & nō cōplicium. R. Vnum, cum multa de M. Antonio dicat Cicero, referā, & est Quintiliani. L. Imò Cęlij in ipsum Antonium, sic erras, nam hæc orauit Cælius in C. Antoniū M. Antonij patruū; Ciceronisq́ collegam, qui bellum cum Catilina gessit, ut est apud Sallustiū. Obloqui pro hac significatione, id est obtrectare, nescio an repererim, sed pro uicina, quæ est in contrarium loqui. Vt Cicero pro Cluentio, Vocat me aliò iamdudum uestra expectatio, quæ mihi obloqui uidetur, cui similis, sed figurate in ea, qua accipit Vergilius cū inquit, Obloquitur numeris septem discrimina uocū. Ra. Contra famam eius sanctam, & cœlibem editos esse. L. Seipsum in imitatione affert Raudēsis, quasi alter Cicero sit, quædam in oratore refert. Cœlibem pro adiectiuo accipit, quod ego non ausim affirmare, & pro significatione casti, quod (ut suprà docui) nō ita est, ergo monachus, & frater (qualis Raudensis est) superuacuo dicitur cœlebs, qui uxorē ne habere quidem potest. R. Obliuisci. Statim pòst, Cum ætas multos obliuione obruescet. Lau. Inchoatiuū pro positiuo posuit, Obruescet enim, id est obruetur, ut albescet, id est albabitur, ueterascet, id est uetus fiet. Rau. Obstinatus. Paulopost, Ceruix in singulari collū, in plurali cōtumaciā significat. L. Imò (ut testatur Quintilianus) antiqui dicebāt ceruices, non ceruicem: primusq́ Hortensius dixit ceruicem, significatq́ nō collum ipsum, sed posteriorē colli partem, quo boues trahunt. Ideoq́ apud Iudæos à deo dicitur, populus duræ ceruicis, quasi duræ mentis, & ita indomabilis, ut tanquam durior bouis ceruix obtēperare nesciat, ea propter potius in singulari contumaciam significat, neque enim memini in hanc significationem inuenisse ceruices, nisi forte multorum, quis enim audiuit, homo, aut populus durarum ceruicum, siue duris ceruicibus? Ra. Obtinere. Inde, Imitationes exorauit, sed nō impetrauit, id est obtinuit. Lau. Imò exorare, est obtinere, ac impetrare orādo, si tamen ad rem hoc refertur, ut in elegantijs diximus. Nam & oro te, & oro hāc rem dicimus: oro te, est id quod precor te, oro uitam, est id quod postulo uitam, unde exoro te, est induco, exoro hanc rem, impetro hanc rem orando, eo modo, quo dicimus persuadeo, & persuadeo tibi hoc, sed de his in eo quod dixi opere latius. Ra. Oculus. Deinde, pituita, putant aliqui, quod sit humectatio, quę ab oculis fluit. Lau. Ego uero puto pituitam idem esse latine, quod catarrhus Græce, hoc est, quemlibet humorem redundantem, qui ex ore naribus'ue fluit, uel etiam si non flueret, etiam si non redundaret, quod intellegit Cicero libro primo Tusculanarum, cum inquit, Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, omnem denique membrorum, & totius corporis figuram. Ra. Oculis cæsijs, id est lenticulosis. Lau. Iterum dixerat lenticulosis; mirum sic esse lentigines, aut lentes in oculis, nisi ad colorem lentium, lentiginumq́, & ad harum magnitudinem maculæ oculorum intellegantur, tamen quid de hoc ipse sentiam, superius dixi. Rau. Odire. Statim post, Odium est inueteratus animi rangor. Laurent. Non Græcum, non Latinum, non Hebraicum, sed rancidum nomen est. Ra. Simultas, est latens odium. Lau. Nec odium est inueterata maleuolētia, nec simultas odiū latens, sed mutuū odiū, siue ipsum odium,

tantumq́

tãtumq́ ab inimicitia differet, quòd inimicitia utiq; opere se ostẽdit, & uerbis & factis aduersarium lacessit, simultas plerunq; intelligi contenta est, aut (ut sic dicam) offensionẽ suam præ se ferre, ut apud Ciceronem pro lege Manilia, Vt multas, simultates partim occultas partim apertas intelligam mihi esse subeundas. Rau. Exosus & perosus, actiue & passiue dicitur. Lau. Actiue fateor, passiue proba. R. Inuidia est odiũ. Lau. Imò atrocitas, uel reprehensio, uel detractio, ut in elegantijs copiosius. R. Omnis quicunq;, quilibet, quisq;, unusquisque, unusquispiã, singulusquisq;, nemo non concti per o, & per c, unusquisquelibet, nullus nõ, in idem recidunt. Lau. Quilibet non uniuersale, sed particulare est, id est unus, quẽ tibi capere liceat, ut plenius disputauimus in dialecticis. Vnusquispiã, quomodo uniuersale erit, cũ idem sit quod aliquis unus? singulus quisq; non dicitur, sed singuli quiq;. Vnusquisquelibet inauditum, atq; agreste est. Concti per o scribere debere nemo ante hũc dixit: de c, quoq; dissentio. R. Aliqui credunt, quòd quisq;, & quiq; nõ recte ponãtur, nisi post superlatiuũ pluralem, ut optimos quosq́ uiros, & sanctissimi quiq; uiri, sed recubẽt in ludi nouissimo loco, legant Macrobiũ, qui in singulari numero, neq; superlatiuo dixit, die quoque, & homine quoq;. Lau. Qui sunt illi Raudensis, qui ita credunt? Nempe solus ego hoc tradidi, quod tu ab auditoribus meis accepisti, quodq́ ego apud te, ac te præsente legi in commentarijs istis tuis (ut testatus sum) in secundi libri de elegantia linguæ latinæ procemio, uerum aut istam in me contumeliam non scripseras, cum hunc locum legeram, aut ea mihi postea componenti exciderat, siquidem aliquot annis post te opus condidi, tametsi (ut opinor) ante te edidi, licet alij potius edidere quàm ego. Sed omitto amicitiam, quam tu in ista ætate, & professione lędere non debebas. Videamus uter erret, quanquam haud dubito si elegantias meas legisses, laudandum me duntaxat hoc in loco putasses, non carpendum, ut cęteri fecerunt, dicis me errare, qui uelim quisque, & quique tantum poni cum superlatiuo plurali, egóne quisque cum plurali numero cõiungerem? ita ne barbarus sum, & ab elementis grammatice alienus, qui de latinitate, & elegantia præcipere uideor? sed hoc transeo, quid est autem, cur meũ præceptum tantopere derideas? quia Macrobius aliter usurpat, esto. Quid Cic. Quintilianusq́, quos in primis imitandos propono, usurpant ne & ipsi aliter, an non? si usurpant, cur non eorum profers potius exempla? Quid Macrobium unum, doctũ quidem uirum, sed nequaquam ex eloquentibus mihi obijcis? fecisses igitur si huiusmodi exempla apud Ciceronẽ, Quintilanumq́ reperisses, si non usurpant, ut certe non usurpant, quid causæ est, cur me summorũ oratorum uestigijs insistentem accuses, & ad Macrobij iudicium uoces? an non sentis non me reprehendi abs te, sed Ciceronem, Quintilianumq́, ac cæteros linguę latinæ, atq; eloquẽtiæ principes? Adde, quod si Macrobius in uno aut altero loco aliter, quàm trado, uti solet: certe in plurimis id, quod præcipio, custodit. Neq; uerò (ut testatus sum) in opere illo de elegãtia legem trado, quasi nũquam aliter factũ sit, sed quod frequẽtissime. Nunc ad extremũ agnosce imperitiã tuam, cum dico quisque coniungi cum superlatiuo, non cum positiuo, de adiectiuis loquor, non de substantiuis, atq; exempla Macrobij de substantiuis sunt, quod nemo dubitat, ut quisq; pater, quisq; ciuiũ, quæq́ mulier, quo ipse in eodẽ loco testatus sum, cum dixi quisq; non habere genitiuum pluralem, dũtaxat cum adiectiuo, quod cum ita sit, planè apparet Macrobiũ nõ cõtra me facere, sed eum cum cæteris autoribus præceptũ cõfirmare, id est te errare, non me, & quisq; cum superlatiuo, non cum positiuo debere coniungi. Quæ res à me copiosius in eo ipso, quod dixi, opere explicatur: cæterum sicut in hoc, quod me peccare existimasti, contumeliosus fuisti, cur in eo, quod à me, id est ab auditoribus meis audiuisti, non fuisti

gratus?

gratus? ubi de per & quàm præcipis, itemq́ numerum minorem præponi maiori, tametsi quæ præcipis, obseruare non potes (quod summopere pudendum est) si modo recte præcipis, nam numerum minorem nō utiq; præponendū dixi, nisi interueniēte copula, & alia in hanc rem plura, uter ergo Raudēsis, tu'ne, an Laurentius recumbere debet in ludi nouissimo loco: uerum nō refundam ego tuam in te contumeliam, & amicitiæ nostræ tribuam aliquid quod tu non fecisti. Ra. Oportet. In fine, Plautus in Aulularia, Da mihi operam, id est, occasionē, facultatem. Lau. Imò inserui mihi, hoc est, operā tuam mihi impende, ut idem Plautus in Captiuis duo, Quæ res bene uertat mihi, meoq; filio, uobisq;, uult te bonus herus operam dare tuo ueteri domino. Terentius in Phormione, Nos operam dabamus Phedriæ. Aliquando pro eo, quod est audias, unde Cicero Quintilianusq; testantur Demosthenem dedisse operam Platoni, id est discipulum ei fuisse. Ra. Ne reus maiestatis illorum fiam. Lau. Reus pro nocens accipit Raudensis, ut in capite peccatū, reatum pro peccato, qualem apud ueteres significationem non reperias. nam de usu euangeliorum hoc loco non attinet dicere, cū plura disseramus in libris super nouū testamentū. Ra. Ordo. Deinde, Homo serius. Lau. Vult Raudensis seriū hominem dici à serie, cum series habeat primā breuem, serius uerò longam. ergo à serio descēdit, nec significationē ordinis à serie separat, quod ego in Elegātijs feci. Ra. Ornatus Lau. Plurima nomina ad ornatū pertinētia enumerat, nec ea exponit, nihil aliud faciēs, nisi quòd se illa posse dicere, quæ docere uult, indicat: ego uerò si ea coner exponere, opus uocabulorū cōponam, non notas Raudensis attingā. Ra. Hortus per h scribi debet, inde hortulus. Lau. Si hoc ita est, cur hoc uocabulū in capite o literæ, & non in capite h posuit? Ra. Olitor est olera uendens in foro olitorio. Lau. Ego potius pro eo accipio, qui uulgo dicitur hortulanus, unde Varro de lingua latina, Nam ut holitor digerit in areas sui cuiusq; generis res, sic in oratione. Ra. Ouis. Statim post, Ammon est aries per duplex m, ut ueruex, id est, aries. Lau. Ammon est harena, non aries: nec latinū nomen, sed Græcū. Decepit autē Raudensem, quòd Iupiter (qui dicitur Ammon) colitur sub imagine arietis, Sed imaginis quidem alia causa est, nominis autē ratio ab harenis, quibus undiq; circūiectis lucus in medio relictus est, ubi templum Ioui erat extructū. Veruex est aries castratus, non tamen aries, sicut maialis non est uerres. Ra. Pactū Lau. Raudensis ait Quintil. Seruiumq; dissentire in præterito pepigi, quod nūc minime uerum est. nam ille ait pepigi, ita esse à pago, ut cecidi a cado: hic uero nunquam lectum esse pepigi à pango, licet quidam hoc sentiāt. A pango dixit Seruius non uenire pepigi: ergo fatetur à pago. Ra. Palus. Non multo pòst, Larius Lacus Galliæ Cisalpinæ. Deinde, Lemannus lacus Galliæ. Deinde Lucernæ lacus per quem trāsit Rhenus. Deinde, Cumanus lacus, unde exit Abdua, require Piniū de naturali historia. Lau. Quæro abs te, qui Pliniū in testē citas, ait ille aliquē lacū uocari Cumanū in Gallia? non dico, quòd Comensem, nō Cumanū dicere debueras, sed aliquē lacū à Como uocari. Lege ergo diligentius utrunq; Pliniū, patrem, filiumq;, & intelleges non sic appellari, nec aliū hūc esse à Lario lacu. Lemannus lacus est, ut qui uicinus Gebennæ in Rhodanū influit, à quo Alemanni uocātur, licet hoc tēpore non dicātur illi esse Alemanni, sed Galli. Ra. Pario. Deinde, puerperiū proprie est primus Partus. Deinde, in fine puerpera est puella primus partus. Lau. Imò puerpera est, quæ recēs peperit, ut nomē ipsum indicat, nō quæ primū partū enixa est, totiesq; mulier puerpera est, quoties puerū, aut pueram parit. Ouidius autem de Latona, quæ geminos pepererat. ait: Magna gemelliperæ uenerantur numina diuæ. At puerperium est tempus, quo ex dolore partus cubat, seu intra domum se tenet, nec puerpera tantum puella est, sed

Larius lacus.
Lemānus lacus.

sed etiã (ut dixi) quæ plurimos peperit, adeò, ut si tantum esset foemina primi partus puerpera, quod lõge est secus, tamẽ & anus potest esse primi partus mulier. An Helizabeth puerpera fuit? neque enim uocatur puerpera, quia puella parit, sed quia puerũ, pueram'ue, ut modo dixi, nec quia primo partu. Alioqui dixisset Terentius, Glycerium puerperam potius, quàm primi partus mulierem, uerũ (ut testatus sum) postquam peperit, & intra dies purgationis puerpera est. Ra. Rato. Paulopòst, Deinde, cum armis præsto forent, id est parati. Lau. Raudensis eodem modo accipit hoc nomẽ, quo uulgus, quod ait, ego sum præsto, id est paratus, præsto sum igitur, idem est quod pręsens sum, & cætera quæ in Elegantijs latius. Ra. Paruulus. Deinde, dicimus puellum tãtillum, id est paruulum. Lau. Ipse non affert exemplum. Syrus apud Terentiũ ait, Quem ego puerũ tantillum in manibus gestaui meis, credibile est Syrum ostendisse gestu manus, pusillitatem illam quam dicebat, sed iam à quibusdam est usu receptũ, ut etiam sine gestu ita dicatur, ut Plinius de Regulo, Spe legati eluso, ne tantillũ quidem reliquit. Scribebat enim Plinius non loquebatur, ubi opus non erat gestu. Cicero quoque in Verrem actione 4. Quorum oratione iste, cum pretium iam accepisset, in tantulum quidem cõmotus est, & in eundem sæpius. Ra. Nam quãtula nostra uoluptas, id est parua. Lau. Interrogatio facit, ut suppleatˢ parua, nam propria huius loci expositio est, nam quantulum magna est uoluptas nostra.
Ra. Pascere. Paulopòst, Et dum pabulatu redirent armenta. Lau. Redire pabulatu, non licere dicere iam admonuimus. Ra. A. Gellius dixit uillaticæ pastionis. Lau. Quasi non T. Varro librum inscripserit de uillaticis pastionibus, neq; uerò Raudensi faciendũ fuit, ut tam sæpe A. Gelliũ pro teste afferret, hominem curiose nimis, ac superstitiose loquentẽ. Quid dicã de Apuleio, in eo pręsertim opere, cuius nomẽ est de asino aureo? cuius sermonem, si quis imitetur, non tam aureè loqui, quàm nõnihil rudere uideaŧ. Ra. Patientia. In fine, dicimus etiam per se tulit, per te feras, id est ultra naturã hoc pati. Lau. Hoc inauditũ est, sed præ se tulit, & præ te feras, de quo significato in Elegãtijs dixi. Ra. Paucum. Paulopòst, Quota pars erat, id est modica. Lau. Dixi superius, cũ ita interrogamus, suppleri parua, est enim sic interrogãdo, quota eiusdẽ significati, cuius quanta, ut in Elegãtijs docuimus. Ra. Pax. Paulpòst. Treuga est & securitas præstita personis, & rebus ad tẽpus, discordia nondũ finita. Lau. Si cum literatis agis Raudensis, quid ita diffinis illiterata uocabula? sin cum illiteratis, istam tuam diffinitionem nec intellegunt, nec desiderant. Quid quòd personas ais pro hominibus? non minus ineptè, quàm pro treugę cum inducijs uteris, de hoc etiam in Elegantijs. Ra. Pellis. Deinde, Pelliparius, parans pelles. Lau. Quid est parare pelles? quis etiam utitur hoc nomine pelliparius? En magister elegantiarum, qui elegantijs bellum indixisse, aut contra illas bellum gerere uidetur. Ra. Pœna. Deinde, Mugilis piscis est uelocissimus, in modum serpentis, qui in sacco parricidali mittebatur, ut podicem ingrederetur. Laur. Quis piscis inclusus sacco uiuit, nisi forte anguilla, ac murena? Quis item piscis ingredi locum illum hominis posset, aut auderet? frigida loca, atq; humida, spaciosaq; adamant pisces, non calida, non sicca, non arcta, sed nimis de re illiberali, nec digna, quę ab homine pudenti dicatur. Ra. Pœnitet. Lau. Pluribus uerbis conatur exponere Raudensis pœnitet quid significet, & specialiter in loco Ciceronis, Quo ad te quantum proficias, non pœnitebit, ego statim, breuiterq; exponam pœnitet, præter illam usitatam significationem, est idem quod piget, quæ significatio parum abest ab illa naturali, ut Terentius in Hecyra, Quod si perficio, non pœnitet me famæ meæ. Et Vergilius, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Non autem ut hic, & alij quidam exponunt pro parum uidetur. nec

Aulus

Aulus Gellius satis docte, subtiliterque defendit Marcũ Tullium ab Asinio Pollione, cæterisque obtrectatoribus in loco illo orationis pro Cælio, Nunquam efficiet, ut pœniteat eum deformem esse natũ, pœniteat, ait Cicero, quasi pigeat, doleat, tædeat, ut idẽ de senectute: Nec senectutis meæ pœnitet. Et T. Liuius, Nec pœnitet esse in ea opinione. Ra. Pensio: Inde pensionarius. Census est annua pensio. Lau. Pensionarius est Raudense uerbũ non Romanũ. Census quoque non est annua pensio, nisi apud nõ sane doctos, sed aut quicquid fortunarũ quis habet, unde Quintil. Abiere uires, census, mens, aut id quod principi per capita soluitur, siue per focos. unde dicitur quis soluisse, aut non soluisse censum. Ra. Pendo. Deinde, Apuleius ait gradus pẽsiles, id est, passus. Lau. Quid exponis, gradus, an pensiles? Si gradus, nihil hoc ad propositũ: sin pensiles, hoc nõ significat: gradus pensiles, quid sint, in elegantijs dixi: nunc uerò Apuleius sentit gradus pensiles esse suspensos passus. Ra. Penu, cellariũ, promptuarium. Lau. Autor accipit penu non modo pro rebus, quę reponuntur ad uictum (ut omnes aiunt) sed etiam pro loco illo, quem idem cellarium, promptuariumque appellat: quod nemo doctorũ dixit. Ra. Penuria, Cicero dixit in summa annonę caritate, id est penuria. Lau. Imò aliud est penuria annonæ, aliud caritas, ut in alio opere dixi, & nunc iterũ dicam. Penuria annonę est paucitas, ac raritas annonæ, caritas uerò, carum annonę pretium, quæ potest esse magna, cum nulla penuria sit. ut quando iniqui annonã habent, & supprimunt, ut carius uendant, aut non supprimunt, sed carè uendunt. Et ediuerso plurimarũ rerum penuria, id est raritas est, & earũ nulla caritas, certe bonorũ uirorum magna sane penuria est, & ij, qui sunt, cari nõ sunt. Ra. Pera. Deinde, Clitellæ etiã sarcinulę sunt. La. Imò iumentorũ (ut uulgo uocantur) basti, super quos sarcinę, aut alia onera ponuntur. Ra. Persequor. Lau. Vult hoc uerbũ in malã partẽ tantũ accipi, nam de significatione eius in bonã dicere omisit, quod etiã non raro reperitur, ut enim dicitur persequor te, id est infeste te sequor, ita persequor quæ incœperã, id est, pergo quæ cœperam dicere, sed de hoc in Elegantijs. Ra. Petere. Deinde, cõtendere est cum efficacia petere. Lau. Imò contendendo, siue cum conatu, ac nixu petere, semperque id requirit ablatiuum hoc modo, ut apud Ciceronem, Frequenter à me contenderunt. Ra. Item iubeo te illam amare, id est, peto cũ magna instantia. Lau. Imò aperte dicere & quasi hortari, ut iubeo te saluere, iubes me bene sperare. Vergilius, Cur cœlum me sperare iubebas? sed de hoc uerbo in Elegantijs latius. Instantia non probatum uocabulum est. Ra. Piges. Paulò pòst, Accidia est animi torpor, quo quis bonũ desinit inchoare. Lau. Vt id significet hoc nomen, non potest scribi latine, nec pronuntiari, nisi dicamus, scribamusque acidia, seu acedia, utrunque tamen per unum c scribendum, pronuntiandumque est. Taceo quòd desinere est eorum, qui inchoarũt, non eorum, qui nondum inchoarunt, ut ait Raudensis. Nemo enim potest desinere inchoare. Illud nũc addo de significatione, locus ille psalmi, qui ait, Dormitauit anima mea præ tædio, græce est prę acedia, ut idem sit tædium, & acedia. Item locus alterius psalmi, Et anxiatus est super me spiritus meus, græce est acediauit, ergo idem est anxietas, & acedia. Ra. Ignauia est animi uitium, quo quis in aliquo opere nullam adhibet discretionem. Lau. Inaudita hæc huius nominis diffinitio, est enim ignauia contraria fortitudini, ut Cicero multique testantur, cum quod ratio aggredi fortiter suadet, id nos formido dissuadet, & ab audendo retinet. Discretio non est uocabulum dignum eo, qui doctrinam elegantię profitetur. Rau. Pinguis. Deinde, Vitulũ saginatũ, qui butyro & melle saginatur. Lau. Quis unquam dixit uitulum pasci butyro & melle? saginari enim est delicato, opiparoque edulio impinguari, saginatur itaque uitulus mollioribus herbis, fœnoque, aut alijs

alijs cibis, manu humana ministratis, non butyro & melle, mortuũ fortasse Rau densis intellegit, qui profecto non dicitur saginari, etiam si totus sagina aliorum animalium farciretur. Vsus sum nũc sagina, non pro cibo, quod usitatissimũ est, sed pro abdomine, atq; pinguedine, ut aliqui autores usurpant, quorum est Iustinus, libro 20. inquiẽs, Sublatis deinde æmulis, in segnitiem lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumq; ualetudinem cõtraxit. Ra. Plures. In fine, Quamplusculos, id est quãplures. Lau. Complures, non quamplures, ne perquamplusculos quidem reperiri apud doctos reor. Quid autem uis ampliare significatũ nominis diminutiui? quippe plusculum, minus quàm plus significat, per autẽ, & quàm augẽt. ego uero dicerem cõplusculos, nõ ut augerẽ, quod augeri nõ uidetur posse, sed ut deriuem diminutiuũ ab illo. Cõplures dixi non uideri posse augeri, quia cum dico perpaululũ, augeo uim ipsam effectũq; minuendi, id est multum, ualdeq; paruũ, cum dico, perplusculos dies, perplusculos nummos, duo contraria inuicem augeo paucitatem numeri, & comparatiuum, quod auget numerum: quæ duo cum simul esse nequeant, nescio an liceat dicere perplusculos, siue perquamplusculos. Ra. Pluuia. In fine, Imbrex est canale tecti, unde aqua effluit. Lau. Imbrex tegula est, sed magis concaua quàm plana, canalis ite potius, quàm canale, à qua defluit potius, quàm unde effluit. Ra. Pondus. Deinde, Libripens, qui libra põdera rerum determinat. Lau. Negat libro primo Institutionum Vlpianus, & qui hunc in testimonium affert Priscianus, ac Bœotius in topicis, nam est, qui libram æneam tenet, hæc enim sunt uerba Bœotij, Mancipi res ueteres appellabant, quę ita abalienabatur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem, nexus uerò, est iuris solennitas, quæ fiebat eo modo, quo in institutionibus Caius exponit, adhibitis nõ minus quinq; testibus Romanis puberibus, & pręterea alio eius conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipium accipit, ita dicit, Hũc ego hominem, qui mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra, ex iure Quiritũ meum esse aio. Ra. Poëta. Lau. Luceium accipit pro poëta, qui erat historicus, ut epistola Ciceronis ad illum datur intellegi, de quo etiã meminit in oratione pro Cęlio. Item deitatẽ ait, cum ueteres omnes dixerint diuinitatẽ, & deitatẽ dici nõ posse, ratio ipsa conuincat, ut primo repastinationũ libro docuimus. Ra. Quicquid sit de his interpretationibus & uersibus, hoc unum scio, quod poëtæ sæpenumero confundunt istas. Nam unam pro alia ad uersum suum pro commoditate trahunt. Lau. Quicquid sit, posuit pro utcunq; sit, item unam pro alia, cum diceret deberet aliam pro alia. Ra. Dubitant quoq; Homerus an ante, uel post Hesiodum uixerit, qui tamen contemporanei fuerunt, sed qui ętate maior fuerit, ambigitur: tamen annis multis fuit ante Romulũ. Lau. Pro an dixit, uel: in dubitando enim semper ponitur an, ut ipse ex parte fecit, sed in secũdo loco non etiã posuisse an, turpius est, quàm si utrobiq; uel, posuisset, siue aut. Itẽ melius dixisset, uter maior, quàm qui maior. Contemporanei autem non inuenitur, præsertim in hunc sensum, in quo cum à multis alijs, tum uerò à Cicerone dissentit, qui in Catone ait, De quo doctus Hesiodus, ne uerbũ quidem fecit. At Homerus, qui multis (ut uidetur) ante seculis fuit, nec me fallit multos tam Latinos, quàm Græcos in ea esse opinione, unde Aulus Gellius ex ipsius Hesiodi epigrãmate, quod nũc Thessalonicę in marmore ostẽditur, uult probare Homerũ ab Hesiodo superatũ fuisse, quod significat Hesiodus ipse in opere de re rustica, nõ habita mẽtione eius, quẽ uicerit, tamen pleriq; sentiunt alterũ Homerũ multis pòst seculis natum, ab Hesiodo uictũ, uoluntq; Homerum etiam bello Thebano, Troianoq; interfuisse. Hesiodũ autem Stesichori patrem fuisse. Quid mirũ si per obliuionem Raudensis à Cicerone dissentit, cum sui ipsius obliuiscatur? qui paulò

post ait. Ra. Hesiodus poëta contemporaneus Homeri, non solum poëta, sed Pythagoreus fuit. Lau. Quomodo fuit Pythagoreus Hesiodus, & ętate Tarquinij regis, cum Homerus, quem ætate Hesiodi fuisse ait, tamdiu fuerit ante urbem conditam? Ra. Hunc in Tusculanis Cicero nominat, fuit tempore Tarquinij Prisci. Lau. Pythagoras fuit tempore Tarquinij, nec Prisci, sed Superbi, & (ut Liuius ait) Seruij regis, non Hesiodus. Item Archilochū facit esse tragicum, cum sit iamborū scriptor, de quo (licet græco) non debuit tamen ignorare, cum de eo multi latini scribant, itemq; de Pindaro lyricorū principe, quē hic tragicum esse uult, sic Alcæum quoq;, quem lyricum esse, cum alij, tum Sappho ad Phaonem scripto carmine testatur. Aratum nescit, in quorum poëtarum numero reponat, ignorans opus illius primum esse à Cicerone, deinde à Germanico Augusto translatū heroicis uersibus, ut Græce scriptū est. Aeschylum tempore Darij fuisse, quis non hunc putet eum Darium esse, cum quo ter Alexāder iusto bello pugnauit? atqui ante eum aliquot seculis Aeschylus fuit, utpote primus omnium tragicorū. Afranium Græcum esse suspicatur, qui togatarū (ut iterum dixi) scriptor fuit. Ra. Cicero illum quamfamiliarem habet. Lau. Cur non tuum pręceptum Raudensis obseruas de per, & quàm? nempe quia non est tuū, sed auditoribus meis per te exceptū, in quo iterum laberis. Ra. Horatius tempore Augusti fuit, & Vergilij quamfamiliaris. Lau. Accium comicū poëtam ait, Pacuuius quis sit tacet, cū uterq; tragicus fuerit. Ra. Et in primis egregius, lege rogo Iuuenalem. Et alibi. Lege hoc precor. Lau. Quid alienius à dignitate, atq; autoritate componentis, quàm obsecrare legentes, ut legant, quasi ut illi iudices sint, in quorum arbitrio pendeat salus, ac uita obsecrantis? custodienda est ab auditorę maiestas, & attentio, nō precibus, sed rationibus, ac rerum dignitate, pondereq; comparandaq;, rogat ut legamus etiam poëtam, cum ipse uelit hoc unū opus, quod ipse cōposuit, pro omnibus sufficere. Ra. Musas sibi ait quàm familiares esse, easq; Sicilidas. Lau. Iterum quàm familiares dixit, pro perfamiliares, siue perquamfamiliares, siue quàm familiarissimas. Ra. Pomū. Deinde, Baccis, id est pomis. Lau. Quæ baccæ sunt, poma non sunt, ut oliua, bacca lauri, grana myrti, similiaq;. Ra. Pomerium. uiridariū, id est, pomeriū, locus plenus uiridate. Lau. Pomerium esse locum iuxta muros, & pomarium locum consitū pomis, in elegantijs dixi. Ra. Populus. Aliquanto post, Arpi populi sunt Italiæ, inde credit Cicero uocatus Arpinas. Lau. Quæ tāta tua Raudensis ambitio, ut omnia in isto opere inserere uelis? etiam tuas orationes (taceo quàm ornatas) etiam astronomiam (sileoq; quàm docte) etiam rhetoricam (non dico quàm uere) & flumina, montes, urbes, populos, & alia multa etiā, quæ prorsus ignoras. Nam Arpi in Apulia sunt prope urbem, quæ nunc dicitur Foggia. Arpinum unde fuit oriūdus Cicero, longe illinc abest: quare uereor, ne propter nimiam loquacitatem, tuum hoc opus omnes homines à scribendo, ne dicam à legendo deterreat. Ra. Getæ nil aliud sunt nisi Gothi. Getuli etiam dicti sunt. Lau. Getuli in Aphrica, Gothi autem ex septentrione uenerūt. Ra. Porcus. Deinde, Cicuris est proprie porcus domesticus. Lau. Hieronymū, qui hoc (ut opinor) dixit, non affert Raudēsis, affert Ciceronis exemplum, quo ab hac præceptione dissentit, cum dicit feris cicuribus natantibus, profecto cicures, nō pro feris accipiēdæ sunt, sed pro māsuefactis, ut palàm Varro testatur, reddens etiam ex ipsa etymologia causam, ut alibi docuimus. Ra. Porrò in fine, T. Liuius sæpe dicit comportant tigna, comportant bladum, nec dicit portant. Lau. Raudensis sępe sua uerba alteri tribuit, quis enim apud Liuium alium'ue autorem legit bladū? reperitur autem apud Liuium ac cæteros, ut comportat, ita portat, ut in multis locis, quorum unus est, Siculum autem omne frumentū in Aetholiam

ad exercitũ portari iussum. Et alibi, Commeatus tamen haud secus quàm in pace, in agris, castellisq; hostium Romani portabant. Ra. Possum. Deinde, Est namq; aduertere, id est animaduerti potest, & nusquam scriptum inuenire est, id esse factum, id est, inueniri potest, & multos est uidere pecuniæ cupidos, id est, uidere possumus. Lau. Raudensis uidere uult hoc opus non euoluendis sedulo libris, sed memoriæ beneficio cõdidisse: quod prudẽti lectori longe uidetur esse secus, cum in pluribus alijs, tum uero, quòd in copia maxima exemplorum nulla homini exempla succurrunt. sed quædam ex seipso confingit, ut hoc loco exempla nullo autore proferũtur, ac ne proferri quidẽ possunt, nisi ex poëtis, ut apud Vergilium: Scis Proteu, scis ipse, nec est te fallere quenquam, id est, quia non est possibile cuiquam fallere te, qui modus per negationem potius fit, ut exemplum ipsum hoc ex Vergilio sumptum. Estq; figuræ græcæ magis, quam latinæ, unde fit, ut multa huiusmodi nõ politi interpretes effundãt, quale est illud, Non est dare uacuum in natura. Ra. Potis. Lau. Imò impugna Priscianũ qui ait apud Terentium scribendum esse, Quid ais? cum uirgine una adolescens cubuerit plus potus, non autem potis. Ostendat. Raudensis stare uersum, ut ipse emendat, & melius sentire quàm Priscianum cõfitebor. Potus namq; habet primam longam, potis uerò breuem. Ra. Pretium. Deinde, Item minoris uendidi, uel maioris. Lau. Non dicitur maioris uẽdidi uel emi, sed pluris. Ra. Præfectus. Multo pòst, Quinetiam inquilinus aquam in cœnaculo habeat, qua igneo terrore ingruente præsto accurrere posse censeat. Lau. Non recte usus præsto, neq; in significato, neq; in cõiunctione alterius uerbi, quàm substantiui. etiam igneus terror impropriè dicitur, pro eo quod est terror ignis, neq; enim dicitur aurea cupido, ferreus timor, pro auri cupido, & ferri timor. Ra. Præsentialiter. Lau. Non latinum, elegansq; uocabulum. Ra. Præsepia dicuntur non tantum in quibus aut cãterij, id est equi antiqui, aut iumenta, aut cætera animalia pabulantur, sed omnia loca clausa, & tuta, dicta sunt præsepia, unde Vergilius: Fucos à præsepibus arceri. Lau. Canterij sunt equi castrati, non antiqui, ut quibusdam placet. Græci cantelios uocant asinos, à spinis tollendis. Nec pabulari, est in stabulo comedere equos, sed homines pabulum equorum ex agris capere, unde sæpe legimus milites missos esse pabulatum. Preterea male diffinit præsepia. Nam Vergilius figurate dixit præsepia, eodem modo, quo dixit fucos pecus, hic enim uersus eius est, Ignauum fucos à præsepibus arcent. Qua translatione uenustiorem, ac uerecundiorem alteram translationem fecit, nam cum dixisset pecus, decentissime subiunxit præsepia, quod imitans Quintilianus, hanc translationem, ut aliquantulum abhorrentem à prosa, in usum oratorium cõmutauit. Aliæ militaribus castris pellant uulgus ignauum. ergo dicamus omnia loca clausa esse castra, quia Quintilianus alueũ apium dixit castra, hæc Raudensis noster eloquentiæ (si ei credimus) præceptor ignorat, qui propria nũquam à translatis uerba distinguit, & perinde de omnibus loquitur, ac si propria utiq; essent. Rau. Proconsularis. Paulopòst, Quo seriosius delectum facere posset consulem creauit. Lau. Seriosius pro ordinarius posuit, quod non inuenitur, nec in hunc, nec in alium sensum. Ra. Obseruari cœptum est, ut quo quisq; anno cõsules fuissent, sequenti procõsules remanerẽt. Lau. Hoc nunc audiui, nam Cicero non fuit proconsul, altero post consulatum anno, & multi antè proconsules fuere, quàm consules, ut Põpeius, Quintilianus, Cicero. Ra. Proditor. Lau. Statim pòst, usq; ad calcem errat. ait enim, Ra. Factiosus, qui fingit se facere ut prosit, sed facit, ut noceat, seditiosus, qui discordias seminat, commentum, occultus & maliciosus tractatus. item urbem ex composito inuadunt, scilicet per proditionem. Lau. Est namq; factiosus (ut superius dixi) qui potens in ciuitate nititur esse contra

tra æmulos, seditiosus, qui seditiones amat, ut in elegātijs docui, commētum est excogitatio. An commentum Donati est malitiosus tractatus? quanquam non me præterit Raudensem illustrantem tractatū pro coniuratione intellegere. Ex composito, est ex conuento, cum clàm inter se conuenerunt. & hoc frequentissime in bonam partē: nam si contingat aliquos insidiari hostibus, aut aduersarijs, quod nemo inhonestum esse dixerit, ex composito fieri dicere possumus. Ra. Professio. Lau. Non aperte Raudensis hoc nomen diffinit, ego (ut breuiter dicam, neq; enim nisi breuiter dicere licet) sic diffinio, professio est aperta, ac uoluntaria cōfessio, ut profiteor me amicū esse inimici tui. Inde, qui artes liberales docent, professores dicuntur, quia artes illas se scire, ac posse publice tradere, fatentur, profiteri autem apud prætorem (uti de Archia est apud Ciceronem) & profiteri siue nomina, siue censum, ut est cum alibi, tum uerò in iure ciuili, & in euāgelio, quòd profitebantur omnes in Iudæa sub Augusto, ex hoc fonte uenit. Ra. Prolongare, induciari. Lau. Induciari pro differre, siue pro crastinare, Raudensis accipit: ut iterum dixi, illiterate nos loqui docens, non (ut profitetur) literate. Ra. Promitto. Paulo pòst. Spondēt, id est, certificāt. Lau. Docti aiunt spondere esse ultro promittere, ut apud Vergilium, Non si mihi Iupiter autor Spondeat, hoc sperem Italiā contingere cœlo. Ra. Pronuntiator. Lau. Ais cannę pro arteriæ: ais garrire, pro acute exclamare. ais strepitus pro uociferatio, id est, hæc illa significare. Item colis, comis, & periodis, pro distinctione punctorū, ais comis in plurali, cū eiusdē singularis sit hoc cōma, tis. Ais Quintilianū, cum dicit cōmouere tragœdias, de pronuntiatione sensisse, hoc est de exclamatione, & cum hæc dicas, putabo te post Ciceronē & Quintil. de arte oratoria posse præcipere. nam Cōsultus, ac Martianus Capella, & quidam alij de arte præcepta hæc dant, sed plurima ex Quintiliano ad uerbum sumpta, cum tamē de illo, à quo furantur, mentionem non faciant, homines improbos, planeq; ingenio misero, ac furaci, quos aliâs castigabimus. Tu tamen, quasi illis doctior sis, audes de eloquendo, ac pronuntiando conscribere, præsertim recedens ab illorum summorum principum uestigijs. Poteram equidem ad singula præcepta rhetoricę (nam omnes colores rhetoricę persequeris) te refellere, atque iure optimo deridere, à quo faciendo retinuit me, & prolixitas huic libro alienissima, & pudor, ne quis nimis existimaret iratum, sed à breuitate instituta recedimus, dum plura quàm oporteat de operis nostri breuitate fabulamur. Rau. Cœpit cauda ad aures utrinq; repercussa excandescere, & suscitare se ira. Lau. Si leones nunquam uiuos, certe pictos, sculptos'ue inspexisti, an tibi caudæ tam proceræ uidentur esse, ut flagellare utrinq; aures queant? Si hoc ita esset, & oculos flagellarent, quod, quia obesse uisui posset, non est putandū diuinam prouidentiā ultra quam oporteat, procerā dedisse leonibus caudam. Ra. Acrimoniā etiam inesse, id est, rugata fronte, qualis Christus futurus est in ultimo iudicio. La. Quasi acrimonia uultus rugare sit frontē, & quasi oratores aduersus iudices eā seueritatē, idemq; supercilium exhibere deceat, qua iudex est, aut magistratus in eum, qui damnandus est rei capitalis, & quod omniū terribilissimū est, qualis deus & homo Christus in homines erit diabolosq; damnandos, si modo Christus cōtracto supercilio, id est, iracundo animo sedebit, & non possit iudicare, nisi indignatus. Rau. Dabatq; Octauianus assiduo phonasco operam, est enim potio, qua utebantur poetæ, cum recitabant. Lau. Imò phonascus est musicus, apud quem Octauianus assidue studebat. Ait enim Suetonius Octauianus dedisse operā Phonasco assiduo: hoc est, audisse musicū, cantoremq; assidue, à quo disceret rationē utendæ, cōfirmandę, emēdandæ uocis. Ra. Propè. Lau. Non est cominus idem quod propè, sed (ut sic dicam) à propè, ut cominus te incessebant lapidibus, hoc

est, è propinquo loco, sicut è contrario eminus, è longinquo, sed ita tamē longinquo, propinquoq́; ut propè intra iactū teli esse possit, aut quod sit id genus, non enim recte dicas cominus ueni, eminus redeo, de hoc iterū superius. Ra. Prouerbiū. Deinde, Dicamus iure uetus elogiū, id est, uetus prouerbiū. Lau. Dixi in elegātijs elogiū testificationē esse quandam scriptis mandatā, ut in opere illo exempla ostendūt, unum tamen subijciam Cic. pro Cluentio, Elogium recitasti de testamento Cn. Egnatij patris, hominis honestissimi, uidelicet sapientissimi, Idcirco se exhæredasse filiū, quòd is ad Oppianici cōdemnationem pecuniā acceplsset. Ra. Pugna, A. Gellius dicit in maledictis aduersus improbos nō uelitandū, id est, leuiter pugnandū, licet & hoc loco absq; leuiter dicat. L. Quasi uelitari ueniat à leuiter, & non à βέλος, quod est iaculū græcè, quo genere teli qui pugnabāt, & eum in modū, quē Liuius, Valeriusq́; narrauere, uelites dicti sunt, & hinc uelitor, pugno, ac digladior, postea de re ad uerba translatū, tanquā uelites dici possint, qui uerbis altercantur. Velitandū ergo non est maledictis aduersus improbos, id est, mutuis conuitiorum iaculis, nō est aduersus improbos pugnandum, uel in morem uelitū, cum illis decertandū. Ra. Pulcher. Et aliquanto post, cēsura est animi non corporis, ideo melius membrorum decorem, ac pulchritudinē dicimus, quàm cēsuram: tamen quia in usu censoriū hominē pulchrū dicimus, post hoc pulchritudinē resciri. L. Hūc usum nō agnosco, ac prorsus mihi talis ignota est significatio. Cēsorius enim homo est, qui censor fuit, & qui dignus est propter morū grauitatē, qui alios censeat, id est, de moribus aliorū iudicet, aut qui iudicauerit mores, aut qui opera aliorū censuerit. R. Puer. Paulo pòst, Sueton. de Octauiano ait, Pueros pumilios, atq; distortos abhorrebat, pumilios, id est, molles, & enerues, ac elumbes. La. Quā credibile est Augustum exhoruisse molles, eneruis atq; elūbes, quasi tales aut ipse nosset, aut aliquis ad eum ferret, nō ergo de his loquitur Suetonius, sed de nanis, & enormia membra habētibus, qualē Valerius Mar. describit in illo disticho, cui nomē est Pumilius,

Si tantum spectes hominis caput, Hectora credas,
Si stantem uideas Astyanacta putes.

Abhorrebat quoq; dixit, pro exhorrebat. Abhorreo enim uult post se ablatiuū cum præpositione à, uel ab, ut Cicero, A qua fateor nullū ætatis meę tempus abhorruisse, id est, alienū fuisse. R. Punire. Aliquāto pòst, Vindicabo eam, ne ueniens in nouissimum suggillet me, id est, puniat. L. Imò detrahat, carpat accusetq́; me, ut frequēter apud Hieronymum suum, quod declarat ipsa uox Gręca, unde traduximus. R. Quando, deinde, Aliquando Romæ esse cœpimus, quid nobis defuit? id est, quando. L. Hoc inauditū est nobis aliquādo pro quando poni, neq; ipse rite facit, ut in re noua non afferat aliena exempla, sed sua, hoc potius erat dicendū, & quando pro aliquādo accipi antecedēte num, sic, nunquando me adiuuisti? quæ interrogatio facit hoc significare num aliquando. In quem modū aliqui accipiunt illud in euāgelio Lucæ, Numquando uos misi sine sacculo, & pera, & calceamentis, quid uobis defuit? Quem locū tamen Raudensis uidetur afferre uoluisse, sed in contrariū sensum. Vbi enim posset esse quando pro aliquādo? & iste accipit aliquādo pro quādo. R. Quasi. Deinde, Nullus prophetarū propemodū tam aperte dixerit, id est, quasi. Item, subridens, id est, quasi ridens. L. Imò propemodū, siue prope, hoc est, penè, siue ferè. Subridēs enim, subirascitur, subobscurus, est aliquātulum ridens, aliquantulū irascitur, aliquantulum obscurus, sub idem tēpus sub eandē horam: est eodem tēpore, et in eadem hora, licet sub eandem horā uix reperitur, sub idem uero tēpus frequētissime, ut apud Quintilianū, Venit in ciuitatē, ubi munus parabat sub tempus ipsum, quo pugnaturus erat diues filius. R. Quare. Deinde, Quatinus cōiunctio causalis,

id est,

id est, qua ratione per i, scribit, eatinus, id est, ea ratione, aliquatinus, id est, aliquã ratione. Lau. Imò & per e, scribendæ sunt hæ dictiones, neq; hoc significant, ut in elegantijs docui. Nam quatenus significat quoniam, uel inquantũ. Eatenus uerò, usq; eo, Aliquatenus est aliquantulum, siue ex aliqua parte, ut Quintil. Verum hoc aliquatenus temporũ cõditione mutatũ est. R. Que. Ve coniunctio, cõiungit, siue disiũgit, ut inter asinũ, lupum'ue magna distinctio est. L. Imò ue idem est, quod uel, siue aut, ut bonũ, malum'ue sequimur omnes, id est bonũ, aut malum, docti, indocti'ue simus nihil cogitas, siue docti, siue indocti. R. Quidam. Deinde, Vbi nota quòd plus conueniũt quispiam, & quidã, quàm aliquis, & quidam. Et iterum, Aliquis enim rectius coniungitur nomini cõmuni, ut aliquis homo, & quidam, & quispiam nomini proprio, ut quempiã Simonem. L. De hoc in dialecticis latius disputauimus, & nõnihil in elegantijs attigimus, & in hoc ipso libro. Itaq; hic breuiter iterũ dicam. Quidam, & aliquis hoc differũt, quòd quidam certum hominem significat, ut, quidam uult accipere filiã meam pro uxore sine dote. Aliquis uerò incertum, ut aliquis uolet accipere filiã meam pro uxore sine dote. Ibi scio ac nominare possum, quis ille est, hic non possum: nonnunquam, sed tamen perraro, inuenitur aliquis pro quidam, ut pro Plancio Cicero ait, missum esse aliquem in prouinciam. Quispiam autem, & quisquã nihil ab aliquis differunt. Illud autẽ exemplum ex actibus apostolorũ, quempiam Simonẽ, quàm eleganter dicatur, in libris interpretationis noui testamenti ostendimus. Illud tamen sciamus improprie dici (quo quidam utũtur) est quid mirũ, est quid pulchrum, quod ex Græco descendit, significat quiddam hoc loco, non aliquid, nam unam Græci pro duabus Latinis dictionem habent. Dicendum ergo est, quiddã mirũ, quiddã pulchrũ, siquidẽ quid pro aliquid accipitur, nõ pro quiddam. R. Quis, & quotus, & quotusquisq;. L. Quotus, & quotusquisq; exponit pro quis, cum significent quot, duntaxat interrogatiue, ut in elegantijs diximus. Melius hoc præcepisset, id quod multi barbare, aut impolite dicunt, secundum quod ueniebant ad manus, diuisi famulis uestes, dicẽdum esse, ut queq; ueniebant ad manum, siue ut quæq; occurrebant. Ra. Recitare. L. Raudẽsis in eundem sensum accipit recitare comœdias, tragœdiasq;, & agere, actitareq;, quod longe diuersum est. Recitare est scripturã clare uoce, ut alij audiant intelligantq;, legere, unde poetæ, historiciq;, & alij scriptores recitabant publice opera sua, & nonnulli aliena, ut fit in comœdijs tragœdijsq;. Aliquando nõ legẽdo fit recitatio, sed memoriter referendo, quę uel scripta sunt, uel dicta. Nihil enim interest legere, si quæ pronũtio memoria teneo. Quintil. At ista legẽ recitat, de muliere loquẽs, quæ cæca erat. Plautus, Recitat memoriter. Agere, est gesticulationem facere, quod est histrionũ, atq; mimorum. R. Recõmendatitiæ literæ. L. Cõmendatitias literas dicimus, non recommedatitias: sicut commendo, non recommendo: & committo me tibi, non autem recommitto. R. Et erunt uerba Ciceronis pro maiori parte. La. Cum uerba Ciceronis afferre te dicis, cur non uerba illius loqueris? ex maxima parte ille dicere solet, non pro maiore parte. Item, Vereor, inquis, quãplures tibi recõmendo. Cõplures dicere debuisti, tum quia Cic. sic loquitur, tum quia contra præceptum tuũ est ubi ais quàm superlatiuo debere coniungi, nec recõmendo dixit Cicero, sed cõmendo, ut superius, testatus sum. R. Recordor. Deinde, Te (ut dixi) fero oculis, id est, memoria teneo, & te semper post me feram. Item, multa me fugiunt, id est, non recordor. Et non te fugit, id est recordaris. L. In oculis fero, est quod semper uideor uidere te alloqui, audireq; pro beneuolentia, ut apud Vergiliũ, Illum absens absentem auditq; uidetq;. Præ me fero, quod non dissimulo, & uoce, uultu, gestuq; fateor, aut amare me quẽpiam, aut odisse, aut bene sentire, siue male de aliquo homine,

siue de re, & quæ sunt similia. Multa me fugiūt, est idem quod multa nescio, quia si illa prehendere non possum ut Cicero, Sed tunc ea ratio me fugit, id est, hāc rationem nesciui. At si Raudensi credimus, quæcunq; nos fugiunt, ea aliquādo sciuimus, quoniā nemo dicitur non recordari, nisi quæ didicerat. Hic secus fit, quia de omni re, ac ratione, quæ nobis cogitātibus non occurrit, dicimus eam nos fugisse, nisi Platonē sequimur, qui uult dicere esse recordari. R. Reddo reddis, restituo restituis, redibeo redibes sine h. L. Imò cum h, ut exhibeo, prohibeo, perhibeo, adhibeo. R. Regula. Deinde, Norma est maxime in regendo. La. Imò norma est instrumentum illud duorū laterum, quo fabri omnia dirigunt, ac metiuntur. Inde quæ recta, dimensaq; sunt, normā habere dicūtur. Ra. Relinquere. Deinde, Item uox mea me defecit, id est reliquit, & deficiet tēpus enarrantem. L. Deficio cum tēpus ponitur, similibusq;, non cum persona, iunctū accusatiuo. Dies enim me deficiet, idē est, quod dies mihi deficiet. Sed illo modo per accusatiuū apud eruditos frequentius. Quæ similia tēpori dixi, huiusmodi sunt, ut Cicero in Verrē, Vides te quanta deficiant. Et in eundem, Vox me citius deficerit, quàm nomina. Et in eūdem alibi, Vt si me in ea querimonia, quā sum habiturus de istius crudelitate, & de casu Reipublicę, & indignissima morte, non modo uires, uerum etiam uita deficiat. Id mihi præclarum, & iucundum putem. Plinius iunior, Tandem cum patientia defecit. Vxor me defecit, ego non dicerem, sed milites, sed populi, sed discipuli mei à me defecerunt, hoc est, ab imperio, & præceptione mea recesserunt, aut si uis, uxor à me defecit. Rau. Respondere. Deinde, Nequaquam literis satisfacerem, id est, respōderem. Lau. Si literis (ut ego interpretor) est ablatiui casus, significatio esset, placatiorem & æquanimiorem facerē te per literas meas, sin datiui, subintellegetur tuis, ut sit sensus, me tuæ excusationi expostulandum, querelæq; purgarem, atq; excusarem. R. Illi sic obstrepunt, id est, respondent. L. Imò strepitu loquentem interpellant, atq; dictis illius strepitu aduersantur. R. Cum hæc diceret, reddere nesciuit, id est, respondere. Lau. Cuius hoc exemplum est Raudensis? Apud Ciceronē, Quintilianūq; nō semel legimus, cur ego credam, cur hoc uelim, cur fecerim, suo loco reddā, id est ostendam, & explanabo. R. Respicere. Deinde, Totū Lustrabat lumine corpus, id est respiciebat. L. Imò circuibat, ut idem autor alibi, Lustra Auentini montē. Respicere quoq;, est retro aspicere, quibus exemplis pleni sunt omnes libri. R. Reputare id est, in bonā, uel in malā partē aliquid habere, ut homo nullius momenti, id est, reputationis. L. Imò reputare, est secum cogitare, seu recogitare. ut Boëtius, Cum hæc mecum tacitus ipse reputarem. Quintilian. Quoties facta reputaui, flagella mētis sonant, ultrices uideo furias, & in quācunque me partem conuerti, occurrūt umbræ meorum. Liuius libro 21. Vnusquisq; se, non corpus suum sed cōiugem, ac liberos paruos protegere putet, nec domesticas solum agitet curas, sed identidē hoc animo reputet uestras tum intueri manus senatum, populumq; Romanū. Ecce aliud est putare, aliud reputare, nec homo magnæ reputationis dicitur, nisi ab ineruditis, sed magnę existimationis, aut magnę opinionis, uidelicet quòd homines de eo egregie existimāt, atq; opinantur. Ra. Sic exponit Priscianus in sexto maioris. Lau. Indecorum est labi in errorem imperitorum, qui dicunt Prisciani maioris, minorisq;, cum unum opus sit, non duo, eo quidem magis, quòd librum appellant opus, quod constat pluribus libris. Rau. Rhetorica & rhetorice in nominatiuo & ablatiuo. Lau. Si Græci carent ablatiuo, quæro an possit dici in eo casu rhetorice, quæ Græca uox est? Rau. Quintilanus ait, rhetoricen in Latinum transferentes, tum oratoriā, tum oratricem nominauerunt. Lau. Damnat horum nominū inuentores illic Quintilianus, non probat, ut uult Raudensis. Rau. Circa unumquodque.

Lau.

Lau. Imò unumquidq;,nunc enim est substantiuũ,secus autem cum adiectiuũ; ut unumquodq; nauigiũ,de quo prius & in opere de elegantia. Ra. Similiter laudes,& uituperia. L. Vituperia ostende quis dicat. R. Patronus ergo Verris cõmutauit personam pro facto,nolens ob infamiam eum nominare,sed Considerate(dixit)iudices uictorem Daciæ, & attendite quantã gloriam nobis comparauit,subiugando ipsos Dacos nostræ potestati. L. Vbi hoc legisti Raudensis? nũquid orationes Hortensij habes,qui fuit Verris patronus? quanquã quis nõ agnoscit ista uerba aliena ab antiquitate? preterea quis narrat Verrẽ superasse Dacos? tantũ eum Siciliã contra Pyratas fortiter tuitum esse accepimus.Huic facto simile est, quòd aliũ pro alio nominas, ut Plinium pro Quintiliano, interdumq; illorum uerbis tua addis,ut ibi, interdũ docti uidẽtur copiam habere maiorem: quod dicunt omnia,quæ sciunt,& nesciunt,garriunt,obstrepunt,latrant; horum uerborũ nouem sunt Quintiliani,octo posteriora Raudensis. R. Sed hoc non satis ne his modo, qui doctrinam hanc ingressi nouiter sunt,cæterũ ne his quoq; qui aliquid profuerũt. L. Dum rhetoricæ præcepta dat Raudensis, uideamus an(quod infra rhetoricen est)Latine loquatur. Ait,cæterũ ne his quoque,pro sed ne ijs quidem,nam etsi cæterũ,pro uerum,siue sed,accipiatur,tamen hoc loco minus accõmodatum est.Hijs autem nõ reperiri satis patet per ea,quæ de his,& ijs superius diximus. Nequit enim adesse aspiratio cũ gemina ij.etiam nouiter dixit pro recenter,profuerunt quoq; pro profecerunt,prodesse enim,ad alios quoq; spectat,proficere uerò ad se tãtum. R. Vnum enim uerbũ proprie, significanterq; positũ,totam interdum illustrat orationem. Lau. Non uerbum istud est,sed fulgur,quod uno flammarum iactu mũdum omnem illuminat, qui enim potest unum uerbũ totam illustrare orationem præsertim propriũ? quippe magis translata orationẽ illustrat,quàm propria: & nullũ debet in oratione esse uerbum,quod nõ sit proprium,nisi fuerit ornatum,hoc est,illustrius,quàm proprium,dicendum ergo erit,unum improprium uerbum obscurat,occæcatq; sententiam,&(si uis)etiam orationem,non utiq; unum proprium illuminat, si cætera parum apte, parumq; significanter adhibeantur. Siquidem plus incõmodi est in uno malo,quàm commodi in uno bono. R. Itaq; hoc autoribus non est elaboratum,uel quia non ab his animaduersum, uel quia difficilis horum est tractatio. L. Si alius,quàm Raudensis foret,qui hęc tam magnifice, iactabũdeq; effunderet, quibus uerbis uel quanto impetu, quãta procella in ipsum inueheret? non est elaboratum autoribus,quomodo uerba proprie,significãterq; ponerentur.& si hoc non fecissent,non propter difficultatẽ in hoc non elaborassent,quę difficultas te non retinuit,quare quoniam omnes colores rhetoricos in hoc tuo opere exequeris,quasi tu præter cæteros de elocutione enucleate,elegãterq; conscribas,nõ sustineo,qui primum,qui se offeret,colorem abs te traditũ, discutiam quàm uere tradatur,ut ex hoc uelut gustu aliorum quoq; sapor intellegatur,nũc quàm proprie,significanterq; posita sint à Raudẽsi uerba tractemus.Primũ coniunxit cõtra Latinitatis rationẽ subiunctiuũ cũ indicatiuo, quia dicendũ erat in in utroq;,aut est,aut sit,deinde sic. R. Aristotilẽ. La. Licet aliqui uulgo dicant physicam,ac metaphysicam,tamen physica,siue metaphysica, inscribuntur opera illa numero plurali,nec Aristotilem dicendum fuisse,sed Aristotelem ipsa nos pronuntiatio docet,quippe cum sic semper loquimur,ego,sum Aristotelicus, libri Aristotelici,opus Aristotelicum,non Aristotilicum. R. Deinde,& qui nobis tribuere,quàm multũ soles. L. Quàm multum dixit,pro permultum,contra suam ipsius regulam,si sua potius,quàm mea est. Ra. Deinde, Sed tamen cum neq; libris ipsis abundamus,nec fieri potest,ut non aliqua interdũ excidant memoria. L. Idem uitium, quod paulò antè attigi,de diuersis modis in eadem

oratione, siue in eodem cõplexu. Ra. Deinde, Idipsum, quod apprime cupiūt, quàm facile credunt. Lau. Quàm facile posuit pro perfacile, siue perquam facile, siue quàm facillime. Apprime minus oratoriū est, significat tamen ualde, producitur'q; media syllaba. R. Animos'q; mihi quàm familiares ostēdere. Lau. Idem, quem modo dixi, error. Rau. Deinde, huius enim cōmentarij cognitio studiosis iuuenibus, & si non magnam utilitatē (ut nonnulli iam iudicāt) afferet, at certe (quod magis cupio) bonam uoluntatem. Lau. Commentarium appellat tam immensum opus, quo nullum ex omni uetustate maius extat, præterea uidetur Raudēsis non rectè intelligere Quintilianum, cuius extrema uerba operis de oratoria institutione hęc sunt, Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuari per nos posse uidebātur, quorū cognitio studiosis iuuenibus, & si non magnam utilitatē afferet, at certe (quod magis petimus) bonam uoluntatem, non inquit Quintilianus suam bonam uoluntatem, ut de se ait Raudensis, sed iuuenum studiosorū, id est, animum propensum ad uirtutes, cum orator in primis debeat esse uir bonus, quæ prima ipsius laus est, proxima, dicendi peritum esse, ut solebat dicere Socrates, satis se fecisse in discipulos, si bonam uoluntatem illis induisset, id est, mentem propēsam ad uirtutem effecisset. Rau. Deinde, circa elegantiam uocabulorum, splendorem'q; uerborum, totus hic liber est editus. Lau. Editus dixit pro conditus. Condere enim est componere, edere autem, publicare, nec liber quidem, opus hoc appellari deberet. Ra. Stabit semper inconcussa sententia, malle imitationem homines sine arte, quàm artem sine imitatione possidere. Lau. Neq; imitatio est sine arte (quia pars artis est) neq; ipsa ars citra imitationē fit. Cum enim legimus orationes, uirtutes'q; earū intelligimus, tunc imitamur id arte, quæ in illis latet, nostrum pectus imbuimus, memoriā'q; instruimus, nisi ipsum scribere, ac loqui orationē, imitationē'q; uocas, qui magis usus, consuetudo'q; atq; exercitatio uocari debet. Ac ne dubitare possimus imitationem artis esse partem, & quid ipsa imitatio, qualis'q; debeat esse, uno capite Quintilianus ostendit, sed initium posuisse sat fuerit. Ex his, ceteris'q; lectione dignis autoribus uerborum sumenda copia est, & uarietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum uirtutum omnium, mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut inuenire primum fuit, est'q; præcipuū, sic ea, quæ bene inuenta sunt, utile sequi. Atq; omnis uitæ ratio sic cōstat, ut quæ probamus in alijs, facere sic ipsi uelimus. Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur, sic musici uocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis deniq; disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum formari uidemus, & hercle necesse, aut similes, aut dissimiles bonis simus. Similes raro natura præstat, frequenter imitatio, sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit ijs, qui nihil, quod sequerentur, habuerunt: nisi & cum iudicio apprehēditur, nocet. Deinde subdit præcepta imitationis, Post quæ de imitatione non hiscere molestissimū foret. At Raudēsis uocabula quædā exponit, & bene dicta ab autoribus sine illa traditione, & alia multa ad rem nihil pertinētia, inculcat. R. Reuertor. Paulopòst, Accipiet reduces, id est, reuertētes, dixit Verg. L. Seruius melius, qui exponit reduces pro à periculo domū reuersos. R. Præposteros habes tabellarios, id est, redeūtes. La. Non internoscimus quādo aliorū, quando Raudensis exempla sunt, opinor astute hoc facit, ut sua quoq; ipsius exempla ueterum esse existimemus. Hæc uerba Ciceronis sunt in epistola quadā hoc significantis, quòd tabellarij nihil ordine, nihil tempore agunt, ut iterum in Lælio: Præposteris utimur consilijs, & acta agimus, deinde cōsultamus: cum antè consultare, ea deliberare deberemus,

deberemus, deinde agere. Et Quintilianus, Praepostera res est, filium occidere, deinde erubescere, id est, peruersa, & quasi inuersa res est. R. Signum tibicinum ad armigeros reuocandos. L. Tibicines frequenter Raudensis ponit pro tubicines. Tibicines sunt, qui breuia illa organa inflant, multis in ligno ipso (si lignea fuerint) foraminibus uocem distinguentibus: tubicines uero, qui tuba canunt. Armigeros autem non esse milites, & qui essent, in elegantijs dixi. R. Ego Quintiliano hac in parte non satis adhaereo, ut motus pro arbitratu meo in animo habere possim, & gemitus, & singultus, & lachrymas ueras fundere, flent de facili mulieres: imò & uiri gregales, & inepti, animi magnitudinē nesciētes: similiter effoeminati quidam, ut aliquando histriones, & mimi: idcirco Quintilianus ipse exemplum (ut sibi crederemus) eduxit, dicens. L. Ne quid foret, in quo non uideretur à ueteribus discrepare, reprehendit tertiam partem oratoriae artis stoicus noster. Non sentis Raudensis, te Ciceroni quoque, atque ipsi ueritati, omniq; indoli Romanę repugnare? an non mouit lachrymas Cicero? certe ex arte, non quia lachrymę ipsae uel actori, uel auditoribus sua sponte erumperent: negas adhuc? Stulte igitur Cicero de mouendis lachrymis praecipit, quid? Marius in causa Aquilij Antonio perorante non flebat? aut nō oratio ipsa M. Antonij id efficiebat, moesta, flebilis, et apposita ad lachrymas cōmouendas? nō uniuersus populus Romanus lachrymas fudit Cn. Graccho necem fratris deflente? nō mille alios legimus audientium lachrymas concitasse, sola ui orationis? non denique sancti ipsi, atque Apostoli & fleuerunt, & fletum auditoribus excusserunt? non Christus & fleuit, & fletum non tantum mouit, sed flere nos iussit? Quid? non ipsa lectione rerum mirabilium ab optimis auditoribus cōpositarum ita mouemur, ut iram, gaudium, timorem, spem, dolorem concipiamus, & saepe lachrymas erumpentes cohibere nequeamus? quid de se excellentissimi quique confitentur? Ego de me fortassis tanquam de mollis affectus, & foeminei pectoris homine, fatebor, cum Odysseam primum legi, multis in locis, ita multae cum singultibus lachrymae manabant, ut nec efferre uocem, nec inspicere literas possem, & hoc in re fabulosa atque poëtica: quid facturus in uera, aut quam ueram esse crederem? atque ab hoc poëta longe omnium praestantissimo, nemo non heroum qui ad Troiam pugnarunt, inducitur aut indignatione, aut dolore, aut misericordia, aut gaudio, aut desiderio lachrymasse? & certe humani potissimum homines nec agrestes, nec efferati, uel sponte, uel ad actionem optimi oratoris in in fletum erumpunt, histriones autem (quos effoeminatos ait) non in rebus effoeminatis, sed magnorum principum (utpote in tragoedijs, nam in comoedijs minus hoc accidit) lachrymas mouent, quod opus non nisi optimorum histrionum est, & optimorum oratorum. R. Rigidus, infractus. L. Infractum pro nō fracto accipit, quod (quantum memoria repeto) pro fracto frequētius accipitur, ut apud Vergilium, Turnus ut infractos aduerso Marte Latinos. Ergo praefractum dicere debuerat, pro rigido ac seuero, ut apud Ciceronem, Cato noster nimis praefractus, aerarium defendere uidebatur. R. Ripa. L. Quatuor nomina attingit, quorum nullum aut planè, aut uere exponit: ripa, alucus, crepido, riparia: quę ipse & planius, & uerius exponam. Ripa sic est extremitas terrae quam aqua fluminū, torrentiū, riuorumq; alluit, ut extremitas terrę, quam alluit mare, est litus, nisi quod ripę possunt esse arduę, litora uerò nemo uocat scopulos praeruptamq;, atq; imminentē mari terrę altitudinē, quę proprie rupes dicitur, siue mari impendeat, siue plano. Lacuū autē stagnorumq;, ac magnarū paludū magis litus, quàm ripa dicitur, qui propius ad imaginē maris accedunt, ut sint tantū ripae aquarū currentium, excepto Hellesponto, & si quid est tale, quarum (ut sic

dicam) lectus uocatur alueus. Crepido est ora terrę, qua aqua alluit, ex hoc appellata, quòd ibi aqua alluens crepat, crepitat'ue cum currit, aut undas appellat, licet Graeci sibi huius nominis originem uendicant. Per metaphoram uerò & putei extremam oram, quae ad puteum respicit, quod uulgo dicitur os putei, & nomen extremitatem solemus crepidinem appellare, ut apud Hieronymum: In crepidine uię. Riparia autem nō inuenitur, licet Genuenses, & alij quidā oram maritimam ipsorum ripariam uocent, quasi mare ripas habeat. R. Riuula diminutiuum de riua. L. Rima, & rimula scribendum est, alioqui nescio quid hoc nomen sit. R. Sacrificare. Deinde, Nullo modo se diues extulit, id est, extra uitam se tulit. L. Imò ad sepulturam se exportauit. Est enim extulit se, id est exaltauit se, uenit tamē ab effero, ut efferā eum laudibus, & extuli illū praeconio meo, tum ab extollo: ut, noli me supra modū extollere, ego te infra meritū extuli. Itē extuli ab effero, id est ad sepulturā, uel extra urbē tuli, siquidē ueteres (nisi forte imperator, aut magistratus, aut singulari quodam merito insignis) solebant extra urbem sepeliri, & praecipue honesti homines circa uias, inde frequenter epitaphia ad uiatores diriguntur, cóque cum dicimus, elatus est, significamus ad sepulturam, siue ad rogum extra urbem domum'ue, nam potest esse domi, qui extra muros latus est. R. Parentare est umbris mortuorum, aut tumulis parere, obsequi, ministrare. L. Hieronymus exponit pro conuiuium facere in honorem mortui, proprie autem parentare est mortuo, praesertim in tēplo, hostia humana satisfacere, eiusq́ manes hostili sanguine placare, ut Achilles Patroclo fecit, & Aeneas Pallanti facere destinauerat. Cicero de Antonio dixit: Quod Cineribus Caesaris cum ipsius Ciceronis tum aliorū multorum cruore parentare uellet. Miror'q́ cur à pareo traducat hoc uerbum Raudensis, & non à pari, siue à parente, cum hęc primam breuem habeant, pareo uerò longam. R. Operari deos religiose, & ex sacrificijs summa ueneratione litare, uel conuiuari. Vergilius in primo Georgic. Laetis operatus in herbis. exponit Nonius, sed ego non memini. L. Quid non meministi Raudensis? Nonium'ne hoc dixisse in Vergilium? itá ne memoriter, ut ne repetere quidem libros uelis? si non recordaris, euolue autorem: sin male dicere existimas, profer sententiam tuam. Praeterea litare aut non exponis, aut minus recte exponis, significat enim sacrificio deos propitios impetrare, hoc est cum aues addicunt, aut cum exta bene promittunt, ut frequenter legimus de multis ducibus, eos, cum sacrificassent, litare nequisse. R. Sacerdos. Deinde, Est magis latinū nomen quàm presbyter, id est, episcopus, & quàm &c. L. Quod ait, non probat, nos autem sciamus sacerdos esse nomen latinum, presbyter uerò Graecum, de quo latius in alio diputauimus opere, uerum ibi de ui nominis, hic autem de sola significatione, ac uoce, quam è Graeco sumus mutuati, praeterquam quod nō presbyterus dicimus, sed presbyter, cū ratio magis illud exigat, quàm hoc, nisi eadē ratione à presbyteros declinemus presbyter, ut ab alexandros alexander, non alexandrus, ab antipatros antipater, non antipatrus, à menandros menander, non menandrus. Vergil. tamen ab euandros, & euander dixit, & euandrus, presbyter apud Graecos adiectiuū est, significatq́ in comparatione, ut apud nos antiquius, pro melius. R. Sacrarium. Deinde, Pastophorium, ubi sacraria reponuntur. L. Sacra reponuntur, non sacraria, hęc cōtinent, illa continentur, nec pastophorium est sacrarium, licet Graeci quidam sic exponūt, dicentes esse gazophylacium, alij uerò thalamū nuptialem, cum quibus propè sentit Hieronymus, qui in Isaiam ait, Pastophorium est thalamus, in quo habitat praepositus templi. R. Saltem. Deinde, Emicat in currū, id est, saltat. L. Salit dicere debuit, aut insilit, saltare enim tripudiare est, illinc uenit saltus, hinc saltatio, quod

est, ut

est (ut Vergilianis uerbis utar) pedibus plaudere choreas. R. Sanitas. Deinde, Sana Philumena est? Pamphilus, meliuscula est, id est, paulisper melius. L. Imò aliquantulo melius habet, paulisper enim est per aliquantulum temporis. R. Satelles. Deinde, Emissarius, id est, sicarius. L. Hoc ipse nō reperi, sed pro eo, qui ante exercitū mittitur uel ad explorandum, uel ad pręliū lacessandum, aliqui appellant arietē emissariū eum, qui emissus in solitudinē est, uel qui ad generandā sobolem emittitur, sed uidetur ratio uelle, ut dicatur admissarius unde admissura, quando mares brutorū admittūtur ad fœminas, sed de hoc alio loco dicetur. R. Siccarius à sicca, id est, gladio abscōso in ligno. L. Vt ita sit, quòd sica absconsa est in ligno, cur nō illud Quintiliani addebat, sicarios eos etiā appellari, qui cędē telo quocunq; cōmiserint. R. Scamnū. Deinde, Nam papa in suggesto, cardinales in subsellio inferiori sedent. Suggestus eñ est regalis sedes. L. Imò suggestū est locus superior, unde ad populū senatum'ue orationē habemus: hinc est, quod dicitur quis ex superiore loco orare, quod significat Cicero cum Prętor ad populū inquit, Hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est uisus Quirites, quodq; probat Raudensis. Exemplum ex eodē Cicerone sumptū, Idem cum in comunibus suggestis cōsistere nō auderet, cōcionari ex turri alta solebat. T. Liuius lib. 8. sic ait: Naues Antiatum partim in naualia Romæ subductę, partim incensæ, rostrisq; earum suggestum in foro extructum, adornari placuit, rostráq; uel templum appellari. R. Scelus. Deinde, Terent. dixit Ah minime gentiū, id est, nequissime. L. Pro nomine (quantum intellego) accipit Raudensis minime, cum sit aduerbium: idem'q; est minime gentiū, quod minime, sicuti ubiq; gentium, quod ubi, nusquā gentium idem, quod nusquā, siue nequaquam. R. Scire. Deinde, Quare uiderit Epicurus, id est, sciat. L. Imò uideat, hoc est, huius rei illi cura sit, uel huius opinionis ille rationem reddat, non ego, de hoc in elegantiarum opere diximus. R. Scopere, in psalmo habetur, scopebam spiritum meum. L. Hieronymus in Isaiā tam in ipsius Isaię uerbis, quàm in suis, scopare ait, non scopere, hoc est primæ coniugationis uerbo usus, non tertiæ, nisi me codex fallit. R. Scribere. Deinde, Cicero ait, Sæpe scribam ad te, tu ad me uelim, nunquam dicit tibi. L. Hoc iterum superius præceperat timuit enim, nisi obliuione factum est, ne tam eximium elegantię præceptum non satis aduerteretur, nisi repetisset, quod si uerum esset, nimirum & Raudensi ob hoc inuentū gloriari liceret, & ego ut confiteor, erubescerem, qui hoc non aduertissem, cum de elegantia scripsi. Verum hoc non me fefellit, sed illum: nam (ut taceam alios autores) ille ipse, quem Raudensis protulit, ita Trebatio scribit, Scripsit ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore, cui ego quidem rescripsi: non dixit, ad quem ego rescripsi. Iterum circa finem, Scribit enim ipse mihi sibi gratias agere debere. Et iterum in tertia ab hac epistola: Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti. Et multis adhuc aliis in locis. Idem in Philippicis: At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo, & humanitatis expers, & uitæ communis ignarus. Rau. Secretus. Deinde, Penetralia, & aditus sunt loca secreta. Lau. Adytum non aditus dicitur, uidelicet cum y, non cum i, significatq; secretiorem, & (ut sic dicam) inaccessam partem templi, & quasi sancta sanctorum: sic autem proprie templorū penetralia dicuntur adyta, ut ianua, ualuę, ut Cicero in Verrem. Quæ multos annos ad ualuas Iunonis Samię steterunt. Et in eundem postea, Conuulsis repagulis, effractisq; ualuis, demoliri signum, ac uestibus labefactare conantur. Nam quod Ouid. inquit: Argenti bifores radiabāt lumine ualuę. Domus solū pro templo accipienda est, cum templum nihil sit aliud, quàm domus dei alicuius

cuius, etiam ualuę curiæ, locorumq́ꝫ solennium dicuntur. R. Senatorum. Deinde, Cicero autem de senectute tantum aliquando senectuti honoris tributum scribit, quòd ut quisque natu grandior esset, ita prior in senatu sententiam rogaretur. L. Cur Ciceronis uerba deprauas, & eum barbare loqui facis? non dicimus grandior & prior inter plures, sed inter duos: rogaretur etiam dixit pro rogabantur, quod ideo ipsi cõtigit, quod pro illo, ut, quod erat acccommodatius, dixit quod. R. Seneca. Deinde, Quintilianum nominat Seneca nono declamationum suarum libro dicens: Transeo istos, quorũ cum uita fama extincta est. L. In hunc errorem incidit Petrarcha, qualia multa peccat Vincentius historialis, ut alij multi ex plebe illiteratorum, qui alium pro alio, uel autorem, uel principem uirum ponit, uelut Statium Tholosanum, pro Statio Caecilio, ac tres Catones pro uno, duosq́ꝫ Scipiones pro uno, nescientes quo quisque tempore fuerit, ita hi duo nõ uident Quintilianũ plurimis annis superstitem Senecę fuisse, quippe qui opus de institutione oratoria sub Domitiano, Traianóque cõposuit, & mentionẽ Plinij iam mortui facit, sicut & ipse Plin. de Seneca mortuo. Senecam uerò à Nerone interfectũ, qui senior Quintiliano circiter octoginta annos fuit, quiq́ꝫ (si ipsi credimus) potuisset audire Ciceronem qui ante Quintilianum obijt circiter centum quinquaginta annos. ergo alius Quintilianus fuit, de quo Seneca meminit, & forte pater Quintiliani aut auus. Nam pater Quintiliani eloquens sanè fuit, ut quodam loco filius ipse testatur, afferens orationis illius testimonium. Quod si ita est, non ex Calaguritana urbe oriundus est, ut Hieronymus ait: sin illinc est, ergo nec pater Quintiliani fuit, de quo facit Seneca mentionem quoniã Calagurę nõ Romę eloquentiã exercuit. Nam idem Hieronymus ait, Galbã (qui fuit imperator post Neronem) duxisse Quintilianũ ex Hispania, ut Romę rhetoricã doceret, de quo aliâs plura dicemus, hoc tantum dixisse cõtenti, Quintilianũ hunc à puero Romę fuisse eruditum, & Hieronymũ ita in Quintiliano potuisse errare, ut fecit in Bruto, quẽ ait duxisse Porciã Catonis filiã in matrimoniũ uirginem, quæ fuerat Bibuli uxor, ut Plutarchus ait: De Seneca autem, an unus sit, an duo, minus diligenter attigit, contentus sententia, nescio cuius Sidonij poetę, nec animaduertit Quintilianum testimonium afferre Senecę in tragœdijs, ubi Medæa ad Creontem loquitur, Quas peti terras iubes? & tamen unum Senecam inter legendos nominare, cuius & epistolę, & dialogi & poëmata & opera philosophię ferantur. Tamen duo eximij Senecæ fuerunt, ut Martialis testatur: qui fuit æqualis Quintiliani Iuuenalisq́ꝫ, ait enim: Binosq́ꝫ Senecas, & unũ Lucanum facunda loquitur Corduba. Cæterum, an idem sit, qui tragœdias, & alia opera condidit, dubitari potest, certe qui nouæ tragœdię autor est, Seneca maior fuit, de quo aliâs suo loco dicemus, nam de ementitis ad Paulum, & Pauli ad eum epistolis, in alio opere disputauimus. R. Secta. L. Sectam & factionem idem esse uult: cum secta sit inter philosophos, aut philosophis similes, factio autem inter potenteis ciues, ut superius ostendimus. R. Sentire. Nonius ait, sensus, qui sentiunt: sensa quæ sentiuntur. L. Cur nõ afferebas ad hanc rem Quintilianũ qui eam exponit planius, inquiens: Non rarò tamẽ et sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent, nam sensus corporis uocabantur: sed consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus uocaremus. R. Sententia est color rhetoricus Cicer. Quẽ si imitari collibuerit, nõ incongrue conuenit exordio, modo nõ ponatur in principio, tunc enim incideret illud exordij uitium, quod appellatur commune, & uulgare. L. Hoc est quod me promisi redditurum, quo se primum offerret loco, ideóq́ꝫ quæ hic dico, eadẽ in cæteris, aut similia possem dicere, nam quis istas minutias præceptorum aut tradidit, aut traditas custodire posset? preterea, quis te Raudensis docuit

docuit sententiam facere uitium, quod dicitur commune, & uulgare? si enim ita esset, omnis sententia uitiosa esset, siquidem uitium commune, aut uulgare in qualibet parte orationis committi potest, non tantum in exordio: atque in ipso exordio infinitę sententiæ reperiuntur, ut apud Quintilianũ: Fas est uita periclitari, qui natum se meminit lege pereundi. Et Cicero in Sallustium sic exorsus à sententia, Ea demum magna uoluptas est Crispe Sallusti, æqualem ac parẽ uerbis uitam agere. Statimq; post, Neq; qui uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest: nec qui tam illorum sermone utitur, uita modestior est. Nec longe post, Non enim procacitate linguę, uitæ sordes eluuntur. R. Sed tale sit exordij principium, quale Cicero præcipit. L. Quod istud genus principij est? neque enim unũ est exordiendi genus. R. Valet in confirmatione, & confutatione. L. Cur non in narratione? ut pro Milone Cicero: Quod quisq; seruos suos in tali re facere uoluisset. Et Quintil. Semper apud solicitos in deterius prona persuasio est. Et alibi: Scitis, quàm negligenter custodiat ferrũ bona cõscientia. Cur non in egressione? ut idem Cic. & pro eodem, Fabulam uanã, fictam, falsam perhorrescimus. R. Conclusioni autẽ cõuenit per amplificationẽ & cõmiserationẽ. L. Ergo sine amplificatione, & cõmiseratione sententijs uti non possumus, ergo omnes sententię, aut lachrymas mouent, aut indignationem. An illud: Difficile est tacere, cũ doleas. Aut illud: Nihil est tam populare, quàm bonitas. Aut illud: Nulla est tanta uirtus, quę dulcedine glorię non tangatur, aut infinita, huiusmodi uersantur in lachrymis aut indignatione? O quàm longe, & ab arte & ab usu abest, qui hoc de sententia sentit. R. Congruit generi demõstratiuo, maximeq; deliberatiuo generi. L. Si indignationi, ac miserationi cõgruit sententia, color profecto nõ minus iudiciali cõueniet, in quo maxime indignatio, cõmiseratioq; uersantur. R. Etiã honesto nõnunquam in dubio. L. Vix dici potest quantopere Raudens. ineptiat, qui honestũ genus causę, & dubiũ cum genere demonstratiuo, deliberatiuoq; cõiungit, quasi aliquid simile inter se habeant. Verũ quia nõnihil hac in re etiã Victorinus errauit, nõ satis intelligẽs in quo differant tria genera causarũ, demonstratiuũ, deliberatiuũ, iudiciale, ab alijs quatuor generibus causarũ, seu quinq;, honesto, turpi, ambiguo, humili, admirabili, reddam ipse differentiam. Omnis causa aut de præterito est, aut de futuro, si de præterito, aut pro nostra uoluntate laudamus, uituperamus'ue, aut alium accusamus, petimus'ue, siue defendimus. Illud demonstratiuũ genus causæ est, hoc iudiciale. Si de futuro consultamus, hoc erit deliberatiuũ. Item omnis causa aut in lite est, aut extra litem: si in lite, iudicialis est: sin extra litem, aut in consultationem uenit, quod est deliberationis: aut laudamus, uituperamusq;, quod est generis demonstratiui. At illa alia quatuor non sunt nisi procemij, quæ est una pars orationis, nec communis ambarum partium, siquidem causa iudicialis communis est actoris, & rei, ut Milonis, & Clodianorum. Deliberatiua, ut Fabij, & Scipionis de traducendo in Africam exercitu. Communis est demonstratiua, ubi hinc laudatur, illinc quispiam uituperatur, ut, tu laudas Dionysium, ego uitupero, utriusq; personę communis est. An in exordio secus fit, ponamus ipsius uerba Ciceronis, ut pro uiro forti cõtra parricidam. Causa erit iudicialis, & hęc tam ad parricidam pertinet, quàm ad uirum fortem. ergo una erit amborũ, in procemio uerò diuersa: nam sua cuiusq; erit, altera uiri fortis, altera parricidę, illa quidem honesta quòd pro uiro forti, et eo honestior, quòd cõtra parricidã: hęc uerò turpis, quod pro parricida, & eo turpior, quod contra uirum fortem. Erunt itaque duæ causæ, ac diuersæ, & inter se plerunque contrariæ, ut communes esse nullo modo possint, neque uerò uis hæc causæ honestasq;, aut turpitudo ad causam illam, quæ & controuersia dicitur, aliquid pertinet, sed

est presumpta quedam hominũ opinio de actoris parte, uel rei, quod partẽ hanc honestã esse existimant, illam turpẽ: neq; id semper recte, cum de bona possint male sentire, et de mala bene, quod etiam sępe usu uenit, adeò ut fortis uiri causa queat esse iniusta, & parricidę iusta: non enim personę faciunt causam bonam, aut malam, ideoq; orator cum intelligit partem quam tuetur, laborare infamia, apud iudicum, auditorumq; mentes purgat infamiam, conciliatq; eorum animos ad bene sperandum de causa, quam acturus est, & quantum fieri potest, contrahit in exordio beneuolentiã sibi, & ab aduersario alienat, ut postea probationem ipsius causę in qua iudicium pendet, audiant, de iure nostro bene, de aduersarij male, iam opinionem quandam prȩsumentes, ideóque hoc honestũ genus causę apud Græcos ab illo honesto, quod uirtutem significat, & hoc turpe ab illo, quod uitium diuerso nomine appellatur, dicitur enim ἔνδοξον & ἄδοξον, quasi bonę famæ, & malæ famę. Quod etiam probant cæterorum generum nomina, dubium, humile, admirabile, & si quod est aliud, non mutant genus causę, quo minus sit, aut iudiciale, aut deliberatiuum, aut demonstratiuum, sed tantum innuũt auditorum tacitam quandam uel de nostra, uel de altera parte opinionẽ, quę plerunq; nihil ad ipsam causam facit, eóq; extra ipsam probationem causę. nam procemium quoq; magis satelles, ac famulus causę est, quo causa ferè tractatur. Sed hæc satis, pergamus ad reliqua. R. Magis id conuenit cõiecturali, & iudiciali, quàm legitimę. L. Quomodo istud probas? an legalis materia minus ponderis habet, quã cæterę, & quod coniecturalis recipit, id legitima nõ recipiet? Quid, non legitima uersatur in cõiectura frequenter, semperq; aut coniecturę, aut finitioni, aut qualitati succedit, quæ sunt sola capita constitutionum? R. In argumentando confirmationi, & exornationi tantum. L. Argumentatio est pars confirmationis, non confutationis: nam confutationem Aristoteles non numerat inter partes orationis, hoc ipso, quòd qui confutat alteram partem, confirmat suam. Est autem idcirco argumentatio pars confirmationis, &, si uis, confutationis, quia non tantum argumentis confirmatio confutatioq; constat, sed etiam testibus, tabulis, alijsq; nonnullis: quod si confirmationi conuenit: ergo & confutationi: sed his conuenit: ergo & omnia argumentationi. R. Item figuræ graui, & mediocri aliquando etiam attenuatæ conuenit cum ipsa attenuata ad mediocrem transit. L. Quasi omnes sententię graues sint & mediocres, ac non etiam plurimę attenuatę, ut enim materia uel grandis, uel parua, uel mediocris est, ita sententiæ uarię reperiuntur: nec tantum sub hac trium generum uarietate inclusę, sed sub alia mille genera: sunt enim dulces, acres, tristes, lætę, honorificę, lasciuæ, mordaces, blandæ, flebiles, inuidiosę, & aliæ, quas persequi longum est, in unumquodque cadentes causæ genus. At enim ut sibi credamus, affert è Terentio exemplum. R. Quod animaduersum à Terentio nonnullis locis uidemus, cum præsertim sermo datur pluribus, ut Simoni in Andria: & alijs grauibus, et bonis uiris, ut Chremeti, cũ Menedemũ alloquitur in principio Heautonti. tũc enim liceret uti sententia. L. Vbi nõ apud Terent. est aliqua sententia? an nõ statim libertus Sosia non pauciora sententiose dixit, quàm Simo patronus & senex? ueluti illud, Nam ista cõmemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Et iterum: Nam apprime in uita utile credo, ne quid nimis. Atq; iterum: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Et iterũ: Nam si illum obiurges, uitę qui auxilium tulit: quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? Et hoc quidem in narratione, in qua non uult Raudensis locum esse sententijs, cum in eodem loco Simo dicat & ipse nõnulla sententiose, quale est illud: Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi, neq; cõmouetur animus in ea re tamẽ: scias posse habere iã ipsum

suę uitæ

furæ usque modum. Et iterũ: Ita ut est ingenium omniũ homium procliue à laborè ad libidinẽ. R. In epistolis maxime ad confirmationem narrationis, uel petitionis, aut etiam cõclusionis. L. Alia'ne ratio est utendi sententijs in epistolis, quàm in cæteris sermonibus? cum plurimę epistolę sint graues, ac sublimes, multum'q; admonitionum, & præceptorum continentes, proximeq; accedentes ad summũ illum gradum, qui est in orationibus, quemadmodum multæ sunt orationes, pręsertim aliquibus in locis quotidiano sermoni proximę: quid porrò dices de libris, quales sunt dialogi, aut ex persona ipsius autoris? R. Aliqui tamen utebantur in exemplo, sed non Cicero & antiqui. L. An non sententiose locutus est Cicero pro Milone? Pudicitiã cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui uim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit. Atq; ille summus uir scelere solutum, periculo liberauit. Denique hæc pręcepta ita perplexa, ita dura, ita difficilia, etiamsi forent uera, mihi uidentur, ut iam nunc desperarem me illa custodire posse. Nam ad singulos colores, aut totidem, aut plura pręcipit: uerũ quid ago, & retexo reprehensionẽ meam? Redeo enim in memoriam, hęc Alanũ, & alios quosdam (quorum nomina pro amicitia nostra proferre uereor) tradidisse, in quos mea accusatio præcipue quidem cadit, sed nonnulla quoque in Raudensem ipsum, qui uel stulta dicta imitari, uel (quod turpius est) aliena pro suis habere uoluit. Hoc contra alterum illud è nostro addimus, Ire in sententiam pedibus, est alterius sententię nõ uerbo, sed corpore accedere: ut apparet cũ ex alijs multis locis, tum uerò è septimo Liuij libro, ubi Decius ad cõmilitones, qui secum obsessi intempesta nocte erant, orationem habens inquit: Qui hoc sentitis in dextram partem pedibus transite, quę maior pars erit, eo stabitur consilio. Deinde peracta oratione dicitur, Omnes in dextram pedibus transierunt. Hæc ratio inuenta est, quòd nonnunquam longũ est audire singulos, dum plurima sunt, uel duo capita sententiarũ sunt, ut expeditius res fiant. Aliquando ne pedibus quidem ire prę multitudine ad sententiam possumus, ideoq; manu sententiã significamus. Quod Quintilianus intelligit, ubi ait: Manibus pedibusq; imus in sententiam necessitatis. R. Sequitur deinde, Imitationes, Cicero, Liuius & alij antiqui nõ dicerẽt à sequenti, sed insequenti, & dies insequentes, non sequentes. L. Imò frequenter et sequens, ut ille mensis fuit foris periculosus, sequens non minus domi. R. Seruus. Paulo post, Detitij sunt, qui ante libertatem ob manifestam culpã à dominis suis stigmata uel tormenta perpessi sunt. L. Hoc mihi inauditum est, sed dedititios esse omnes, qui se uel hostibus dedunt, ut ciuitates obsessę, pręsertim desperantes se posse urbem defendere aut castra: uel qui metu hostiũ alteri principi, aut populo sese dedunt, ut periculis impendentibus liberentur. Quod fecerunt cum alij plurimi, tum Campani, cum metu Samnitium sese dedidere populo Romano. Per abusionẽ tamẽ dicimus, ego sum dedititius tuus, id est, tibi deditus, atq; tuo imperio obnoxius. R. Clientela est multitudo seruorum. L. Imò eorum, qui potentem aliquem ciuem, principem'ue fauore prosequuntur, & cuius dignitatem factionem'q; tutantur, ducti aliqua mercede, uel beneficio. Forte Raudensem fefellit, quod Lucanus inquit, Emptiq; clientes. Verũ non de seruis loquitur poëta. Non enim in seruis Pompeius spem sibi reponebat, sed in liberis, ac ciuibus, seruilem tamen, non liberalem animum habentibus, qui uenalem haberent ingenuitatem: ideoq; addidit empti, quia clientes emptitij non sunt: quales si forent, non adderetur empti: quia cum dicimus seruos, non adijcimus emptos. R. Misit unum de stipatoribus suis, id est, seruis pedissequis. L. Cur seruos interpretaris stipatores? cum regũ stipatores sint maxima ex parte potentes

potentes ac nobiles: ex hoc dicti stipatores, quod regem stipant, & undique circundant, ac claudunt, penè constringentes, instar apium circa ipsarum regem. R. Prægustator, est seruus qui ad mensam domini sui prægustat cibum & potum. L. Cur seruum appellas, qui plerunque apud mensas principum est egregius aliquis. R. Si, siquidem, quasi idem sunt, uide imitationes. Cicero ait molesta ueritas est, siquidem ex ea nascitur odium. L. Imò siquidem pro quoniã, si tamen hæc sunt uerba Ciceronis. Nam homini ipsi molesta est ueritas, quia odium parit. non autem, si parit odium, quasi de hoc autor dubitet, quod non facit, sed eodem modo affirmat quo Terentius in Andria, Veritas odium parit. Nonnunquã siquidem pro si. Lege nos in elegantijs. R. Sic. Paulopost, Hactenus excãduit, id est sic, ut malum his qui desciissent minaretur. Idem de eodẽ, Domum suam cum absolutam dedicaret hactenus comprobauit, id est sic, ut se diceret, quasi hominẽ tandem habitare. L. Nisi deprauauit autoris uerba Raudensis, melius exposuisset, intantum, uel adeo, uel usque eo. Idem autem efficiunt hactenus & eatenus, quemadmodum hic & is, cum dicimus, qui bonus, hic diues est, uel is diues est. L. Sigillum. Paulopost, Sphinge usus est imagine, id est, griphonis. L. Quis tibi assentiatur sphingem esse, quod gryphẽ, siue (ut uerbo tuo utar) griphonem? R. Simulare. Paulopost, Qui fingit se scire quod nescit, simulat: qui uerò quod scit, nescire, dissimulat. L. Absolutius exponitur, qui fingit aliquid esse quod non est, simulat: qui fingit non esse quod est, dissimulat. R. Simonia à Simone Mago dicta est, scribitur ff. ad legem Iuliam de ambitu. L. Nunquid in, Δ fit mentio de Simone Mago? Sciamus autem literam, qua significamus opus. ff. non duplicem f, esse, sed Δ, Græcum solennius: quod ita fieri debet, Δ, ad differentiam minoris d, pro significatione distinctionis, sicut fit in C, grandiusculo, qua litera intellegitur codex, ut differat à c, parua, quæ significat capitulum. R. Sine causa, non ab re, id est, non sine causa. L. Imò non sine utilitate, aut non sine iusta ratione uel causa. Hoc præterea præceptum addere poterat, per causam significare, per simulatam causam, siue per speciem. ut Liuius lib. 24. Vt cum appropinquaret ianuæ rex, per causam aliquam in angustijs sustineret à tergo agmen. Frontinus lib. 3. stratagematõ (Nam ipse dignus est, qui in testimonium afferatur) Huiusmodi fallaciam instruxit, ut ille per causam uenandi noctu procederet. Hoc Frontini exemplum ideo protuli, quòd Liuius hunc eundem locum sic refert, Hi priusquam aliquid mouerent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per speciem uenandi urbe egressi, eò proficiscuntur. En apparet idem esse per causam, & per speciem, id est, per simulationem: siquidem Liuius idem non ita distante illinc loco ait, Quem ut incautum opprimeret Appius Claudius, per simulationẽ prouinciæ circuendæ Messanam traiecit. R. Societas. Non multo post, Caterua est hominum, turma est auium. L. Imò Caterua est peditum, aut communius nomen est. Turma uerò, equitum, quæ certo numero constat, ut Vegetius, & alij nonnulli tradunt. R. Sonare. Paulopost, Tinnire est sonare acute. L. Tinnire proprie dicimus, cũ de metallis loquimur. Vnde Quintilianus, Nam homines sono, sicut æra tinnitu, dignoscimus, hoc est, quod aliter tinnit aurum, aliter argentum, aliter æs, aliter ferrum, aliter plumbum, aliter stannum, aliter orichalcum, aliter electrum, & si quid est aliud. R. Thraiciam digitis increpuisse lyrã, id est sonasse. L. Sonasse pro sonuisse posuit, accusatiuum etiam præter eius naturam tribuit, immutata etiam significatione. Nam sonare regit accusatiuum in alia significatione, ut Vergilius, Nec uox hominem sonat. Cicero, Poëtis Cordubensibus pingue quiddam sonantibus. Itaque pulsasse, aut percussisse debuit dicere, siue lyra cecinisse. Nam qui pulsat fides, organa'ue, aut tibias inflat, canere dicitur. R. Nablum

blum Hebraice, Psalterium Latine. L. Imò Psalterium Græcũ est, & nablum quoque Græci suum uendicant, nec uidetur idem esse. Nablium, non nablum inuenio apud Ouidium lib. 3. de arte,

Disce etiam duplici genialia nablia palma
 Vertere, conueniunt dulcibus illa iocis.

Nec abnuo, nablum Hebraicũ esse posse, ut ait Hieronymus in prooemio super psalmos. Psalterium Græcum est: & Latine organum dicitur, quod Hebræi nablum uocant. R. Lira ab ipso sono dicitur, scilicet liron, liron, id est, syringa. L. Proba, quia nõ credo: lyra manu pulsatur, ut uersus Ouidianus modo ostendit: syringam ore modulamur, ut apud eundem est, cum fuisset facta syringa ex arundine. R. Nola est sonalium accipitrum. L. Si nola nomen uetus est, non potest esse id, quod accipitres nunc ferunt, cum ueteres ne uenaticas quidẽ aues mansuefecissent, & ad prædam instituissent, ut nos facimus, nedum tintinnabulis ornarent: sin nouum, referat autorem unde prolatum sit. R. Somniare Deinde, hallucinare, uana somniare. L. Imò hallucinari est uisu errare, atq; caligine quadã obducta, minus recte dignoscere: quod ad oculos etiam mentis transfertur. R. Sperma genitale est semen. L. Græcum nomen est pro omni semine, & quod dicitur apud Ecclesiasticos, de semine Abrahæ, de semine Dauid, Adæ, spermate Græce dicitur. Quod non minus pudens uocabulum est, quàm apud nos semen. Nam idem nomen est, cum dicitur, Exijt qui seminat seminare semen suum. R. Spina. Deinde, frutex, pluraliter frutecta. L. Quasi frutices plurale non reperiatur, sic autẽ dicuntur frutecta à frutex, ut à carex carecta, à sentes senticeta, à rosis rosetũ, & plurale roseta, est tamẽ frutex aliud quàm spina: lege nostras elegantias. R. Stipendium. Paulopost, item meruerãt sub eis stipendiarij fuerant, & mercenarium militem, id est stipendiarium. L. Imò stipendiarij sunt, qui pendunt stipendium, non qui recipiunt, populi multi erant stipendiarij reipublicę Romanæ, hoc est, quòd pendebant, soluebantq; stipendium. Igitur dicendum est stipendiati, id est stipendia recipientes, quo uocabulo nescio an de ueteribus, certe de recentibus nonnulli utuntur. R. Studium. Deinde, Gymnasium locus exercitij studiosi. L. Imò locus ludorum appellatur à palęstra, quàm nudi exercent, quo in loco cum à ludis uacaretur, consueuerant philosophantes disputare, quod probat Cicero cum ait, Multis seculis ante gymnasia inuenta esse, quàm in ijs philosophi garrire cœpissent. R. Subrogare. Paulopost, Si militare non uis, uicarium tibi dabo, cui arma tua tradas, id est in loco tui qui uicem gerat. L. Loco tuo dicendum erat, non tui. Possessio enim significatur, non passio, quale, amore tui huc ueni: nempe quia tu amaris à me, hoc tamen in elegantię opere dixi. Illud non dixi, induere habere hanc constructionem. Vt apud Ciceronem in academicis, Et (ut docui) Antiochus in idipsum se induit, quod timebat, Quintilianus in 11. cum in grauissimas frequenter legum, semper uerò malæ conscientiæ pœnas, à semetipsis improuiso rerum exitu induantur. R. Superfluere. In fine, Hic autem ex abundanti facit, id est superflue. L. Imò accumulate, & quodammodo benignius, ut non solum satis sit rationum in causa, sed (quod multo præstat) abunde sit. R. Tanquam. Deinde, At ipse (utpote adolescens alti cordis) idem tanquam, utpote præsens fuisset, id est tanquam uelut ueluti. L. Aliud est utpote, aliud tanquam. Est enim utpote causatiua, ut quippe, quemadmodum in elegantijs ostendi, uerum hæc exempla Raudensis, ut solet, ex seipso fingit non aliunde repetit, quorum secundum ineptum est, ac minime Latinum, primũ uerò sic exponatur. At ipse alti cordis est, utpote adolescens, id est, quia adolescens est, cuius ætatis est propriũ esse sublimi animo. R. Tarde. Paulopost,

Ee Surre-

Surrexit tempestiue, mature uenit. L. Videtur accipere tempestiue pro cito, cū significet tempore suo & debito, ut Vergil. in primo Georgic. Aut tempestiuā syluis euertere pinum. Et Cicero nos admonet, ne irascamur aduersus eos, qui nos intempestiue adeunt: hoc est, tempore non idoneo. R. Tempestas. Paulò post, Procella non est minus terrarum, quàm cœli, sed tempestas, fluctuum: est fluctus, uis maris. L. Contrarium foret uerius, sed magis hoc modo differūt, quòd procella est uehementior quidam uenti impetus, nec ita durans: & in mari potius, quàm in terra. Tempestas, maris terræq; communis, ut Cicero in Philippicis, Sed statuę interierunt tempestate, ui, uetustate. Et in Verrem, Totæ enim res rusticę eiusmodi sunt, ut eas non ratio, neque labor, sed res incertissimæ uento, tempestatéque moderentur. Fluctus est lacuum quoq; atque stagnorum, magnorumq; paludum, ac maximorum fluminum, ut Gangis. R. Temperantia moderata. Deinde, Frugalitas est honesta largitas, & parcitas moderata. L. Nihil habet frugalitas affinitatis cum liberalite, uixq; etiā cum parcitate. Frugi homo uocatur proprie, qui in uictu temperans est, nonnunquam in uestitu, similibusq;: sicut econtrario luxuriosus, ut apud Senecam, Quintilianumq; de duobus filijs frugi, luxurioſóque. Cicero etiam uult frugē esse, qui ad omnia aptus, utilisq; est, & omni uirtute præditus, cui contrarium sit nequā, cuius significatio una est, quòd sit libidinis intemperatioris, altera quòd ad nihil bonus sit, sed planè malus, unde Piso frugi appellatus est, cuius adhuc cum hoc cognomine numismata extant. R. Priscianus dixit hic & hæc & hoc frugi, sed moderni tres obliquos casus habent, frugi frugē fruge. L. Qui sunt isti quæso moderni, si moderni Latinum uocabulum est: frugem, & fruge ab eo uenit, quod est fruges, non ab eo, quod est frugi. R. Tegere tegumina tegulę, quia ædes teguntur, tigillum diminutiuum à tecto. L. Tegmina dicimus, non tegumina, tigillum à tignum est diminutiuum, quod significat lignum præsertim trabale, unde tigillum parua trabes. R. Terentius. Multo post, Nam in prologis scribundis operam abutitur, non qui argumentum narret, sed qui maleuoli. posuit utrobique qui, pro quomodo. L. Imò sic exponendum est illud Terentij, Non is qui argumentum narret, sed is, qui maleuoli ueteris poëtæ maledictis respondeat. R. Sint à uobis spectandæ, id est probandę: uel exigendæ, id est expellendæ. L. An exigendę dicere debuit, non Vel, ut in elegantijs ostendimus, & ita Terentius scripsit, non ut Raudensis immutat. Illud quoque spectandæ, intelligendum est uidendę, cum aguntur in scena, potius, quàm probandę. Transeo quod ait duci nos falso gaudio, de Simonis gaudio accipiendum esse, non de Pamphili, ac Daui sperantium nuptias nunquam fore. R. Expletis his dubijs iuxta petitionem scholarium restarēt multa alia. L. Scholarium dixit pro scholasticorum siue discipulorum. Scholaris enim adiectiuum est, non substantiuum, male ergo, qui dixit, communia dico scholaris, quod Priscianus, ueterumq; alius nunquam scriptum reliquit. Rau. Per Priscianum tam in minori uolumine. L. Admonui superius unum esse Prisciani opus, non duo, uolumen quoque librum unum esse, non unum utiq; opus, in elegantijs planum feci. R. Credo etiam, quod iuristę acceperunt à Terentio titulum illum de restitutione in integrum. L. Ridiculum, quasi hoc non foret uerbum ante Terentium cęterosq; comicos omnes & in iudicijs & in legibus frequentatum, unde Terentius, sicuti multa alia, mutuatus est. R. Thesaurus. Deinde, Thesaurus non est aurum nec argentum, sed locus, ubi talia reponuntur. L. Imò proprie ipsum aurum, argentum'ue. Nam qui thesaurum inuenit, non locum auri, argenti'ue, sed aurum ipsum, argentum'ue dicitur inuenisse, & sublato auro, qui hunc locum reperit,

perit, nequaquã dicitur thesaurum reperisse. R. Testamentum. Deinde, codicillus est scriptura nulla indigens solennitate, sed solum testatoris uoluntatem significans. L. Codicilli dicuntur, non codicillus. Praeterea cum alia quaedam addere debuit, tum uerò illud, quod semper ad aliquem codicilli scribuntur, R. Tribulor. L. Graecum nõ Latinum uerbum est, & ideo nunquam à ueteribus usurpatum, nisi deriuamus hoc uerbum à tribulis, quod etiam Grecũ est nomen. Nam uerbum illorum potius transferendum esset per l, quàm per r, tlibulor. R. Cic. Obsecro te, ne quo aut timore, aut aegritudine afficias. L. Hec Ciceronis uerba nõ sunt, utpote minus eleganter dicta. Cum enim nequo antecedat, necesse est ea quę sequuntur, aut neutri generis esse, aut masculini, sic, ne quo te aut timore, aut angore afficias. Nam intermiscere foemininum (ut Rauensis facit) non secus permissum est, quàm si diceremus, nequo te aut aegritudine, aut molestia afficias. Ergo tollendum est primũ aut, sic, nequo te timore. Haec tamen in elegantijs latius. R. Tribunal. In fine, ex his apparet orchestrã potius esse locum, aut cameram senatoriam, quàm pulpitum, aut suggestum. L. Imò locus, ubi saltabatur publice, & ubi similia quaedam fiebant, & quem circunsedebant magistratus, & alij pro sua dignitate, & prout ordines poscunt: plebe autẽ stante magis, quàm sedente. Varro sic exponit, Orchestra locus in scena. R. Triumphus. Deinde, Trophęũ pro triumpho, ut ibi, trophaea sacra pangimus. L. Cur magis hoc loco trophęum pro triumpho accipitur, quàm pro suo significato? nunquid magis laudamus honorẽ uirtutis, quàm ipsam uirtutẽ? trophęũ autẽ & triũphus, honor uictorię est, nõ uictoria: uerum hoc loco accipitur trophaeũ pro uictoria siue pro uirtute ipsa, per quã uictoria parta est. Caeterũ non sunt digni illi, qui in testimonium linguę latinae afferantur. In quo autẽ hęc duo differunt? nempe quòd triũphus (ut aliàs dixi) est pompa illa solennis, quę fit redeuntibus in urbem cum uictoria, trophęũ, quod in testimoniũ uictori publico in loco statuitur, ut apud Ciceronẽ quòd Thebani equũ aeneũ in monumentũ uictorię contra Lacedemonios statuerant. R. Tuba. Nõ multo post Classica sunt cornua, quę cõuocandi causa erãt facta, & à calcando classica sunt dicta. L. Imò proprie classicũ est sonus tubę, quod Priscianus etiã ait: & Vegetius: alijq; testantur, unde Quintilianus ad primum obscoenę libidinis sermonem nõ aliter quàm si in hostem classicũ cecinisset, gladium illum, quem à te pro pudicitia nostrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit. Vegetij uerba haec sunt, Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt, hoc insigne uidetur imperij, quia cũ classicũ canit, imperator est praesens: uel cum in militem capitaliter animaduertitur, quia hoc ex imperatoris legibus fieri necesse est. R. Tullius. In fine, Possem nunc catalogũ totum oratorum his inserere commentarijs. L. Quid magis diuersum, quàm idem opus suum appellare librum, id est unum commentarium & commentarios? presertim cum superius dicat cõmentariũ ac librum. R. Tus. Deinde, Ferula uerò in Gargano nascitur. L. Quasi alibi non sint ferulę, quàm in monte Gargano, cum & plures & proceriores sint in ipsa planicie Apulię, & in alijs multis locis. Vidique in Sicilia, quantum recordor, crassiores ac longiores. R. Vagari. In fine, Homo discolus est uagus, indisciplinatus. L. Graecum non Latinum nomen est, significatq; malum, perniciosumq;, ac toleratu difficilem, unde Petrus in epistola prima, Seruite dominis, non solum bonis, sed etiam dyscolis, scribitur per y, non per i. R. Volumen. Paulopost, Credo quod orarium, & peplum sit idem, item sudarium, & orariũ habeas pro capite sacerdotes. L. De sudario, & orario ipse probet, qui sapit, certe peplus, non peplum dicitur, uestemq; significat solennẽ, quae inijcitur uel uiro, uel foeminae,

uel deo, uel deæ, ut apud Homerum, & alios gręcos poëtas, nam hoc nomē græcum est, à quibus Vergilius mutuatus dixit, Crinibus Iliades passis, peplumq; ferebant, etiam pepli inijciuntur equis. ut Pandarus ad Aeneam apud Homerum inquit, suis equis peplos decoros fuisse. R. Vendere. Aliquanto post, Vnde auctio proprie uidetur mihi fieri sub hasta. L. Imò uenditio rerū domesticarū, ut utensilium supellectiliū, quę alicuius dominio seruierant, domorū quoq; ac prędiorū, de quo in elegantijs diximus. Sub hasta autē ciuium proscriptorū, damnatorumq; bona uæneunt. Hastariū pro loco (ut ait Raudensis) non memini inuenisse. R. Et alter alterum superare contendunt. L. Alius alium dicere debebat, utpote de multis loquens. R. Mango, id est, proseneta. L. Imò qui uendit, & commodat pretio pueros, ut latius in elegantijs dixi. R. Venalitij mercatores uenditores exponit Nonius. L. An hoc dicat Nonius, tu uideris. Vænalitiarij dicuntur, non uęnalitij: nec mercatores, sed seruorū negotiatores, id est, qui mancipia & emunt & uenditant. R. Venire. Deinde, Cice. ait Brundusium futurus sum, id est, uenturus. L. Cur Brundusium dixit pro Brundusij? R. Item denuntiat Domitium ad me iter habere, id est, uenire. L. Imò uenire uelle, siue constituisse ad me uenire. R. Et huc commigrauit, id est, uenit. L. Imò commutato domicilio huc ad habitandum uenit. R. Venenū. Deinde, Hippomanes est hærba equos insanire faciens. L. Pro ueneno ab inguinibus equę distillante Vergilius accipit, cum inquit,

Lentum distillat ab inguine uirus:
Hinc demum, hippomanes uerò quod nomine dicunt,
Hippomanes, quod sæpe malę legere nouercæ,
Miscueruntq; hærbas, & non innoxia uerba.

Nam pro hęrba improprie apud Hesiodū poni significat, neq; homo latinus de autore latino, atq; usu latino silere debuit, & loqui de Græco, eo quidē minus, quòd tunc hippomanes utiq; uenenū est, cum saniem illam equinam significat, nō autem cum hærbam: & tunc esse uenenum, Vergilius ait, appellans illam uirus. R. Verecundia. Circa finem, Labem, & ignominiam, id est, uerecundiam, & quanto probro ciuitati sit, id est, uerecundię. L. Verecundiam eo, quo nemo unquam, modo accipit, quæ est honestus quidam timor ignominię, infamię, probriq; subeundi: & Raudensis pro ignominia, ac probro interpretatur. R. Via. Circa medium, Strata, quia pedibus uulgi trita. L. Sicubi strata sine appositione uiæ reperitur, non ideo dicta est, quia pedibus trita sit, sed quia lapidibus strata, ut sunt uię Romanæ in omnes ferè Italię urbes silicibus stratæ, ideóque plus sceleris latro, prædo, percussorq; committit, si in uia strata in uiatorem grassatur. R. Vitiosus. Deinde, Exoleti sunt fœtidi, præsertim in luxurię uitio. Lau. Exoleti sunt impudici: nec tam pueri, quàm grandiusculi, aut adulti, de quo nomine latius in elegantijs. Luxurię autem non latine dixit pro libidinis. nam Luxuria multum abest à libidine, eoque non uidetur in fine literę T. intelligere Ciceronem, cuius testimonium repetit ex primo libro officiorum, Luxuria cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est: non de uenereo uitio loquitur Cicero cum luxuriam nominat, quę est uerborum, uestiumq;, & quę sunt id genus, delicatior, ac sumptuosior cura, & ea propter adijcit tanquam diuersum dicens, Sin autem etiam libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est. R. Vilis. Deinde, Popularis, est de grege, & de minoribus. Lau. Imò frequentius, usitatiusq;, quod Cicero non modo usurpat, sed nonnullis in locis explanat, qui potens in populo, & charus est plebi, qualis Pompeius, Cęsarq; ante bellum ciuile, & alij multi, & hodie, & ubiq; huiusmodi sunt. Rau. Vernilis animo, & minuti animi, unde & de Seneca di-

citur, & quod habuit eloquentiam uernaculam. L. Imò uernilis est seruilis à uerna, quod est seruus, & uernaculam dixit Aulus Gellius, uel seruilem, uel plebeiam linguam, qua tanquam communi, ac naturali omnes uulgo utuntur. Vernaculum enim dicitur, quod domesticum, & nostri loci est, ut in elegantijs diximus. Cicero in Verrem actione secunda, Non ut solemus interdum in defensionibus dicere crimen domesticũ, ac uernaculum. R. Vlterius, secundum cõmunem usum loquendi, tantum ualet sicut insuper & sicut quin, & sicut cęterum, & sicut extra hęc. L. Vt ita sit Raud. quod longe est secus, tantum'ne etiã ualebit, sicut quantum insuper, quantum quin, quantum cæterum, quantũ extra hæc? sed (ut dixi) hęc non tantundem ualent quantum ulterius. R. Vltra pręter modum diligit, id est, ultra: ille citra mare, ille præter erat, erant enim præter quadraginta, id est, ultra. item præter cęteros, boni & honesti sectator. L. Consule aures tuas Raudensis, etiam uel ipse iudica, an elegans, purusq́ sermo sit, præter mare, & pręter quadraginta, id est, ultra. quod si rectum putas, afferre aliorum testimonium, non tua confingere, pro alienisq́ afferre debes: ego nescio, an illa præpositione uti liceat in hunc sensum, quoties ad locum refertur, uel ad tempus, Vtrum acutius dicitur istud quod tu, an hoc quod ego annotaui, perinde accipi pro peræque? ut Plinius, Funus Verginij Ruffi clari, etiam magni uiri, & perinde felicis, id est, ita felicis, ut clari. Cicero libro primo de finibus, Eas artes persequeretur, uiuendi artem tantam, tamq́ operosam, & perinde fructuosam relinqueret. R. Vnus. Deinde, Cicero ait unas à te literas accepi. Terentius ait unis domibus, id est, in una domo. L. In unis ædibus inquit Terentius, non in unis domibus, alioquin in nominibus, quæ singulari carent, necesse est nos sic loqui, ut latius dixi in elegantijs. R. Voco. In fine, cio cis, & cieo cies. Lau. Duo hæc, pro eo, quod est uoco Raudensis accipit, cum secundum significet idem quod moueo, ut Cicero de repub. Motu cietur interiore, & suo. Et inde citus, id est uelox: & concitus, cõmotus, & percitus in malũ, ueluti in furorẽ, iracundiam'ue motus, & frequentatiuũ concito, incito, suscito. R. Voluntas. Deinde, Auspicijs meis, id est uoluntate. L. Imò ductu, & sub fortuna mea, quia dux belli auspicia accipere solet. R. Dicimus uolutas, sicuti et uoluntas. L. Quid absurdius, quàm rem incredibilem sine autoritate proferre? cũ omnia huius loci pręcepta autoritate nitantur, quis unquã uolutas scriptũ reliquit, quale est etiã, quod sequitur? R. Vsquequo. Deinde, Ad quo potero, id est quo ad. L. Quis istud dixit bone Raudensis? R. Vsurarius Deinde, Quadruplator, est usurarius. L. Imò qui accusationibus, ac delationibus, quartã partem bonorum damnati expectat. R. Sed tamen amoto quęramus seria ludo, id est, utilia. L. Imò grauia & nõ iocosa Horatius intellegit, cuius hic uersus est. R. Vtor. Deinde, Curabo obsoleta calcare uestigia, id est dissueta. L. Cuius sunt ista uerba? cur non nominas autorem, ut possimus sensum uerborũ, sententiæq́ cognoscere? Obsoletum appellamus sordidũ, unde apud Horatiũ, Caret obsoleti sordibus tecti. Et apud Hieronymũ. Viri uox obsoletior quàm fœminę. Cic. tamẽ pro desueta posuit nõ ut ais, dissueta. ut in Põpeiana, Obsoleuit ista oratio, re multo magis, q̃ uerbis refutata. Et pro Quintio, Audacem, cupidũ, perfidiosum, uulgaria, & obsoleta sunt. Iterum pro eodẽ, His moribus obsoleuit, id est, inueterauit. Et quia quod ueterascit, quasi sordescit, siue in nihilum recidit: ideo pro hoc quoq; accipitur, quale fuit primũ exemplum, & eiusdem pro Cælio, Verũ hęc genera uirtutis, nõ solum in moribus nostris sed uix iam in libris reperiunt, chartę quoq; quę illã priscam seueritatẽ continebant, obsoleuerunt. Et alibi in eundem, Non uult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrẽ, noua postulat, inaudita desiderat. R. In logica

detriti sumus, id est usi. L. Aptius exponere poteras, quanquã tu teipsum exponis, & autor pariter, & glossator es: quod ita in logica sumus exercitati, ut gladius exercitatus, & ipso nimio usu cõminutus est, & apud eundem Hieronymũ dicitur, Pes tuus terat limen magistrorũ, cum usum, et audiendi exercitationẽ significat. R. Perfuncta satis sum his, id est usa. L. Imò finẽ utendi, fungendiq́ꝫ feci. ut Cicero, Perfuncta hoc misero, fataliq́ꝫ bello respub. & hoc in malũ, sed frequẽtius in bonũ: sicut defunctus in bonũ, & malum, quod uidelicet finit uitã: defunctus morte, uel periculis, uel laboribus, quod iam imposuit semel finem his malis, exempla discentibus inquirenda relinquimus. R. Vtrinque. In fine, Vltro, citróque res male est, id est hinc inde. L. Non uterer hoc ego genere sermonis. Vltro citróq; enim, significat reciprocam quandam itionem, aut reciprocum respectum, quod de re utrobiq; male gesta dici non potest. Vtrobiq; dixi, non ut Raudensis hinc inde. R. Vua præcoqua, uel pręcox, id est præmatura. L. Pręcoqua est, quæ ante aliâs uuas matura est. Præmatura, quę ante maturitatem legitur, ut in elegantijs latius. R. Racemus dicitur unum granum, uel acinus uel granellum, quod in racemo est. L. Imò Racemus est illa (ut sic dicam) testa uuarum, plurima grana continens. Acinus uerò, est id quod Raudensis appellat racemũ. Vinaceum autem, quod idem acinum uocat. nam arillum, & granellum Raudensia sunt, & non latina uocabula.

# DVO TARQVINII

## LVCIVS AC ARVNS, PRISCI TARQVINII

filij'ue an nepotes fuerint, aduersus Liuium Laurentij Vallę, argutissima ad Alphonsum regem disputatio.

Alphonso minoris maiorisq́ꝫ Hesperię Regi Laurentius Valla S.

CVM Titum Liuium quotidie Romanorum historicorum eloquentissimum aut audias aut legas, æmulator ueterum in omni genere uirtutum, uelim iudices, an rectè de loco quodam sentiam huius autoris, quę res ad regem ut tu es, pertinet. Ait enim Liuius: Hic Lucius Tarquinius Prisci Tarquinij regis filius, nepos'ne fuerit, parum liquet, pluribus tamen autoribus filium crediderim. L. Ego uerò contra magis ab illorum parte sto, qui nepotem tradiderunt: neq; hoc externis testibus, aut aliunde sumptis rationibus, sed suo autoris testimonio, suáq; ipsius confessione, ut à semet dissentire, ac repugnantia quędam narrare uideatur. Nam quomodo hęc quæ nũc ex illo repetij, cum his cõstant, quę ante dicuntur, Liu. Tunc Anci filij duo, etsi antea semper pro indignissimo habuerãt, se patrio regno tutoris fraude pulsos, regnare Romę aduenam, nõ modo nõ uicinę, sed ne Italicę quidẽ stirpis: tum impensius his indignitas crescere, si ne à Tarquinio quidem ad se rediret regnũ, sed præceps inde porrò ad seruitia caderet, ut in eadem ciuitate post centesimũ ferè annũ, quàm Romulus deo prognatus, deus ipse tenuerit regnũ, donec in terris fuerit: id Seruius, serua natus, possideat: cum cõmune Romani nominis, tum pręcipue id domus suæ dedecus fore, si Anci regis uirili stirpe salua, nõ modo aduenis, sed seruis etiam regnum Romę pateret. Ferro igitur eam arcere contumeliã statuũt: sed &

iniuriæ dolor in Tarquiniũ ipsum magis, quàm in Seruiũ eos stimulabat: et quia grauior ultor cædis, si superesset rex, futurus erat, quàm priuatus, tũ Seruio occiso quencunq; alium generũ delegisset, eundem regni hæredem facturus uidebatur. L. Nónne hęc filiorum Anci regis indignatio, atq; hęc spes planè declarat, Tarquinium, in quem irati erant, sine uirili prole discessurũ? Nam quid quęso magis fortunę aduersum, quàm regem qui filios habeat, & pręsertim legitimos, alium quencunq; generum quærere, cui regnum, dum mortuus erit, relinquat? At erunt forsitan filij infantes, Esto, quanquam de hoc postea latius dicã, * non de rege moriente nũc loquimur, qui uelit cõdere testamentũ, etsi filij infantes sint, ipse tamen sospes. Sint licet modo liberi nati, tamen illos pater uisurum se iuuenes sperat, & eorũ causa diutius uicturum, nec minus ardens est parentũ amor in paruulos liberos, quàm in iam adultos. Quid quòd nõ modo generum filijs fuisse pręlatum uult autor, uerum etiam hoc genero extincto alium atq; aliũ deinceps, quem regno pręficeret, Tarquiniũ fuisse quæsiturum? quod nõ modo de homine, qui diu uiuere & poterat & sperabat, dicendum nõ fuit, sed ne de eo quidem, qui iam mortem sibi impendere intelligens, de regno disponat: & ne alia quæram exempla, certe Ancus pueris liberis sub tutoribus quidem, sed tamen regnum reliquit. Sceleratus enim pater atq; execrandus, qui non dicam nato filio, sed uentri non relinquat hæreditatem, & pręcipue regnũ; aut aliquam dignationem: ut qui alijs dominari debeat, is patris culpa sibi dominantem alium uideat, & quidem de numero subiectorum, ne dicam de periculo capitis, quod infelix ille iure naturę hæres uix potest effugere ab ipso illo qui alieni patris obtinet regnum. Dixi de patre: quid de matre dicam: neq; enim Tarquinius Superbus ab ullo autore significatur illegitimus fuisse, nec regnũ sibi post Seruiũ uoluntate patris successor illegitimus uẽdicasset. Eius igitur mater nihil de regno filij laborasset? At quę mulier? nempe ad faciendos reges nata: quippe cuius beneficio duo uiri alter peregrinus alter ancilla natus Romę regnauerint. De qua ita Liuius ait, Liu. Tanaquil inter tumultũ claudi regiã iubet, arbitros eijcit, simulq; quę curãdo uulneri opus sunt, tanquã spes subesset, sedulo cõparat, simul si destituat spes, alia pręsidia molit: Seruio properè accito, cum propè exanguem uirũ ostendisset, dextrã tenens orat, ne inultã mortem soceri, neu socrũ inimicis ludibrio esse sinat, Tuũ enim inquit Serui * est regnũ nõ eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Lau. Vbi hic mentio uel cõmendatio filiorũ? an quę umbram Seruij multũ ualituram putabat, non ualidiorẽ fore putasset, si tutor atq; autor regię stirpis uideretur, adiuncta pręsertim sua, id est matris & reginę autoritate, qua pro liberis, & pro stirpe regia laborantis summa esset pro alieno, aduersus liberos nulla: neq; enim populus ex eadem domo serua, quàm regina natũ regnare mallet. Ergo regina, & quod plus est, Tanaquil aut tam parum amans suorum, aut tam humili animo foret, ut uel nollet, uel desperaret & regnũ defendere filiorũ cum sua quoq; dignitate: nam quæ amisso uiro regnare patris loco filium uidet, adhuc regina est, & ego sic ago, tanquàm Tarquinius filius fuerit infans: quid si ostendam puerum? quid si adolescentẽ? quid si iuuenẽ fuisse? nónne id fit multo incredibilius, quod Liuius ait? Quod non dico, quia magis, cõsultum uelint parentes iuueni filio, quàm infanti: sed quia magis possint cõsulere. Vnde hoc probo? Nimirum per id, quod paulopost sequitur. Liu. Itaq; per aliquot dies, cum iam expirasset Tarquinius, cælata morte per specię alienę fungendę uicis, suas opes firmauit. Tum demum palàm facta, ex cõploratione in regia orta, Seruius præsidio firmo munitus, primus iniussu populi uoluntate, partum regnauit. Anci liberi iam tum cũ comprehensis sceleris ministris, ut uiuere regem, & tantas esse opes Seruij nun-

alibi, nam

alibi, si uir es

ciatum est, Suessam Pometiam exulatum ierant: nec iam publicis magis cõsilijs Seruius, quàm priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquiniũ fuerat, talis aduersus se Tarquinij liberûm esset, duas filias iuuenibus regijs Lucio atq; Arunti Tarquinijs iungit. L. Hoc nõ modo inter initia regni Seruiani, sed propè nihil prius factũ fuisse narratur: ne quis dicat nõ statim rege patre filias Seruij nupsisse Tarquinijs, sed potius circa mortẽ: nam primum ex hoc peruersitas coargueretur historię, quæ res gestas pręposterè narraret, quod in historico non mediocre peccatũ est, nisi cum id aliqua ratione facit. Deinde fuisse diu Seruio generos probat illud, quòd aliquãto post forte ita inciderat ne duo uiolenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi Romani, quo diuturnius Seruij regnũ esset, constituiq; ciuitatis mores possent. Ergo post contractũ matrimonium diuturnũ fuit Seruij regnũ, & cõstituti sunt mores ciuitatis. Quid ni statim inter initia Seruiani regni, ut ab autore narratur, nuptę sunt Tullię Tarquinijs, & quidem iuuenibus, ut iuuenes nuncupantur. Quod cum ita sit, quid absurdius quàm uelle in his nullam nec parẽtibus spem, nec inimicis fuisse formidinẽ. Cur eos pater delecto in successorẽ genero præterisset? cũ neq; impij, neq; mẽte capti, neq; perdita ualetudine, neq; illegitimi, si quid hoc ad paternũ amorem facit, essent. Cur mater defuncto uiro diffisa foret paternũ se filijs regnũ defensuram? nam de materna pietate dubitare improbum est. Cur duos fratres iuuenes regis filios, & quales modo descripsi inimici, contemnẽdos putassent? Cur postremo ipsi iuuenes uernã patris, in paterno regno anteponi sibi tolerassent? quos etiã patre uiuẽte, & pręcipue maiorẽ natu, credibile est regnare cœpisse, & certa à patre cõmissa munia obijsse. Et hęc quidẽ repugnãtia naturę sunt: illud uerò ipsi autori, quòd qui modo circa initia regni soceri iuuenis appellatur, is circa eius obitũ, qui quatuor & quadraginta regnauit annos, iuuenis permanet, atq; adeò adolescẽs nominatur. Dicit enim Liuius: Si sibi eũ quo digna esset dij dedissent uirũ, domi se propediẽ regnũ uisurã fuisse, quod apud patrẽ uiderat, celeriter adolescentẽ suę temeritatis implet. Pauloq; post. Quid te ut regiũ iuuenem conspici sinis? facesse hinc Tarquinios aut Corinthum: deuoluere retro ad stirpẽ, fratri similior quàm patri. Lau. Hisq; atq; alijs increpando iuuenẽ instigat, nisi quis dicat non quum occidit socerũ fuisse iuuenem, sed cum occidere persuasus est. Ita puto, dum decreuit facere maleficium, adolescens est: dum illud perpetrat senex est: nam certè sexagenarius erat, cum præsertim ut sceleratissimum, ita facillimum factu id facinus esset, cuius inter propositum et perpetrationem unum intercessisse annum etiam multum est, & alioqui ex serie rerum, atq; ipsius autoris colligitur uerbis, hęc infanda Tullię instigatio non nisi extremo tempore uitę Seruij fuit, cuius furoris causam, quia non rectè autor omisit, postea reddam. Neq; hanc increpasse maritum uidemus, quòd differret perpetrare quod constituerat: sed tantum, quòd hunc animum non haberet, uidelicet postquam ab illa animatus est, nequaquam id eum differendũ putasse. Quare non intelligo, quomodo post tot Seruiani regni annos sit etiã si nõ iuuenis paternę mortis tẽpore, sed puer aut infans extitisset: aut si nunc iuuenis erat, ut eum autor uocat, & ego assentior, & alia consentiunt argumenta, nimirũ fieri nõ poterit, ut ex Tarquinio prisco tot ante annis iam mortuo sit genitus, maxime cum nõ sit postremus liberorũ, & habeat saltem Aruntem natu minorem. Atque hoc quidem argumentum à persona patris ducitur. Vehementius autem erit à persona matris, quam demõstrabo prouectiore fuisse ætate, quàm ut Tarquiniorũ mater fuisset. Scribit enim Liuius: Anco regnãte Lucumo uir impiger, & diuitijs potens, Romam commigrauit, cupidine maximac spe magni honoris. Cuius adipiscendi Tarquinijs (nam ibi quoq; peregrina

stirpe

stirpe oriundus erat) facultas non fuerat, Demarati Corynthij filius erat, qui ob seditionē domo profugus cum Tarquinijs forte cōsedisset, uxore ibi ducta duos filios genuit, nomina his Lucumo atq; Aruns fuerunt. Lucumo superfuit patri bonorum omnium hæres. Aruns prior quàm pater moritur, uxore grauida relicta, nec diu manet superstes filio pater: qui cum ignorans nurum uentrem ferre, atq; immemor in testando nepotes decessisset, puero post aui mortē in nullā sortem bon orū nato, ab inopia Egerio inditū nomen: Lucumoni contra omniū hæredi bonorū, cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimoniū Tanaquil summo loco nata, & quæ haud facile ijs, in quibus nata erat: humiliora sineret. Ea cum illi nupsisset, spernentibus Etruscis Lucumonē exulem, aduenā, ferre indignitatē non potuit, oblitaq; ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo uirum honoratū uideret, cōsilium migrandi à Tarquinijs cæpit. Roma est ad id potissimū uisa. Paulo pòst, ubi dixit, Aquilam mariti cum uxore in carpento sedentis pileum abstulisse, rursusq; reposuisse, subiungit: Accepisse id auguriū læta dicitur Tanaquil, perita, ut uulgo Etrusci, cœlestiū prodigiorū mulier, excelsa & alta sperare, cōplexa uirum iubet. Eam alitem ea regione cœli, & eius dei nunciam uenisse, circa summum culmen hominis auspiciū fecisse, leuasse humano suppositū capiti decus, ut diuinitus eidem redderet. Has spes cogitationesq; secum portantes urbem ingressi sunt, domicilioq; ibi comparato, Lucumoni Tarquinium Priscum indidere nomen. Lau. Interrogo nūc, quot annos hanc fœminam tunc uolumus implesse, cum nupsit? certè sedecim, decem & septem'ue, aut duodeuiginti, siquidem autor uocat mulierem, hoc est quantū interpretor, ultra puellares annos, eidem prudentiam, eidem sublimitatē animi tribuēs, quæ sunt magis matronalis, quàm puellaris ætatis. Quod porrò addemus annos, donec Romam demigrauit, neq; enim statim nupta è patria sibi demigrandum putasset, neq; mulier nobilis, ita æquo animo domū reliquisset, neq; indignatio in suos ciues intra perbreue tēpus cōtrahi poterat. Non enim iniuria aliqua, aut intoleranda ignominia hominē mouebat, sed quòd sperneretur: neq; hoc præter solitum, quippe cū semper talis fuisset, & nihilominus si ab ea ciuitate, ubi natus ex matre ciue erat, tamen ut aduena fastidiebatur: nōne id multo magis erat extimescendū in eo populo, cum quo nihil sibi cōmune esset. Neq; laurū sane patrimonium cum emūdis in externa urbe bonis facile cōmutasse? Dum itaq; datur aliquod more hominum nouis nuptijs tempus, dum sperātur quotidie meliora, ut fieri solet à ciuibus suis, dum an Romā migrandū sit cōsultant, dum domos prædia, facultates, quæ transportari nequeūt, uenditant, neq; id per festinantiā, ne uilius uendāt: dum postremo profectionē tempestiuā & honestam apparant, dicamus hāc mulierē ad annū uigesimū peruenisse. Certè Glos eius iam mater erat, quæ cum esset minoris fratris uxor, ut mea fert opinio, posterior q; Tanaquil nupsit. Non enim uideo cur uiuo patre minor filius uxorē duceret, maior nō duceret, licet tacite autor aliud significare uideatur. Ego tamen non reor Lucumoni omniū bonorū hæredi auxisse animos nobilem uxorē, nam id parū profuit, sed iam uxorē habenti solidā hæreditatē. Ita uero hoc ipsum, q; hæc mulier est autor uiro Romā migrādi, quòd tam perita cōiectandi auguria nō ob id solum, quòd Etrusca esset, nam & maritus erat Etruscus, sed & longū usum haberet, q; ei maritus ipse homo imprimis prudēs, & impiger in omnibus ferè cōsilijs auscultat. Nōne uiginti saltem annos fuisse testatur, cum Romā intrauit? Quid autē Romæ? quot annos priuati degerunt? quis neget plures quàm post contractū matrimoniū collegimus? Etenim homini aduenæ discēda erat lingua Romana, ne semper aduena putaretur, & quod expertus erat, fastidiretur, percipiēdi mores, obeunda munera publica in tantam regis penetrandā familiaritatē, ut ipso rege

tutor filijs relinqueretur. Deniq; in talem conditionem, statũ, famam peruenien dum, ut saluis regis liberis, ac prope puberibus, dignissimus regno præter Romanos omnes iudicaretur. Quod apertissime ipsa autoris uerba confitentur dicentis. Liu. Se ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge, ac fortunis omnibus cõmigrasse, maiorem partem ætatis eius, qua ciuilibus officijs fungãtur homines, Romæ se, quàm in patria uixisse, domi militiæq; sub haud pœnitẽdo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse: obsequio, & obseruãtia in regẽ cum * cæteris, benignitate erga alios cum rege ipso certasse. Lau. Omne tempus hoc demus fuisse annos decem, ut triginta annos nata fuerit, cũ uir eius creatus est rex. Cum idem moritur, nam duodequadraginta in regno fuit, annũ ageret duodeseptuagesimũ, & circiter uiginti iam parere desierit, Ex quo necesse est Luciũ, qui postea Superbus appellatus est, uicenariũ fuisse cũ patrẽ amisit. Neq; uerò hoc loco quorũdam opinioni respondendũ est, qui illã censent prosperiorem corporũ ualetudinem, ac uiuaciorem fuisse, quàm nostra ætate: cum sciamus peræque illos parum uixisse, ac nos uiuimus, & ab eisdem, à quibus nos, annis initium senectutis designasse, ut cum ex alijs libris, tum uerò ex Liuio ipso datur intelligi, apud quos nescio an aliquam, nisi miraculi loco repererim, cum annũ quinquagesimum excessisset, partum edidisse: Tamẽ in hac muliere tribuere uolo non ante defuisse parere, quàm annum quinquagesimum ageret. Concepit igitur undequinquagesimo anno Aruntem. Luciũ uerò quid possum dicere minus duodequinquagesimo? nisi ut omnia in angustũ coarctemus, dicat quis utrũq; eodem partu à quinquagenaria editũ: quasi uerò credibile sit, ut quæ per senilem ætatem cõcipere uix iam posset, ea cõceperit geminos. Dicamus itaq; maiorem fuisse Lucium ferè Arũte uno saltẽ anno conceptũ, matre duodequinquagesimum annum non transgressa, qui paternæ mortis tempore, quemadmodũ ostẽdi, si prope uicenarius erat, qua ratione plus quadraginta ab obitu patris annis adolescens, ut iuuenis erit? aut si iuuenis adolescensq; erit: quo pacto filius esse poterit reginæ, quæ plus sexaginta annis ante Seruij mortẽ cõcipere desierat? Atq; ut aliã quoq; adijciamus repugnãtiã, filius'ne Tanaquil erit, & si non minimus liberorũ, qui postquàm mater parere cessauit, centũ ferè annis in acie cum dictatore Romano conflixit singulari certamine, ita enim autor tradit. In Posthumiũ prima in acie suos hortãtem instruentemq; Tarquinius Superbus, quanquàm iam ætate & uiribus erat grauior, equum infestus admisit: ictusq; à latere, cõcursu suorum receptus in tutum est. Siquidem hæc decimo, quã è regno expulsus est anno gesta sunt, aut etiam tardius: cum ipse quinq; & uiginti regnasset. Atqui inauditum est apud Romanos centenarium hominem, ac ne nonagenariũ quidem, aut octogenarium singulari certamine in aciem, & præcipue cũ iuuene, concurrisse, & si quis contentiose de numero à me collecto detrahendũ putat: scire uolo quantũ putet detrahendũ. An minorem dicet Tanaquil fuisse cum nupsit, ea quã dixi ætate? at hunc pudebit minorem illam facere quindecim annis, an post contractũ matrimoniũ nimiũ temporis esse quadriennium trienniũ'ue prius quàm Romã migratũ est? at unum intercessisse annũ nõ denegabit: an decenne diuturnius iusto spatiũ, quo sub rege Anco Romę mansum est? At quadrienne saltẽ cõcedere cogẽt: ita ex hac subductione palã erit Prisco moriẽte decem, ut parcissime dicamus, annos natũ Superbũ fuisse. Quæ cum ita sint, hũc nõ pater successorẽ regni destinasset? hũc inimici non timuissent ne patri succederet? hũc columen ac decus mulierũ mater, & cuiuis regũ uirtute par, nõ in patris demortui sede collocasset? hũc Seruius serua natus atq; hęredis uel uerna uel libertus nõ sibi anteposuisset? hũc populus, qui patrẽ eius, et priuatũ et aduenã esse regẽ iussisset, nõ & ipsum adiutrice regina regẽ creasset? hũc quisq;

cum plusquàm quinquagenarius est, adolescentem aut iuuenem uocet? hunc fermè nonagenariū in aduersum hostem credamus infesto telo equū admisisse? Huius denique sororem, hoc est ex Tanaquil genitam concedamus matrem Bruti fuisse? quem in exigendis rebus iuuenem Liuius uocat, & æqualem cōsobrinorum, hęc si minor Lucio fratre fuit, augebimus pueriles illius annos ante mortē patris. Sin maior eo incredibilius mulierem octogenariam ne dicam plusquā nonagenariā esse iuuenis matrem, quæ omnia si per multum à fide abhorrent, confitendum est Tarquinium Superbū cum fratre non fuisse Tarquinij Prisci filios: nec eorum sororem eandemque Bruti matrem filiam: sed nepotes, neptemque, sicut Ancus Numę, sicut Tullus Hostilius Romuli socrj nepos fuit, nō filius: Vt enim Ancus à Numa, Tullus à Romulo tertius fuit, sic Superbus à Prisco, aut quasi nepotes, aut quasi neptem: cur ita? quia neque filium quempiam fuisse Prisco narratur dūtaxat ab hoc autore: nam apud alios quosdam inuenio fuisse, qui adolescens ob strenuitatem militarem bulla & prætexta à patre donatus est, & si is ante patrē decessisset suscepta prole ac superstite profectò auus, & auia cōsultum nepotibus naturæ lege uoluissent. Neque si nepotes ex filia fuissent, uideo cur Tarquinij uocarentur. Et hac, ut suspicari libet, Titus Liuius uir prudentissimus ratione adductus est, ut hos esse nepotes, Prisci Tarquinij uellet. Qua in sententia ipsi ego adstipulor, ideoque dixi quasi nepotes, eruntque nati patre Tarquinio, hoc est Egerio. Nam sicut ipse Lucumo, quod ab urbe Tarquinijs uenisset, Tarquinius dictus, ita Egerio ob eandem causam idem nomen inditū est, quòd si Collatino huius filio, ut inquit autor hoc nomē fuit, necesse est, ut idem fuerit & patri, ac quod erit inquies Superbus Egerio natus: qui fuit Collatini pater, cū Collatinus ipse frater Superbi nō fuerit, sed Aruns. Nec hoc quidē uidet mihi T. Liuius rite tradidisse: quis eñ credat Collatinū filiorū Superbi, qui iuuenes erāt, æqualē, prout & ab autore memoratur? nam sic inquit: Quin si uigor iuuentæ inest, conscendimus equos, inuisimusque præsentes nostrarū ingenia, patrē habere centū, & uiginti egressum annos, aut ut minimū dicamus, pauculis annis minorem. Tot enim sunt aut ferè tot ab ortu Egerij. Adeò Superbus ipse fuisse nepos, potius quàm filius mihi uidetur Egerij: nedum hic tanto minor natu potuerit esse filius. Probabilius itaque fuerit Superbū, qui parens esse poterat Collatini, & ut coniectura ducor patruus erat: licet aliqui (quorū est Plinius) auunculū tradāt, fratremque Aruntem. qui nomen Auitum uidetur retulisse, à patre impositū ab Egerio traxisse ortum uel patre, uel, quod magis arbitror, auo. Ex quo illud iam sua sponte apparet, non timoris causa generos Tarquinios à Seruio rege adscitos, ne paternum regnum exemplo filiorum Anci repeterent: nam eos potius tollendos curasset, cum nullum ius Egerianæ stirpi ad regnū esset, si cum ipse iam senior, aut nullos filios sustulisset, aut si obierant, nullos posthac tollere speraret opinor. Nec nobiliores iuuenes inuenisse, quibus filias collocaret, & ęquū censuisse in eandē Tarquinorū familiā potissimū referre regnū, unde illud accepisset eo quidē libētius, si filię suæ matre Tarquinia, & cuius gratia regnū fuerat adeptus, genitæ erāt. In quo illud quoque absurdū, si Liuiū audire uellemus, sequeť, ut quod apud Romanos mores insuetum est, illę regis filię fratribus nupserint matris: nunc autem cognatis, non auunculis, quia filiæ regis non erāt, in matrimoniū datæ. Hic tu quæres, si ita est, quid ergo sibi Tarquinius Superbus regnū, uelut hæreditatem reposcit? poteram dicere, quòd putabat sibi deberi, ut nepoti, pronepoti: ut Fratris Prisci Tarquinij, ut filio nepoti, ut Egerij quod ei patruus, cui propter ius gentium patrimonium intercepisset, ignominiosumque nomen immisisset, regnū per manus tradere, aut debebat, aut destinabat, cū uirilem stirpē non haberet, quem pro caro habuisse illud est argumentū, quod Liuius ait: Et forsan hic in regnum

patruo successisset, nisi Tanaquil pro genero in contrarium fuisset annixa. Poteram etiã alia dicere, sed me ad se maxime uocant uerba autoris, qui non sua sponte Tarquinium, & si uir erat uiolentus ac ferox, ad maleficium accessisse significat, uelut agnoscentem ad se non pertinere regnum, sed uxoris cõsilijs inductũ, ut superius uidimus, & ex his quoque uerbis, sed initium turbandi omnia à fœmina ortum est, quæ uirum tanquam mare suapte natura quietum procellosis quibusdam uentis furoris agitauit, ut regnum affectaret ut illud per sanguinem, per mortem, per parricidium peteret: & quò res sit indignior, per parricidium senis, cuius mortem expectare, id quod Romanis Hannibal exprobrauit, longum censerent: quod scelus cum in genero, qui fuit persuasus, abominandum est, tum uerò in filia persuadente detestabilius. At hoc ipsum fidem non habet, talia in patrem filiam fuisse ausam, à quo nec aliquid esset offensa, & regnum iure optimo, & quidem propediem speraret, interim satis habens felicitatis, quòd & filia regis erat, & futura regina, cum unica esset proles patri, ac semper futura unica propter paternam senectutem. Reddam, quam superius me redditurum promiseram causam, quæ ut improba, ita uehemẽs fuit, & filiæ cum genero communis. Timuit hæc sceleratissima fœminarum superbos & plusquã regios, imò tyrannicos spiritus habens, ne successione regni, quod suum fore credebat, naturali iure fraudaretur, regno in Rempublicam cõmutato: quod facturus ipse uidebatur, ut Liuius ait, id ipsum tam mite, ac moderatum imperiũ: tamen quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam autores sunt, ni scelus intestinũ liberãde patriæ cõsilia agitanti interuenisset. Et iterũ postea in calce libri, Liu. Duo cõsules in comitijs centuriatis à præfecto urbis ex cõmentarijs Seruij Tullij creati sunt. Lau. Hanc cõtumeliam iniuriamque non ferens filia, ut quæ patre quoque rege progenita, & si ratio pignorum haberetur, regni hæres erat, ea ad priuatum cõmunemque cæteris statũ descenderet, maritũ, qui & ipse spe regni exuebatur, ad occupandum regnum instigauit, & impulit ad mortem patris, & quod credere libet prius ad mortem sororis, & pristini uiri, quibus saluis, utpote languentibus ingenijs regnũ paternum obtineri non poterat. Ait enim Liuius, Angebatur ferox Tullia, nihil materiæ in uiro, neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse, tota in alterum conuersa Tarquinium, cum mirari, eum uirum dicere, ac regio sanguine ortum, spernere sororem, quòd uirum nacta, muliebri cessaret audacia. statimque pòst, Nullis uerborum contumelijs parcere de uiro ad fratrem, de sorore ad uirum, & se rectius uiduam, & illum cœlibem futurum fuisse contendere, quàm cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignauia esset. Lau. Nam quid attinebat incusare uirum, quòd parũ uirili animo, incusare sororem quòd ignaua esset? nõ uideo aliud, nisi quòd hic socerũ illa patrem non occideret. Atqui hoc sceleratissimum est: sceleratissimum quidem, sed tamen sceleris merces, ut quod ereptum iri sibi uidebant regnum inuaderent. Sed ita nihil incredibilius erit. Quis enim credat hanc uelle, atque adeò hortari germanam, trucidare communem patrem, ut illa potiatur hæreditate? illa inquam, cuius uitam, ut exitus docuit minoris faciebat, quàm non modo coniunctæ, sed etiam ancillæ. Alia ergo fuit causa, quàm clamor sororis, quæ nulla alia esse potuit, nisi ne paternũ regnum per iniquitatem patris liberis præriperetur, ideoque sororem increpabat, quòd maior natu nihil de regno laboraret. Ideo maiorem fratrum ad hanc spem, sed non sine suo morbo erexit, rectè que subiungitur. Si sibi eum quo digna esset dij dedissent uirum, domi se propediem regnum usuram fuisse, quod apud patrẽ uiderat. De qua nulla hic, & ad extremũ (nam finem iam facere uolo) dicere habeo: non fuisse autori faciendũ, ut, quã matrem iuuenem uocat, circa tempora uiolatæ Lucretiæ, eandem dicere mirum esse Tar-

quinij

quintij Prisci, ac Tanaquil, quæ iam nonaginta fermè annos liberos nō generat. Hæc sunt optime rex, cur Tito Liuio non accedam, Tarquiniū Priscum patrem fuisse Tarquinij Superbi, nec eum posteritatē uocaturam Priscū fuisse arbitror, si pater huius extitisset. Priscū enim dicimus, nō qui patrū, sed qui auorum, aut proauorum memoria fuit, & hoc nomē illi non à sui temporis hominibus, ut autor dicere uidetur, sed à posteriori seculo inditum, ut Prisci Latini, aut cætera huiusmodi, in quibus tu, quem potissimū in hac quæstione mihi deligendum putaui iudicē, si mecū senties, qualibet breui epistola respondebis: quod si dissenties, longiore: ut rationes meas tuis melioribus refellas. Vides, ut tibi tacite blandior, quasi suadeam, ne laborem subeas me refellendi, id est, ut mihi assentiaris. Verū absit hoc ab utroq; nostrū: nam neq; meum est falso quempiam uelle accusatione damnare, neq; tuū, aut labori cedere, cuius semper uictor extitisti, aut clarissimos uiros, quorum inter primos est Liuius, quoties falsò accusantur, pati desertos. Vale. Neapoli pridie Nonarum Decembrium.

# LAVRENTII VALLAE CONFVTATIO PRIOR IN Benedictum Morandum Bononiensem.

VTrum de me peius mereantur, an melius inimici & hostes mei, quòd mihi negotium exhibent, ac bellum inferunt, haud queo satis, pro certo dicere: nec utrum plus ex ea re molestię capiam, an uoluptatis. Nam & libros meos carpi, & famā meam incessi, & tempus melioribus rebus debitum cogi me diluendis criminibus impendere, sanè mihi quàm molestum est, & in magnæ iacturæ loco ponendum. Rursum stratis, fugatis, captis hostibus, multum ex ipsa uictoria uoluptatis capio: nō quia homines de me male meritos ultus sum, quorum uicem etiam miseror, sed quòd existimationem ac gloriam meā non modo restitutam, uerū etiam corroboratam, auctam, illustratam intelligo. Quæ uoluptas & si diuturnior est, quàm molestia fuerat: tamen uehemētius inter initia afficit molestia, quàm uoluptas. Certe præoptarem semper, & mallem pace frui, q̄ in incertum uenire uictoriæ. Verum nunc laboribus periculisq; bellorum defunctus, atq; aliquot uictorijs potitus (fas enim est lacessito post uictoriam gloriari) non equidem habeo gratiam ijs, qui me lacesserunt: sed tamen gratias ago, quòd laudi meę cōsuluerunt, cum non cōsuluerint suę, quorum nemo est, quem non pœnituerit me lacessisse. Quo magis miror, nescio quem Benedictum Morandū, ut aiunt tabellionem, iure ciuili nonnihil tinctum, aliorū ruina non fuisse deterritum à me oppugnando, minus illum quidem contumeliosum, quàm cæteri, sed pro rei cōditione, uel contumeliosiorē. Neq; enim se à me lacessitū esse, ut alij fecerūt fingere potest: sed à me Liuium lacessitum obijcit, quòd ab eo una in opinione dissentiam, cuius noxæ (quod nunquam fando cognitū est) pœnā à me exigit capitis, & quidem apud summū pontificem, quasi religionem prophanauerim: neq; id quia Romanus, ut ad eum de Romana historia pertineat, non quia Patauinus, ut tutanda sit ei patriæ dignitas, non deniq; quia historicus, ut historici nominis doleat uicem, sed quia notarius est. Nam Liuius, si huic credimus, notarius est Romanæ historiæ: ut merito quemadmodum Cicero consul Murenā cōsulem defendit, sic Benedictus notarius, Titū Liuiū notariū defendere debeat. Stulta ista notario, et notari digna est ratio, unde tibi fauorē concilies.

Stultum fingere te dolere, ut in me confles odium, quòd tanto uiro detraham: non enim ut tu inuidia mei, sic ego inuidia Liuij ductus sum, quem amo, quem uene ror, quem imitari studio. Cuius etiam sex libros de secundo bello punico, quod multi facere conati fuerant, meo maximo labore, ita pristinæ synceritati restitui, ut ne syllabam quidem omiserim. Cuius deniq; in libello meo pie semper, ac re uerenter feci mentionē. Quo fit, ut nesciam plus'ne stomachi, an risus mihi mo ueant tragœdiæ tuæ, qui de causa ciuili criminalem facis. Vtinam Benedicte po tius bene diceres, quàm Benedictus uocareris, & pro Morando moratus homo esses, ne'ue cum uites odio Bacchi incidere uis, more Licurgi, crus tuum incide res, nec latratibus tuis, ac morsibus iacentē in te Leonem irritares, adhuc ex alio rum canū sanguine cruenta ora habentē. An nō tu latras, & ueluti canicula mor dere Leonem uis? nam quid aliud est, quàm latrare & Leonē (nam Leonem me experieris) canino morsu appetere, sic dicere? Ben. Vt condemnes pœna falsi delatoris, quòd Liuium iam defunctū notariū rerum Romanarū, quē omnes su periores doctissimi uiri laudarunt, atq; admirati sunt, mēdacem & falsarium scri bat, accuset, prædicet, eiusq; famam & honorē supra mille & quingentos annos hactenus illibate celebratā, minuat, mordeat, lædat, labefactet, obscuret, & pro pterea ad detractationem publicā cogas, & compellas me paratum offerens Ta lionis pœnam subire. Lau. Egóne non dico falsi, sed delatoris nomine appel landus sum? Dissentire ab aliquo autore, id uerò delatoris est, et propterea publi ce, & summo cogente pontifice, retractandum? Egóne falsarium Liuium prædi co? Te te ego delatorem, te falsum delatorē, te, licet tabellio sis, falsarium prædi co. Siquidem delatorem te esse inficiari non potes, qui apud summū pontificem me criminaris, offerens te subire pœnam Talionis: falsarium uerò te & ob id pœ næ talionis obnoxiū probant ipsa opusculi mei uerba, quod ita incipit: Cum Ti tum Liuium quotidie Romanorum historicorum eloquentissimum aut audias, aut legas, æmulator ueterum in omni genere uirtutum, uelim iudices, an recte de quodā loco sentiā huius autoris, quæ res ad regē, ut tu es, pertinet. Atq; ita finit: Hæc sunt optime rex, cur Tito Liuio non accedam: Tarquinium Priscū patrem fuisse Tarquinij Superbi. In quibus tu quem potissimum in hac quæstione mihi deligendum putaui iudicem, si mecum senties, breui epistola respondebis: sin dissenties, longiore: ut meas rationes tuis melioribus refellas. Vides ut tibi taci te blandior? quasi suadeā ne laborem subeas me refellēdi, id est, ut mihi assentia ris. Verum absit hoc ab utroq; nostrum: nam neque meum est falsa quempiam uelle accusatione damnare, neque tuum aut labori cedere, cuius semper extitisti uictor: aut clarissimos uiros, quorum inter primos est Liuius, quoties falsò ac cusantur, pati desertos. Hoccine est delatorem esse Liuij? hoccine illum appel lare falsarium? hoccine eundem carpere, damnare, detestari, ut posterius ais? Ben. Iam palàm factum est, beatissime pater, Laurentium Vallam inique car pere, damnare, & detestari parentem historiæ, notariumq; rerum Romanarum Titum Liuium. Lau. Hoccine pœnam capitalem meretur? hoccine abs te tantopere rogandū fuit, ut plecteretur? hæc enim tua sunt uerba. Ben. Quam obrem supplex te imploro, precor, obtestorq; beatissime pater, ne inultum iam tot annos absentem Liuium sinas, ac patiaris tam crudeliter eius famam minui, lædi, labefactari, deijci. Etiam existima tuæ beatitudini dedecori fore, Lauren tij impunitatem: quæ infamem eius accusationem in Liuium tacite uidetur ho mologare, & ita inclementer doctissimos & clarissimos uiros, haud toleran da affectos ignominia, turpe est inultos prǣterire: neque tamen quoad lex iubet de eo statui peto, quod tuæ diuæ clemētiæ satis aduersatur. Etenim pœna capitis eum lex damnat, intestabilemq; decernit. Lauren. O miram animi barbariem, ô dementiam

o dementiam singularem, non esse contentum à se, ut sibi persuadeat, Liuium satis abundeq́ defensum, & de me uictoriã reportasse ac triumphum, sed pœnam capitis aut poscere, aut poscẽdam putare. Atq; ut ei credatur loca iuris recitat, & quidem scite, quòd apud summũ pontificem, cuius se scriptorẽ fuisse ait. Quem tu unquam uidisti summo pontifici iura recitãtem? quasi nescienti. Sed uere tua ista iura summus põtifex nescit, quæ hominem pœna capitis plectunt, qui uel in ipso iure, uel in medicina, uel in philosophia, uel qualibet arte, atq; sciẽtia ab aliquo superiorũ scriptorum, ullo in loco dissentit: ais enim. Ben. Vt lege si quis famosum libellum. C. de famosis libellis. & lege lex Cornelia. circa finem. ff. de iniurijs, & lege idem apud Labeonẽ. in princip. ait prætor. eod. titulo. Lau. Famosus ne meus libellus est, an tuus, homo nequissime, qui te offers paratũ subire pœnam talionis? ista ne iura factum meum puniunt? an tuum potius, uir iniuste, & nõ solũ ab historiæ, sed etiam ab iuris intellectu remotissime? Quis hoc quod ego facio non factitauit? quis in iure ciuili non aliqua in parte à quopiam superiorum dissensit? quis in philosophia? Quis in arte oratoria? item in cæteris? Adeò non foret causa posterioribus scribẽdi quodammodo, si nihil esset in quo superioribus aduersaremur. An nõ est talis historia? imò nihil magis, in qua nunquam inuenti sunt duo, qui eandem rem gestam narrantes inter se omnino conuenerint. At enim pœna exceptione temperas, inquiens: Ben. Sed omisso iuris hoc rigore, mitius in hunc libelli autorem tua animaduertat clementia, si tamen ea se dignum sua confessione reddiderit. Satisfaciat primum Liuio quẽ offendit, damnauitq́; retractando publice, quæ contra eum scripsit, seq́; falsò illum tandẽ insimulasse profiteatur. Aliàs debet edicto tua sanctitas uelut erronea scripti Laurentij contra T. Liuium decernere, eumq́; falsi delatoris detractorisq́; affligi pœna iubere. Lau. Et quò magis moueas religiosa ratione summũ Pontificem, addis, Ben. Ne cum Laurẽtium pro tua in eum clementia seruare uolueris, in id genus iniustitiæ decidas, quòd cum possis non propulses iniuriam, & apud Elysios cãpos, & amœna piorum concilia de te Liuius queratur. Quod ut facias te omnes docti, te ipsa ueritas, te tuæ dignitatis officium, te morsu detractionis ossa contrita Liuij, te omnis historia Romana, quam Laurentius corrumpit, atque labefactat, supplices orant, & precantur. Lau. Si ego tãtam pœnam mereor, qui Liuium lędo, quãta tandem tu impie ac scelestę dignus es, qui lædis tuam religionem, approbans gentilem, in qua sunt campi Elisij, & amœna piorum cõcilia, si tibi credimus: qui lædis maiestatẽ summi pontificis, quẽ facis gentilem: qui lædis omnes, qui audiunt ac legunt insigni blasphemia? Quo nomine te apud Calistũ summũ põtificem impietatis reum, facio, atq; ad pœnam capitis uoco, nõ ut tu ad falsam, ac stultã. Dabis itaq; duplices pœnas, Talionis pariter, & læsæ maiestatis, læsæ patrię, læsę religionis, ut tibi ad suppliciũ, nõ una sufficiat uita. Vide in quot laqueos te * indueris demens. Sed omissis utrinq; criminibus inspiciamus ciuiliter, quid mihi obiectas. Nẽpe quòd Liuiũ sum ausus reprehendere, an tu eum nusquam reprehẽdi posse existimas? Ita uideris existimare. cum inquis, Ben. Quem omnes superiores doctissimi uiri laudarunt, probarũt, atque admirati sunt, eiusq́; famam & honorem supra mille & quingentos annos hactenus illibate celebrarũt. Lau. Nõ dicã tibi, quòd nemo antea inuenit, id tamẽ à posterioribus inueniri posse, cuius rei infinita suppeditãt exẽpla, quæ breuitatis causa prætereo. Non dicam pares Liuio, atq; etiam superiores aliqua peccauisse: quia sicut corpora ita animi nulli reperiuntur, quin aliqua in parte ab alio inferiore superentur, quæ & longa foret ad disputãdum materia. Vnde Horatius de summo poẽtarũ, ac de summo pene ingeniorũ, inquit: Et quãdoq; bonus dormitat Homerus: et in Demosthene, atque Cicerone summis oratoribus, nonnulla

*alias induerint*

nonnulla desiderantur, & in Platone Aristotele philosophis maximis aliqua notantur. Dicam te diligentiorem esse rabulam, expertiorem tabellionē, meliorem notarium maleficiorū, quàm ueterum historiarum lectorem, qui in causa nugatoria, tanquā in causa maleficij his uocabulis uteris, Erronea illibate, successiue, nullibi, nullatenus, posterare, anteacti pōtifices, correspōdet, aliâs pro alioqui, octuagenarium, uigenarium pro octogenariū & uicenariū. Item cogas & compellas me offerens, quasi papa te offerat subire pœnam talionis: nam ut taceam quod grauius est elegantiam Liuij à Pollione Asinio notatam, cum inquit, in Liuio fuisse quandam patauinitatem. Certe ne plura afferam, Flauius Vopiscus historicus ait: Neminem non historicorum, quantū ad historiam pertinet, aliquid esse mentitum. Additq́;, proderem quinetiam in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo deniq; Trogus manifestis testibus cōuincerent. An quod Vopiscus potest, nemo poterit? quid si locū hūc, quem ego notaui notauerat Vopiscus? At enim Vopiscus agit et testibus? nunquid deterius est rationis, quàm hominis testimoniū? nam ita ais, tu autem nullius autoritate tractus, sola tua uoluntate Liuiū damnasti. An melior ullus autor est quàm ratio? quanquam ut exemplari tuo, quod Romam attulisti, quod nunc penes me est, cōstat, nullam ego feceram mentionem Lucij Flori, qui simpliciter Superbū Prisci nepotem uocat. Tamen aliquot annis post, quod per obliuionem omiseram addidi de Lucio Floro, quem codicem, quia Bononiæ tibi uir eruditissimus Nicolaus Perotus ostendit, Tu ais plus te fidei Liuio habere, quàm Floro, quanquam sint diuersi historici: Abbreuiator Liuij dicitur Florus fuisse, qui à magistro, ut sic dicam, suo & si quodāmodo magistro admirabilior est, tanq̄ à mentiēti in hac parte deficiuit. Tradit hoc idem Piso, ut testatur Dionysius Halycarnasseus. Probat Dionysius ipse ut in sequentibus probabo, quem quòd non à principio, sed nuper legi, per deum fato quodam reor contigisse, meo prospero, ut mirarētur homines ingeniū meum penè incurrentis in eadem, quæ Dionysius, tum ex se, tum è Priscis historicis attulit argumēta, atq; documenta: tuo improspero, atq; infelici, ut eo tēpore te mihi obijceres, quo ego Dionysianū nactus, fulmen in te coactus tua importunitate torquerem: quare, si Liuius is est, qui reprehēdi potest in historia, si à quibusdam reprehensus est, si nec ego, ita ineruditus sum, ut non aliquid pro mea uirili (siquidem notandum est) notare possim, tibi non solum pro me, sed etiam pro rei ueritate respondebo, ut optima sit hæc nostra partitio: Primum, ut non esse uerisimile Tarquiniū Superbum fuisse Tarquinij Prisci filium probem, conuincamq́; & id meo marte. Deinde nec uerū esse, idq́; non meis, sed Dionysij copijs, quibus omnes tuæ somniculosæ, ac penè phreneticæ opiniones confutantur. Neque uero speres Benedicte, quod ad primam partem pertinet, ut solicite anxieq́; tua argumenta cofutem, quæ se ipsa redarguunt, ut te dignū putem, cum quo colluctēr omnibus membris. En tanquā Milo ille Crotoniata super scutum in circo stans porrigo dextram, qua tu duabus tuis apprehēsa, si toto corpore annixus me ab instituto uestigio moueris, uicisse te confitebor. Stare autem eodem in loco putabor, si summatim meas easdem rationes referam, tuasq́; illis opponam, & ipsas summatim cum parua significatione, cur meæ ualidæ sint tuæ inualidæ, ut agnoscant spectatores, uter, Laurentius an Benedictus luctator sit & athleta præstantior. Malo luctatorem athletamq́; dicere, quàm gladiatorē, & si tu gladiatorio animo, gladiatorijsq́; armis in me irruisti. Ego uerisimile nego esse Tarquinium Priscum, si duos ex uxore Tanaquilide habebat liberos genero potius, & ei Seruia nato regnum, per manus tradere destinasse. Tu hoc ais esse uerisimilius, idq́; pro ratione affers, quòd quicquid Liuius tradit, id ab alijs mutuatus est, & ab ijs præsertim, quos ipse magis probauit, quod ego solus faciam,

clam, qui nullius autoritate ductus, mea solius uoluntate Liuium damno. Fateor, nullius sum sequutus autoritatem, sed ostendo Liuium, & si uera loqueretur, non tamen uerisimiliter loqui, quæ tu facis multo minus uerisimilia, cum sentias non admodum senē fuisse Tarquinium dum interfectus est, ut cū speraret se filios adultos uisurū, minus credibile sit destinasse regnum genero, uel tradere, uel fiduciarium cōmittere. Ego nego credibile esse adeo alienū fuisse Tarquinium à charitate liberorum, ut & Seruio extincto aliū sibi generū fuerit asciturus, cui regnum relinqueret. Tu ais credibile, nulla alia ratione q̃ superiore, quæ nulla est, utens. Et hoc impudenti mendacio quòd dicis, cui summam imperij permitteret se uiuo: ita ut Priscus nomine, ille actu rex uideretur, quod Liuius nec ait, nec sentit. Nam quòd inquit illū, & apud regē, & apud patres plebemq́ longe maximo in honore fuisse, ne putes idē esse penè, quod regnare, eundē honorem ait Liuius, hoc extincto quencunq; aliū generum fuisse assecuturū. Neq; est quòd tanquā decrepitum fingas Tarquiniū mandasse genero huic, & cuilibet alteri procurationē regni mandaturum fuisse. Si tibi credimus adhuc uiridis ætatis rex erat. Mihi credibilius uidetur, si filij paruuli Tarquinio & Tanaquillidi fuissent, non futurū eis chariorem unū generum, quàm duos filios. Tibi cōtrarium credibilius, cū propter alia ridicula auditu, tum uero, quia Tanaquil immemor filiorum, necessitate ducta, regnū uindictæ premiū Seruio proposuit. Quod nisi fecisset, actū erat de filijs & regno. Cum ergo agam de utriusq; parentis uoluntate, atq; proposito hæredis imposterū instituendi: tu de præsenti necessitate Tanaquillidis, post necē uiri loqueris. Res inter se sunt longe natura diuersæ, necessitas, & uoluntas. Illa uero si generū non habuisset idē in fratrem, in propinquum, in amicū, in hospitem deniq; fecisset, ne id quod rex, cū alij, tum uerò filij paterentur: quorū tu immemorem illam uocas, cū maxime eis prospiceret. Neq; uero tuo Marchionis Estensis respondebo exemplo, ne quid de principibus seculi nostri, nisi honoris gratia loquar. Tantū dixerim, insani esse hominis, credere utriq; parenti chariorem esse generū, quàm duos infantes, siue pueros filios.

Mihi uidentur ijdem parentes sperasse populum Romanū obsequentiorem fore regijs liberis, quàm regio liberto. Et si testamentū facere potuisset Tarquinius, potius fiduciariam regni tutelam genero cōmissurus, quàm hæredem eum facturus. Tibi non uidetur, nec Tarquinius daturus tutorem filijs Seruium: ne fraudaret illos regno, ut ipse fraudasset filios Anci: nec Tanaquil ablatura regnum Seruio, quod ei flamma, quæ circa pueri caput arserat, portēdisset. Omnia contra naturam loqueris, ut taceam quod genere erat seruus, & libertus Tarquinij: quod ipse Tarquinius nō fuisset Anco: certe timor malæ tutelæ, & ostentū futuri regni, magis causam attulisset occidēdi Seruij, quàm hæredis relinquēdi. Sed cum esset opus tutore pupillis, nullus magis idoneus, quàm gener uidebatur. Et flāma quæ in capite fulxerat, auxilium non excidiū Tarquinianæ domui portendebat. Mihi uero circa finē, sed magis inter initia Seruiani regni contracta matrimonia uidentur inter filias Seruij, & Tarquinios iuuenes: cum scribat Liuius, tum palàm factū, & comploratione in regia facta, Seruius præsidio firmo munitus, primus iniussu populi, uoluntate patrum regnauit. Anci liberi iam tamen cōprehensis sceleris ministris, ut uiuere regem, & tantas opes Seruiū nactū nunciatū est, Suessam Pometiam exulatum ierant: nec iam publicis magis consilijs Seruius, quā priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquiniū, talis aduersus se Tarquinij liberûm esset, duas filias iuuenibus regijs Lucio atq; Arunti Tarquinijs iungit. Et aliquāto post. forte ita inciderat, ne duo uiolenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo Populi Romani, quo diuturnius Seruij regnum esset, constituiq́ ciuitatis mores possent. Tibi

Taceo peculium non pro patrimonio à iuriscōsultis uticꝫ exponi. Deinde quia hæc res ei magnopere cordi erat. Hæc enim tua sunt uerba. Et ambitio depropé rare cogebat. Neque magni & liberalis animi, Lucumo tulisset, diu sperni quoad permutasset utiliter, quod auari & tenacissimi fuisset hominis, qui præter honorem, cuius cupidissimus erat, omnia posthabuit. An ignoras quàm uehementer, & efficaciter eo moueat & agitet præstabiles, & illustres uiros indignitas? si qua est fides, uideris mihi Benedicte similis infantibus, qui cum cernunt musicū citharam, aut organa pulsantem, plus uoluptatis ex suo stulto cantu, si cantus hic dicendus est, quàm ex illo erudito amœnoqꝫ capientes. Ego tanquam musicus sum, qui rationibus naturæ consentaneis utor. Tu ereptam mihi è manibus citharam, sine ullo artificio uerberas. Nam quis hic nisi infantium cantus est? dicere illustrem uirum esse, qui negligeretur à suis, & nullum honorem, ne in patria quidem, assequi posset, & cuius mores ignores, eum affirmare bona sua dilapidasse, ut peregrinari posset in urbe externa, quasi aut Romæ sine diuitijs honores se assecuturum speraret, aut Tanaquil de regno propediem obtinendo ex augurijs aquilarum, aut picorum picarum'ue certior facta esset. Vt in hoc puer, ita in illo delirus extitisti: cum dicebas Lucumonem fuisse seditiosi, & parricidæ Corinthij Demariti filium: Cum Liuius tantū dicat ob seditiones illum domó profugum fuisse, non seditiosum significans autorem, quem Dionysius Halycarnasseus principem Corinthiorum tradit. Mihi placet aliquot annos Romæ fuisse sub Anco Lucumonem, aut decem, aut certe quatuor, ut disceret linguam Romanam, ut mores & ritus, ut se dignum redderet, qui potissimum ab rege deligeretur filijs tutor: cum eum faciat Liuius locutum his uerbis, se ex quo sui potens fuerit Romam cum coniuge & fortunis omnibus commigrasse, maiorem partem ætatis, qua ciuilibus officijs fungantur homines Romæ, se quàm in patria uixisse. Tibi magis placet decem eum menses, aut decem dies Romæ fuisse. Ego nego huius & Tanaquilidis filium potuisse infantem esse post duodequadraginta annos, quàm regnare cœperat pater. Tu bimulum, aut trimulum maiorem: minorem uero anniculum significas esse potuisse. Et cum Macrobium in testimonium afferas dicentem, bello Sabino, quod bellum, ut è Liuio non solū è Dionysio constat, gestum est circa principia Tarquiniani regni: filium Tarquinij annos quatuordecim natum bulla prætextaqꝫ à patre donatum fuisse, qua ratione putare potes eiusdem matrem post triginta amplius annos enixam fuisse? aut sexagenarium uelis puerperam extitisse. Me admiratio subit, uirum plusquā nonagenarium, prima in acie suos hortantem, infesto telo in dictatorem Posthumum incurrisse. Tu admirationem meam derides, quasi quotidianum hoc sit, & more tuo refers quædam exempla, ut impropria, ita falsa. Et ridicule interrogas, inquiens: responde hic Laurenti, si nunc iuuenis erat, ut eum actor uocat, & tu assentiris, quem dixisti uigenarium antea fuisse tempore mortis Tarquinij quatuor & quadraginta annis iam præmortui, quomodo centum annos agere poterat, dum concurrit in aciem cum dictatore Posthumo? Quid tua ineptius interrogatione Benedicte? Ego dicebam, si iuuenis erat Superbus cum Seruium eiecit, non fuisse Tarquinij filium: si senex, non recte à Liuio appellatum fuisse iuuenem, nec à patre exhæredari tradito tutore potuisse, quia ipsum pater hæredem potius destinasset. Ego absurdum dico, & Romanis moribus insuetum, fœminas nubere auunculis. Tu negare non potes insuetum, sed absurdum negas, quia absurdius sit rapere uirgines, & hospitij iura uiolare, quod Romulus fecit: Socerum, fratrem, uxorem interimere, quod fecit Superbus Tarquinius, clarissimum rerum Romanarum scriptorem præter morem aliorum à ciue Romano damnari, quod ego feci. O præclarum iurisconsultum, ô eximiū Liuij ad

uocatum? Vbi sunt tua iura, quæ toties inculcas & cũ abs te iuris exempla poscã, tu profer exempla iniuriæ. Scio ut apud alios populos, sic apud Romanum fuisse cædes, uenena, incesta, sacrilegia, parricidia, rapinas, proditiones, calumnias, ac cætera facinora. Verũ ego de bonis moribus ago, nõ de scelestis factis. Quis enim sic defendit crimen, ut quia sunt alia maiora hoc, ideo crimen nõ esse. Romulus tamen excusat necessitatẽ. Tarquinius negat fratris uxorisq; necem, soceri uero iustam esse defendit. Ego nego me damnare Liuium, sed aio una in re ab eo dissentire, ut alij plurimi ab alijs dissenserunt, ut à cæteris historicis Piso, ut ut Dionisius Halycarnasseus, ut Lucius Florus, ut Vopiscus, & ante omnia ipsa ratio, tu pro te Aul. Gellium affers, qui de hac re non disputat, sed tantum nominat Superbum superioris Tarquinij filium, qui autor non est tam argutus, ut sibi uidetur, qui multa potius, quàm multũ lectitauit, quem ego cũ alibi, tum uero in dialecticis meis, tanquam falso sentientem reprehendi. Affers preterea pro te Eutropium, historicum quidem, sed gregarium, & qualiacunq; in Liuio reperit colligentem. Affers insuper Vergilium, hic ego hæreo, hic uictum me fateor, ad huius nomen hiscere non audeo, iam do manus, iam causa cedo, & tecum ius facere planè cõfiteor. Ait enim, uis & Tarquinios reges: quod tu interpretaris de patre & filio Tarquinijs dici: elegans profecto interpretatio. Quid affers uir eruditissime cur de patre & filio Vergilius sentiat, potius q̃ de patre & nepote? quanq̃ ipse de uno omnino Tarquinio superiore, ut egregio rege, possum accipere dictũ in numero plurali, ut de alijs. Extulit hæc Decios Marios Magnosq; Camillos. Deniq; ut partis primæ finem faciam, mihi placet neminẽ uocari Priscum, nisi nepotem, ætate, huiusq; rei attuli exẽpla: Tu nullius autoritate, sed tua peruicacia fretus, asseueras Priscum etiã antea potuisse uocari, nunquã nec uera, nec uerisimilia loquens, ut nesciam, an unquã mihi uidear hominem magis audisse præposterum. Habes Benedicte, cur Liuius non uerisimilia loquatur, hoc est, cur tu non uerisimilia defendas. Accipe cur non uera ex Dionysio Halycarnasseo, qui fuit Romæ eisdem, quibus Liuius, temporibus uiro doctissimo atq; eloquentissimo, summæq; apud omnes autoritatis, & si Libertus fuit M. Terentij Varronis, quem aiunt Romanorum fuisse eruditissimum, huius orationem è quarto Romæ antiquitatis libro ad uerbum transferam. Volo ante eorum quæ animaduerti rationem reddere, quam ob rem neq; Fabio accessi, neq; historicis alijs, filios fuisse Tarquinij pueros ab eo relictos, ne qui illorum historias nacti me aberrare suspicentur, scribentem pueros eos non filios illius fuisse, sed nepotes. Omnino enim inconsiderate atq; indiligenter prodidere, qui hanc de illis historiam conscripsere, non rimati res impossibiles esse pariter atque inconstantes, quæ se ipsas euertunt. Quæ singula paucis ego plana facere conabor. Tarquinius è Tyrrhenia demigrat, composita omni re familiari, cum esset in optima ad sapiendum ætate. Siquidem administrandæ reipublicæ, & magistratibus gerendis, & muneribus ciuitatis obeundis idoneus fuisse traditur, & illinc ideo demigrasse, quòd nihil in ea urbe honoris adipisceretur. Et alius quidam aliquis hunc saltem triginta natũ annos constituerunt, cum à Tyrrhenia demigrauit, ab hac enim ætate leges ferè uocant, eos, qui magistratus gerere uolunt, & rempublicam capessere. Ego uero quinq; & solidis annis minorem cõstituo, & quinq; ac uiginti natum annos eum facio illinc profectum, quẽ adhuc patre uiuente duxisse uxorem Tyrrhenidem uniuersi, qui Romanas conscripsere historias, confitentur. Commeat autem Romæ Anco Martio rege, ut Gellius quidem in historia tradit, primo illius regni anno. Vt uero Licinnius scribit octauo. Esto sanè ut hoc ipso anno, quo Licinius scribit, non prius uenerit (nam certe posterius non aduenit.) Quòd si nono Anci imperij anno, ut ambo scriptores

aiunt

aiunt, præfectus equitũ bello Latino ab rege mittit, nec miror natu quinq; & ui ginti annis Romam cõmeauit, & Anco regi circa octauũ imperij annũ amicus extitit, profecto decẽ & septẽ reliquos annos apud ipsum diuersatus est. Quatuor enim & uiginti annos regnauit Ancus, ipse uero (ut cõfitent omnes) regnũ duo de quadraginta annos tenuit. Ita octogenarius erat, cũ obijt. Ex supputatione nãq; hæc annorũ summa colligit. Eius uxor quæ quinquẽnio minor erat, quẽadmodum cõsequens est, quintum & septuagesimũ accedebat annũ sub exitum Tarquinij, quæ si minorẽ natu filiorum ultimũ enixa est, quinquaginta annos nata, quippe post hoc tẽpus non cõcepit mulier, sed hic est ipse pariendi terminus, sicuti scribunt, qui ista indagauerunt. Non igitur erat hic quidem, minor annis quinq; & uiginti sub obitũ patris, Lucius uero maior natu, nõ minor septẽ & uiginti. Quo fit ut eos non reliquerit paruulos pater ex hac muliere genitos. Qui si in uirilem adoleuerant ætatem, dum pater oppetijt mortẽ, profecto neq; mater eorum ita fuisset infelix atq; uesana, ut quod imperiũ pater filijs reliquisset, id ipsa mater eriperet, & ex extero ancillaq; nato gratificaretur: neq; ipsi paterno imperio fraudati, iniuriã segniter, ac lente tulissent: idq; cum essent in ætatis robore, tum ad dicendum, tum ad agendum, neq; enim Tullius ut nobilitate eos antecellebat, utpote serua natus, aut ita multum differebat ætatis dignitate, sed tribus omnino annis altero maior natu erat, ut non fuerint huic regnum libẽter illi cessuri. Habet autem & alias quasdam hoc negotiũ absurditates, quas ignorauerunt cuncti, qui res Romanas condidere, præter unũ, cuius paulopost efferam nomen: nam constat post Tarquinij necem Tullium, quod cæpit regnũ ad quatuor & quadraginta tenuisse annos, ut per id tempus maior Tarquiniorum, cum septem & uiginti annos natus regno fraudatus esset, septuaginta annis grandior fuerit, dum Tullium interemit. At eum robustissima in ætate tunc fuisse scriptores tradidere, inquiunt, è Senatu sustulisse Tullium, forasq; portantẽ è gradibus deturbasse: ipsius uero ex imperio deiectio uigesimoquinto post hæc anno extitit. Eoq; anno in expeditione agens aduersus Ardeates inducitur, omnia per seipsum belli munia obijsse, quod ab ratione abest in bellis uersari, sex & nonaginta annos natum. Quinetiã amisso imperio, etiam bella cum Romanis non minus quatuordecim annis gessisse, per sese negocia exequentem, ut aiunt, præter cõmunes est omnium opiniones, & tempus uitę eius esse maius, centum & decẽ annis, quod spatium uitæ non ferunt loca nostratia. Has absurditates quidam Romanorum scriptorum animaduertentes, conati sunt alijs absurditatibus soluere, negantes horũ puerorum Tanaquilidem matrẽ, sed Geganeam quandã fuisse: de qua nullã accepimus historiã, & nihilominus immaturũ foret rursus coniugiũ Tarquinij propè octogenarij. Et uiris tanto natu facultatẽ adesse gignẽdi fide caret, neq; uero orbus liberis erat, ut quomodo liberos cõcupisceret, cui forent filiæ duæ eęq; uiris iã locatæ. Horũ singula & impossibilia, & inconsiderata colligens, nego filios Tarquinij fuisse, sed nepotes, accedẽs Lucio Pisoni Frugi, qui in annalibus solus hoc memoriæ prodidit: nisi forte pueri erant, stirpe quidẽ nepotes, adoptione uerò filij, quæ fuit causa erroris cæteris omnibus Romanarũ historiarum scriptoribus. Lau. Hæc Dionysius Halycarnasseus, qui paulo ante, cuius hi filij fuerint tradit, inquiẽs de Tanaquillide, post necem Tarquinij. Erat aũt ei iuuenis filius, non ita pridem defunctus, ex quo duo filij relicti erant paruuli, de quibus ita eandẽ loquẽtem, apud Seruium Dionysius facit. Tarquinius rex Tulli apud quẽ educatus es, atq; eruditus, & ex omnibus amicis atq; cognatis maximo in honore habitus, nobis ille quidẽ indigna passus fato suo functus est, nullis rebus neq; priuatis dispositis, neq; cõmunibus ac publicis delegatis, qui nec salutare quempiã nostrũ, & alioqui extremis man-

datis potuit, hi aũt pueri desolati, & pupilli infelicis relicti sunt, nõ minimum uitæ discrimen adeuntes, & cũ multa dixisset, in fine orationis inquit, Debes aũt Tulli educatus à nobis, & eruditus, & omnibus bonis impertitus, quæcunq; filij à parentibus accipiunt, & nostra filia in matrimoniũ ducta, etiã si rex Romanorum, me quoq; tibi in hoc annitente, paternã his pueris beneuolentiã exhibere, & cum in uirilẽ adoleuerint ætatẽ, & idonei ad rempublicã administrandã extiterint, eorũ maiori natu imperium Romanorũ reddere. Hæc loquens & utrũq; puerorum in ulnas generi, ac filiæ porrigens, ingentem ex ambobus exciuit lamentationẽ. Aliquantoq; post autor, idẽ facit Tullium orantẽ ad populum, tanquam tutorẽ puerorum, & penè sola illorũ miseratione, ad parendum ei populũ fuisse inductũ. Quæ quoniã erant longiora, missa feci, satis hæc sperans abũdeq; sufficere, ut cõstaret Liuiũ, ut non uerisimilia, ita nec uera dixisse, meq; eũ merito, etsi uerecunde id feci, notare potuisse. Quod si quis me, qui multa, quæ apud Dionysium sunt, quasi diuinaui, putat legisse tunc istum autorẽ, cũ illud opusculũ cõdidi: is erit qui neq; me diu cognitum habet, neq; illos aduersarios, qui post editum illud opus quod supra iã decẽ annos, iam læsisse famã Liuij Benedictus ait, obijciebant mihi, nõ nisi tinctum me Græcis literis esse: neq; locum ubi illud cõposui, id est, Neapolim, qua in urbe Dionysij Halycarnassei historiæ nomen nostro seculo ne auditũ quidem unquã fuisse arbitror, quanquã si quis animaduertat ipsum meũ libellum, intelliget planè conditum ab homine esse, qui Dionysium nõ legerat: nã alioqui, cur nõ eius, ad sententiã meam confirmandam, fecissem mentionẽ? An ita demens essem, ut si eum autorẽ compilassem, crederẽ furta mea celatum iri potius, q̃ cum meo dedecore deprehensus? Siquis ita non credit, iuro me hunc autorẽ sex amplius annos, ab editione illius opusculi nunq̃ in hac parte legisse, neq; ab alijs quippiã de hoc loco audisse, & meo solius ingenio fretũ ea disputasse. Intelligis nũc Benedicte, id quod crimini das mihi quanta sit laude dignũ, quod admirabilius est, q̃ ut credi possit. Quare nõ expectes ut dicã me ex hac pugna discedere uictorem: nõ est, ut de uictoria tui glorier: non est, ut me mediocribus iam uiris cõparem: non est, ut magnis autoribus, aut ipsi Liuio cedam: iuuat me, quasi poëtico inflatũ spiritu, cũ Horatio dicere: Sume superbiã quæsitã meritis, & mihi Delphica lauro cinge uolens Melpomene comã. Nõ sum, nõ sum Benedicte in hac parte Liuio minor, etiã si rumparis uerũ dico, nõ sum in hac parte Liuio minor, nec minoris ingenij minorisq; iudicij. Rũpere inuidia, nõ sum inferior historicis omnibus, quos hoc nõ deprehẽdisse Dionysius ait, non ipso deniq; Dionysio, qui non ullius, ut ille adminiculo adiutus meis pedibus cursum istius, qui equo uehebatur æquaui, & tu non tabellio sed tabellarie, ob rem penè miraculo dignam accusas apud summũ magistratum, & actionem capitis intendis, & me abs te uictum damnatumq;, etiam carmine gloriaris, ut ex epistola cõstat, quam ad prælustrem uirum superioribus diebus Iacobum Gratum Bononiensium legatum dedisti, dolens, quòd tam ille de me bene sentiret, atq; loqueretur: iussistiq;, ut mihi eam ostenderet in hæc uerba:

Si tibi damnatum gliscit dementia Vallam
Tutari, quid falsa refers conuicia? solue
Argumenta tuum quæ concussere magistrum:
Si ratione potes nulla est defensio causæ. & reliqua.

Hęc quanquam barbara metra, tamen quia Bononiæ facta multisq; ostensa, & huc ad tantum uirũ missa, ita me irritarunt, ut uiris egregijs, & inter primos doctis Antonio Tridento, & Valerio Bononiensi cõmunibus amicis, admodũ succenserem: quòd tam diu toties q; promissum accusationis tuæ exẽplar, nõ repræsentarẽt. Itaq; adij hominem penes quem dicebant illum codicem esse. Quo impe trato

petrato duas refutando ei lucubratiunculas impendi: neque enim ad te conuincendum maiori temporis spatio opus fuit. Vigilaui itaque in te puniendo binoctium: cum antea securus in utranque aurem dormirem, & crederem te rem ipsam, defuncto Nicolao Pontifice, pro derelicta habiturum. Excitasti igitur leonem canicula dormientem, ut in te sæuiret. An tibi ego non uideor leo? certe tu mihi uideris tanquam leoni canicula: si canicula iam appellanda est, quæ ita leoninis dentibus unguibusque lacerata est, ut uix in ea iã canis figura, aut animalis appareat. Exigebas à me canicula iam pœnam capitis, quòd famosum libellum in mortuum scripseram, si ille famosus libellus est: en in te uiuum uel magis famosum libellum scribo, nec tu tamen posthac audebis, & si te iuris peritum ostentas mecum agere iniuriarum, & mentionem facere famosi libelli.

Finis.

# LAVRENTII VALLENSIS IN BENEDICTVM MORANDVM confutatio altera ad Bauerium medicum.

Lecta, quam uix perlegere potui, Benedicti Morandi altera inuectiua, quam ille reluctationem uocat, in qua seipsum impudentia, ac temeritate uicit, non minus stomachi, quàm ex superiore contraxi: quòd homo tanquam ipse nihil habens negocij, toties mihi negocium facessit. Cui si respondeam, tot uerbis blacteranti, & ut uerbosissimo, ita perplexissimo atque intricatissimo, & ut mihi uidetur nunquam finem blacterandi facturo, nimirum non paucis uerbis, sed grandibus uoluminibus agendum est, quæ non legant homines, sed derideant, uelut de lana caprina concertationem: unde ego mentienti Benedicto similis uidear. Rursus nisi respondeam, tanquã deliranti, uereor ne qui meam diffidentiam causę interpretentur, & hic apud suos, ut iam facit, uictorē agat, quasi me in hac colluctatione prostrauerit. Quid igitur agam? quid consilij ineam? nisi ut mediam quandam teneam uiam, paucisque ostendam, eum indignum esse, cui à me pluribus respondeatur, & quem directo in eum sermone compellem, medicumque aliquem aduocem (si modo alia medicina, quàm mors, sanare uecordiam potest) qui huic curationes adhibeat (Debent enim boni uiri etiam aduersarijs bene consultum uelle) eumque ad sanitatem, si unquam sanus hic fuit, reducat. Qui falsa pro ueris, uera pro falsis, incredibilia pro certis, certa pro incredibilibus, stulta pro grauibus, grauia pro stultis, praua pro rectis, recta pro prauis, parua pro magnis, magna pro paruis, denique mala pro bonis, bona pro malis habet. Ad quem morbum curandum te potissimum Baueri delegi: uel quia medicorum nulli secundus es, uel quia conciuis illius. Itaque accipio ea, quę dixi pauca, tanquam capita errorum eius, ac uecordię signa, seu malumus dicere cerebrositatis. Quia ego negaui Tarquinium Superbum Prisci filium esse, sed nepotem, id quod etiam tradunt, cum alij, tum uero Piso frugi, Dionysius Halicarnasseus, Lucius Florus historici præstantissimi: ob id me Morandus homo moderatus supplicio dignum statuit, & apud summum pontificem capitis arcessit, quia Titus Liuius fuisse filium tradit, & nisi me ille, Christianæ religionis caput, capitis damnauerit, metum ei ostendit: minaturque fore, ut à Tito Liuio apud inferos in Elysijs campis incusetur, tanquam illuc peruenturus: & cum propterea à me increpetur, ait se in hac re perstiturum fuisse, si ille adhuc summus pontifex uiueret, quasi hic qui nunc est, non sit longe ille in

iure, & ciuili & pontificio peritior. Quia risi hominem, qui non semel Titum Liuium Romanæ historiæ appellaret notarium, & idcirco defensionem illius ad se arbitraretur iure optimo pertinere, qui notarius foret, ait me dignitatem tabellionum, notariorũq; læsisse, & ob id illorum in me conatur inuidiam conflare. Quia eum notarium maleficiorum, quàm historiarum peritiorem dixi, de Tarquinijs opinantem, contumeliosissimum me uocat, cum ipse totus in me contumelijs scateat. Quia Dionysium Halycarnasseum confutare ratione non potest, putat eum ex hoc iri confutatum, quòd Græcus sit, quasi Græcum esse sit loco opprobrij ponendum, Homerusq;, Plato, Aristoteles, Demosthenes pro nihilo habendi: & seruus fuerit, quasi non & Aesopus, & Diogenes, & Plato serui fuerint. Hæc enim illius sunt uerba. Ben. Neq; uero uerisimilius adhibenda fides homini liberto quàm libero. Siquidem liberales artes, ex quibus historia non eximitur, à liberis, non à libertis hominibus dicuntur, quæ cum proprie sint liberorum, probabilius est de his liberos, quàm libertos transigere. Lau. Ergo Morandus melius historiam scribet, aut de liberalibus artibus loquetur, quàm Dionysius, quem hic pro Libertino libertum uocat, quasi libertini, siue liberti liberi non sint. Hic cum nihil tribuendum Dionysio putet, at quanto autoritatem Guarino Veronensi repugnari nephas putat, erudito illi quidem uiro: sed quia uiuus est, nondũ inter diuos reponendo: & nequaquam ad maiestatem Dionysij aspiranti, qui in quadã oratione mentionẽ Tarquinij Superbi facit tanq̃ Prisco geniti, quasi debuerit illic Guarinus à recepta, & trita opiniõe dissentire, quẽ reor, & si Græcarum literarum peritissimus est, tamen nõdum eo tempore legisse illud Dionysij opus, quod etiã paucissimi Græcorum legerunt. I nunc & dic me tunc illud opus legisse, cum eum libellum composui, de quo nunc controuersia est: quæ res cum ex alijs multis, tum uero ex quibusdã à Dionysij probatione dissentientibus cum constet, quia in causa coniecturali omnẽ, ut aiunt, lapidem mouebam, tamen hic mentiri me ait: & quoniam iusiurandũ interponebam, peierare: quasi omnes, sicut ipse, deum non timeant: & nullum sit ratum, nisi per Stygiam paludẽ iusiurandum: & Orcus apud Græcos (quos tamen iste contemnit) iusiurandum dicatur & Pluton, seu sedes inferna, ut nisi per Plutonem & infernã sedem iurare non liceat, ad quam se iturum, & ubi Liuius agit ad Elysios campos, & amœna piorum cõcilia, ut uere sit Benedictus & optat & sperat. Sed caueat moneo, ne illic à Dionysio, uel accusetur, uel Scutica uerberetur: qui barbarus Græcos quales sunt inferi iudices, contempserit. Cuius Dionysij probationem, quia me dixi tanquam fulmen in eum torquere, ipse uelut Laurentiana simia ait se fulmen Tullianum in me contorquere, quod Cicero in Bruto meminit Prisci Tarquinij: tanquam aui Tarquinij Superbi, quasi non dicat Dionysius posse putari superiorem Tarquinium patrem posterioris, quia hunc nepotem adoptauit: & quasi non idem Terentium Varronem patronum suum non multo deteriorem Marco Tullio, & in notitia uetustatis longe peritiorẽ notauerit: nedum Ciceronem: & quasi non maioris sit in historia autoritatis Liuius quàm Cicero. Vt taceam nonnunquam Ciceronem in historiarum, ac fabularum cognitione non satis fuisse approbatum. Idem ut me impugnet, negat, Lucium Tarquinium, qui postea Superbus est appellatus maiorem natu fuisse Arunte, quod cũ omnes historici ueteres, tum ipse Liuius ait: quod iste cæcus non uidet se improbare Liuium, quem aduersus me defendere, & cuius uicem dolere uideri uult. Non'ne hæc uecordiæ, atque cerebrositatis signa sunt maxima? id euidentius ex ipso confutationis genere licet intelligas, ut eius principia quædam attingam. Ait autem. Ben. Duodecim positiones affers, quas summatim duxi refellendas. Et primum mihi refers, quod ego uerisimilius aitur

us affirmem Tarquinium Priscum filijs extantibus sibi duobus ex uxore: desti-
nasse genero potius serua nato regnum per manus tradere, quàm filijs. Hic nisi
fuissem tecum agere sine iniuria pollicitus, exclamassem te Laurenti peruerso-
rem: nam id minime dixi: quinimò Priscum post acceptum uulnus uerbum ne-
gaui protulisse, quē si loqui potuisset, filios hæredes dimissurū fuisse rebar. Idcir
co falsas intuli rationes tuas esse, quòd affirmares ei non fuisse liberos dum mo-
reretur. Lau. Quā paucis in uerbis quot deliramenta? primū quid ad rem atti-
net dicere, se negasse Tarquiniū post acceptum uulnus uerba protulisse? nō ma-
gis q̄ negasse eūdē dormire, aut comedere, uel bibere potuisse. Taceo quòd ait:
Rebar dimissurū filios hæredes, quasi ipse tunc fuerit cū nondū Tarquinius uul-
nus accepisset. Taceo uerborum quoq; absurditatem: dimittere filios hæredes,
& filijs extantibus. Deinde cur arbitratum illum filios heredes fuisse facturum:
quem Liuius scribat, fuisse facturum ut uidebatur occiso Seruio hæredem regni
quēcunq; alium generū delegisse. Postremo cū hoc ego negē uerisimile esse, qđ
Liuius ait, idēq; hoc ipse Liuij patronus uerisimile dicat, quæ tandē Vesania est
exclamare me peruersorē, qui dixerim id ab eo dici: quod ab ipso Liuio dicitur.
An est aliud, destinare regnum tradere cuipiā, quàm esse facturum quempiam
regni hæredem? Vter ergo nostrum est, egóne uerborū peruersor, an ipse men-
te peruersus? Venit ad alterā, ut ipse appellat, positionē meam, inquiens, Ben.
Vnde pari iure tua secunda ratio uelut inanis est sublata, dum negas, extincto
Seruio Priscum aliū sibi generū fuisse asciturum, cui regnū relinqueret. Hic, ut
uideo, surdo narratur fabula: nam de Prisci uoluntate negaui cōpertum aliquid
haberi: licet Anci filij suspicarentur id fore, quod tamē facturū inficiabar Priscū
quia non relinquitur futurum necessario, quod alius quispiam putauerit. Quam
ob rem si mentem Liuij pari iudicas ratione, uehementer erras. Non signauit
hunc in Topicis locum Cicero, non Boëtius, non Aristoteles, ut si dixerit histo
ricum quēquam imaginari fore aliquid, necessario sit eadem scribentis opinio.
Nonne legisti, quot capita, tot sententiæ? Lau. Nonne hoc summæ uesaniæ
summum argumentū est, ut obijcias alteri peruersitatem, ipse peruersor? Quæ
enim maior peruersitas est, quàm cum dicat Liuius quòd Priscus uidebatur fa-
cturus occiso Seruio quencunq; aliū generum, quē delegisset hæredem regni:
negare hoc uisum alijs, nisi soli Anci filijs. Hoc uerba Liuij nō dicūt, hoc sermo
publicus nō sentit, ut si dicā ideo Cæsar interfectus, quia uidebatur se regem fa-
cturus: nō id dico, quod solis interfectoribus uidebatur, sed quod omnibus. Ita
nunc Priscus omnibus uidebatur facturus generū regni hæredē: nam cur id solis
filijs Anci, quod nullis alijs uidebatur fore? an ita dementes erant? hoc nemo tra
dit: imò quantū uideo ex eorū consilio, prudentissimi fuerunt: quibus nisi uafra-
mentum mulieris obstitisset, regnum paternum recuperassent. Ergo demens Li
uius fuit, qui facit hoc uisum esse illius? Minime: quia & illis, & omnibus Priscus
uidebatur Seruio, uel cuicunq; alteri genero regnum relicturus, ob id uidelicet,
quia filios nō habebat. Nec uero relicturus generum regem, sed regni admini-
stratorem, sub fiduciaria tutela nepotum infantium Lucij & Aruntis: itaq; per
hanc fiduciariam tutelam, & administrationem successor regni atque regnator
erat futurus Seruius, id quod maxime dolebat filijs Anci. Ergo non uerisimili-
ter dixit Liuius si filios habebat Priscum fuisse facturum non filios hæredes re-
gni, sed serua natum, aut quencunque alium generum: id est, destinasse huic po-
tius, quàm filijs regnum per manus tradere. An non hoc mi Baueri ualidissimū
argumentū est? & Ciceroni, Boëtioq;, & Aristoteli cōprobandū? Melius argu-
mentū eius, Morione dignū, quot capita tot sentētiæ: quasi rationis locū obtine
at, id q̄d alicui capitoso, cerebrosoq; uideat: aut fuerit historice grauitatis, atque

Ff 5 pruden

prudentiæ, eam opinionem, siue ut hic Ciceronianus noster ait, eam imaginatione attribuere filijs Anci regis, quæ absurda, quæ capitosa, quæ incredibilis foret. Hoc aũt & opinari & dicere. Morandi seu Morionis est. Sed ne plura repetantur, ueniamus ad tertiam, ubi ait. Ben. Tertio mihi das uitio, quòd esse affirmauerim credibilius Tarquinio & Tanaquil cariorem generum unũ quàm duos filios. Non queo me Laurenti continere toties prouocatus tuis in me confictis mendacijs. Extat enim libellus meus apud te, sicut ais, cuius exẽplaria plura sunt scripta. Vnde commentũ hoc tuum liquere potest. Imò dixi futuros cariores filios quàm generum, atq; dimissurum fuisse Priscum illos hæredes, si testari potuisset. Et quidem uehementius me agitant ista tua mendacia, quàm contumeliæ qui risu totus effundor. Verum indignitate moueor cum hæc offendo tua de me commenta. Lau. Siqua fides mi Baueri, uereor, ne tua ars par non sit huius langori atq; morbo, ea loquentis, quæ nõ sani esse hominis, nõ sanus iuret Orestes. Ait futuros cariores Prisco filios ꝙ generum. Si futuri cariores, ergo non erant. At fuissent si testari ille potuisset. Stultæ propositionis stultior ratio: quasi facultas, potestasq; testandi faciat patri filios caros, nõ quia filios quis instituit hæredes, ideo caros habet, ideo heredes instituit. Nõ potuit cum uulnus accepit instituere hæredes? quin antea instituerat? certe quia caros non habuit. Hoc naturæ repugnãs est. Ergo dicendũ, quòd nullos filios habebat. Est'ne hoc mendacia dicere? est hoc confingere? Hæccine erunt cõmenta? & quæ moueant homini indignationem, & ut ipse barbare ait indignitatem? atque etiam addit. Bened. Eodem item in loco inquis, cum ego agam de utriusque parentis uoluntate, atque proposito hæredis instituendi, tu de præsenti necessitate Tanaquilidis loquens. Existimabam me ad hominem Liuio nec minorem ingenio, nec minorem iudicio, qualem te ipsum prædicas, habere sermonem: qui cum dixissem de paterna uoluntate non esse cautum, quia uulnere accepto loqui non potuit, neq; quenquam salutare, sicut Dionysius asseuerat tuus, neq; antea constitisset de matris mente, nisi cum necessitas coëgit, affirmaui Seruio Tanaquil regnum cessisse necessario: quod alioqui filijs seruaturam esse non ambigebã. Lau. Taceo stulta ironia usum, quòd putarit me Liuio maiorẽ: taceo stulte etiã dixisse, se affirmasse, quod affirmare non attinebat, cũ id ex historia, nõ ex ipsius autoritate cõstet. Taceo stulte dixisse cautum de paterna uolũtate. Nã quid sibi uult hæc oratio? nisi sentit cautũ pro compertum accipiendũ esse, in his uerbis mi Baueri nisi tibi hic mente captus uidetur, quominus ipse tibi talis uidear non recuso. Iam nunc eleborũ præpara, quo aut me purges ut insanientẽ, aut Morandũ. Ego negaui Tanaquilidẽ si mater Lucij & Aruntis erat, passurã fuisse, ut duobus filijs maritus anteferret generũ, uel serua natum, uel alium quẽcunq;. Iste respondet non constitisse de matris mente: quasi uocari in dubiũ queat, facile passura fuerit hoc Tanaquil nec'ne: non constabat de mente matris. Id apud moriones insanosq; non constat, sed apud homines rationis cõpotes, simul ac cõstiterit fuisse Tanaquilidem matrem, & de illius in filios pietate constabit. Quod etiam hic instantissime cõfitetur, cum inquit, quod alioqui filijs seruaturam esse non ambigebã. Si seruatura erat, cur ita filios tractat? ut credat ad homines alienos regnum eius non ad filios peruenturũ. Plurima in hominis stultitiã dici possent, sed cum plurimis confutare propemodũ stulti est. Ideoq; tantum quartam eius positionẽ addam dicentis. Ben. Quarta similiter ratio tua de me falsa mentitur, quòd ponam sperasse Priscum & Tanaquil Seruio Romanum populum obsequentiorem fore, quàm proprijs libris, etsi testamentum facere potuisset Tarquinius, Seruium potius reliquisset hæredem, quàm ei fiduciariam regni tutelam commisisset. In quo, quàm manifeste delires, audi uerba mea, quę apud

te in

te in depulsione mea priore cõperies, De patre aũt existimandum, qui si post acceptum uulnus aut testari aut fari potuisset: quippe affirmauerim dimissurum filios hæredes fuisse sub tutore Seruio: nisi forte timuisset fraudem, quã præstitisset ipse relictus tutor filiorum regis Anci. Hic licet uidere, quot uelis subterfugere figmentis, quamq; boni uiri de te mihi fidem minuisti. Lau. Est mi Bauerl (ut tu optime nosti) genus hominum stultissimum, & idem malitiosissimum, id est, quod ob mentis peruersitatem maxime cupiat fallere, sed propter inopiam consilij minime possit. Talis est Morandus, qui & fallere uult iudicem, mihi suum uitium tribuens, & tamen ab ipso honeste, ut falsus deprehẽderetur. Ita enim loquitur quasi ipsum ego impugnare inceperim, non ipse me. Ego contra Liuium loquens aliquot argumentis colligebam, non esse credibile Priscum potius generum, quàm liberos hæredes fuisse facturum. Quam argumentationem deinde, cum huic Liuiano patrono respondebam, contraxi, & item eius defensionem his uerbis. Ben. Mihi uidentur ijdem parentes sperasse populũ Romanum obsequentiorem fore regijs liberis, quàm regio liberto, & si testamentũ facere potuisset Tarquinius potius fiduciariam regni tutelam genero commissurus, quàm hæredem eum facturus. Tibi nõ uidetur nec Tarquinius daturus tutorem filijs Seruium, ne fraudaret illos regno, ut ipse fraudarat filios Anci, nec Tanaquil ablatura regnum Seruio, quod ei flamma, quæ circa pueri caput arserat, portendisset. Omnia contra naturam loqueris, ut taceam, quòd gener erat Seruius & libertus Tarquinij, quod ipse Tarquinius non fuisset Anco: certè timor malæ tutelę, & ostentum futuri regni: magis causam attulisset occidẽdi Seruij, quàm hęredis relinquendi. Sed cum esset opus tutore pupillis, nullus magis idoneus, quàm gener uidebatur: & flamma, quę in capite fulxerat, auxilium, nõ excidium Tarquinianę domui portendebat. Lau. Ex his uerbis non'ne quod ego in Liuio nego esse credibile, id iste credibile ait esse? Priscum ac Tanaquillidem sperasse populum Romanum obsequentiorem fore regio liberto, quippe quem facere regni successorem destinauerant, quàm filijs. Et cum hæc ita sint, tamen me falsum, mendacem, delirum, fictorem subterfugientem, & in mentiendo impudentem appellat, quasi ipse, ne quid aliud dicam, nihil subterfugiat, qui cõtra tot, ne dicam quales meas rationes, nihil aliud respondet: nisi se non ita dixisse: stolidissimus tergiuersator, improbissimusq; dissimulator, qui uulnera sua mauult occulere, quàm fateri, in rebus necessarijs mutus, in nugatorijs loquacissimus. Cuius nisi cætera stultiora sunt, quàm ista, quę protuli, nõ abnuo quin hęc pro sapientissimis habeantur. Huic ego pluribus respondeam, & eius singula queq; deliramenta confutem, aut rerum aut uerborum? Nam ut aliquid tantum de uerbis dicam, ait: In quo quàm manifeste delires audi uerba mea, cum dicere debuerit, in quo quàm manifeste delires, intelliges è uerbis meis. Item præstare fraudem, eodem modo dixit quo pręstare quis bonam rem dicitur. Item si aut testari, aut fari potuisset, quorum alterum superuacaneum est. Quippè etiam barbarissime posuit. Hic itaq; ineruditus, & à me uictus atq; exossatus, tandem cum alibi, tum in calce libri sui de me, tanquàm uicto insolentissime gloriatur. Et quia eum mihi quasi leoni latrantem caniculam dixi, hoc suam inuectiuam fine conclusit. Ben. Et in quãcunq; dormiturus aurẽ, te posthac uertes tuo magis infortunio, quàm meo dedecori, uelut cœlestem tibi canem improspera, & infelicia tibi portẽdentem me caniculam compellabis. Lau. Non intelligens: quid enim male sanus intelligat? canem seu caniculam cœlestem in ore leonis esse, nec si cupiat, illinc se eximere posse, id est, sese in ore Laurentiniano uelit nolit & esse & semper fore.

Finis.

# LAVRENTII VALLAE IN BARPTOLEMAEVM FACIVM LIGVrem, inuectiuarum seu recriminationum Liber Primus.

VAne Ligur, frustráq; animis elata superbis,
Nequicquàm patrias tentasti lubricus artes,
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Vergilianis te uersibus ideo cōpellare uolui, quòd te Ligurem, me Romanum professus, nomine isto Ligustico mihi insultasti: & quasi te iuuet cū Romano pugnare, nulla prorsus à me lacessitus iniuria, bellum intulisti: uir litigosus semper & durus, ac certaminis ubique, quàm pacis amantior. Vt que antehac in alios, ita nunc in me inuectus es: cassas quasdam & inanes irarum causas fingens, quo fulgorem meum obteras, quo uiam tibi ad lucra munias: quo denique aliquid gloriolæ compares: more ueterum adulescentū in causis forensibus auspicandis. Qui ut se disertos, ut probos, ut reipub. studiosos ostenderent, claros uiros in iudicium uocabant criminibus respōsuros. Quo deterior mihi certaminis huius cōditio proponitur: quòd colluctandum habeo cum adulescente, nō annis adulescente, sed sensu, sed usu sed temeritate: & qui cum uictus erit (quemadmodum est apud Ouidium) mecū certasse feretur, ut maior gloria secutura sit eum uictum, quàm me uictorem.

Turpe quidem cōtendere erit, sed cedere uisum turpius, ut idem inquit. Vtcūq; tamen etsi parem semper bello præoptaui: cuius rei fides est: quòd scriptis meorum temporū læsi neminē, facile patior me ad pugnā esse prouocatū: nam (ne ab eiusdē gentis mētione discedā) ut Ligur hostis natus erat ad cōtinēdā Romanis militarē disciplinā (sicut à Liuio scriptū est) nec alia prouincia militē Romanū magis ad uirtutē acuebat: ita Ligur iste mihi materia & cōtinendæ oratoriæ disciplinæ, & acuendæ uirtutis erit: quanq̄ Ligures hunc nō agnoscunt: etsi ex uiculo nō ex urbe est, sed ad Scythas ortū ipsius referūt: ut illud Ciceronis in eū aptissime cadat: Quorū hominū esset nesciremus, nisi seИгурē esse diceret. Nā pater Scythes esse fertur, necnō (ut Græco uerbo utar) Scyreus, id est, sutor: Piscatoribus, è quorū corpore ipse est, calceos faciens: à quo præ inopia uix puer hic, ueluti mancipiū, ut parens mancipiū fuerat, Spinolæ familię traditus est. Qđ absit ut exprobrandæ fortunæ causa dicā. Dico causa notādæ insolentiæ, qui nō intelligit quanto deformius sit huiusmodi hominē superbū esse atq; petulantē. Secūdas fortunas (ut ait Plautus) decent superbiæ. Nā illud minus deforme ipsius generi est, quod furto, qđ proditione, quod scelere aggressus, bellū nō indixit mihi, sed intulit: nullaq; humanitatis ac amicitiæ ratiōe habita. prouinciā meam, cōsuetus sibi latrociniis, infestat. Ex quo uicto captóq;, & si triūphū nō merebor, tamē importunū magis, q̄ insignē latronē, atq; piratā coërcuisse, tū iucundū, tū utile erit. Qui nisi me post alios inuasisset, profecto nō tantū mihi sumo, ut cæterorū quoq; uicē ulturus fuerim. Nūc illorū pariter, ac meas ulciscar iniurias: ultimo quidē, sed grauissime omniū lacessitus, ut omnis belli huius inuidia penes cū sit, q prouocauit: si prouocasse dici potest, qui nō suo magis consilio ad hoc descenderit, q̄ alterius iussu atq; persuasu. Neq; enim debeo sic læsus irasci, ut grauiorē uideri uelim plagam, ac uulnus quod accepi. Sua ille quidē sponte ad me lædendum inductus est, & fatuo consilio. Quid ni? cum nonnunquā pro Facio Fatuus uocetur: sed ab inimico meo Antonio Panhormita, qui se ex Bononia appellat. Licet quidā ex Bona, id est, ex Hippona Africæ oppido oriundū dicant, impulsus, præcipitatus, incensus, & ex fatuo plane insanus, furiosúsq; factus

factus, qualis ipse magister est. Cuius (ut cæteros mores impræsentiarum omittam, de quibus postea dicam) ea natura est ut Romæ, Alfinus quidam, imprimis solers medicus, ei, nescio quid consulenti dixerit, si Faber ferrarius fuisses, furiosus erat futurus. Multi hoc de ipso referente audierũt, nõ solum ego. Neq; à Medicorum iudicio uulgaris dissentit opinio, ac sermo: negoq; usquã gentium esse quempiã qui hominẽ norit, nisi uel consuetudine, uel morũ similitudine isti coniunctum, qui nõ idem & sentiat & loquatur. Nam quod ad uitã attinet, plerics mirantur, cur non hunc aut deus olim ad inferos detruserit, aut homines ueluti omnis memoriæ deterrimũ monstrum, uel in ultimas terras deportauerint, uel noua aliqua morte mulctauerint. Pereã, si cuiquã illud Plautinum de milite glorioso magis cõuenit: Eum odore, tam uiri, q̃ mulieres. Nefandissime Panhormita multũ te, multum decepit opinio, qui fatuo histrione sperasti in me agere tragœdiã, qui te lanista, me ac Fatuũ in harena, ut par gladiatorũ dimicaturos, tibi promisisti, cum uoluptate summa cũ aliorum quorundã, tum præcipue tua. Dedisti fuscinã tuo Mirmilloni, dedisti harenaria Fatuo arma, instruxisti furiosum telis, ut me in theatro quiescentem inermemq; inuaderet. Nõ abnuo pugnã, ne fugere uidear, certabo equidẽ quando ita uis, sed te uicissim de spectaculis detraham, & in medio cõsistere compellã, non prius dimissurus, quàm utrunq; petendam ad ueniã male mulctatos adegero, ac circũ ora consessus mihi plaudentis uos deridẽtis atq; exibilantis uictos, uinctosq; traduxero. At ne diutius legẽtes expectatiõe suspendã, ac differam, q̃ atrox ista iniuria sit aperire, ad rẽ ueniã, Sed quo liquidius ijs, qui inter nos iudicaturi sunt, ius & iniuria pateſcat, repetã altius, illud affirmare ausus, cũ me Barptolemęus & prior & atrocissime lęsit, et, nõ modo nihil in eum à me irato, uel factum uel dictum esse, cuius ultionem ille expetere deberet, sed etiam si id esset quod ab eo prætenditur, neq; à me potuisse leuius offendi amicũ, cum iam hic esset inimicus, neq; à se grauius lædi inimicum cũ adhuc essem ei amicus, quantũ in ipso fuit, q̃ me læsit, si tamen Fatuus lædere, & furiosus iniuriam facere potest. Qui nisi illã ipsam, quàm sui ulciscendi causam allegat, falsam dissimulare nescit: palamq; ostendit inuidiã mei, & Panhormitæ persuasionẽ fuisse non recuso, quo minus animum lædendi, nõ habuisse uideatur, quod solũ Fatuus ac furiosus potest. Itaq; nõ tam alieno, quàm suo ipsius testimonio iugulandus est. Hic igitur grauis, atq; moderatus uir, ante paucos admodũ menses, q̃ historias regis, ab illo iã aliquoties epistolis iussus, inciperem: exigit à me ut historias suas, quas Genuæ inchoauerat de bellis Genuensium cum Venetis (nam quæ scripserat de bellis Genuẽsium cum Catalanis suppressit) perlegerẽ, annotaremq; si quid displiceret. Ostendisse enim se illas nõnullis, quorũ nemo ultra primas sanè paginas euoluisset, pigritia (ut ipse dicebat) lectitandi. Ego, ut qui nunq̃ in huiusmodi genere fui fastidiosus, acceptos ab illo libros perlegi, idq; eodẽ biduo, cum plus quinq; miliũ uersuũ esset: neq; hos modo, sed etiã inuectiuam aduersus nescio quẽ Genuensem contumelijs, ac conuicijs plenã: quòd diceret sibi ab illo obiectum in quadam epistola, quòd esset ingratissimus, & totus ex inuidia factus, & dignus suo genere, suisq; maioribus. Cuius inuectiuæ, quid alia uitia dicã, cum uersum quendam triuialẽ, cuius nunc nõ memini, & partẽ alterius, quæ uerba sunt astrologi Ptolemęi, Sapiens dominabit̃ astris, uellet esse Vergilij, ut mihi, qui ex ineptijs familiariũ molestiã contrahere soleo, risus excusserit. Huius rei cũ cæteri, qui legerũt, testes sunt, tũ ipsa oratio: nam eã (ut audio) emisit, ubi uersus isti aut falso autore, aut nullo nominato reperient̃. Sed redeo ad historiam, in qua quid attinet enumerare, quot ego mendas emendarim, amice tamen & molliter, cum meo consilio illam, & correxerit, & nondum emittere sit ausus: recte utrunq;, nec enim sua laude fraudabo.

Correxit quidem duabus orationibus, quæ totidem principibus in eandem pene sententiam tribuebantur, in unam coërctatis, non est autem ausus emittere, quòd cũ in describendis prælijs, neq; tempus, neq; locum, nec modũ copertũ habens, ac ne bellorum quidẽ causas, atq; origines omnia ex se plus quàm poëtica licentia excogitasset, etiã atq; etiã à me admonitus est, ne cõmitteret, ut scriptores rerũ Venetarum, nõ modo se refellerent, uerũ etiam deriderent. Quanq; sunt qui affirment nõ antea emissurũ, quàm historiã bellorum quæ Genuenses cũ Catalanis gesserũt, emittere liberũ erit. En qui historias regis Cataloniæ scribendas suscipere audeat. Illud uerò ut se retractaturũ promitteret, impetrare nõ potui, licet ab eo uehementer cõtenderem: nam citius isti uitam, quàm maledicentiã dempseris, ne in Venetos tanta uerborũ petulantia inueheretur. Licet autoritatem Raphaëlis Adorni, tunc Genuensis ducis, cũ filij præceptor hic erat, attulerim, planè grauis Iurisconsulti atq; oratoris: quarum doctrinarum alterius professor atq; antistes est, alterius admodum studiosus. Is cum priuatus Mediolani ageret, quodã die apud me negauit, ullam se magis insulsam orationẽ uidisse, quàm Antonij Panhormitæ exhortatoriã ad Genuenses de bello Venetis inferendo. Nam præterquàm quòd nota est Venetorũ dignitas, dicebat si quãdo uobis fuerunt in prælijs superiores, eo deformius ciuitati uestræ uideri debet, à talibus uos hostibus fuisse superatos: sin uicti à uobis quod tandẽ decus uestrũ, imbellẽ, & qualem ille se ait, uicisse gentẽ? Hac in re maluit Fatuus noster Panhormitæ factum, quàm aut ducis, aut meã sequi autoritatem. Hæc sunt quæ ego feci fideliter, grauiter, & amice. Referã nunc quæ iste uicissim egerit. Non ita multos post dies, nisi ad hunc libellum quendã, quem nulli dum recitaueram, ostenderam'ue: utpote nondum satis detextum, atq; purgatũ, ut quid de ueritate disputationis illius sentiret, diceret: & si dissentiret, rationes quæ se ad dissentiendum inducerent, aperiret, si me ad suã reuocare sententiã uellet: ut moris est, inter doctos atq; amicos fieri. Soleo quibusuis operũ meorum iudicibus hunc honorem deferre uerborũ. In eo libello erat uerbũ parciturus, certo desuper signo notatũ, ut soleo (quoties in opere nõdum exacto, de uerbo aliquo dubitatio incidit) facere. Hunc librũ ut postea cõperi, amicus egregius ad inimicũ meũ, Antoniũ Panhormitã detulit, cõmuniq; cõsilio transcribendũ curauit, ne mihi quod peccassem emendare integrum foret. Deniq; rumorem dissipant, me (qui de grammatica ipsum quoq; Priscianũ reprehendere non uerear, in uerbo notissimo, proinde turpissime esse prolapsum. Rẽ toti ciuitati cognitã dico. Sunt qui ex illo furtiuo exẽplari alia transcripserint: tandẽ cum remisso codice hominẽ forte habuissem obuiũ, quid inquã de mea sentis opinione: nihildũ, inquit, pro cõperto habeo. Ideoq; ad Guarinũ præceptorem meũ istam quæstionem retuli: cõmotus ea re nõnihil sum, haud ignarus peruerso eũ animo fecisse: & cur ita inquã? nã ad tantũ uirum opus nõdum expolitum mittere immaturum fuit, certè non expolitum esse significatum opportuit, & si mearum laudum illũ scio cupidissimum. Cæterum audio Panhormitã reprehendere quòd parciturus scripserim, quod aliunde, q̃ ex te scisse nõ potuit. Hic iste, ut solent irasci, qui se iure defẽdere non possunt, preterea instigatione Panhormitæ, qui dolẽs me parare omnia ad regis historiã componendã, Fatuum suũ ad eã spem solicitabat, nõ scripsisses inquit, si reprehendi nolebas. Atqui inquã non uerborũ te, sed rerum iudicẽ fecerã, nec publice reprehẽdere oportet, quæ publicata nõ sunt: tamen hæc nihil uolo momenti habeant, nisi sæpe aliâs Parsum scripsi, & istud si uitiũ est, ipse uobis prior animaduerti. Quippe quod nota suprascripta signaui, quæ nota uos ad istã cõsiderationẽ euocauit. Nõ signasses, inqt ille, sed emẽdasses. Quid si dubitabã? Nõ dubitasses ais, in eo q̃d apertũ est. An apud memetipsum mihi dubitare nõ licet?

Tenuisses

parciturus.

Parsus.

Tenuisses apud temetipsum, non alteri exhibuisses ut iudicaret. Vtrum exhibui ut apud me solum, an ut ad populum iudicares, ac buccinares? Admonuisses me istius rei: hoc est, errorem tuum planè confessus esses. Quid ais, malim'ne uideri errasse, idq; ipse confiteri, quàm domi locum emendare, ne errasse uidear? Quid tu malis facere, nescio: certè in hoc uerbo apud me aliosq; peccasti. Ita'ne peccaui, quasi nescirem à parco fieri parsum, cum hoc ipsum apex ille testetur. At istuc inquit peccasti, quod dubitaris parcitum non repereri, quod nec inter homines, nec inter inferos unquã fando est cognitum. Vnũ enim supinũ parsum ex duobus præteritis parsi, & peperci, aut ex solo parsi formatur. O te improbũ inquã, & à moribus alienum meis: ista ne ego aduersus te emendanda inuectiua, atque historia, ratione sum usus? ita decet inter literatos, inter amicos, inter bonos agi? Verum si uis modeste audire, & æquior esse iudex, quàm adhuc fuisti, fateberis nonnulla me ratione dubitasse, ut non modo intra parietes, sed in luce quoque debeat tolerabile uideri factũ meum, tum arte, tũ Analogia, tum autoritate. Etenim Seruius grammaticus, ita scriptum reliquit, sed multa alia usus contra antiquitatem uendicauit, illi enim parsi dicebant, nos dicimus peperci. Seruius pro arte tradit. Quid si igitur parsi in usu nõ est, nimirum nec parsum, quod ab illo descendit. Quod cũ ita sit, ad supinum præteriti alterius recurrendũ est: quod quale sit, analogia docet, quod est parcitũ, sicut à poposci poscitũ, à didici discitũ, ut est apud Apuleiũ, quem ipsum Apuleiũ si Priscianus autorem habet in discitũ, cur ego quod ad autoritatem attinet Hieronymũ nõ habeam autorẽ, qui sic ad Heliodorũ scribit. Qui te iurasti non patri parciturũ esse, nõ matri. Vix hæc dixerã cum ille insanire cœpit, & Hieronymum carpere, tanquã indignum quem imitemur. An eum lectitasti? inquam. Ne uellem quidẽ, inquit, Afrum & Barbarũ lectitasse. Si nõ legisti, inquam, quo pacto damnare potes? Sed facile laberis in notitia clarorũ scriptorum: in inuectiua uolebas Vergilium esse, qui nõ erat. Et tunc Hieronymum, qui nõ Afer, seu Africanus, sed Augustinus. Verum nequaquam barbarus fuit, quorum neutrum, quantum intelligo, satis cognitũ habes. Ac ne cognitũ quidẽ inquit habere uelim, nec ecclesiasticũ aliquẽ, quorũ autoritas nullius in grãmatica momẽti est. Quid? maioris'ne inquã Apuleius, ne de eo dicã opere, quod de asino aureo blacterauit. Quid blacterauit ais, inquit? Hieronymus potius ipse blacterauit, eiusq; similes, qui parcitũ dixit. Sub hæc ad alia magis stomachosa cũ pergeret. Non est inquã causa, cur Hieronymo cõuiciũ facias, quasi cõtra te dixerit, qui neq; inter homines, neq; inter inferos est, quod tute ipse dixisti. Cumq; ad hæc uehementius excandesceret, cum & multi iam confluxerant, cum sua ipsum iracundia reliqui: cum quo nihil aliquandiu colloquij habui, nisi apud prælustrem ex Aragonia uirum, Ioannẽ Scerensem: cum iste conaretur multos ætatis nostræ scriptores præponere Senecæ in notitia atq; usu linguæ latinæ, neq; hunc latino ore locutũ uellet: ego contrà, nõ modo quòd scirẽ late ueneratione Senecã esse, cũ cæteris Hispanis, tũ præcipue Ioanni, sed etiã ratione defendẽdæ ueritatis affirmarẽ, apud neminẽ non eorũ, quos ipse nominabat, aliqua me inuenturũ minus latine dicta. Cum apud Senecam ne unus quidẽ locus sit non latinus. Hanc postea nostram disputationẽ, nescio an regi, certe nõ nullis alijs Ioãnes ipse narrauit: haud dubie inter nos exortã, cũ ex natura, tũ ex inuidia hominis. Siquidẽ cum audisset, me acceptis ultimis ab rege literis quotidie adire primarios uiros, qui gerẽdis rebus Ferdinãdi regis nõ modo interfuissent, sed etiã præfuissent, adire eosdẽ ausus est. A quibus (ita mihi ipsi retulerũt) reiectus est, quòd dicerent se citra regis iussum res illius domesticas neminẽ edocturos, nisi me, de quo scripsisset. Neq; tamen post has lites, inter nos salutare intermisimus, nullumq; signum dedimus amicitiæ nostræ iã dissutæ, nedum scisse.

Cuius

Parsus à Parco.
Seruij Grãmatici locus.
Parsi &c. Peperci. a Parco.
Discitum a Disco
Parciturus a Parco apud Hieron:
Hier. nequaq; barbarus.
Apuleius in asino rudens.
Parcitum.
Ioannes Scerensis.
Seneca qualis.
Apud Senecam ne unus locus nõ latinus

Cuius rei uel hoc argumentum est, quòd pridie quàm iniuriam, de qua cõqueritur, ei fecissem, bellaria quæ manu sua inter proceres rex mihi porrexerat (ut solet post Liuij, aut alterius autoris auditionem) cum hoc diuisi, qui tum forte mihi stabat à tergo. O ignaram rerũ hominum cogitationem: porrexi cibum ei, qui iam me prodiderat, & inimicis meis in modum Iudæ uendiderat, ut postero die apparuit. Sed hæc paulo post. Nunc institutum ordinem sequar: ubi tres libros de uita regis Ferdinandi prima manu feci, ut quibus componendis, duos omnino menses impendissem. Raptim manu liberarij eosq; nõ in membranis, sed in chartis transcriptos, regi tradidi, idipsum testatus, ut audacius adderet, demeretq; quod uellet. Ita enim se facturum constituerat, quòd res paternas ipse ex omnibus maxime notas haberet. Id quo facilius ageret, summas rerum in marginibus, quos de industria spaciosiores feceram, rubrica subnotaueram. Neque hoc meo solum cõsilio, sed etiam grauissimi uiri Ioannis Olzinæ secretarij. Nec est in re notissima mendacij locus. Adeo num soluti quinterniones offeruntur, an compaginati, dubitauimus. Quid plura? cum multa loca uacantia in illis libris inspiciantur, & præcipue de nominibus urbiũ, regionumq; Hispaniæ, quæ regi Hispano sperabam notiora esse quàm mihi sunt: qualis est Granata, quæ olim Bethica uocabatur. Neq; uerò attinet alia rei huius testimonia conquirere, cum optimus omnium testis, ut mox ostendam, rex ipse testimonium dixerit. Hoc ideo dico, quòd si quid illis in libris errati reperiat̃, ut isti sacrilegi mentiuntur, suam potius inscitiam probantes, quàm meam, nephas sit id uelle reprehendere. Nec deprecor, quin omnia quæ mihi obiecerunt uera planaq; sint, si quem nominare possunt, præter unum Olzinam, cui libros illos (sicut in alijs semper factitaui) legendos exhibuerim. Rex eos perlibenter cum accepisset, recogniturumq; se respondisset, porrexit bibliothecario suo, qui forte tum aderat: iussitq; ut ocioso sibi subinde, noctu pręsertim, exhiberet, nec multis postea diebus Neapoli discessit. Frequenterq; illis mensibus (ut superioribus fecerat) ab urbe abfuit. Interea libri mei in manus istorum peruenerunt. At quomodo? nempe eo quo res bonæ in manus malorum, ut sacra in sacrilegorum, ut publica pecunia in peculatorum, ut innocentes uiatores in prędonum perueniunt: delenito enim ac persuaso bibliothecario, à quo rem erat edoctus Panhormita, utpote compater, opus meum complures per dies domi suæ tenuerunt: annotationesq; in illud cum conquisissent, tanquam aliunde exemplar habuissent, me apud regem secreto malignissime uituperarunt, promittens multo præclarius illam materiam à Barptolemæo scribi posse. Deniq; (ut coniectura est) regem ad perlegendum tardiorem reddiderunt. Et hæc omnia me insciente: donec is dies, quem supra promissi, aduenit: quo die, sicut superioribus frequenter consueueramus, inter me & Panhormitam apud regẽ exorta cõtentio est de intellectu & emendatione, cũ scriptura mendosa est, Liuij: ut nunc aliquando cõtingit inter me legentẽ, & assidẽtes, assistentesq;, quos facile patior (imò rex facile patit̃) dicere quid sentiant, ac mouere quæstiones. Fuit igitur eo die contentio de nomine Leontini, cum ille uellet nihil significari, nisi homines, hac uoce: ego uerò etiam ipsam urbem, idq; non modo ex inspectione autoris palàm esse affirmabã, sed etiam aliorum testimonio confirmabam, apud quos legeram sic dici Leontinos pro oppidanis pariter, & oppido, ut Delphos, eoq; modo cũ Plinium Ptolemæumq; cosmographum, tum uero Thucydidem esse usum dicebam. Neque dissimulauit sapientissimus rex, mecũ facere rationem. Altera quęstio fuit, quòd uolebam statum sacrificium, non statutũ legendum esse: de quo uerbo cum procederet longius controuersia, impatiens ac dolens Antonius, ueritusq; ne non ita palàm ut clam uideretur audere reprehendere, hic (inquit) qui me, qui codices,

ces, qui Priscianũ reprehendit, plusquàm quingenta uitia in historijs suis admi-sit, tot enim Barptolemeus Facius collegit: tum ego ad tantam rei indignitatem sanè commotus, propè exclamaui, quomodo ad thesaurum meum fures peruenistis? Sed mihi temperãs, quis inquam fecit uobis copiam inspiciundi aliena secreta? Verum generose, non furtiuè bellum gerundum est: nec ueneno, sed ferro: ille uerò pergat, non enim magni facio, quòd mihi detrahat minutorũ minutissimus: hic finis illo die altercationũ. Postridie ecce tibi iste iubatus Draco tum suum, tum Panhormitæ uirus ore illo uasto anhelans cũ aliquot aduocatis, cum petulanter in me esset inuectus, Panhormita eum uera cõmemorasse confirmat: seq; plusquàm quingenta uitia in lingua latina ex meis historijs collegisse, tantumq; annotasse, nõ ausus tamen literatè loqui, qui me minus belle locutũ uideri uolebat: & (quod deformius erat) me idipsum exprobrãte. Attulerat iste præterea secum Priscianum quo probaret, à sto fieri statum, nõ à sisto, de quo uerbo cum ad obiecta respondebo satisfaciam. Vbi de eo disputatũ est, ita discessimus, ut nũquam ab eo die colloquuti fuerimus, nec de Barptolemæo apud regẽ mentionem fecerim. Illi interea notationes in libros referre, neq; hoc cõtenti, omnia maledictorũ genera in me congerere, ut ipsum indicat opus. Ego uero expectabam quotidie ut libros ederent, quibus responderẽ. Sed quid expectarẽ? cũ ipsi me propediem ire Romã cum summo pontifice locuturũ cõstituisse scirẽt, & (ut est auiditas credula) non reuersurũ sperarent. Itaq; me uix profecto, libri inuectiuarum circũferuntur, passim ostentantur, publice recitãtur. Sic necessarij mei ad me scribebant, hortãtes ut primo quoq; tempore remearem, & si nihil aliud, hac certè ratione remearem. Veni altero à profectione mea mense. Cognito illi præter spem aduentu meo, libros supprimunt: comperio multos uidisse, neminem habere. Quid agerẽ? curandũ mihi erat ulcus ad quod nulla uia peruenire possem, tandem, quod solum supererat, mitto quendam cõmunem amicũ, qui meis uerbis à Barptolemęo, adhibitis honestis hominibus postularet, ut librorũ suorum mihi faceret copiam, ut equo campo certaremus, nec è muris uellet, si sibi fideret, cum hoste pugnare. Sed ne sic quidem aliquid profeci. Respõdit enim se facturum copiam cum uellet, non cum postularetur: post hæc quum acciperem ab his qui notationes legerant quædã reprehendi, quæ non agnoscebã, ob hanc & alias quasdam causas in frequẽti hominum cœtu poposci ab rege, ut si cognoscendos ei libros de uita patris emẽdandosq; tradidissem, iuberet Antoniũ (aderat autem homo) mihi reddere quos per bibliothecarij quoq; culpam interuertisset, quos diligentius elimatos, si maiestas eius annueret, publicarem. Et ille, recte tu, inquit: moxq; Antonio imperat, codicem restituat, quod hic postridie se facturum respondit, prout & fecit: sed quo nam modo, operæpretium est audire. Veniunt postero die duumuiri literarũ utroq; cum codice, suo & meo, planè furtum suũ cõfitentes, exiguntq; ab rege, ut liceat sibi coram omni frequẽtia recitare notas in historiam meam, & rege admittente, Barptolemæus incipit locum illũ, quẽ premere se maxime posse sperabat, legere, quasi perquàm fœdũ dictu esset, atq; abominandũ, quòd rex Martinus propter obesitatem corporis, præq; ualetudine cum uxore uirgine coire, nisi aliorũ adminiculo nequiuisset. Quam ego furentis hominis animaduertens uesaniã, & similem illi Antonianæ, qui furtum impudentissime manu teneret: quàm decorũ est, inquam, eos qui suarũ notationum inspiciendarũ potestatem non fecerunt, sępius rogati, nunc postulare, ut in hoc tumultuario iudicio respondeam, si modo ut respondeam postulant, & non rixari uolunt. Vides rex ut mihi reclamant. Ad conuiciandũ, huc omnes isti uenerũt, quod indignum est tua maiestate: scriptis aduersus me egerunt: scriptis & ipse agere debeo. Et rex, tu uerò inquit probe, neq; hic locus, neque hoc

Literate loqui

Statum à sto, nõ à sisto.

primo quoq; tempore

interuertisset

Martinus Rex adeo obesus ut cũ uxore nõ nisi adiutus coire posse.

tempus, neque hi iudices satis idonei sunt ad discutiendā hanc litē. Neque eius esse est, quos autor ipse nō promisit in publicū libros, in publico eos carpi. Tanquā re-tractādas tibi iterū Laurētii historias, mihi ut cognoscerem tradidisti, ut tibi iussERAM, quas legi, nec per occupationes potui perlegere, ut tibi iam bis respondi, mihi(que) illas placere admodū. Easdem nūc si retractare uis tibi tradere debeo. Simul hoc dicēs, sumptum ex Antonij manifestarij furis, ac sacrilegi manibus codicē, dolentis una cum suo Fatuo, ac lugentis, mihi porrexit. Alia multa ultro citroque iactata sunt, quæ referre non attinet, cum ad extremum rege iudice uictoria penes me fuerit, penes eos duo inter se contraria, rubor, & pallor. Quis nō putaret, post hæc istos ab editione suorum librorum temperaturos fuisse? At hi quartum addiderunt: Descriptumque in multa exemplaria opus per Italiam dimiserunt, ita ut propinqui mei, quod Neapoli habere nequierā, ad me Porcelij beneficio Roma transmiserint: ex eo exemplari transcriptum, quod isti ad Pogium miserant. I nunc, & dic non oportere contumelijs respondere, non esse illos à forti animo asperius insectandos: hæc est rei gestæ expositio, ex qua constat unde conflatum sit bellum, quæ'ue mea: quæ fuerit illius iniuria. Quæ quanquam cōstant, tamen respondēdum est ijs, quæ de iniuria sibi Barptolemæus per me facta cōqueritur. Sed huic confutationi parumper illam præuerti ratio postulat, narrationi cōiunctam maxime, atque cognatā, ex ultimæ inuectiuæ principio, quod interpretatur diffidentiæ signum esse, libros me ab rege repetisse (sic enim aiūt.) Erras Laurenti si putas ueniam esse datam erroribus tuis, quod librum tuum à rege repetieris, & quòd illum non editum, & nondum correctum dixeris. Ista enim libri repetitio planè confessio est erroris tui, non purgatio. Quam tametsi impudēs es, ipse negare non es ausus præsenti rege, cum ego errata tua coram maiestate sua proferre contenderē, neque enim passus es ista à me legi & recitari, quæ turpe sciebas à te nulla uia, nisi solita pertinacia tua, defendi posse. Lau. Duplex ad hoc mihi respōsio offerī: una simplex, aperta, mitis. Nō ideo me repetisse libros, quòd à uobis reprehēsi fuissent, sed quòd ea lege tradidissem, ut recognoscerent, recognitique, ut sic dicam, redhiberentur mihi ad retractandum, poliendumque. Neque enim si donassem regi, fas erat ulla ratione repetere. Itaque etiam si nulla inter nos altercatio intercessisset, illos fueram ab rege repetiturus. Quid dico repetiturus? Imò iam aliquoties repetieram. Repetere enim nimirū est exigere, an qui libros quos recognoscendos accepit, recognouerit. Altera asperior, ut concedā uestra me prouocatū causa repetisse, ideo me id fecisse, non dico ne libri, id est, labores mei, diutius hostium manibus pollucerentur: utque patris ope quàmprimū postliminio redirent. Nō dico, ne quid uobis furunculis subtrahere ex illis, ne'ue quid mutare, aut addere liceret, utque res ipsa, si quid à me scriptum aut nō scriptū esset, præsenti fide probaretur: sed ut uos (sicut estis) inuidos, furaces: malignos, & ante omnia stultissimos esse cōuincerem. Et hoc cum alijs proceribus, tum ipso rege teste & iudice. Sed fac diffidentia me fecisse, non te pudebit uerecundiā meā insectari, urgere pudorem, confessionem errati non donare ueniā? Dixi illos me non satis repurgasse, tanquam prius ab rege reformandos. Ideoque nulli sdum recitasse, nemini copiam inspiciūdi fecisse. Sub hanc uocem, tuum erat, si quid humani tibi sanguinis foret, strictum gladium deponere, atque in uaginam recondere, iterū cum libros edidissem resumpturus, & si quid in corpore corrupti fuerit, recisurus. Sed uidelicet ira impatiens res est: dolor ingens regi nescit, cupiditas ulciscendæ iniuriæ cæcum facit. Quotus enim quisque habet affectus in sua potestate? Videamus igitur quę nam à me sibi facta ab hoc profertur iniuria, quam uindicandā gladio existimat, ut non modo corpus meū petat, sed etiā umbram, tāquam Turnus inanem Aeneę imaginem persequēs, nec ferre uidens sua gau-

dia

dia uentos. Opinor laceratam à me eius famam, aut libros reprehensionibus nõ tatos, aut saltem inuitum me hoc esse facturum. Ait me absenti sibi cõtumeliam fecisse, quòd eum dixerim inimicorum inimicissimum. Nullum est aliud crimen meum, ullam aliam à me sibi factam iniuriam, nec fingere quidem potest. Hoccine ultionis hæc merebatur oratio? Tantum'ne tibi de aliquo supplicij sumendum fuit, ut duo leuia uerba tribus grauissimis ulciscenda uulneribus existimares? quod de nullo unquam, quamlibet truculento atque immani, & plusquam Atreo auditum est: ut qui tantam indignitatem in ulciscendo legent, haud dubie exuisse hominem, si unquam homo fuit, hunc & canem induisse sint iudicaturi. Cuius canis rabiem, ut breui complectar omnia, quæ in me potuit oblatrauit, donec raucesceret, credens mordere, cum latraret. Non igitur tantam merebatur ultionẽ talis offensa. Quid si ego non nisi propulsandę iniurię causa hoc dixi? Id est, si ille lædere prior cœpit, & quidem grauissime, ut probatur ex aduersarij uerbis, optimo probationis genere, sic enim circa principium scribit. Fac. Et sane nondum tela è pharetra mihi depromenda existimassem, nisi tam impudẽter coram inclyto rege nostro, in tot clarissimorũ procerũ uirorumq; cõsessu, te locutũ de me esse nuper accepissem: apud quos cum in Antoniũ Panhormitam uirũ ingenio, doctrina & existimatione præstantẽ inueheris acerbius, & ille à te lacessitus, me forte nominasset, ea de me dicere non puduit, quæ ne de indoctissimo quidẽ homine sine summo rubore quispiã sanus diceret. Sed profecto regis causa minus grauiter eam rem tuli, quoniã pro sua summa sapientia, ac singulari iudicio, satis intelligit quanti sis, quantum'ue absis ab eo homine, quẽ te facis. Cæterũ id fuit multo grauius ac molestius, quòd illud persuadere conatus sis alijs quibusdã qui aderant, qui propter paruã literarũ scientiã, non tam bene, neq; tam rectè possunt de ingenijs ac sciẽtia iudicare: à quibus nescio quomodo suscepta est, teipso de te prædicante, ac refellente nullo, falsa quædã de te opinio: quam profecto, si quid erit in me in dicendo facultatis, totam euertam, atq; eruã. Patefaciam igitur in primis tuam literarũ ignorantiam, & cætera. Lau. Taceo cæteras tuas uerborũ rerumq; ineptias: quòd dixisti procerũ uirorumq; cõsessu, quasi proceres uiri non sint, & cuncti qui aderant, assederint regi, nullusq; astiterit: quòd coram & apud confudisti, de quorũ differentia postea dicam: quòd uel pro q; ponis: quòd quẽ non puduit non aperis? q; sanos uis ea loqui de alijs, ob quæ ipsi erubescant, præsertim cũ de doctrina loquũtur: quòd regis iudiciũ sapientissimi singularisq; nõ reformidas, reformidas eorũ qui de eo audiunt, nec rectè possunt iudicare, nec bene: quòd ab eis de me præsumptã, ut de perdocto homine opinionem uis, sperasq; conuellere, profecto nil aliud laborans, nisi ut imperiti non de me, sed de te bene sentiant, fatui nimirum capitis, insaniq; propositum, quòd negas te scire, quomodo hęc de me suscepta sit opinio, & tamen ais quomodo sit suscepta, quia ego de me pręedicem, & nemo pręedicantem refellat. Quis adeò rerum imperitus, quis adeò hebes ac stolidus crimen quod uelut capitale obijcit, idq; in iudicio, nõ exponat? iniuriam quam non aperit iure se uideri uelit ulcisci? propter rei indignitatẽ quam nescit ostendere terras ac maria misceat? Verum non fatuis modo, sed etiam prudentibus solet excidere simulatio, erumpẽte per obstantia ueritate. Simulat enim iste à me sibi factam iniuriam, quę nulla fuit, non cõuicium, non contumelia, ideoq; nihil aperte cõmemorat, aperte ostendens prius se in me composuisse, quàm ego lacessitus dixi ea quæ ipse (ut est præposterus) circa finem huius inuectiuę nõnihil tamen deprauate refert. Me uero, ut etiam aliquid de me dicam, qui nullam tibi iniuriam fecerã, quod sciam, cõuicijs insectaris, minutissimũ appellãs inter minutissimos. Hæccine sunt propter quæ erubescere debebam, si sanus eram. Sed omittamus imminuere nostrã,

si qua est, offensam, & tuæ aggrauare ultionis immanitatē. Sileamus quoq; iniuriam illam, quā mihi in libello meo carpēdo, ut te Panhormitæ uēditares, proditoris ritu fecisti. Prætereamus etiā, quod te hic aliena, nō tua causa significas ad accusandū descendisse. Quid est quāobrem ad hoc ego conuiciū, si conuiciū est, eruperim? taces? Cū Antonius inquis Pāhormita à te lacessitus, me nominasset: non est, nō est hominis lacessiti contra eum qui in ipsum inuehatur acerbius tantum nominare aliquē. Necesse est, ut sic de te aduersus me ille mentionē fecerit, ut se ulcisceret. Hoc profecto nihil aliud est, quàm dixisse de uitijs te meis in historia scribere. Nam quis credat, si de re nō planè cōstaret Panhormitā aliter tui mentionē fecisse? & te non cōsulto nominasse, sed fortè (ut ais, quod impudētissime ais, ut cætera) qui altercationi non interfuisti: sed Panhormitę credis aduersario, nisi ipse fingis ad tēpus. Quanq; ô uere Fatue, ac fatuorū princeps, si te quis nominat, ego protinus in te inuehar? ego te carpam? quasi uerò tu plectendus sis alio deliquente. Tametsi cur aut ille delinquat, si te nominet me pręsente? aut tuū nomen, qui nunquā, si tibi credimus, iniuriā feceris, mihi stomachū moueat? Quid si quis me referat abs te laudari, prædicari, diligi, continuóne tibi male dicam, ac conuicium faciam? Incredibile est, sine fide est, dictu stultissimū est quod loqueris, atque confingis. Fatere igitur, fatere minutorum minutissime cum tuo premonstratore Panhormita, me prius accepisse abs te, & per te ab illo iniuriā, & ideo aduersus inimicos cum contemptu tui locutum: nec te pudet hoc dissimulare sycophāta, quod ipso meridie, ut aiunt, est clarius, cum tot sint testes qui interfuerunt, & tu in primis dementia ipsa dementior, qui postridie tanquam ad ulciscendam iniuriam cum uenisses, te infinita prope uitia ex primo libro collegisse dixisti, quæ quia nondū pure cōscripta essent, non posse tunc exhibere, sed exhibiturū propediem. Vides, ut probo, nullam me maledicentiæ tuæ præbuisse materiam, sed peruersum ingeniū tuū, sed cæcum liuorem, sed uesanam ambitionem, Panhormita uel impulsore uel addēte calcaria. Cuius de inimicitia, quę illi mecū est, locus suus in sequentibus dabitur dicendi. Vides ut ultio mea non modo necessaria, uerū etiam lenta, mollis, & prope nulla fuit. Volo enim imminuere crimen meū. Nam quid aliud facerē? Mirū est non etiā me dixisse, te furere solitum, te bonis doctisq; detrahere, gloria tibi ducere te in regem, cum à parte hostium stares, quàm petulantissime scripsisse, scripsisse etiā uictorias Genuensium cōtra Catalanos. Quid ultionis esse satis debuit? cum subtracto ex regis bibliotheca meo codice, quem nulli nisi regi cognitū uolebam, ac ne ipse quidē Antonius ut me repelleret apud regē proceresq; diceret te libros de erratis meis cōscribere. Vides ut de secūda iniuria loquar, ut ultio tua, si ultio, & non odij saturatio fuit, inhumana, crudelis, truculēta, & uere canina sit. Debeo enim postq; probaui nullam penes me iniuriæ culpā, sed penes aduersariū, omisso reo agere accusatorem, & illorū crimen exaggerare. Adeóne non satis tibi fuit furiose quæ postero die in me oblatrasti, enumerauistiq; in ultionem contumeliæ acceptæ, nūquid ego uitia operum tuorum aut scripsi, aut alijs patefeci? cum facere possem. Num cum longe abhorrens à modestia mea uitium, ut tu ais, in opere meo deprehensum, inimicis meis ac populo ostentasses, tibi talionem reddidi? nedum quadruplum, ut tu nūc facis, aut potius centuplum, ac plusquam centuplum. Et ego tantum de insectatione literarum loquor. Quid illud, quòd in uitam, moresq; meos capitali odio inuecti sunt? Quid attinebat cum certamen inter nos, & si placet, iniuria mea, de literis sit, ad insectationem morum prorumpere? at quos homines? quàm probos, quàm innocētes, quàm castos? & ferrum armare ueneno, ut inquit Vergilius. Nam quid istud ad uictoriam proficit, ei cum quo pugnes ingerere cōuicia? Nisi fallor, diffidere uiribus est hoc genus aduocare certaminis.

Cuius

Cuius diffidentiæ, ut hæc differamus, ubi meos tuendo, istorum mores attingã; illud quoq; est signũ, quòd pessimo exemplo, ex multis meis operibus id solum inuaserũt, quod nondum publicatum est. Quod crimen nescio an sacrilegium, an peculatum, an expilationem, an plagium uocem, an simul omnia. Nam ex sacra regis bibliotheca surripere libros, sacrilegium est: ex domo principis, arcanoq;, peculatus: thesauros opesq; cuiuslibet, expilatio: alienos liberos, id est, libros, plagium. Quæ cuncta quanquã à uobis admissa sunt, & (quod ad me attinet) maxima me iactura afficitis, multo tamen est ipso dãno maior iniuria. Perinde ac si mortuũ meũ in sepulchro religiose iacens, ac quiescẽs protrahatis, & deforme spectaculũ populo ostentetis. Cõditi libri mei sunt & sepulti, siue (ut magis idoneo utar exẽplo) intra uterũ parentis sunt, seu adhuc implumes nido, euolare nondũ queunt: adhuc cibos quos uolitando cõparo meo allatas ore illis impertio. Hos, ô facinus indignũ, uos parẽte in pastus deferẽte exturbabitis è cubili: fugitãtes persequemini: assequuti pedibus cõculcabitis, & cõteretis: atq; ut immanitati cumulus accedat, etiã hoc egisse gloriabimini: ut nemo non (nisi uestri similis) ista facta ac dicta improbet, ac detestetur. Quot sunt enim quæ post interiectum tempus scripsisse nos pœnitet: quę quantum placebant cum inuenirentur, tantũ retractata displicent, ut ait Ouidius, Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno, Me quoq; qui feci iudice, digna lini. Habeo recitare, primum paucis, mox pluribus amicis, habeo mittere ut de multis operibus feci ad principes Latinę linguę: horum ego si cui libros meos cognoscendos misissem, uos in Bibliothecã illorũ adulterinis clauibus introeũdum uobis putaretis: & quod sceleratius est, uos introisse surripuisse, nolle sublata reddere, & omnia loci illius arcana fortassis, inepta, & ridicula passim hominibus monstrare gloriamini: nisi uerò quod de priuata domo facinorosum sit, id in regia minus meretur ultionis: imò, nisi fallor, & regis et meo nomine grauissime est coërcendũ. Nihil igitur ex meis libris, uel meo, uel amicorũ iudicio detraham: nihil immutabo: nihil ad eos adijciam: ut non autor, sed inimicus in publicãdo plus habeat potestatis. Neq; tibi Barptolemæe nouũ hoc est, impudentissime proditorũ, libros nondum publicatos inuadere: idẽ auso facere in libello cuius superius memini. Sed nũc multo deformius, q; ea quæ te inspicere, nedũ iudicare, nolui, iudicas, licet illius criminis Panhormita quoq; affinis sit. Publicasti itaq; opus meũ inuito me: & per urbes alligatũ cũ carnifice dimisisti, id est, acusatione tua. In quo illud magnopere demiror, & si nihil de tam peruersa mente demirandũ, cum ad me scribantur libri illi accusatorij, non ad me, qui reus agor, eos mitti: sed ad alios, quò prius reus peragerer, quoq; prius cõdemnarer, si qui modo condemnare uelint altera parte non audita, quàm audirer. Qua in re isti, ne ob improbitatẽ suam nimis sibi placeat, uicem reddam. Hactenus de infandissima aduersariorũ mente, qua ad me confodiendũ incubuerũt, dictũ sit. Nunc superest uidere, an uere confoderint, an & ipsi cõfodi possent obnoxios se opportunosq; præbuerint. Itaq; ut illinc, unde accusator exorsus est, ordiar, ad confutationẽ obiectæ mihi imperitiæ uenio: dum meminerint legentes, nõ cum uno mihi, sed cũ duobus esse certamen, Scytha & Afro: quis crederet tam disiũctis patria hominibus, qui pariter (ut docebo) tela conijciũt, alter propalam, alter ex abdito, siue alter à fronte, alter à tergo. Venio autẽ ea præfatione, ut nõ recusem, quin omnia pro ueris habeantur, si uel unũ uerũ sit: & nisi uicissim quadruplum in eis peccatorũ probauero, quàm ipsi obiecerũt. Quos putarem forte negligentia quadam cecidisse, nisi scirem ante sæpius in huiusmodi rebus erratũ esse. Fac. Quẽ me teste & contradicẽte defendere non puduerit. Nec à pendo, is, præteritũ pependi, sed pẽdi: nec à frigeo es, frixi, sed frigui fieri. Lau. Primum uidete hominis eximiã stultitiã,

siue malumus ut de fatuo dicere fatuitatem, qui ait se teste id factū esse, eodemq; cōtradicente. Idem ergo potest & testis esse, & actor? tu tibi de te, & cōtra aduersarium postulas haberi fidem? Non hoc in aliquo meorū operū dictum est, non rege, non cœtu hominū, non paucis, non duobus deniq; audientibus, sed te uno teste, qui & tunc contradicebas, & nunc accusas. Quod & si uerū fuisset, tamen plusquā stultissimū est id obijcere, et quidē primo loco, quod probare nō possis, ubi quātopere mentiaris, et si amicū est tibi mētiri, uel hinc probari potest, quòd (ut de primo uerbo respondeam) nonnunquā alijs in libris pependi à pendo, & hic in secundo historiarū sum usus, sicut ut ipse testaris. Et nihilominus nemo est qui libros ueterū legit, qui nō euoluerit Sallustiū, cuius hæc uerba sunt: Et quas uicti ab hostibus pœnas meruerāt, ipsi uolentes pepēdere. Taceo cæteros, apud quos idem reperitur, à me diligentissime lectos, cum de elegantia linguæ latinæ cōposui, quod etiam omniū artes præcipiunt. At à frigeo frigui fieri, non præcipiunt: nec eo autores utuntur, sed frixi. In hoc nescio mendacium'ne potius obijciam an stultitiā. Si enim legit meminitq; in elegantijs à me scriptū à frigeo & frigesco frixi fieri, mendaciū dixit, seu quod turpius quidā uolunt esse, mētitus est. Sin nesciuit, stulte uel alicui dicēti credidit, uel ex me audisse se opinatur: si modo ex animo loquitur, & non dolo. Nam ex me audisse qui potuit contrarium eius quod scripsissem? Cuius operis plusquam centū exēplaria multis iam annis conscripta, calumniā hominis coarguunt. At frigui quoq; fieri cōfessus sum: scribendone? at tu de scriptis meis nō sentis: an loquēdo? Si apud alios nihil habes præter auditum, quod nunc in accusando sequi calumniæ est, si apud te mentiri conuinceris, cū à me semel ratione superatus, quam mox proferam non fueris ad certamen reuersurus, nisi te fatuū planè, & plusquā pertinacem, iuuet ostendere. Habes igitur Fatue, quod est accusatori maxime optandū, præsertim ei qui probare non potest cōfitentem reum, sed ita confitentem, ut stultitiæ sit hoc obiecisse, peritiæ argumentum non negare. Lege Priscianū in 11. dicentem: Pleraq; neutrorū secundæ coniugationis in ui diuisas desinentia præterita, deficiunt in supinis: ut horrui, rubui, tepui, ferbui, senui, egui, frigui, rigui, durui, stupui. Hunc tu locum apud grammaticorū culmen nō legeras. Hunc ego cōtra te, si una controuersia inter nos fuisset, attulissem: sed mēturis fuisse. At nō sunt usi autores frigui: imò si queras, ferè nec frixi, sed in cōposito refrixi, pfrixi. Neq; ipse usus dicendus sum, qui cum de grāmatica loquerer, illud exēpli in loco attigi, dicēs: Inchoatiua mutuari preteritum à primitiuis, ut calesco calui, tepesco tepui, frigesco frixi, uel trigui, ut pessimi hominis sit me sic locutū uelle reprehēdere. Eo quidem magis, q frixi à frigo uidetur proprie proficisci: cuius supinum erit frixum. Siquidem frixum cicer legimus, & alia huiusmodi. An frigo negas reperiri? Audi Plinium libro 12. Græci perfusum aqua ordeum siccant nocte una, & postero die frigunt, dein molis frangunt. De quo cur Priscianus non præceperit ipse uiderit. Fac. Et à parco parsi parcitum, & ex eo parciturus participium trahi, in qua quidem heresi te adhuc perstare deprehēdi, in hoc tuo præclarissimo opere. Lau. Cur dissimulas quamobrem, quóue modo altercatum inter nos est de isto uerbo? cur ita unde rem incredibiliterq; proponis scythice orator? Sed de eo superius in rei narratione satisfeci, ut hic nihil tibi respondere debeam, nisi te ubiq; tui similem esse: qui cum à me in hac ipsa disputatione fueris confutatus, tanquam tu uictor inde discesseris, insultas, Græco uerbo utēs, quod apud paradoxa Ciceronis inuentum cum non intelligas, praue ut alia infinita posuisti: ille enim de Catone loquens, ait: Estq; in ea hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neq; dilatat argumentum. De Stoicorum loquitur Cicero secta, quæ Græce dicitur hæresis, quod nomen tu pro opinione accipis: quippe meam huius uocis opinionem reprehendis,

prehendis,non aliquā sectā. Fac. Praeterea sisto,is,statū supinū facere. Lau. En stilus limatus tersusq́;. Quid attinet dicere à pendo,is,à frigeo es,à parco is,à sisto is: quasi uero nō intelligat quod uerbū sit ex prima persona, pueros te adhuc docere existimas, qui nisi adiūcta secūda persona,nesciūt cuius sint hęc uerba coniugationis, quod apud iam doctos cū loquimur scribimus'ue,facimus in uerbis ancipitibus,ut lego is,lego as, appello is,appello as, colligo is, colligo as,educo is,educo as. At in tuis istis uerbis non est prima positio, nisi singulorū uerborū, ideoq́; nec in loquēdo nec in scribendo ambigua. Fac. Cum autore Prisciano nullum ex eo neque ex sterto,oriatur supinum,dicaturq́; status,a,um, eodem Prisciano teste,à statū statu eius uerbi supini quod est sto. Lau. Priusquam de re ipsa respondeo, quam hic minime probabiliter refert, ut multa quoque alia peccat,nōnihil,ut modo feci de loquendi ineptia dicam ipsius correctoris:in eo ubi uoluit elegantijs loqui,infantius locutus est. Quid sibi uult eius uerbi quod est sto? nónne fateris statum statu ab alio quoq; uerbo fieri quàm à sto? Siquidem non nisi in ambiguis dictionibus ita loquimur. Quale est nostrum in elegantijs ex A. Gellio. Mei te rogandi & tui mihi respondendi. Mei hoc in loco Plautus non ab eo dixit quod est meus, sed ab eo quód est ego. Vides ut in mei,quod anticipitem significationē & originem habet, A. Gellius dixit ab eo siue eius pronominis quod est ego,cum esset aliud pronomē unde etiam ille genitiuus oriretur. Igitur tu necesse est doceas,quo ex alio uerbo quàm ex isto oriatur supinum,statum statu. Atqui hoc ipsum negas. Ergo tecum tua confessione dissentis. Sed non est quod timeas,te enim ego,quem tibi fingis inimicum, subleuabo, doceboq́; ex alio etiam uerbo fieri statum. Ait praeterea, autore Prisciano,cum sciamus Priscianū caeterosq́; grammaticos, & propè omnes artifices ab alijs petere praeceptorum suorum,non ipsos habere autoritatem, hoc est,nō esse autores. Ideoq́; quae tradunt ea omnia superiorū testimonijs confirmare. Quod siquando locos aliquos rationibus probant, tunc ipsam eorum rationem sequimur,non autoritatem. Ac ne(teste quidem Prisciano) recte dici affirmarem, nisi si quid ait ille se apud eos legisse,quos ipsi non legimus,qualc nō est quod apud hunc inuenimus,teste Capro, teste Diomede, teste Donato. Nunc ad sentētiam Prisciani reuertamur, Cuius hęc uerba sunt: In isto unum sisto, Cuius pręteritum quando actiuam habet significationem tam in simplici quàm in composito deficit,quando absolutam & similem sto uerbo, commune cum eo habet praeteritū, ut resisto uel resto restiti, Paulopóst. A stertui enim supinum nō inueni, nec à sisto. Aperi Fatue,aperi tuum istud uastum & agreste quidam,ac rude & barbarū sonans os, atq; oblatra mihi, reclamaq́; Priscianum impugnanti, sicut apud regem reclamasti,ubi uictus cum fueris rebellas,ac prostratus in terrā,surgere conaris de genuq́; pugnare,inuidia uesanus & rabidus,ut appareat te, nō de status participio, sed de status conditione pugnare. Prius tamen Prisciano me purgatum uolo, quòd aduersus eū locuturus sum. Ego uerò Prisciane nihil admodū quod praecepta tua conuelleret, duntaxat in hac parte, dicere constitueram, nūc quicquid dixero,istis assignato,qui initium introduxerunt, non tam ut te protegant inducti, quàm ut me impugnent, tuis, nisi fallor,uestigijs insistentem. Vt enim tu de lingua latina optime meritus es, sic ego quod cum bona uenia tua dictum sit,pro mea uirili mereri studebo. Ais sisto quando actiuā significationem habet praeterito defici,supino etiam quando absolutam. Cur ita? quia non inuenisti. Sentētiam igitur mutes oportet, ubi inueneris. Indicabitur autē tibi per me in quibus utrunque inuenias locis: Celsus iurisconsultus apud Iustinianum libro 44. digestorum scribit tit. de stipulationibus & uerborū obligationibus: Si ita stipulatus fuero,te sisti, & nisi stiteris,hippocentaurū dare, perinde erit, atq; si

te sisti solummodo stipulatus essem. Et eodem loco Paulus: Ita stipulatus sum, te sisti certo in loco, si non stiteris quinquaginta aureos dare spondes. Hoc de præterito actiuo. De passiuo autem cuius fons est supinum. Idem libro 11. de diuisione rerum & qualitate: Si plurium seruorum nomine iudicio sistẽdi causa, una stipulatione promittitur, pœnam quidem integram cõmitti, licet unus status non sit. Labeo ait: quia uerum sit, omnes status non esse. Et alijs etiam locis participiũ passiuum à statum supino, de quo lis nostra est, licet reperias in iure ciuili. Cuius iuris caput duodecim tabulæ, ita scriptum habent, teste Cicerone, atq; Varrone: Dies status cum hoste, quem locum quidam legunt, statutus, quasi constitutus, sic legendum negante Plauto in Curculione. Quo te hoc noctis dicam proficisci foras cũ istoc ornatu, cumq; hac pompa Phedrome. Quo uerius Cupido imperat, suadetq; amor. Si media nox est, siue est prima uespera. Sic status, conditus cum hoste intercedit dies, tamen est eundũ quo imperat ingratis. Quæ uerba Festus Pompeius exponit cum inquit, Status dies uocatur iudicij causa cõstitutus. Nec non in eadẽ penè uerba Macrobius: Iam uerò stator ab eodẽ nascitur fonte, ut apud Liuiũ, Iupiter stator, uidelicet à sistendo, uel (ut apertius dicamus) à stata fuga Romanorũ. Quod non minus lucide Cicero declarat, inquiens: Tu Iupiter qui eisdẽ quibus hæc urbs condita est auspicijs, à Romulo es cõstitutus, quẽ statorem huius urbis atque imperij uere nominamus. Et alibi: Te ait Iupiter stator, quẽ uere huius imperij statorẽ maiores nostri nominauerũt. Certe à sto nõ diceretur stator urbis & imperij, cum natura huius uerbi repugnet. Ergo erit à sisto, equidem sermonis actiui, quasi firmator urbis, & stabilitor imperij. Vnde statæ res, quæ firmæ sunt ac stabiles & certæ, suoq; tempore sæpius redeuntes. Vt idem Cicero de responsis aruspicum, quæ uerba Valerius Maximus in principiũ operis sui transtulit. Maiores nostri statas solennesq; ceremonias pontificum, scientia rerum bene gerendarum & reliqua. Statas atq; solennes pro eodem penè accipiens. Nam solennes frequẽtissime legimus pro fixa, & ut sic dicam, aniuersarias. Etiam febres morbosq; ut statos, ita solennes, quòd certo ac rato tẽpore hominẽ repetãt. Vnde Pompeius Festus exponens, inquit: Solennia sacra dicũtur, quæ certis tẽporibus fiunt. Age uero quod aliud exemplũ, meliusq; quàm Ciceronis pro Milone? Vbi eadẽ uerba sunt, de quibus nostra extitit cõtrouersia, quę nusquam praue scripta reperiũtur, Lanubij stata sacrificia nosset. Quod cõgruit cum illo apud Ouidium de Fastis: Et stata sacra facit. Pompeio quoque Festo exponente, Stata dicebantur sacrificia, quæ certis diebus fiebant. Cato sacra stata solennia sancta seruasti. Ideoq; legendum apud Tusculanas quæstiones lib. 1. Solenne & statum sacrificium, non statutum. Ita apud Liuium illud de quo rege disceptante contendimus. Quod cum ita sit, profecto obtinui palmam, liquetq; uos & tunc iniuste contendisse, & nunc me improbe accusasse. Adde ex abundanti ut materiæ satisfaciam plenius, quòd Priscianus Lucani uerba ponit stata tempora status, quasi cõstituta & non aberrantia unquam à suo ordine, quale est apud Liuium: Et fretum ipsum Eurypi nõ septies die sicut fama fert temporibus statis reciprocat, sed temere in modũ uẽti, nũc huc, nũc illuc uerso mari. Et apud Plinium patrem, ubi titulus de statis tempestatibus. Et alibi milies. Et apud Plinium filium ad Licinium, ait enim de fonte quodam sic ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit, decrescitq;. Statim ille certis dimensisq; momẽtis uel subtrahitur, uel assurgit. Et iterum paulo pòst: per quasdam oblectantis animæ moras crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt. Vides ut aperte hic autor ostendit à sistendo fieri statum. At enim Priscianus uult hoc non à sisto fieri, sed à sto. Vult ille quidem, sed nec à sto uenire docet, nec à sisto non uenire, cum ratio hoc uelit, tum quã dixi, tum uero hoc, q statũ à sto siquid probat analogia

sui deriuatiui staturus, habet primam longam, hic breuem. Vt à sisto uenire dubium non sit. Verum quid rationes consectamur? cum tot tantorumq; scriptorum assit autoritas? Ideo ad reliqua pergamus. Fac. Illud enim est omnium uitiosissimũ, quòd dicis horresco horrui præteritũ emittere, & inchoatiua præteritum habere, cum solum descisco autore Prisciano præteritum desciui faciat, quod tamen (& id est uerisimilius, cum cętera eius fermè uerba præteritis careant) à descio magis fieri putat. Lau. Vbi tecum, aut, quando de isto uerbo contendi? non respicis fatue nequaquam te loqui apposite ad faciendam fidem? nam si tecum hac de re contendissem, profecto non alia, quàm quæ scripseram, protulissem, eáque defendissem, quæ te nunc potius quàm uerba mea, quæ negari impune possunt, redarguere dicebat. Itaque si meum de elegantia opus legisti, quid ita de inchoatiuis à me ais dictum, quasi non scripserim? cur rationes meas non refellis? cur nõ euertis omnium scriptorum autoritates? nec de præterito tantum, sed quod maius multo est, de significatione. Vbi probaui nullum (quod dicitur) inchoatiuum significare inchoationem, quod ne Priscianus quidẽ ipse, si excitetur ab inferis, uel refellere possit, uel negare audeat. Sin non legisti, quid tibi faciam? nisi ut iubeam ire ad ipsum opus, ut sciam uelis ne post hac desistere, an litigare. Et tamẽ breuiter sic habeto. Horrui si ab horreo ueniret, significaret idem, quod horridus fui, quod falsum est, cum significet quod horridus factus sum, talisq; aliquandiu permaneo. Ergo ab horresco descendit, quod significat horridus fio, ut acesco acidus fio, cuius præteritum est acui, id est, acidus factus sum, non autem incepi talis esse, quod ad significationem inchoatiui, aut acidus fui, quod ad primitiui confutandam attinet: cuius ipsum primitiuum aceo me legisse non memini: sicut nec saneo, cuius deriuatiuum sanesco posuit Cornelius Celsus sæpe, ut ibi. * Arteria incisa neque coit neq; sanescit, id est sana fit, uel sanatur, non autem incipit esse sana. Et apud Columellam & Plinium, hærbescit, arborescit, grandescit, & alia complura, quorum nec primitiua usquam leguntur, nec significatio est inchoatiua. At enim tu ais Priscianum uelle unum descisco habere præteritum ex inchoatiuis. Desino pluribus in illum argumentari, qui si foret in rebus humanis, non contra me hoc in loco sentiret, sed contra te, Quid est quòd tu aut facias inchoatiuum descisco, cum non facias scisco simplex, aut si hoc quoque facis, præterito priuas, quod est sciui, & inde scitũ, ex quo plebescitum. Negas? Audi uerba legis duodecim tabularũ: Creatio magistratuũ, iudicia populi, iussa, uetita, cum suffragio eo sciscentur, optimatibus nota, plebi libera finito, & mille in locis legimus, plebs sciscat, plebs sciuit. Ad hoc præteritum à scio mutuatũ est? Esto, & si alius significationis est sciui à scisco, alius à scio. Cur non etiam desciui à descio, an quia descio non reperitur? At istud contra superiorem tuam rationem facit: sed ut ita sit, fateare necesse est, conscisco, ascisco, rescisco, quæ eiusdem naturæ sunt, habere sua præterita consciui, asciui, & resciui. Quod si adhuc in sententia ac pertinacia permanes. I (ut dixi) ad elegantiæ opus ubi latius ista disserui. Sin uero ne sic quidem acquiesces, perge, & moribus tuis utere, dum scias te non posse mihi refragari, nisi doctis omnibus, à quibus illi probati sunt libri, refrageris, præcipuéque Guarino, quem præceptorem tuum facis: atque Aurispæ, qui primi de laudibus ad me operis illius scripserunt: quorum alter inter cætera inquit: Vt pallas oleæ fuit inuentrix, ita me inuentorem esse elegantię linguæ latinæ: quale quiddam in alio opere fecit ad me scribens his uerbis: Laurenti, laurea & Valla, uallari corona ornandus es. Alter cum multa alia, tum uerò illud, se permultũ argenti ex opere meo si uoluisset potuisse lucrari. Sileo Leonardum Aretinum, cæterosq; necui forte præter necessitatem causæ

*aliàs chartilago.*

uidear uelle gloriari. Fac. Sed his omissis, ad operis tui disquisitionē ueniamus. Bene tibi habēt principia, strennue tibi prælusio acta est. Quo maiori cura & studio excogitasse & confecisse te uerisimile est, quàm ea quę disputationis causa aliquando in medium protulisti. Lau. Disquirere opus meum uis? quasi non possim tua uerba uicissim ego disquirere, atque rimari, ego uerò & in superioribus rimatus sum, & in sequentibus sic rimabor, ut nulla prorsus rima me fallat. Itaque ut superius te uolentem percutere percussi prior, ne dicam tot uulneribus sautiaui, ipse adhuc ut spero absq; uulnere: sic nunc toto irruentem impetu præueniam, & ut confido uulnerabo. Quæro enim, nunquid accurate an oscitanter ista uerba protuleris, quę disputationis causa in medium protulisti? Quorum uerborum, id est, proferre in medium, hoc significatū est, aliquid non dissimulare, sed ex animi conscientia quadam in commune proferre, qualecunq; sit aliis cognoscendum ac iudicandum. Neque enim præceptor dum apud discipulos, aut disputator apud eos quibuscum disputat docendi aut uincendi causa quid profert, sicuti tu ais, dicitur proferre in mediū. Adde quod uis ea quæ indisputando dixi excogitasse, & cōfecisse. An nō ita sunt tua uerba intelligenda? quod maiore cura & studio excogitasse, & cōfecisse te uerisimile est, q̄ ea excogitasti & cōfecisti quę disputationis causa aliquādo in mediū protulisti. Quid est istud cōfecisti disputatiōis causa? Agnoscis nō esse uerba eruditi, & qui alios ut ineruditos possit incessere? ut quo ingenio quáue doctrina sis & eloquētia à doctis hominibus iudicari possit. Superius de indoctis loquebaris, quos à me decipi aiebas, nulla habita mentione doctorū, cū illa adderes, ut posthac fallere indoctos homines ista futili uanaloquētia & loquacitate desinas, nunc oblitus quid dixeris de doctis solum facis mentionē, quos, O cerebrū fatuū, docere uis, quasi uerò sine te pręceptore nequeant docti de ingenio meo doctrináq; iudicare. Quod opus dicere nō potes à te non esse editū, cū illud iam regi obtuleris. & & in eius bibliothecā, iampridem reponendum dederis. Cur nō inquisti, quod opus dicere non prodest tibi à te non esse editum, non emendatum id quod in quarta facis inuectiua: sed tamen inquis, dicere non potes à te non editum, quasi inquias, si forte respondebis à te non esse editum. Ego nondum sic responderam. Quo patet te prius contra me scripsisse hęc, quàm ulla à me contumelia affectus esses. Sed ut omissa iniurię materia præsenti obiectioni respondeam, quàm uerum est prouerbium illud, conscientia mille testes. Quia scis non esse editum, ideo ad sic loquendum inductus es. Edideram? Cur non ab aliis accommodato accepisti? in bibliotheca reponendum dederam? cur non ab rege legendum petisti? Sed quid argumentis colligo, quod regis pronunciatione finitum est? Primo autem loco quod ad elegantiā, secūdo quod ad dignitatem historiæ, & ad artem pertinet, errata tua demonstrabo. Non de dignitate orationis, qua de & elegantia Cicero adhuc iuuenis præcipit: sed de dignitate historię loqueris. Esto, lapsus sis, de dignitate quæ pars eloquutionis est dicere uolebas, aut superuacuum est illud, historiæ. Atque ut hic superat, ita illic uerbum deest. Ais enim artem, quasi sine apposito intelligatur oratoria. Est'ne hic purus & integer sermo, quod tu in me requiris inquiens?

Fac. In operis tui titulo, qui esse debet omni uitio purus & integer, sic scribis. Lau. Agnosce hic quoque quàm pure dixisti & integre. Non scribo titulum, sed in titulo. Quid in ipso scribo? nempe titulum. Quid hoc sermone minus purum, quanquam quæ pars operis debet esse non omni uitio pura nec integra, uel minus quàm titulus? Quid? illud integre dicitur, quòd uerba ista quę mox reprehendis, ais tituli esse, cum longe absint non modo à tituli natura, quòd sunt plusquā sexaginta numero, ut ipse scis, uerum alia in pagina

scripta sunt, quàm qua historia incipit unà cum titulo, qui hic est, Gesta Ferdinandi regis, est autem pagina hæc nuda, præterquam subscripto circulo quodã, uelut orbis terrarum, tumultuarie facto. Fac. Tres libri historiarum Ferdinandi quæ gessit. Vt omittam hoc loco quod ad explanationem attinet, in latinitate abs te uehementer peccatum est. Antecedenti enim, quod est fœminini generis, relatiuũ quod est neutri generis reddidisti, quod etiã turpe esset puero prima elementa discenti. Lau. Stultitia uestra singularis facit, ut non maligne uos facere existimem, & ita maligne, ut nõ stulte. Sed quia omnis malus stultus, stultitiæ uos pariter ac malignitatis accuso. Stultitię quidẽ, qui uitio datis, quod nõ uitiose dictum, queat defendi: accipiendo non fœminini generis antecedens quasi quę relatiuum ad historias referatur, sed ad neutri generis subintellectum antecedens, quod est eorũ: ut sit eorum, id est, earum rerum quas gessit. Malignitatis autem, quòd nõ modo mentimini de nomine ac loco tituli, ut dixi, uerumetiã disiungitis quæ iuncta sunt, & quæ disiuncta copulatis. Nónne spurcissimi delatores, punctum intercedit inter quatuor priora uerba & sequentia? Nónne ipsum Quæ maiuscula litera scriptum est, tanquam principium sequentis orationis quę est hæc? Quę gessit & antequam rex esset, & factus rex & reliqua, ut ipse est indicio codex, quasi superior exponeretur oratio. Tres historiarum libri Ferdinandi, id est, gesta Ferdinandi, siue ea quę gessit ille & antequam rex esset, & factus rex. Nam historiæ etiam gesta dicuntur, quia in eis gesta continentur. Vt si quis legens Liuium, nihil intersit an gesta Romanorum se legere dicat, an historias Romanorum. Verum ineptij sit pluribus ad ineptias respondere. Fac. Europam tertiam orbis terrarũ esse partem ferè traditum est, eamq; Africa, haud multo maiorem quàm Asia minorem. Magistrum te grammatice profiteris, & ignoras hoc latine dici non posse. Vt enim dicimus, Cæsar quàm Pompeius felicior, aut sic dici necesse est, si infinito uti uolnmus, quod ante se quartum casum postulat, dico Cæsarem feliciorem fuisse quàm Pompeium. Aut ego tardus sum, aut mei Aristarchi dormitant. Quid enim attinet de infinitiuo & accusatiuo loqui? Lau. Ad hæc quid simile uestro exemplo cum uerbis meis? præterea nihil apertæ reprehensionis affertis. Id tamen significare uidemini, uno mihi comparatiuo fuisse utendum, ut uno uos usi estis in emendando. At Priscianus non uetat duo cõmitti cõparatiua, in suo præcepto utens hoc exemplo: Tam iustior quàm felicior Aeneas Hectore fuit. Qui si dixisset tam iustior Paride quàm felicior Hectore fuit Aeneas, nihil admodum à superiore forma recessisset. Quale fuit illud nostrũ, quod paulopost sequitur, Petrus multo maior cæteris fuit, tanto minor Maria quanto maior Helianore sororibus. Quem locũ si probauistis non reprehendendo, & hunc probatũ uos iri necesse est. Qui nequaquã insolentior modus loquendi est, quàm ille quem idem Priscianus eodẽ in loco affert, exemplo Ciceronis in Philip. Quis interpretari potest, impudentiór ne qui in senatu, an improbior qui in Dolobellã, an impurior qui patre audiente, an crudelior qui in illam miseram tam spurce tam impie dixeris? Aut ille Liuij: Eo magis ruere in suos beluæ, tantóq; maiorem stragẽ edere, quàm inter suos ediderant, quanto acrius pauor cõsternatos agit quàm insidentis magistri imperio regũtur. Aut ille Cornelij Taciti, Calistus prioris quoque regię peritus & potentiam cautius quàm acribus cõsilijs tutius haberi præstitit. Sed quid plura in uos magis dormitantes quàm loquentes? Fac. Horũ lingua similior est mediterraneis Castellanis, quàm Catalanis aut Valentinis. Magis latine si dixisses quàm Catalanę aut Valentinę, quoniã subaudis linguę, non hominibus aut linguis. Lau. O Fatue, quum dicitur Catalanæ aut Valentinæ quomodo subaudiri potest hominibus, id est, numerus pluralis? At dicere

uolebas,

uolebas, quoniã hic quidem subaudis linguę, ibi uerò hominibus. Et ideo es fatuus, quanquã nondũ scio quid dicas. Subauditur'ne an no in meo sermone hominibus? Ais, qd ergo inquis quoniã subaudis linguę nõ subaudis hominibus? negas? At istud omnẽ superat stultitiam, cum adeo subaudiat, ut iam pro superuacuo propemodũ habeatur, apponi, nihilq́ differat an dicat Romani an Romani homines: atq́ significare uolebas, linguã linguę similẽ, nõ hominib. similẽ à me fuisse dicendũ. I nũc te alios parũ pure, parũ integre, parũ latine locutos accusa, qui tã inquinate loqueris. Magis latine inquis dixissem. Nõ igit præter latinitatẽ dixi, sed poterã latinius, itàne uero hoc satis est tibi, pręsertim in opere nõdũ castigato, & expolito? Quis unquã ita totus ex odio et inuidia factus, hoc cuiquã crimini dedit? Ex quo quidẽ quantopere caninã eloquentiã in me exerceas, datur intelligi. Ex quo quidem autẽ quod subiungã, q̃ uere arguas, Cæsar ita inquit: Quoniã ad hunc locũ peruentũ est, et nõ alienũ esse uidetur, de Galliæ Germaniæq́ moribus, & quomodo differãt hę natiões inter se proponere. Cur nõ dixit Gallorũ Germanorũq́? Nunquid Gallia & Germania, quę loca sunt, mores habẽt? Cur nationes? Quid nomẽ homines significãs, cum locorũ nominibus cõfundit? Quod ego nõ facio, qui linguã hominũ cum ipsis hominibus misceo. Cæterũ ut hanc pecudẽ doceã, exempla repetã ex elegantijs, ubi de hac re trado præcepta. Tu maiorẽ laudem assecutus es patre tuo tuisq́ maioribus, quasi laus tua sit maior, quàm tuus pater, & non potius quàm patris laus. Vergilius: Non secus ignipotens, nec tempore senior illo. comparatur homo tempori. Cicero: Maiorem opinione cæpi dolorem, quasi maior sit dolor, quàm opinio, & non potius quàm ille dolor quem omnium opinio fert me habere: quod sermonis genus habet nescio quid plus latinitatis & elegantiæ. Et tu peruersissime uis me, qui sic locutus sum, minus latine locutum. Fac. Quibus ob spem potiundi oppidi hactenus parcitũ erat. Nunquam ulla ratione abduci à pertinacia tua poteris, quin perstare in eo uelis ut parco, is, contra Prisciani autoritatẽ & omnium ueterum ac iuniorum usum parcitum supinum faciat, cum à parsi parsum, à peperi uerò nullum oriatur supinum. Lau. Imò uerò tu nunquam poteris abduci, neque à pertinacia, quin autoritatem Hieronymi arte & analogia fulctam nullam putes, nam Prisciani ut ostendi nulla est: neque à temeritate qui mihi libertate doctos consulendi de hoc uocabulo interdicis, suprà, quod solitam iterum notam aspersisti. quę te ab ista temeritate retinere debuerat. Nunc postquam tibi respondi, te inuicem interrogo, quid opus fuit addere tua, quasi possim abduci ab aliena pertinacia? Quid etiam addere, quin perstare in eo uelis, quasi non satis esset, abduci à pertinacia nõ poteris, quin perstare in eo uelis. Cur etiã Priscianum sequi malueris dicentẽ, quãto iuniores, tanto perspicatiores, quàm cæteros, qui iuniores accipiunt in ætate iuuenili positos, ut si seniores in senili. Igitur nouos recẽtesq́ debuerã, aut alio (multi enim sunt) modo dicere. Et sperabas, me quòd Priscianũ non utiq́ sequar expauescere fateri, qui te, quod illum sequaris, coarguere nõ reformido. Nec uideo cur hanc reprehensionem tot alijs ordinis primoribus præuertendam putaueris, circiter è medio libro traductam. Quo minus dubitabo unam & ipse, nec longius quatuor gradibus præuertere, nõ ferens incredibilem etiã in homine cerebroso uesaniã, ut carpere audeat quæ à me scripta non sunt. Fac. Vt dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, uelut fiduciarum pignus cedat fidei. Non fiduciarum à te dicendum fuit. Fiduciam enim non pro fide, sed animi fortitudine à tuis hominibus usitatum inuenies grammaticorum princeps. Lau. Quænam sententia eliceretur, malefice Scytha, ex ijs uerbis ultra fiduciarum pignus, si sic scripsissem? legisti'ne in illo tu codice pignus, quod scriptum non erat?

legisti

legisti fiduciarum, quod scriptum erat fiduciarium? an non aperte scriptũ erat; & quidem mea manu suprascriptum, cum librarius omisisset? neq; est te quòd errasse in legendo causeris, quod aperte lucideq; scriptum est. Nam uere possum in hoc gloriari, si in minimis gloriari fas est, cum plurimi in figuris elementorum ducendis me antecellant, uix tamen aliquem planius, apertius, distinctius describere. An fortassis ipse lapsus sum in scribendo? Nec uerisimile est in uno uerbo, cum præsertim genitiuos plurales primę ac secundę declinationis figurarum semper scribã, ut tertię nunquã, et testis est ipse codex, eritq; perpetuo, quem non modo quamplurimis ostendi, sed ijs etiam quos certum haberem utriq; falsario renunciaturos, quanquam, ut aiunt, gloriæ tibi ducis calumniari, utens ea sententia, quę est in Vergiliano uersu: Dolus an uirtus quis in hoste requirat? Neq; enim solum quæ scripta non sunt legit, sed etiam quæ sunt scripta non legit, ut eodem tempore adijciat & demat. Nam sic scriptum erat, ut dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, uelut fiduciarium ditioni ac procurationi Ferdinandi reddat. Imitatus enim sum T. Liuium, qui ait: Abidi Leoni Lacedęmoniorum tyranno uelut fiduciariam dare, ut uictori suo restitueret. Et iterum Cæsaris commentarios, Paratam omnem ualetudinem esse confectam tædio puellę fiduciario regno, donatione crudelissima Ganymedis. Et iterum: Obstructum fide, eo quòd esset officij legati, qui fiduciariam operam obtineret, & in iure ciuili fiduciariã tutelam. Sed quia de iure ciuili fecimus mentionẽ, quis C. Aquilius aut Seruius Sulpitius, aut Sceuola, alius'ue, qui his successerunt iuris consultorum, tam scite ac perfecte diffinire te docuit, fiduciã pro animi fortitudine usurpari à sanis, id est, à tui dissimilibus? An cum imperator in militibus negociatur, in pecunijs: mulier in forma fiduciã habet, sicut tu in mendacijs, qui sunt milites tui? in furtis, quę sunt pecuniæ tuæ? in dolis, quæ est formositas tua? Animi fortitudinem habere diceris? minime, quia maior etiam sine his, quàm cum his fuerit animi fortitudo. Nec tu fortis fuisti, qui tantã fiduciam habuisti in tua malitia, nunquã codicem meũ in manus meas reuersurum. Ideo etiam quod sequitur, ut ad tuũ ordinem redeam, eadẽ fiducia deprauasti.

Fac. Res primo prospere ire, neminem præsidiariorũ cum armis obuiã se ferre, pastores & eos raros ad primũ incursum diffugere. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Est enim maximũ uitium, & puerilis error. Quę enim latine per nominatiuum casum efferre debuisti, ea contra per accusatiuum protulisti. Sic enim dicendum fuit, res enim primo &c. Finxisses saltem rem apud eos qui legerẽt credibilem. Lau. Taceo, quòd istud ipsum ego præcepi, debere nominatiuũ dari huiusmodi infinito, quod uim habet imperfecti temporis indicatiui. Quod ante Priscianum Quintil. quem prope ad uerbũ teneo, de figuris uerborum tradiderat: desinam cætera de coniectura loqui. Nónne plus decies isto loquẽdi modo in ipsis historiarum libris usus sum? mentior nisi tu barbaro potito stultior, ut ait Plautus: unũ illorum locorũ in alium usum repetisti. Nostri stupere, dolore de quo posterius faciam mentionem. Quòd si hic somniculosa stultitia imperfectam orationẽ, sicut proxime, reliquisti cum ita à me scribatur diffugere uidentes id ego cordi tuo aut cerebro uitiato attribuo. Nisi quo tecum minus acerbe agã, incuriosis uerba mea collegeras ad reprehensionẽ, & in hoc, & in superiori loco, quę postea recuperato à me codice, cum illo tibi cõferre non licuit. Sin, quod uerius est, malitia, obtorto te collo in iudiciũ traho. & apud Paulum iurisconsultũ conuenio. Itaq; uelut ad præsentẽ Paulum ac iudicem loqui uolo. Scribis Paule ad legem Aquiliã, corrupisse tabulas recte dici, & qui eas interleuerit. Possum'ne contra Fatuum agere actione falsi, qui huius testamenti mei tabulas clausi atq; signati, nõ modo aperuit, sed etiam falsò transcripsit, parte uerborum omissa,

omissa? Interleuisse quid ni dicendus est, qui idem uitij tabulis imposuit, quod quid interleuerit, nisi fallor, falsi te Paulus, ni fatuitatem excuses, omnibus bonis approbantibus cōdemnaret, ut hoc loco falsarius ita in sequentibus ineptissimus extitisti. Fac. Tubicines autē cum fremitus hostiū ac tumultū misceri cœpisset. Lau. Ego semper hic tumultus masculino genere legi: tu uerò ubi hoc tumultū inueneris nescio. Sed illud magis puto somniaueris. Cur te ipse diligentię magister in eo exēplari quod recognouisti, & manu tua emēdasti (quod nūc penes me est) te licet inuite nō emēdasti illud in quarta inuectiua, siue tuū siue librarij uitiū, mihi quoq; persuadeo quamuis multa correpserim, cū scribendū fuerit correxerim, illudq; à correpto ueniat hoc à corrigo, nisi pro corripuerim posueris correpserim. Verū hic fortè magis abs te ipso peccatū est, quàm à manu oculoq; erratū. Quęramus aliquid similius nostro. Inquis in secunda inuectiua, miserādo cōspecto, ubi abs te inuicē quęro, ubi gentiū, conspectū generis neutri inueneris? aut si masculini uis esse, ubi secunda declinationis? Quam inscitiā etsi inscitus es, cadere in te nō existimo, sed librarij incuria accidisse, aut forsitan tua, duntaxat errante manu oculoq;, nō animo, quemadmodum interdū lingua fit. Quod si nō modo cuilibet frequēter usu uenit. Sed etiā Ciceroni legimus accidere solitū. Ideoq; scripta sua illū Tironi liberto relegenda ferè tradidisse, admonitum ferè aliquo huiusmodi errato, quale est quod in prima cōtra Verrē actione, intra primos statim uersus (ut Pedianus notat) admisit solœcismū inquiēs: Si quis iudices aut eorum qui assunt forte miratur, me qui tot annis in causis iudicijsq; publicis ita sim uersatus, ut defenderim multos, læserim neminem, repente mutata uoluntate, ad accusandum descenderim, cum dicere deberet, accusandū descendisse. Quòd si huiusmodi error in tantos uiros cadit, non ignorantia (quod absit) sed securitate quadam, ut in loco perfacili: quanto tolerabilius erit in librario celeriter scribente, & in me celerius legente: præsertim tam facili occasione mutandi ultimam literam dictionis præcedentis, in eam à qua inciperet sequens, quod est usitatissimum, ut in tuis uerbis, finiendi eadem uocali substantiuum qua suum adiectiuum iunctum finebatur. Quo fit, ut si uis me tibi tui peccati dare ueniam, des inuicem mihi tu mei, si quod meum est, dum intelligas multo te stultius in hoc labi, qui scias tua scripta in manus aduersarij uentura, & illum in tali genere insecteris: quàm me qui prima deformatum opus manu, ei uiro priuatim ostendi, cuius sapientiam non elegantiam multam sciebam. Illud autem librario aut incurię, quod planè obsoletum & barbarum est, assignare non potes, in quo non semel laberis, quòd subiunctiuum ponis pro indicatiuo. Sed illud puto magis somniaueris, quod dicere debebas somniasti, nam nemo aliter locutus est, aut adiecta coniunctione, puto quòd somniaueris. Sed ut suspicor cum hæc diceres, uere somniabas, at etiam pergis ad ineptias. Fac. Per id tempus temptata. Vbique hoc participium per m, & p, literas scribis, nescius illud non à temno, sed à teneo duci, quod supinum facit tentum, per n, solam, sic etiam tento absque p, scribi debet, quod ipsa uerbi significatio demonstrat. Tentare enim experiri est, uel inquirere, & uerbo uel re quasi manu tenere. Cicero in Paradoxis: Tentare uolui, an ita dicere possem ut probarentur. Idem in officijs: Tentata res est ab omni genere hominum. Vergilius in secundo Aeneidos: Vix primi prælia tentant Portarum uigiles. Idem in quarto: Tentarunt aditus ecquæ mollissima fandi Tempora. Nam si à temno ueniret spernere utique non experiri ac exquirere significaret. Lau. Si uelim huius nebulonis (cum hoc dico, de Panhormita etiā dico) uitia in scribēdo persequi, rem faciā legentibus odiosam, unum tamen dixerim, qui Gręca ignorant, ut isti duo, eos nequaquam posse rectè scribere duntaxat ex se. Affert mihi opinionis

suæ hic

sue hic & rationes & exempla. Ad utrunq; respondebo. Ais à teneo fieri tento, eiusq; me uerbi participium semper, quasi nunquam nisi participio utar, scribere per p, & per consequens cum m, quę litera non est in teneo, unde formari frequentatiuũ hoc significatio ipsa demonstret, quę est experior, & inquiro. O simia quid magis cõtrarium quàm experiri siue inquirere, & manu tenere? Quod inquirimus non tenemus, manu præsertim, & quod tenemus minime inquirimus, ut amator Clinia apud Terentium, cum peregre ad amicã rediisset inquit, Teneo ne te Antiphila mea? hoc est non inquiro te amplius. Et Liuius, capto à Sabinis Capitolio inquit: Tenuere arcem Sabini. Sed quid in solem lychnorũ lumen inserimus? At exempla tecum faciunt, imò uero mecum: per p, enim & m, scripta negas: Et ipse inuicem nego sine p, & m, esse scripta, ut intelligas te aperte nil aliud quàm simiam esse, qui autores pro librariis in testimoniũ citas, & uoce uteris, cum sit oculis opus. Siquidem exhibenda sunt uetera exemplaria, quibus, si emendate in cæteris scripta sunt, in hoc fidem habeamus. Quorũ ego, multa uidi & ferè omnia cum mea opinione facere. Adeo his diebus Vergilij decem exemplaria uetustę literæ inspeximus, in quibus erat cum in istis ipsis uersibus, tum in cæteris scriptum p, litera, & tu mendacio patre genitus, audes mihi inculcare exempla, tanquam tecum facientia. Confutatis obiectis ostendam tibi magister sapientissime, si sine p, scribendum sit tento aliam longe meliorem reddi potuisse rationem, quæ sese ingerit oculis nostris, tibi uni uelut cæco obscuram. Tendo rite facit tentum, unde tentigo familiare Panhormitę nomen, & tentorium & eius composita intendo intentum, unde intenti nerui uel cithararum uel arcuum. Extendo extentũ, ut Vergilius, ut si quem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui. Contendo contentum, unde apud Ciceronem, Contenta uoce dicendum. Prætendo prætentũ, ut Vergilius, Pretentaq; litora uelis. Ostendo ostentum, unde hoc ostentum, Portendo portentum, unde hoc portentum, cum haud dubie, intineo, extineo, pertineo, ostineo, portineo, non dicantur. Et si qua sunt alia quę à teneo uenire non nisi simia dixerit. Astipulatur huic quoq; analogia uerbi ipsius significatio. Qui enim tentat quasi manum tendit, aut aliam corporis partem in id quod experiri uult & exquirere. Hæc mihi rationes cum forent probe notę, melior tamen ea uisa est quæ probat hoc uerbum per p, scribendum, quam probabo, non qualibus tu exemplis. Etenim qui temptant quodammodo temnunt, audendo, experiendo, nec refugiendo quod ipsa exempla tua & cætera omnia confitentur. Temptare enim prælia, & aditus, & similia, proprie est contemnere harum rerũ periculum. Et si nonnihil fortassis ab origine sua obliquatur significatio, ut fit in tracto quod à traho, in nuto quòd à nuo, in delecto quòd à deligo uenit. Sed exempla rem magis patefacient, quibus distinguentur frequentatiua à temno, & tendo, uel potius à temno & teneo, de quo nostra est controuersia. Plinius de naturali historia libro nono: In eodem genere cocleæ aquatiles terrestresq; exerentes se domicilio, binaq; cornua protendentes, contrahentesq;, oculis carent, ideoq; corniculis pretemptant iter. A tempto hoc uerbum componitur, & à temno uenit, nõ à tendo, quia cornicula prætenduntur, nõ iter. Quintilianus: Vestigia plura semper errantium quę nõ ualent suspensis prætemptatisq; gressibus librare corpus. Gressus quoq; non prætenduntur, non iter, sed pedes ut faciant gressus. Et hæc de temno & tendo: Audi apertius de temno & teneo: horum alterius compositum retineo facit frequentatiuum retento, cuius aperta significatio est, ut apud Vergilium, Pars corpore tarda Retentat, qualis nequaquam est in illo Ouidiano: Officioq; pedum nymphę contenta duorũ Erigitur, metuitq; loqui: ne more iuuencæ Mugiat & timidę uerba intermissa retẽptat.

Et iterum

Et iterum: Concidit & digitis morientibus, ille retemptat Fila Lyrę, casuq; fuit mirabile carmen. Addis alia magis inepta. Lau. Supter dextrum femur. Supter per p, enuncias, quod per b, apud ueteres scribitur, & apud eruditos ętatis nostrę. Lau. Quos tandem ueteres? eos'ne quos superius ementitus es? At in eorundem libris lego optinet, opturus, & similia: & in multis suptus, ergo non aliter apud ueteres scribitur, licet tu, ut es hebes, dicas à me enunciari alia litera dictionem hanc, quasi sic enunciauerim, non scripserim. Scripsi itaque magis belle dictionē hanc sine b, quam tu illam cum b, in principio primę inuectiuæ, substinui, cum b, redundet, quod necessarium est in substitui. Transeo quod sustinui pro continui accipis, ita enim inquis. Meq; substinui ad hunc diem ne quid omnino in te scriberem. De hac ipsa re post duo capitula, iterum me reprehendis tanquam magnum fuerit, hæc duo loca coniungere, quod ego pro te faciam. Fac. Quos dux ipse putauit supticēdos, ego quoq; supticebo. Tu trunq; per p, literam Teutonicorum more, ego uerò per b, antiquorū more enunciandum puto, quem errorem ubiq; seruas. Sub enim quando componitur cum dictione incipiente a, c, uel f, uel g, uel m, uel p, in eas transit literas, ut succedo, sufficio, suggero, summito, suppeto, in reliquis uerò manet integra autore Prisciano. Sic dicimus subblandior, subduco, subijcio & subtraho, licet Quintilianus dicat b, sequente t, sonum habere per p, quod non debet mirum uideri, cum Caius, Cnæus & Amurca, ut placet Seruio quamuis per c, literam scribantur, tamen per g, proferri debeant. Lau. Sperasti te mihi contumeliā facturum ex Teutonicę gentis similitudine, quasi deforme sit aliquid cum illis simile habere: at ego tibi apud illos inuidiam conflabo. Existat igitur ex eis aliquis, qui te calumniatorem ut barbarum reprehendat, tum natura, tum lingua, tum in eo quòd ais hunc errorem à me ubiq; seruari, quod uitium nullus unquam Teutonicus admisit, cum error nō dicatur seruari, sed admitti uel non uitari. Quid ais Teutonicorū accusator? ego'ne cum Teutonicis barbare scribo? Ergo Quintilianū quoq; barbarū facis, qui idem & facit & præcipit, non enim pręciperet nisi faceret. At enim tu Quintiliani mentionem facis. Hoc stultius, hoc insanius, qui & ubi non constas, & impugnas, quem nolles impugnatum. Si Quintilianus hoc pręcipit, si ita esse non debet, mirum uideri, quid est quòd me illius præceptum sequentem accusas, quem plurimi sequuntur, ut uetusta autorum exemplaria indicant, si modo sequuntur hunc, et nō prius ita scriptitabatur. Et Priscianus cum ait, scribo, nubo similiaq; mutare b, in p, in supino, euphonię gratia, uelit nolit, idem debere fieri in cæteris confiteatur, cum nō plus loci habeat euphonia in scriptum, nuptū quàm in optimo, quo exemplo Quintilianus utitur, aut in subticeo quo ego sum usus. Nam quod ais de Caius, Cnæus, Amurca, fatua ratio est, quoniam de scribendi differentia agimus, non de proferendi: nemo enim negat ista aliter proferri ac scribuntur, ut apud priscos etiam iamma, quòd uidelicet g, litera carerent. Hic autem constat sic pronunciandum esse ut scribitur. At quomodo sit scribendum, id est in controuersia. Ego Quintilianum sequens dicentem magis audire aures illud p, & sic scribendum quoq; ut sonat præter illa uetusta, ut Caius, ut Cnæus per p, ut pronuncio sic scribo, quod tu negas esse faciendum, imò pariter negas & ais, aduersariumq; accusas & purgas, in eadem re, quod nunquam fando est cognitum, & calumniator, & præuaricator. Quod tamen mihi causam scienti, minime mirum est. Scripserat enim hic contra me, cum p, supter supticeoq; scribentem nulla Quintiliani mentione habita: quid ni? quem nunquam legit, eòq; nusquam eius alibi meminit. Is locus, cum eum Zombus Tauromontanus, uir bonus, & literarum amator, qui inuectiuas rogatu autorum ad Ioannem Olzinam attulerat, me tunc Romę agente, legeras

legerat illi, notatus est ab adolescēte quodam, quem ego Romam proficiscens, per manus Ioanni tradiderā, allataq; Quintiliani autoritas ex libro primo. Ab illo enim quod ab his reprehenderetur, pro arte tradi, meq; hoc præceptum ubique seruare, & Olzina se & præcepti meminisse & usum in scribendo meum agnoscere confirmauit. Hęc ubi Faccius accepit, nec tollere reprehensionem uolebat, ne perperam reprehendisse uideretur, & me uulnerare duobus ictibus, in supter & suptucco cupiebat, & tamen tollere stultitię suæ testimonium necesse habebat. Tandem fecit quod maliuolus, quod pertinax, quod fatuus. Iratorum infantium ritu maluit inutile telum iacere in longe positum hostem, quàm continere. Addidit itaque Quintiliani ultimo loco mentionem, & in ipso codice, qui legebatur ad marginem, ut multi uiderunt, qui etiam sine adiectionē uiderant. At enim Priscianus hoc tradit. Nunquid te, quod illum imitere, reprehendo? ut tu me, quòd Quintilianum, ut ostendi? Quòd si de facto utriusque nostrum uis diiudicare, uter maiorem in grammatica sequatur ducem, sic habeto. Priscianum uix idoneū esse qui sit Quintiliani, uelut Agamemnonis, aut Achillis, aut Aiacis, aut Diomedis, aut Hectoris auriga. Plusq; hunc artis grammaticę, dum oratorem instituit, per transitum aperuisse, quàm ex suo ingenio illum omnibus suis libris, omni suo studio, omni sua ætate. Fac. In ceruicibus suis imminentem: male usus es ablatiuo casu, non enim hic locus imminet in capite meo, sed capiti meo dicimus, si grammatice loqui uolumus. Lau. Ergo & Liuius male usus est, parumperq; grammatice, qui ait lib. 24. Non castris metuens, sed urbis prodendę occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Idem lib. 25. Hannibal non Capuam neglectam, neque ut in tanto discrimine, desertos uolebat socios, sed prospero ex temeritate unius Romani ducis successu, in alterius ducis exercitusq; occasionem imminebat. Ergo non per solum datiuum sic loquimur, sed etiam per accusatiuū. Accipe nunc etiā per ablatiuum. Idem lib. 33. Nam Thauro magi à pilis sinuq; maliaco per lamiam eunti loco alto siti sunt in ipsis faucibus imminentes, quas cochle uocant. Neq; ab hoc differt illud Ciceronis in primo de natura deorum. Itaque imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum quem dies & noctes timeremus. Cuiusmodi multa sunt uerba, quod genus hæreo. Vergilius: Hærent parietibus scalę, & tamen Curtius: Hærebat in tergis fugientium uictor. Et Liuius: Et hærente in ipsis uisceribus utemur bello. Incumbo, Vergilius, Incumbite remis. Cicero: Pergite adolescentes, et in hęc studia in quibus estis incumbite. Adsum, Quintilianus, Adfuisse Ciceronem huic causæ inuenio. Marcus Tullius: Adfuit in his omnibus prælijs Dolobella. Adscribo. Idem in Rullum. Illum sibi collegam adscribentus. At pro Archia: Cum fuerit in alijs quoq; ciuitatibus adscriptus. Hæc autem ideo retuli, ut intelligat hic qui me grammaticè admonuit, tale loquendi genus, quod ipse ueluti insolens admiratur, & corrigit, usitatissimū esse. Fac. Excitabatur machina duo de 20. carris imposita, proceram scalam sustinens. Tu qui grammaticus es, et tot milia librorum (ut dicis) euoluisti, profecto ignorare non debuisti scalas singulari numero non proferri, sed plurali tantum, ut minas & calendas dicimus. Sallustius postquam unę atq; alterę scalæ comminutæ sunt, qui supersteterant afflicti sunt. Lau. Euoluisse multos libros (ut tu cauillaris) magis indicat (si sapis) me hoc alicubi reperisse, ut uerum est, tibiq; monstrabo, quàm instruit accusationem tuam. Et tu hoc me uis ignorasse, non dico quòd ipse tot libros non euoluisti, non dico quòd hoc nescire non potui, qui scirem à Quintiliano sic scribi libro primo: Scala tamen & scopa, contràq; ordea & mulsa, licet literarum mutationē, detractionem, adiectionē habent, non alio uitiosa sunt, quàm quod plurima singulariter, & singu-

SCALA.

laria pluraliter efferũtur. Non dico quòd de his uerbis in elegantijs scripsi. Scala à quibusdam in singulari usurpatur. Sallustius cũ alijs quibusdã ostendit pluralem tantum habere, cum dixit in Iugurtino, Deinde ubi unæ atq; alterę comminutæ sunt scalę, qui supersteterant afflicti sunt. Non dixit una atque altera. Ex quo credibile est uos ingratissimos homines è meis istud fontibus hausisse: sed quia semper alibi scalas pluraliter dixi, ubi de ueris scalis loquebar, quibus Ferdinandus oppida expugnauit, planum feci non ignoratione me usum singulariter scala, sed consilio. Quod meum consilium tum necessitas excusat, tum ratio subleuat, tum autoritas probat. Ego enim si huiusmodi res esset narranda, cuiusmodi illa Sallustiana, nimirum eodem modo quo Sallustius, superius ipse dixissem. Nunc cum in speciem turris machinam describerem, reformidaui pluralem uocem, ne rei occæcarem intellectum, præsertim memor me regi scribere qui nec ita teneret argutias linguæ Latinę, & sæpenumero scalam legisset. Ob eam quoque rationem audacior, quòd Quintilianus non tam inauditum esse significat, nam audierat & legerat, quàm inusitatum. At non ordea legerat apud Vergilium, aliosq; multos? nemóque reprehendere ausus est, quia ratio constaret. Eadem lege nec ipse reprehendi debeo, si facti mei ratio constet. Nec nullius secutus sum autoritatem, tametsi nullum tu quidam tanquam parum, ut nunc loquimur, autenticum reijcere potes, qui tot milia librorum mihi lecta exprobrasti. Non modo Ambrosium, Hieronymum, Cyprianum, Hilarium, Augustinum, sed ne incelebres quidem. unde in libro qui nomine Donati inscribitur legimus. Sentes & sarcinæ & scopę & scalæ: in neutro sponsalia semper pluralia, sed nostri scalam dixerunt, hoc aduersus te magis maledicum in acie, quàm pugnacem satis erat: sed cæteris aliam probationem flagitantibus morem geram. Cornelius Celsus, qui prior Quintiliano fuit, simili quadam causa, qua ego fortassis, singulari usus est libro 8. At si uastius corpus & nerui corum robustiores sunt, necessaria est scala lignea, & quæ crassitudinem duorum digitorum habeat, & longitudine ab ala ad digitos perueniat. Et paulopost de maiore scala inquit: Si brachium deligatum super scalæ gallinariæ gradum traijcitur. Romanus Aquila de schematibus, Climax quod Græci uocant, ascensus nominatur à nobis: malo enim ascensum quàm scalam, aut gradiculos, ut quidam dixere. His uerbis hic, antiquus sanè scriptor, & scalam à quibusdam uetustioribus dictam testatur, nec Latine dici negat, sed apte quodcunque in numero respondere Græco: alioqui numerum mutasset non nomen. De ueris scalis Caius apud Iustinianum lib. 43. de furtis sic inquit: Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum ostium, uel armarium, uel scalam sciens cómodauerit ad ascendendum. Et postea facit Panhormitã iuris peritum atq; doctorem, cum hunc ex iure locum nesciat, qui ipsi deberet esse notissimus, homini ut spurcissimo, sic furacissimo. Siquidẽ in omni Italię urbe, ubicunq; pedẽ posuit, uestigia furtorum suorũ ac sordiũ, ut Harpyia, quædam reliquit. (De re libraria loquor) etiam ubi pedem nõ posuit, quod ne Harpyię quidem fecerunt, testis est oratio * ad regem missa, in qua contra hunc, ceu contra alterum Verrem, inuehitur. Sed non est quòd miremur ista ab eo ignorari. A Sigismundo enim tabulas habet, ut sit iuris doctor ac poëta, non secus ac si, quòd medicus, & uir bonus sit, tabulas haberet, quas æque facile impetrasset, uerum si me audiet, eas sibi pariter indulgendas curabit, quibus eum talem esse credam. Fac. Vt sit autem intra intimam fossam machina procumbens scala. Rursum indocte in superius uitiũ incidisti, nã procũbentes scalę, nõ procũbens scala dicendũ fuit. Lau. Quid igitur censes? alibi singulariter, aliter pluraliter, eandem rem dicere debui? Fatue, nõ uides si recte dici singulariter puto, nõ esse

causam

causam,cur ab ea,quã probo,uia deflectas,ne incõstans & sim & uidear. Simile quiddã superius quoq; fecisti,cũ de supticendis et supticebo dixisti,tu utrũq; per p,ego per b,enunciandũ puto,quasi hęc essent pro diuersis uerbis habẽda. Fac. Horũ incolę circiter ad tria millia. Non circiter ad tria milia: sed uel circiter tria milia,uel ad tria milia dicendũ fuit:cum ad, & circiter in historia idẽ significent. L. Nónne in alijs locis posui circiter sine ad,rursusq; ad,sine circiter? Eodẽ igitur modo duo idẽ significantia,cum alterũ me putarẽ ponere,posui,quo illa,penè ferè oppressit,& illud,multa multa, & illud res non tam sagittis ac iaculis, q; telis iaculisq; gerebatur,& alia multa,quę postea recuperato codice deprehẽdi, quę tu nõ reprehendisti,id alioqui faciẽdi cupidus, uel quòd incuria quadã scribentis effusa intelligeres,uel ob hoc quoq;, ne illa attingendo huius etiã loci nõ ignorantia uideretur,sed incuria. Et enim animus de ipsa totius corporis cõpositione sollicitus parua ista nõ respicit, frequẽter aliter quàm scriptũ est legit. Ita mens cum utrã harum præpositionũ poneret cogitabat,manus ipsa inter moras deliberãdi posuit utranq;: quod postea oculus in transcursu lectionis nõ adnotauit,duoq; tanquam unũ legit. Sed profecto stultius hęc ueluti crimina reprehenduntur quàm cõmittuntur. Fac. Gnauę acta opera:licet grammaticę regula gnaue aduerbiũ & ignaue dici uelit,tamẽ gnauiter et ignauiter,sicut à firmus firmiter,à durus duri duriter usus tenuit,euphonię ut arbitror,id est,auriũ suauitati cõsulens. Lau. Ego uerò uir impudentissime sic scripseram, ut potius nauata opera scribi posset, quàm gnaue acta opera cũ utrunq; reperirẽ, nam uarie scripta sunt Liuij exemplaria lib. I. Quędam enim (quorũ est unũ quod fuit Petrarchę) sic scripta sunt. Execrantes nunc imperatorẽ,nunc gnaue actã ab equite operã,in quem modum locutum iste me corrigit. Neq; uerò attinet disputare de gnaue & ignaue,gnauiter & ignauiter: Cum Nonius Marcellus in ueterum indagine de aduerbijs indiscretis loquens quę in e,& in er,exeunt, dicat humaniter,parciter,insaniter,ignauiter,& de hoc ultimo tanquam nũc usitato exemplum Lucilij affert, tantũ miror hunc nõ Nonium, sed nouũ Marcellum conari hoc probare similibus exemplis, quę contra ipsum faciunt. An non à firmus fit aduerbium firme? Cicero pro Archia: Quæ firme à me iudicialiq; consuetudine de hominis ingenio & cõmuniter de ipsius studio. Plinius ad Vrsum respõdit: Fronto Catius grauiter & firme. Quæ exempla sunt plurima. Nec pauciora de dure. Quintilianus, Vt primo dure uidetur struxisse Pacuuius. Ex quo illud consequens est,cum falsò proposuerit,rationẽ quoq; ruere quã subiecit. Nihil enim in his aduerbijs factũ est Euphoniæ causa,& alioqui quid suauius est in hac uoce firmiter,duriter, quàm in illa firme,dure? dixi suauius in uoce, non ut hic suauium liguritor,qui suauitatem ponit in auribus,non in uoce,cum dicere debuerit aurium uoluptati consulens,ita enim Cicero ait,quem imitari uoluit,in Oratore, si modo hunc librum legit: Sed cõsuetudini auribus indulgenti obsequor, & statim post: Impetratũ est à consuetudine ut peccare suauitatis causa liceret. Et in eodem loco: Voluptati aurium morigerari debet oratio. Et quoniam de euphonia loquimur, uelim mecum recognoscas, Quid inter meum Quintilianum, & tuum Priscianum, si tuus est, quem ignoras, interfit in hoc grammatico uocabulo. Ille uno uerbo transtulit uocalitas: hic uelut fastidiens munitam ab altero uiam, transiulit duobus, bona sonoritas, in qua interpretatione primum uitium est, quòd unum nomen in frustra diuisit, etsi Græce εὐφωνία, ex duobus constat, tamẽ aliud est esse duo nomina inuicem distincta, aliud duo quę in unũ coaluerint: & laus linguæ latinę est græcam proprietatem gratiamq; in transferendo uel æquare, uel quod optabilius est, antecellere. Deinde cum uox dicatur φωνή, sonus φθόγγος, maluit à sono, qui non solius oris est, quàm à uoce, quæ ab

ſpiratos probet ratio dici nō poſſe, tū ſtultiſſima ratio, quia iſta uoce ſignificanꝰ tur qui cōſpirant nūc, ut coniurantes, qui cōiurant nunc, nō qui coniurauerāt: at ego de ijs loquor qui conſpirauerūt, quos quo nomine dicemus? nónne conſpiratos? ut eos qui coniurauere coniuratos? uides ut rationes tuas cōfuto, doceóq; me grāmaticū eſſe, nō te? At enim inquis me exēplis defici. Accipe igitur me nō grammatice, ſed latine quoq; locutū. Sueton. in uita Cæſaris ſic ait, Aſſidentē conſpirati ſpecie officij circūſteterunt. Et in Neronis: Multa & inania uerum nō abhorrentia à natura ſua creditur deſtinaſſe ſucceſſoris percuſſorū ſummittere exercitus & prouincias regentibus quaſi conſpiratis. Et in Galbæ: Sed extractis rumoribus falſis, quos cōſpirati ut eum in publicū eliceret, de induſtria diſſiparant. Et in Domitiani, Cunctantibus cōſpiratis quando & quomodo, id eſt, lauantē an cœnantē aggrederentur. Fac. In caſtra uerſus. Nunquam apud hiſtoricos repperi huiuſmodi barbariem, ſed uel uerſus caſtra, uel ad caſtra uerſus, uel in caſtra ſæpius. Et hoc uitio uteris penè omnibus in locis: ignarus quam uim habeant hæ præpoſitiones. Lau. Si hiſtoricos nō omnes legiſti, quid mirum apud eos te non reperiſſe? ſed mentiris, reperiſti. Verum non cuiuslibet eſt uenam auri repertam intelligere. Prius tamen quàm pro me reſpondeam, id eſt, ut reperi oſtendam, uolo correctionem tuam correctoris more rimari. Imprimū quem autorē habes, latine dici uerſus caſtra, cū ſemper poſtponatur uerſus, ut tenus, quemadmodū in elegātijs tradidi? Ad hęc, quis te docuit ita magnam differentiā eſſe inter, eo in caſtra uel in urbē, & eo ad caſtra uel eo ad urbem? ut mihi id exiguū cerebelli quod tibi erat, propter odium inuidiamq; profligare uidearis. Cum ad hæc reſpōderis, opinionē cuius ſequaris indicato, qui uis uerſus eſſe præpoſitionem, num Donati? num Seruij? num Priſciani? non potes id dicere. Ergo ſtultitiam tuā ſecutus es, quę facit ut dicas me nō admittere uitiū, ſed illo uti. Quod ſi quādo dicitur quis uti uitio, id fit cū de induſtria facit, nec in uoce peccat, ſed in iudicio uult uti, qualiter eſt quod philoſophi rhetoricam criminantur uti uitijs, utputa affectibus, quos uitia cenſent. Audi itaq; quid inquit Priſcianus, orientemuerſum, & occidentemuerſum. Hæc enim compoſita eſſe uidentur cum ſub uno accentu proferantur, melius tamen dicemus quod inclināt ſuppoſita nomina. Et iterū poſtea. Sunt quędam unā loci ſignificationē habentia, quę eſt ad locū, ut horſum, ſeorſum, deorſum, ſurſum, ſiniſtrorſum, dextrorſum: ſimiliter aduerbia oſtenduntur compoſita, niſi dicamus quòd uerſus inclinat ſibi ſuppoſita nomina. Nunc pro me tibi cū Cicerone reſpondeo, quem nō minoris quàm hiſtoricum facies, qui in Lælio ait: Qui primus in forū uerſus inſtituit agere cū populo, an dices uerſus participiū eſſe? Accipe de fœmina dictū, ut aduerbium ſcias eſſe: accipe ex hiſtorico, accipe ex maximo, accipe ex tibi lecto, accipe ex huius libro primo, ut fatearis te aurū quidem inueniſſe, ſed aliud putaſſe. Liuius igitur inquit: Ex ſuperiore parte ædium in nouam uiam uerſus. Habitabat enim rex ad Iouis ſtatoris ædē, populū Tanaquil alloquitur. Cornelius quoq; Celſus lib. 7. Superq; eā homo deligatur, in id latus uerſus, cuius auris eo modo laborat. Sed nullum profecto fuerit accōmodatius exemplū, quàm illud Plinij de coruo ſutoris exanimato per inuidiam domini ab altero ſutore uicino (quandoquidē cum gēte mihi ſutoria res eſt) ita enim ait: Is mature ſermoni aſſuefactus omnibus matutinis euolans in roſtra in forū uerſus. Tyberiū deinde Germanicū, & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntē populum Romanū ſalutabat. Barbari'ne igit Cicero, Liuius, Celſus, Plinius exiſtimādi ſunt? cumq; his Laurētius, qui illos eſt ſequutus autores? an uos uterq; barbariſmi, quos intra quatuor uerſus ſæpius q; quater peccaſſe cōuinco? Quo magis audebo hoc elegantię præceptū tradere: Cum urbiū aut regionum nominibus citra

præpositionē utendum hoc aduerbio, ut Megarā uersus, Italiam uersus: cum cęteris adiuncta pręposítione, ut in uiam uersus, in forū uersus. Hactenus de latinitate dictum sit. Potest enim satis intelligi, ac iudicari ex his qualis grammaticus sis: qui te in ea re Prisciano superiorem putas, dūmodo dicas me ullo in loco superiorē aut parem, Prisciano fecisse. Non laboro quòd ais me ita de me sentire. Nam de alieno animo ut improbo quempiā iudicare, apud eos quibus non probat, magis suā quàm alterius improbitatem declarat. Nunc explanationem, quę est altera elegantię pars, spectemus. Nescio an lectores te accusantem uitia mea, an tua potius audituros se arbitrentur, cum nullum meū hactenus, plurima tua audierint. Fac. Tres libri historiarum Ferdinandi quæ gessit. Crassus profecto & supinus error hic est, nec ferendus in eo homine, qui historiam uelit scribere. Neque enim historiam geri dicimus, cum nusquam usitatū est, cum historia scribi, res autem uel bella geri dicimus. Vt historiographi sit historiā scribere, imperatoris uerò rem gerere. Rem ineptam, inepta ratione, ineptis uerbis frequentat atq; onerat. Lau. Quid ineptius quàm credere me sensisse, historiā gestam esse à Ferdinando? Ex quo aliud etiā, quod superius obijciebat, confutatur, relatiuū quę nō referri ad historias, quę nō geruntur, sed gesta, quę memorantur: deinde hoc ut probet, replicat, & inculcat sæpius eundē sensum, delectatus gręco nomine historiographus, quod idē significat quod scriptor historiæ, cuius hominis ait propriū esse historiā scribere, quasi hac uoce nō ipso nomine græco declaretur. Ait quoq; nusquā usitatū, pro eo quod est nusquam inuentū. Non enim an hoc usitatū sit quęrendum est, sed, quod satis mihi esse deberet, an usquam inuentū. Si id ego sentirem, quod hic mihi fatuus obijcit. Fac. Et cū cæteris alijs. Nunquā bone uir hoc sermone usos bonos autores inuenies. Nam cæteri & alij nihil differūt. cum cęteri omnes. & cęteris omnibus apud Liuiū frequentissimum sit. Lau. Per ironiam compellas me uirum bonū, quasi uerò si in uerba proprietate lapsus fuero, uiri boni nomen amittam. Vir grauissime ac modestissime, & ut ipse ironice loquar, atq; adeo uir syncerissime, qui pro certis maluisti legere cæteris, propter ambiguum scripturæ ob apicem illum quo cętis et cætis abbreuiari solent: poterā autem multo facilius ego defendere dici posse, alijs cæteris. q̄ tu probares, aut hęc duo idē esse, aut illa duo idem non esse, quæ tu pro diuersis exēplis protulisti, cęteri omnes, & cæteris omnibus. Sed malui te, ut malum uirum reprehendere, qui me bonū uirum appellas. Fac. Alphonsi primigenij. Hoc uerbum nouū est, quod ut à naui scopulus, sic à disertis hominibus fugiendum est. Id autē à Varrone, ut arbitror, suffuratus es, sed uerbi uim ac proprietatem nō intellexisti. Ille enim primigenia uerba primarię positionis, id est, à nullo deriuata appellat, quod uerbū in istū sensum, nisi impudēter, transferre nō potes. Si primogeniti dixisses, usitato, uulgari tamē & nō eleganti uocabulo usus esses. Lau. Sed quis est tam uerborū inops, te excepto, qui nesciat primogenitū per circuitionē honestius explicare, cum illū uel è regijs filijs natu maximū, uel maiorem fratrū, uel inter regis liberos ætate antecedentem dicere possimus? Sic Cæsar &c. Subijcisq; ex Cæsare, ex Iustino, ex Liuio exēpla, quorum primus dixit ex duobus filijs maior, & ex duabus filiabus, quę ætate antecedebāt: Secundus ex multis filijs maximus natu. Tertius ex duobus filijs maior. Ante omnia pro ratione affers præceptum Cęsaris ex primo de analogia libro, qui ait: Tanquā scopulū fugiamus infrequēs atq; insolens uerbū. quod tu præceptū solita stultitia corrumpis, qui nō de omni nouo ut dicere uolebas, sed de hoc solo fugiendo dixisti. Quid igitur? est'ne nouū hoc uerbū? minime, tuo ipsius testimonio. Hominem mente captū, qui fateris à Varrone usurpatū. At enim non proprie sum usus, quia non in illū sum usus sensum: quasi uerò nō liceat signifi-

cationem

cationem mutuari è proximo, ut quasi nõ aliter accipiatur hæc dictio. Disce igitur quàm uere sentias, quàm uere reprehendas, quàm apte contra me autores afferas. Postremo quàm Liuianus sis, ut uideri uis, quemadmodum Prisciani familiaris. Is lib. 34. ait: C. Scribonius qui prætor urbanus eam dicauit, ut ædem fortunę primigenię in colle quirinali dicauit. Q. Martius duumuir ad idipsum creatus. De hac ipsa fortuna inquit Cicero de legibus, uel primigeniam à gignẽdo. Est'ne hęc significatio idem quod primitiua & primarię positionis, & à nullo deriuata, à nulloq́ genita? An idem quod primogenita? Quid adeo parum studiosi estis, ut nec in priscis monumẽtis legeritis, nec apud libellos à quibusdam de huiusmodi uetustate cõfectos, primigenius primigeniaq́ pro primo primáq́ liberorũ? Nónne in aliũ sensum, quàm est ille Varronis Põpeius Festus, quem nonnunquã probationis loco affertis, exponit inquiens, Primigenius sulcus dicitur, qui in condenda noua urbe Tauro & Vacca designationis causa imprimitur. Habetis ergo contra uos pręcepta, exempla, & eam quam pro uobis attulistis autoritatem. At cur potius primigenius quàm primogenitus? quod usitatius erat dicere malui. Profecto non eo fastidio, quo uos putidi, qui ob id solum existimatis inelegans, quia apud solos ecclesiasticos reperitur, quos uulgares appellatis. Discite à me, quem uobis hostẽ effecistis. Fas est, & ab hoste doceri, quos etiam si nolitis docebo. Non enim inimicus inimicis uobis, & si hostis sum, ut de male meritis bene merear, quippe hoc dicere pro mea nunc defensione non cogor. Primũ latina nomina cum cõponuntur, nõ o, quod grecũ est, sed i, amant: ut enim illi dicunt Discophorus, Pastophoriũ, Theologus, Sarcophagus, Protomartyr & similia, quo de genere est Protonotarius, ex priore parte græcum, ita nos armiger, penniger, corniger, lucifer, auricomus, sonipes, lapicida: & (quę huic de quo agimus cognata sunt) Primipilus antiquũ sanè nomen & Primicerius, nouũ quidem & ab ecclesiasticis inuentum, sed quo necessario utimur: non ut unigenitus durante adhuc uetusto unicus dicimus, nõ primopilus, primocerius, unogenitus. Ergo nec primogenitus, sed primigenitus ratio postulat, quod ad primã dictionẽ huius nominis ex qua compositũ est pertinet. Deinde quo ad secundam, huiusmodi cõposita non gaudent participijs, ut cælicola, agricola, publicola: non cælicolens, agricolens, publicolens. Item phœbigena nõ phœbigenitus, nubigena, nõ nubigenitus, alienigena, non alienigenitus, indigena, nõ indigenitus. Qualia sunt apud Grecos, Hermogenes, Diogenes, Protogenes, Antigenes: ex quo apparet dure cõponi primigenitus: nam primogenitus uidetur potius nõ componi, cuius fons grecus πρωτόγονος, quod ut quæstionẽ concludam, & latinius, & si quid aurium causa faciendum est, suauius iucundiusq́ transfertur primigenius, quàm primogenitus. Verũ sicuti scribens de rebus ecclesiasticis, ac loquens fortassis ab istorũ usu non recederem, ita nunc libuit rationẽ, uetustatem, autoritatem, consuetudinẽ, suauitatẽ potius amplecti. Nam quid dicã, de uestra circuitione nequissimi circulatores? nunquid inopia uerborũ id feci, quasi ullus sit qui ista uerba ignoret? quanquam me uere excepistis, qui mihi ignotũ esse fateor de eodẽ homine dici posse, ex regijs filijs natu maximũ, & fratrũ maiorem, quorũ alterũ desiderat plures fratres duobus, alterũ respuit, prout in elegantijs copiose disputaui. Quorum exemplorũ nullum huc afferam, sed unũ ex ecclesiasticis, quos me uos imitari iubetis, cum tamen imitandos esse nolitis, & potissimũ ex Hieronymo (quẽ tu Fatue carpere soles, tu Panhormita perosus es) quendã uestri similẽ confutante: Si nõ est apostolus tertius, nescio quis Iacobus est putandus frater domini. Et quomodo tertius ad distinctionẽ maioris appellabatur minor, cum maior & minor non inter tres, sed inter duos soleat prębere distantiã? Sed quid alia? nonne superiora triũ

autorum exempla, quæ ipsi aduersarij afferunt, testantur de duobus dici maiorem, de tribus pluribus'ue maximum? Fac. Cæteri multo plures sequuntur, nunquam hæc duo coniuncta repperi, uidelicet cæteri plures: nec sine uitio dici posse existimo melius, si prima dictione subtracta illud tantũ dixisses multoplures sequentur: nam hoc nomine, nisi in rebus certis, & diffinitis non utimur: nisi forte putas, si rex in senatu dicat, Vnus loquatur, cæteri audiant, de absentibus etiam dici, uel de his quoque qui nondum nati sunt. Cum igitur libri quos polliceris, nondum à te scripti sint, cæteri plures sequuntur dicere uitiosum est. Lau. Somniare mihi, non loqui uideris, istam quam profers rationem, & eo magis, quòd quid impugnes, non libet fraudata meorũ parte uerborum, quæ tamen extra historiam sunt in uacua illa, ut superius dixi pagina, quorum hæc ultima fuerunt. Cæteri de gestis ipsius Alphonsi multo plures sequentur. Quæ uerba nunc iste cauillatur, quòd à me nondum scripti sint illi libri, ideo non recte dici sequentur, quia nondũ sequuntur. O uespertilio tenebris, quàm luce melius utens, non sequuntur dixi, sed sequentur. Quanquam etiam si sequuntur dixissem, quid uitij in sententia esset? quid absurditatis in uerbo? quid rationis tibi ad illam propositionem, quòd cæteri & plures male coniunxissem? Quę tamen non male, ut tu male sentis stultissimo stultior, ut ait Plautus, sed optime cõiunxi, meliusq; multo quàm tu dixisti pro definitis, diffinitis. Nam quis uel perfectorum oratorũ, tale genus loquendi refugiat? Assunt tibi rex, milites quos ad te ducẽdos prouincia mea tradidit mihi, cęteri quos alijs ducibus cõmisit multoplures sequẽtur, uel sequuntur. Sed quę, malũ, fames ista uestra est lacerandiq; auiditas, ut dentem in osse rodendo iuuet exercere? Fac. Qui non iam præteritorum uirorum gesta narrent. Præteritorum temporũ non pręteritorum uirorum facta dicimus: sed maiorum nostrorum, uel antiquorum, uel ueterum. Lau. Recte tu quidem, qui me doces, quo modo dicere debui: nam ista uerba maiores, antiqui, ueteres aut exciderant mihi, aut ignorabã. Sed uicissim discas etiã præteritos dici posse, uerbis Suetonij, in Titi uita, Cuncta pręteritorũ suorũ monumẽta operibus ac tẽplis destinauit, et Ciceronis in Bruto: Nã nec istos excellentes uiros, nec multos alios pręstantes ciues respub. perdidisset. Sileamus inquam Brute de istis nec augeamus dolorem: nam & præteritorum recordatio est acerba, & acerbior expectatio reliquorum. Itaq; omittamus lugere, & tantũ quid quisque dicendo potuerit, quoniam id quærimus prædicemus, & Victorini, quę uerba nostris similia sunt historia gesta præteritorum continet. Fac. Hæc nos in uniuersum esse præfatos. Apud elegantẽ scriptorem, bonarum literarum ignare, non in uniuersum, sed in genere scriptũ reperies. Bonæ literę non habent in uniuersum. Lau. Quas tu primoribus tantum labris degustasti superbissime indoctorum? legisti Tacitum? legisti Celsum? legisti Columellam? dij boni quos & quantos autores? legisti Iurisconsultos? minime. unde ergo nosti, an ipse apud istos legerim? legisti Quintil. Senecam? Plinios? dic es te legisse? At ego non legisse conuincam. Quintil. Quare singulis consiliũ ex propria ratione nascetur: Illud in uniuersum pręceptum sit, ut ab ijs quę lædunt, ad ea quæ prosunt refugiamus. Et iterũ: Ego in uniuersum neq; oratores puto unquã præuaricari, neq; litẽ intelligo, in qua pars utraq; idẽ uelit. Seneca de naturalib. quæstionibus: Hæc in uniuersum de uentis diximus. Plinius lib. 16. Nunc celeberrimis arborum dictis, quędam in uniuersum de cunctis iudicanda sunt, & de eadem re libro sequẽti: Ante omnia in uniuersum, & quę ad cuncta arborũ genera pertinent, in cõmune de cœlo terraq; dicemus. Et in eodẽ: Et de arboribus quidem fructus gratia ferendi inferendiq; in uniuersum sunt dicta. Vides quot & quantos autores tibi ignotos ostendo, alũno bonarũ literarũ, aut potius bonarũ

caprarum

capraruum cum tuo Panhormita: qui uelim uicissim ostendatis, quibus in literis, aut quibus in litoribus scriptũ pro hac dictione legatis in genere? Fac. Cum multũ in prima tum multo plus in posteriori parte. Quis te hoc modo loqui docuit barbare, ut primũ & posterius correlatiua facias? hoc ne pueri quidẽ ignorant, grãmaticæ rudimẽtis imbuti, primũ & postremũ uel secundũ, & item prius & posterius correspõsiua esse, non autem primũ & posterius, si quis proprie loqui uolet. Lau. Quid si quis loqui proprie nolet non erunt ista correspõsiua & correlatiua? ubi tu hæc tam propria, tam nitida, tam latina uocabula comperisti babariæ hostis, imò hospes? etiam rudimẽtis pro præceptis, cum docti nomen hoc pro principijs quibusdã accipiant, ut ponere rudimẽta militiæ, per hæc probaui te esse Barbarũ, quòd ex infima plebei sermonis fece uocabula hauris, nũc probabo me nõ talem esse: nam quid obest quin ita dicamus? Quæ continent in hoc primo libro ad posteriores etiã spectant. Instituo hæredes mihi nepotes ex filio: Eum quidẽ qui primus nascetur, quẽ nomine meo appellari uolo, ex besse: qui autem posterius ex triente, & si plures fuerint ex æquis portionibus. Ac ne aliunde quæ infinita sunt & omnia repetantur exẽpla, audi quid in hac re præcipiens in tertio de elegãtia libro dixi. Primi nos uenimus, uos posteriores, ille ultimus, primus ego intraui uallũ, tu serior, illi tardissimi. Ex quo nemo dubitare potest, me & recte: & quod maius quiddã est, de industria sic dixisse. Fac. Etiam primogeniã, quod nomẽ propriũ eius est, cuius futura successio. Nunquam tibi hoc cõcessero, nisi probatũ autorẽ ostenderis, ut primogenia appelletur ea ad quam regni successio pertinet. Quod si feceris, tibi homini indigno seruire nõ recuso. Lau. Si de ui uocabuli sentis, & si stultũ erat iterũ mouere quæstionẽ, iam tibi satisfeci, id est, meum mancipiũ es. Sin de re nihil ad elegantiã, tu tamen ostẽdi tibi autorẽ postulas. Iterũ dicam si de usu uocabuli sentis, istud uero feci, sin de re, fatuum sit autores citare. Cita si libet Hispanos, an apud eos, qui quæ'ue succedere speratur patri in regno, & sit & uocetur primogenitus primogenitáue? Ego id, quod à me exigis, ostẽdi apud autores primigeniam inueniri. Quod cum ita sit, in seruitutem te assero, quoniam ex præscriptis uerbis mancipium meũ effectus es, aut certe seruitutem seruire debes: quam si recusaueris, tibi meo iure catenas inijciam, & frustra clamantem in ergastulum uel adducam uel pertraham, mutato iam nunc nomine, ut seruis assolet fieri, proq; Barptolemæo uoceris Ligurio. Fac. Nihil obstante eo: Pædagogice sanè ac uerè Laurentiane dictum, Quãto elegantius si dixisses, ne illud obstat, uel nec illud impedit. Lau. Elegãtius inquis si dixissem, ergo non inelegãter dixi. Cur igitur Fatue reprehẽdis? nec me, ut scias, solum reprehendis, sed propè omnes autores: an nõ legisti apud Curtiũ? Quia quãalte penetrasset telum lorica obstante non cognouerãt. Plura attuleram exempla, si quam tua reprehẽsio præferret rationis speciem. Transeo in te, quòd ne pro nec nullo exemplo dixisti. Fac. Rex aliquandiu cum prolem non sustulisset. Si non susceperat ex uxore liberos, male à te dictum, cum tollere emittere significet: si uerò susceperat, rectè. Iuuenalis, Tollere dulcem Cogitat hæredem. Terentius: Quicquid peperisset decreuerunt tollere. Lauren. Quid primum in Fatuo fatuè dictum castigabo? cum in pauculis uerbis tot peccata committat. Volo illud, quod tam exiguæ doctrinæ, quàm exiguę prudentiæ est, primum notare: nam huiusmodi criminis incertus in iudicium quempiam uocauit? si ais te occidisse hominem, cædis te accuso: sin negas, non oportuit te uocatum in iudicium, neque tibi negocium exhibitum. O calumniator, ô Fatue cur me accusas? an quòd sperares reum, si negando posset elabi, crimen cõfessurum? nec minoris, quę sequũtur, imperitiæ, quàm hoc imprudẽtię, et imprudẽtię unũ, quòd cum Nonius uelit à ferò fieri præteritũ sustuli, tu utiq; à tollo fieri ais.

Sustulit prolem.

Sustuli à fero, nõ à tollo ptõrium.

Alterũ, idq; multo grauius, quòd ignoras tollere siue sustulisse liberos, esse idẽ, quod suscipere, siue suscepisse liberos. Et quò sit insignior imperitia tua, testimonium contra te profers, & gladium quem in hostis pectus defigere uis, temulenta manu in tuum defigis. Audi itaq; quid de isto uerbo in elegantijs tradidi. Sustuli filium, id est, suscepi filium. Item sustuli filium, id est, educaui, & ab utroque fit sublatum. Primũ est à tollo quod est capio, secundum à tollo pro eo quod est educo. Paulus tamen, Intelligendum est, inquit, de his legem sentire, qui liberos tollere possunt: itaq; si castratum libertum iureiurando quis adegerit. Dicẽdum est non puniri patronum hac lege. Et Quintilianus, Cupidus ego liberorũ uxorem duxi, natum sustuli, filium educaui, in adolescentiam perduxi. Aliud est igitur hic sustulisse & educasse. Et alibi? Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterũ educauerat, sustulit notum. Ociosum sit pluribus exemplis uti, quæ sunt infinita, cũ suo ipsius testimonio cõfutetur. Nam Iuuenalis de suscipiendo sentit hærede, non de educando. Quis enim de hærede qui filius sit educendo deliberet, cum sit diues: nam ita inquit:

Sed placet Vrsidio lex Iulia tollere dulcem
Cogitat hęredem cariturus turture magno.
Mullorumq; iubis & captatore macello. Statimq; pòst,
Quid fieri non posse putas si iungitur ulla
Vrsidio, si mœchorum notissimus olim,
Stulta maritali iam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini,
Quid quòd & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? ô medici mediam pertundite uenam.

In quibus uersibus Iuuenalis ait, Vrsidiũ tanquam placeret sibi lex Iulia de adulterijs, desistere uelle ab hoc crimine, & ducere uxorem, procreandorum liberorum gratia, Certe Alexander ex uxore liberos nõ educauerat. Atqui apud Curtium ait: Ego ipse Ortoxartis Persę filiam mecum matrimonio iunxi: non dedignatus ex captiua liberos tollere. Sicut de Neronis patre Suetonius: Decessitq; Pirgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone, ex Agrippina Germanici genito. Pater Neronis filiũ uix uidit, Alexander ne uidit quidẽ, utpote nondum natũ. Papinianus libro 31. de legatis & fideicõmissis secundo: Mando meæ filiæ pro salute solicitus ipsius, ut quo ad liberos tollat, testamentũ nõ faciat, ita enim poterit sine periculo uiuere. Sed quid iterum ad exempla reuoluimur, quasi necessaria. Fac. Quos prius iurauerant populi in se regnaturos. Exquisita profecto, & Laurentio digna oratio: elegantius si ita dixisses, quibus populi iureiurando fidem dederant, sese illis potestatem regnãdi facturos: aut sic, sese illis regnũ permissuros. Lau. Prius deridet uelut improprie barbareq; locutũ me: dehinc ait, potuisse dicere elegantius. Quo quid ineptius, ac magis ridiculum? Sed cur quæso elegantius? An unquã legimus fidem iureiurando datã, cũ præsertim desit prępositio huic ablatiuo. Adde dignã uinoso sententiam, populos facere regi suo regnãdi potestatem. Facere potestatẽ nos alicui earũ rerũ intelligimur, quarum ius arbitriũq; habemus. Ego si exquisitius scribere uoluissem, & nõ aliquid in operis retractationẽ reseruassem, ita dixissem, Quos populi iureiurando adacti erant passuros esse regnare, nõ desideratur hic prępositio ut superius in iureiurando: quemadmodũ in elegãtijs, cum de tollo dixi, non necesse habui de fero facere mentionẽ, ut tu in reprehendẽdo. Fac. Ioãnes est rex. Dicite omnes. Rex Ioannes. Facete sanè dictũ. Dicite io pæan, & io bis dicite pæan. O Barbare inepte homo, ecquid te pudet huiusmodi sermonibus plebeis uti in historia regis amplissimi? Lau. Nũquid ego facetè locutũ induxi. Quid hic attinet facete

dicendi

dicendi habere mentionē? Quid etiam me deridere leuissime Pāhormita? Agnosco sales tuos iocosq; insulsos. Nec intelligis, ô eximiam ingenij tarditatē, illum uersum mecū facere, meq; subleuare, cum ita ego sum locutus, ut Ouidius secundum librū illius operis exorsus est. Quo minus ut plebeio locutus argui possim utor sermone plebeio. Quid mirum, cum à priuato uiro ad plebem habeatur oratio, & ab eo qui nō admodum facundus est habitus? Et tamen quid sordis in his uerbis inest? uestra potius oratio & inepta est, & barbara, qui ecquid te pudor dixistis, pro ecquid te non pudet. Fac. Itáne es eloquentiæ expers, ut ista elegantius proferre nescias? qui uix primas literas attigisset, is profecto non incultius hanc particulam expressisset. Si quod in te robur eloquētiæ foret, profecto sic dixisses: Ferdinandus cum intelligeret præfectū sententiā eius expectare, antequā regem aliquē pronunciaret, elato in humeros puero: Hunc inquit, hunc regē statuo, hunc omnes regem, quod ei felix faustumq; sit, læta uoce ac plausu consalutent. Hoc modo bone uir rem sine dubio digniorem & cōcinniorem aliquanto reddidisses. Lau. Aude nūc negare te, aut stultissimo stultiorem, aut omnium peruersissimum, qui uerba mea non subijcis, quæ cum tuis comparas, quæq; postulas condemnari. Quæ, ut iudicari queat, an ita præ tuis cōtemni debeant, ipse subijciam. Ei defuncto, ubi Ferdinandus cū omni cœtu procerū regio more iusta persoluit, reliquū erat, ut is qui rex futurus esset, præfectū militiæ uoce nūcuparetur. Quē autem is nūcupauerit, instituto patriæ pro rege habetur, & eius uocem cęteri læto cū clamore excipiunt. Pauloq; pòst: Hæc atq; huiusmodi uerba prętectus exaudiens, ut tenebat manu uexillum, stabat ante Ferdinandū atq; omnem cœtū, uti se omni inuidia exolueret, quē inquit me iubes, regis & frater et fili Ferdinande, nuncupare regem? Et paulo pòst: Sed protinus, & quem, inquit, alium nūcupabis, quàm Ioannē: quod si non audes, me imitare ipsum. Assumptoq; in humerum infantulo, sicut erat statura sublimi, ex loco superiore exclamauit: Ioannes est rex, dicite omnes, rex Ioannes. Vides Fatue illum, cuius non erat munus officiumq; declarandi regis in concione, non debuisse fingi habuisse orationem, uel illa uerba & longe à decoro abesse, uel illud factū, ut quis infantē humero sustinens exordiatur orationē, uel illa uerba ut priuatus homo proceribus ac populis dicat, hunc hūc uobis regē statuo? Quanto decētius, quòd omnem rem una, & alacri uoce expediuit, iubēs secū cunctos illū sibi regem agnoscere, & ita se ueritas habet. Quam tu spectādam in historijs (ut ex tuis apparet) uti minima pars ueri est, non putas: cōsectans quædā ueterū uerba, tanquā ubiq; apta, faustū felix, quia apud Liuiū legis de Romanis loquentē: nō ideo tamē ad omnes gentes transferēda, quæ ne à Romanis quidem usurpata sunt semper. Lege Helium Spartianū, Lampridiū, Tremeliū, Pollionē, aliosq; temporū scriptores & intelliges in declarandis Romanis principibus, magis nostris uerbis actū, quàm tuis: quibus & hoc addere debebas, quod felix faustumq; sit huic pariter ac proceribus populisq; regni huius: & illud omittere, plausu cōsalutant: nam ubi reppēristi apud Liuiū in hisce rebus interuenire plausum? ubi plausum dici salutationē? ubi pronūciari regē? ubi expectari de creando rege sententiā tanquā res in iudicio agatur? Lau. Vbi à me significatur id? agnoscis iam nebulo si eloquentius dici ista poterāt, & si nō oportebat ob id me nūc insimulari, tamē abs te nō posse dici eloquētius. Fac. Omni humana ope destituti, iuuēt Hispanā circūcisiorē. Honestior eloquutio si dixisses, Afros Hispaniæ incolas, aut in Hispania degentes. L. Quis te docuit Afros esse qui partē illā Hispaniæ incolūt, & nō potius indigenas? qui etiā si, quod minime credibile est, ex Africa forēt oriūdi, tamē cū tot seculis incolant Hispaniā, nō putare Hispanos esse absurdū est: idq; ad te dici non ferendū, qui, quòd in Liguria natus es, te Ligurē facis, genitus ex Scytha.

Ego

ipsa est, quàm illam tu esse uis. In secundo Hircius, siue Oppius, commẽtario gestorum Cæsaris 13. Peditũ, ac leuis armaturæ quater tanto. In tertio & quarto Cicero in Verrẽ, Reperietis quinquies tanto iudices istum quàm quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse. Et in eadem, Sexies tantũ quantum satis sit ablatum esse ab aratoribus. In ultimo, Plinius libro decimoquarto: Maroneum uities tanto addito aquæ nascendum Homerus prodidit, ut iam bis tanto dici posse, sit improbissimũ negare. At exẽplum huius quoq; exigitis. Quid si proferam quo tandem uitio digni estis? nonne bis tanto ac ter, quater, quinquies, sexies, uities tanto quàm quanto me lacessistis? Legistis'ne Vergilium? nomen'ne illius uobis auditum est? non reor. Abditus autor est, apud raros uersatur in manibus. Quid eius commentatorem Seruium? hunc uero multo minus. Quis enim famulum notum habeat, cui sit ei dominus ignotus. Ex me quoque utriusque uerba audieris: Tum tartarus ipse

Bis patet in præceps tantum, tenditq; sub auras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus olympum.

Quod ita Seruius exponit, hoc autem dicit, tartarus ipse bis tantũ in præceps patet & tendit sub auras, quantus est suspectus, id est, altitudo ad olympum. Vultis apertius exemplũ, si quod esse apertius potest: Plaut. in Amphytrione, Bis tanto amici sunt inter se quàm prius. Idem in Menęchmis. Ego tibi redimã bis tanto, pluris pallã quàm uoles. & in Mercatore: Imò bis tanto ualeo q̃ ualui prius.
Fac. At Maurus cũ ad primũ conspectũ totius classis aliquantulũ uela dimisisset: nonnihil, uel in deliberãdo, uel in præparãdo se ad bellum repressisset. Crassus nimiũ est error tuus, si bellum à prælio non differre putas: cum bellum totum discordie tempus sit, prælium uero cum manus cõferuntur. Ita fit, ut in uno bello plura prælia cõmittantur. Lau. Si nunc à me erratum est, in elegantijs quoq; erratum est, ubi hanc differentiã tradidi: nũquam'ne bellum pro prælio accipitur? Quid ergo significationis habet, commissum est bellum apud Frontinũ? Vnde etiam præclara uictoria cõmisso statim bello peracta est. Et apud Liuium: Quo uelut omine belli accepto deos pro se cõmisisse bellum memorantes. Aut gestũ est bellum, apud eũdem: Bellum haud memorabile in Algido cum Equis gestũ, fusis hostibus prius penè, quàm manus cõsererent. Aut initum est bellum, apud Quinitilianum de apibus loquẽtem. In quas propria illa belli significatio uix cadit, illas maiorum pectorum totis pro rege castris procurrere, & inire bella: mortem'que honestam pro duce oppetere. Et iterum: Ad cuius conspectum & hostium animi labare, & Macedones acrius bellum inire cœperunt. Aut patrari bellum, apud Sallustium. Ipsumq; regem haud procul ab oppido Cirrha armis exuit. Quæ postquam gloriose facta sunt, neque belli patrandi copiam cognouit. Aut ipsum bellum apud Vergilium, Pictis bellantur Amazones armis.
Et apud Iustinum, Auxilia à Lacedemonijs petiuere, quibus citatis, iterum præliantur. In eo bello Euthias & Hippolochus omnium tyrannorum sæuissimi cadunt. Cum exercitus eorum ex quibus maior pars Atheniensium erat, fugeret, magna uoce Thrasymachus clamat, Cur se uictorem fugerent. Et apud Septimium: Pars ubi bellandi tempus uidebatur. Et iterum: Vti progressus in medias acies', eundem Menelaum conquiescentibus socijs solitario certamine lacesseret. Igitur reducto ad bellum Alexandro, progresso'que in aciem. Et iterum: Sed postquam miles per multum diem bello intentus magis magisq; fatigaretur, & diei uesper erat, utrisque cupiẽtibus pugna discessum est. Et iterum: Signum ubi bellandi datum est, manus conserũt. Inter exempla non modo cum suis uerbis implicitum cernimus hoc nomen, sed etiam illis liberum, quale est, ut unum adijciamus apud Curtium: Cum castra Darij & Alexandri peruicina essent,

essent, Alexāder legatis Darij sic respondet, proinde aut deditionem hodie, aut in crastinū bellum paret: nec aliam, quàm expertus est, sibi polliceatur fortunā. Legati respondent: cum bellum in animo sit facere, eum simpliciter quod spe pacis non frustratur ipsos petere, ut quamprimum dimittātur ad regem eumq́ bellum parare debere: dimissi nunciant adesse certamen. Feci'ne uobis planū etiam pro certamine, pro pugna, prælio accipi bellum? Cuius significationis est duellum, nam duellum olim tantummodo dicebatur. Iuuenalis Satyra prima:

Tecum prius ergo uoluta Hæc, animante tuba galeatum sero duelli Pœnitet.

Nempe de prælio, non de alia significatione sentit autor, & Lucretius in secūdo: Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles. Fac. Hostem adipiscūtur. Improprie sanè dictum: nam adipisci hostem nō dicimus, sed nacti, uel assecuti, uel adepti sunt. Sic enim nanciscor uerbum, & nactus participium significato differunt, cum nancisci acquirere sit, nactus uero qui inuenit: sic aliud adipisci, aliud adeptum dicimus. Elegantius igitur si dixisses hostem nacti, uel assecuti, uel adepti sunt. Lau. Quęro à uobis, eloquentiæ magistri: Primum quomodo similia sunt adipiscor adeptus, & nanciscor nactus: cum primo si uobis credimus, plus ponderis habeat in significādo pręteritum, quàm præsens: secundo cōtra. Deinde quomodo adeptus & nactus: cū similitudinis plus habeat adeptus cum nanciscor, quàm cum nactus: adeptus enim id est, quod acquisiui siue consecutus, siue assecutus sum. Tum, quare quid significet adipiscor, relinquis in medio. Ego uerò uobis probabo, uel sæpe, uel semper idē esse adipiscor & adeptus sum: rursus idem adeptus quod nactus, & nactus quod nanciscor. Quorum omniū exempla gradatim proferemus. Plautus antiquissimus ferè Latinorum in Epidico: Nam ut apud portum te conspexi curriculo occœpi sequi, uix adipiscendi potestas modo fuit: adipiscēdi dixit, pro assequendi, ut ego. Quæritis historici exemplum? Audite Liuium libro 23. Ipsum quidem agmen adipisci æquis locis nō potuit, populationē adeò effuse fecit. Et in eodem: Cum ad id spectator pugnæ constitisset, libero campo adeptus, partæ uictoriæ fruitur territos cædendo. Et iterū, Vestigijs institit sequi ad Venusiam adeptus eum est. Et iterum: Tenuit tamē uestigia Boccar, adeptusq́ eum patentibus campis prope Clupeam urbem. Nōne si uultis adipisci idem esse quod inuenire, adeptum esse significabit inuenisse? Si uero adeptus pro assecutus accipitis, adipisci pro assequi & accipiatis necesse est, cum tam aperte ab autore demōstretur eadem res per hoc uerbum, sola temporum natura differentiam faciente, ac ne faciente quidem: nam frequentissime tempus præsens uim pręteriti optinet, & hoc modo à me positum est. Huius rei testimonio erit assequor, & eo magis, quòd hinc significatio uerbi quo de agimus aperietur, apud eundem autorem est libro 27. Nocte progressum eum assequitur locis planis ac patentibus Marcellus. Perinde est ac si dixisset assecutus est, nec ad rem est an sic, an adeptus adipiscitur'ue, ut superiora exempla docent, dicatur. Et iterum: Postero die prima luce profectus magnis itineribus, famam ac uestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem assequitur: Nempe adipiscitur, nam superius dicitur ad Venusiam adeptus est. Et iterum: Cum expeditis Martium iam appropinquantem oceano assequitur. Palàm est igitur adipisci quidem idem pollere quod assequi, nec à suo præterito differre, quemadmodum nec assequi differt à suo. Meminerimus tamen hæc uerba non semper unam habere significandi figuram. Enimuero adipiscor quoties hominem pro apposito habet, aut aliquid simile, ut puta animal, id habet significationis quam dixi, quasi perueni, siue inueni. Sin aliud, significationem habet acquirendi, sicut assequor, ut apud eundem. Nec incuria adeptus erat quas petierat opes urbanas, nempe eo modo quo quis dicitur assecutus opes, honores, magistatus.

Cicero

Cicero 4. Tuscul. quæstionũ: An ratio parũ præcipit nec bonũ illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas insolenter. Et in 5. Et enim stultitia etsi adepta est, quod concupiuit, se tamen nihil consecutã putat. Et ne multus in exemplis sim, idem de senectute: Quo in genere est imprimis senectus, quã ut adipiscantur, omnes optant, eam accusant adepti. En liquet præteriti à præsentis significatu nõ discrepare. Huic simile est nactus, cuius in utranq; significationem testimonia probamus: In prima significatione apud Liuium, Crispinus & morte collegæ & suo uulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est mõtes, in ijs loco alto & acuto undiq; castra posuit, id est, cum inuenisset montes. Nisi maluimus exponere consecutus est montes, apertius de homine, ut Cicero: Eum teneto si quẽ eris nactus istis mortis & exilij minis. Sed de hac significatione conuenit: de altera Terentius in Hecyra: Mi Pamphile inquam, amabo, quid exanimatus obsecro es, aut unde anulum istum nactus? hoc est unde acquisiuisti. Nam pro inuenisti nõ unde, sed ubi diceretur. Liuius etiam clarius: Nobilis idem & popularis homo certe malis artibus nactus opes. Et iterum: Cæterũ Flauium dixerat ædilem forensis factio Appij Claudij cẽsura uires nacta: & alijs plurimis in locis apud hunc. Sed aliunde quoq; repetamus exempla. Cæsar cõmentario 7. Tandem Germani à nostro dextro latere summum iugum nacti, hostes loco depellunt. Certe nemo qui in repugnantibus superne hostibus in cacumen euadit, locum ipsum dicitur inuenisse, sicuti, nec prædã. Siquidem ita 6. cõmentario, idem ait: Oblata spe Germani, quam nacti erãt prædã, in occulto relinquunt. Vlpianus: Cum autem seruus libertatem nactus est, utique etiam tutelam habebit eius cui bona addicta sunt. Iustinianus codicis lib. quarto de actionibus empti & uẽditi: Curabit præses prouinciæ compellere emptorem qui nactus possessionem fructus, percepit partem precij, quam penes se habet, cum usuris restituere. Et Institutionum libro secundo. de rerum diuisione: Vtiq; si bona fide earum chartarũ membranarum'ue possessionem nactus es. Et in tertio de emptione & uend. Cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, precium soluere. Et in quarto de iudicio interdictis: Si modo nec ui, nec clã nec precario nactus fuerit ab aduersario possessionẽ. Et licet Iustinianus non fuerit sanè elegãs, ex collationibus ipsius datur intelligi, tamẽ in codice superiorum imperatorum decreta plerunque repetit & institutiones, cum ex aliorum Iurisconsultorum, tum præcipue ex Caij institutionibus commentarijsq; se composuisse testatur. Verum ad elegantiores reuertamur. Quorum unus adhuc abunde erit Cicero pro Milone: Quoniam modo ea, aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si ille nactus esset? Et de natura deorum. Eamq; potestatem quam ij se per scelus erat nactus quasi iustam, & legitimã hæreditatis loco filio tradidit: Et in Bruto: Qui autem aliqua occasione, & inuitis suis ciuibus nactus est, ipse imperiũ ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. Ecce pro eodem nactus & adeptus: præter id quod apparet, hinc quoque adeptus ab adipisci non differre, cum hoc significet acquirere, illud uerò acquisisse. Quod cum ita sit, id etiam manifestum erit, quod tertio loco proposui, nec suum præsens à nactus discrepare, cum ego probarim nactus esse idem quod acquisisse, & aduersarij asseuerent nancisci, idem esse quod acquirere. At enim dicetis aliqua ratione differre præsens, quod nunquam pro inuenio reperiatur, à præterito, nec istud quidem etsi ad præsentem non attinet quæstionem uobis concedam. Cum legamus apud commentarios Cæsaris sæpenumero occasionem nactus, quod uos haud dubie pro occasionem inuenit accipitis. Et quod loco nanciscitur occasionem, quod uos aliter quàm pro inuenit occasionẽ accipere non debetis. Verba aũt hæc sunt: Vt mouẽdis castris pluribusq; adeũdis locis, cõmodiore

frumentaria

frumentaria re uteretur, simulq́ in itinere, ut aliquam occasionem dimicãdi nanciſceretur. Qualis eſt Ciceronis de Republica ſexto: Vel cõcidat omne cœlum, omnisq́ natura conſiſtat, neceſſe eſt, nec uim ullam nanciſcatur, qua à primo impulſu moueatur. Fac. Vtrinque in alteros emiſſo, Hoc quidem barbare abs te prolatum eſt, ut reliqua. Quid enim opus fuit in alteros addere, cum utrinq; ſatis eſſet? At ſi illud quoq; exprimere uolebas nõ in alteros, ſed aut inuicem, aut mutuo, aut inter ſe emiſſo dicendum fuit. Lau. Et corripis me, & corrigis, ut in cęteris utrunq; ſemper ſtulte: corripis quòd redundanter & parũ proprie locutus ſim: nam primum in alteros, ut ais, additum non oportuit, quaſi non queant tela utrinq; emitti, ſed non in hoſtẽ uelut in cœlũ. Sicut utrinq; procurſum eſt utputa in ſubſidiũ, in prædam, in ſpectaculum: non igitur ſuperuacaneum eſt in alteros, deinde ut nunquã tu tibi conſtas, confiteris non fuiſſe tale, cum ipſum tanquam impropriũ corrigis, mutasq́ in alia, quorum primum eſt inuicem, hoc loco perabſurdum, Quippe ut rectè dicas, ſe inuicem uerberabant, ita minus rectè, inuicem tela mittebant, niſi accipimus inuicem pro ſimul. Secũdum mutuo quod uel magis improprium eſt. Nam eodem modo dicẽtur, tela mutuo emitti, quo mutuo mitti. Atqui dona muneraq́ mutuo mitti uſitatum eſt nõ tela, cum mutuum ſit fieri de meo tuum, ut iuriſcõſultis placet, huius uocis Etymologiam ſequentibus, ſiue meum de tuo, quod rite dicitur de rebus quæ dono, non de telis, quę inter hoſtes mittuntur. Tertium, imbre telorum utrinq; inter ſe emiſſo: in quo & utrinq; ſuperuacaneum eſt, & imbrem telorũ in ſe emittere improprium, & abſonum dictu, pugnant inter ſe, colloquuntur, amant inter ſe frequenter audiuimus & legimus. Iaculantur uero inter ſe, tela proijciunt, aut ſagittant inter ſe, nec legimus, nec audiuimus. Ex quo palàm eſt in correptoris & correctoris oratione & redundanter eſſe uerba, & improprie poſita: non in correpti atq; correcti, quem abeſſe ab utroq; uitio probat in Iugurthino Salluſtius inquiens: Deinde utriq; alteris freti finitimos armis aut metu ſub imperium ſuum cogere. Vt hic omiſit ſiue conſulto non poſuit imbre telorum: ita in ſequentibus retulit, uerba mea non fideliter. Fac. Nonnihil prius de expugnatione oppidi Ferdinandus agẽdum ſtatuit. Lau. Quæ uerba ita ſe apud meas hiſtorias habent. Ferdinandus ut lætus ex nauali uictoria bonæq́ ſpei ac fiduciæ plenus, cum iam machinæ ad finem perueniſſent, ita ſolicitus ob pœnuriam rei frumentariæ non prius de expugnatione oppidi, ubi nonnihil dura proponebatur dimicatio, agendum conſtituit, quàm milites animo & corpore refeciſſet præda ingenti boum atq; ouiũ. Fac. Improprie hoc uerbo ſæpenumero uteris, quod tibi turpiſſimum eſt hiſtoriã ſcribere uolenti. Qui enim fieri poteſt, ut neſcias illud intereſſe inter pugnare & expugnare, quod inter orare & exorare? Cum pugnare ſit manus conſerere: expugnare uero pugnando uincere, quemadmodum exorare orando impetrare dicimus. Lau. Et hic quoq; in dubio ſum, unde potiſſimũ te redarguere incipiam imperitiſſime calũniator, quomodo iſtud ignoro quod in elegãtijs trado? Quomodo ignoro, quem ſæpenumero rectè in hoc opere uſum animaduertis? Quomodo ignoro quem probas ad morem ueterũ loqui? Quomodo ignoro qui te male hoc diffinientẽ uocabulum demonſtrabo? Etenim in elegantijs trado differentiam inter oro & exoro, uel melius quàm nunc tu, inter audio & exaudio, inter ſuadeo & perſuadeo, aliaq́ huiuſmodi plurima. Item inter oppugno & expugno, nõ ſicut tu demẽs, inter pugno & expugno, inter quæ niſi à Fatuo nequeat errari. Quis dicat pugnaui urbẽ, pro expugnaui aut oppugnaui? Atq; repeterẽ illinc uerba præceptorum meorum, niſi res ipſa pro ſe teſtimonium diceret: nam ut iſtud à me ſcriptũ neſcieris, tamen hæc uerba in ipſis hiſtorijs legeras. Alio bello ad expugnandum. Setanillium uenimus, infecto negocio receſſimus, nunc ad

expugnandam

expugnandũ Anticheram uenimus, quã si quid horret animus & lingua uix audet fari nõ expugnauerimus. Quid infecto negocio uicti non uictores discedemus? Et iterũ: Oppida duo Ptineam & Pegum paucis diebus expugnat, erant enim parua, tum oppidũ Zaram aggressus positis ante portã castris expugnat, & alibi centies. Et tamẽ quomodo expugnatio potuit à me accipi pro pugna siue pugnatiõe, cum dicã, dura proponebat dimicatio? quę idẽ est, quod pugna siue pugnatio. Quo nomine si fieri possit, ut improprie sim usus, tamen tuũ non erat, si mente cõstares, reprehendere uerba mea similia Vegetianis, quæ tu superius attulisti. Aliud genus expugnationis est subterraneũ atq; secretum, quod cuniculũ uocant. Nunquid magis apud Vegetiũ, quàm apud me uictoria pugnæ declaratur? Minime: non enim semper qui cuniculis rem gerunt pugnando uincunt. Male expono, cum te sequor, huius nominis uim. Ideoq; iam reddã quod ultimũ promisi me demonstraturum, te improprie diffinientem expugno. Nunquid si tecum conferam manus ac uincam, te dicar expugnasse? Nihil minus: quia de oppidis, de castris, de nauibus cæterisq; huiusmodi expugnatio est: & figurate dicimus expugnare mentem, expugnare pudicitiam quasi arcem quandam, ut in ipso de elegãtia opere latius tradidi. Quid iam blateras infelix? Quid calumniaris? nunc repugnante conscientia, nunc uacillante scientia, nunc amissa memoria, nunc deprauato hominis sensu? Qui si fuisses apud Græcos priscorum poëtarũ seculis genitus, illi te in bubonem, aut in ranam, aut in onagrum cõuersum esse finxissent. Fac. Cum cibis iã armisq; defecti essent. Hoc quidẽ minus à te eleganter dictum est: nõ enim cibis, sed uel cõmeatibus, uel re frumẽtaria dicendũ fuit, uel etiã omni humana ope destituti. Huiusmodi enim uerbis frequenter utuntur historici. Elegantius igitur si dixisses, cum iã non solum cõmeatus, sed etiã arma deessent, Aut sic, cum iam omni humana ope destituti essent. Lau. Venefice, Quid ais historicos his uerbis frequenter uti, quasi nõ & ipse frequenter in historia utar? minus à me inquis dictum eleganter, perq; inconstantiam subdis, elegantius aliter me fuisse dicturum? Tuum, ut te doceam, munus est docere, me eleganter non elegantius loqui. Verum quanquam ita sit, accipe cur nec ego eleganter dixerim, nec tu elegantius. Quod ad reprehensionem mei pertinet duo reprehendis, unum clanculum quòd defecti non reperiatur: de quo in elegantijs præcepi adiectis plurimorum exemplis, quorum unum mox subijciam: Alterum aperte quòd cibo utar. O te hominem, qui cibo utaris, indignum, & si cibario semper alitum pane, cum cibaria etiam historici usurpẽt: Quorũ exempla ne multus sim omittam, uno contra duo obiecta contentus, ex Quintiliano: Vt si obsessi & impares & aqua ciboq; defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent. At emendas elegantius. Tu ergo Quintiliano elegantius Ligurum Scytharumq; opprobrium? qui pro cibo armisq; defecti, inquis, omni humana ope destituti, quibus uerbis sum usus ipse paulo ante prudẽtius, & nunc uel ob hoc q̃ tu elegantius dixi, quòd in eadem sæpius reuerti noIui, ut ipsius linguæ copia, uarietate, gratia, condirẽ orationem. Fac. Procerã scalam, Improprie sane à te prolatũ est, ut omittã latinitatis uitiũ, quòd scalam singulari numero effers, cum tãtum plurale ueterũ usu sit, ut dixi. Nõ enim proceras scalas, aut procerã columnam dicimus, sed longas scalas, & longam columnam. Proceras aũt ulmos uel abietes, uel alias huiusmodi arbores natura nõ arte longas appellamus: uel etiã hominis staturã. Verg. Atq; solo proceras erigit alnos. Cicero in Catone maiore, Cumq; miraret, & proceritatẽ arborũ, & directos in quincuncẽ ordines. Catullus: Plangebant aliæ proceris tympana palmis. Quod ex diffinitione Festi Pomperij patet. Ait enim, Procera prolixa esse in longũ producta, quasi ex cera ob eius facilitatẽ, id est, in propria. Lau. Pro-

cerum non arte esse, sed natura, probare uis, à dissimili, ab autoritate, à diffinitione praeceptoris. Pro dissimilibus quidē afters ulmos abietes, & quae sunt id generis arbores, item hominis staturam. Quid ais? malus nauis procerus est an nō? si negas, omnibus contradicis, non modo, quòd longus sublimis teres est, sed quòd arbor & habetur & nominatur. Si cōcedis, Cur nō de scala concedes, quae ex proceris & ipsa arboribus effecta est: De columna tibi respondere nihil mea interest: hoc cū ita sit, rei nimirū satisfeci, nihil aduersus me agentibus similitudinibus, exēplis, argumentis tuis. Sed quoniā non tantū de scala, sed generaliter de omni re procera locutus es, Respondebo nō pro me, sed pro re ipsa, ac ueritate: non esse procerum natura solū & incremento, & quasi statura longū. Sed ut prius tibi paulisper concedā, quid est cur columnā neges talem esse, quae si constet ex ligno, non'ne eiusmodi erit cuiusmodi malus & scala? sed fac marmoreā lapideam'ue, nunquid longitudinē illā ars fabricata est, an potius natura? Certe natura, lōgitudo enim iā marmori ac lapidi inerat. Si repugnas, ad philosophos te relego, qui aiunt columnā atq; adeo figuram omnē inesse marmori, lapidi, ligno, quae ferro circūcidēte, quibus includebat ipsa existat atq; appareat, nec potest quis aduersari philosophis, quibus Cicero assentitur. Nunc in uniuersum de omni proprietate respondeo, nihil interesse, qua quicq; ratione longum sit: idq; exemplis probo, non quae tuis contraria sint, sed quae tibi qui uis ex una aut altera specie constituere genus, rursus una aut altera infirmata refellere genus, id est, reliquas species: quasi, quia non est simile quid arbori statuae'ue, non sit procerum. Plinius secundo epistolarum libro: Deinde uel cubiculum grande, uel modica coenatio, quae plurimo sole, plurimo mari lucet, post hanc cubiculum, cum proceriore altitudine aestiuum, munimento hibernum, est enim subductum omnibus uentis. Huic cubiculo aliud communi & proceriori pariete iungitur. Certe arte non natura longus est paries, cubiculumq;. Item Plinius pater de Italia: Est ergo folio maxime quaerno assimilata, multa proceritate amplior quàm latitudine: Nihil profecto similitudinis habet, longitudo terrae ad longitudinem, uel staturae, uel arboris, uel etiam ad cerae naturam. Cur ergo dixit Festus (ut ad eius diffinitionem ueniam) Procerum esse productum in longum ui propria: quasi uero cera non producatur modo, uerumetiā contrahatur, est tamen in homine secus ac in arbore: Hoc etsi ille inquit simulq; ob eius facilitatem, quod tu scribis facultatem non tamen praeceptum suum coarctauit, ut ea demum, quae cerae similia sunt, procera dicantur. Atq; ut taceam qualis Festus sit in argutijs etymologiae, qui uult inter initia sui operis, ut aqua dicta sit quasi à qua uiuimus. Quis huic rei assentiatur? si procerū à cera dicitur, praelongā ex aere statuam hastam'ue proceram non esse, & quia nō natura, sed arte sit longa. Sed quid tibi cum Festo, quia de natura, & arte non loquitur? Sentis igitur nec regulam tuam, nec rationem, nec exempla, nec mentem eius, cuius uelut praeiudicium affers contra me facere? Fac. Alio genere expugnationis. Vitium proprietatis inexcusabile, non expugnationis, sed oppugnationis dicendum fuit. Lau. Quo saepius me ferire niteris, eo te saepius saucias si nescis, & eo quidem magis, quòd haec uerba sunt similiora Vegetianis, quae ipse obliuiosus in testimoniū superius attulisti. Sed ô proprietatis in alio sagax indagator, bis tu hoc loco istud uitiū admisisti. Primum quòd improprietatis uitium dicitur nō proprietatis, sicut paulo ante uitiū latinitatis. Deinde quòd uitia morum solent, non sermonis apud doctissimos excusari. Fac. Hoc tamen genus expugnationis instituebat. Idē & frequens uitium tuū. Lau. Non fuit satis modo tibi dixisse me saepius incurrere hoc uitiū. Non pudet te miser ita prae te ferre rabidā quandā mordendi auiditatem, ut nihil pensi habeat, & uerborum Vegetij imò tuorum

(tuta enim nũc sunt) nunq̃ reminiscaris? Fac. Quod diceret ab re esse. Inelegan ter profecto, imò ruditer à te dictũ, ab re enim temere & sine causa, non id q̃d tu putas significat. Illud potius dicere docuisti, q̃d non è dignitate regia esse duceret regẽ in expeditionẽ, nisi aduersus regẽ, proficisci. Lau. Quid ergo quæso significare uolui? Quũ hoc aperis bubale? Cur uerba mea supprimis uulpecula? Nã quis isto modo unq̃ reprehẽdit aliũ? At enim debuerã dicere è dignitate regia. An nõ istud paulo ante feci? Siquidẽ hæc mea uerba sunt. Sic em̃ fore, ut nõ modo q̃d è fide regis erga suos, sed etiã q̃d è dignitate faceret. Quid ergo me docere uis improbissime, q̃d ut uerisimile est, paulo ante ipse te docui? At ruditer postea hãc sententiã dixi. Inspiciamus an ita sit, nã hæc sunt ista uerba. Addit etiã facto superbiã barbarus: noluit ipse huic expeditioni præesse, q̃ diceret ab re esse, regẽ nisi aduersus regẽ prodire in bellũ. Quænã horum uerborũ est significatio, ab re esse? nẽpè præter rem, & quasi indecens esse, nõ aũt temere, ut tu temerarius loqueris, & sine causa, ut tu sine causa uis esse iudiciũ qui crimẽ, quo alterum accersis premis lingua nõ promis. Liuius lib. 8. Nã etsi omnes diuini humanique moris memoria aboleuit, noua peregrinaque omnia priscis ac patrijs præferẽdo, haud ab re duxi uerbis quoque ipsis, ut tradita nũcupataque sunt, referre. Idẽ lib. 36. Et quanq̃ propè abscissa res erat, tamẽ non ab re esse Quintio uisum est, sociorũ aliquos legatos interesse ei concilio. Sueton. in Augusti uita: Et quando ad hoc uentũ est, nõ ab re fuerit supertexere, quæ ei priusq̃ nasceret̃, & ipso natali die, & deinceps euenerint. Idẽ in Domitiani: Deinde atrocitate pœnę cõtentus, ad leniendã inuidiã intercessit his uerbis. Neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere. Permittite patres cõscripti à pietate uestra impetrari. Martianus li. 33. de hæredib. insti. Nõ ab re aũt hoc loco, uelut excessus hic subiunget̃. Nũquid hic pro temere accipiẽdũ est ab re, & sine causa, an pro indecẽter & incõuenienter, & pręter rẽ? Fac. Ferdinandũ enim infantẽ esse Castellæ. Vulgari nomine uti nihil te puduit? cũ ea quæ propria nõ sunt, liceat nobis iudicio arbitrioque nostro per circuitionẽ proferre elegantius. Quis aũt est tam imperitus rerum scriptor, aut tã illiteratus homo, qui nesciat infantes regios filios appellari? Lau. Ais elegantius esse uti circuitione. Atqui circuitio nõ elegãtia est, sed Tropus. Quid ais præceptor? nõ appellabo summũ pontificẽ papã, quoniã nõ sic olim uocabat̃? Nõ ducẽ Genuensem, sed dictatorẽ? nõ ut alia infinita præatereã, & ad simillimũ ueniam exemplũ, Filium Primigenitũ regis Gallorũ Delphinũ, sed tantum regiũ filium? Quanq̃ nescio, an istũ in modum me corrigas. Nã quid est, q̃d nemo scriptorũ, ne illiteratorũ quidem nesciat? an infantes oẽs appellari regios filios? hoc uero nemo audiuit, an omnes regios filios appellari infantes? At hoc Gallici negant planéque falsum est. Cernis ut id q̃d uis neminẽ ignorare, omnes ignorent. Fatue uecors atque falsarie, qui siles esse me isto uocabulo usum, cũ pręfatione. Fac. Et à præsenti periculo nõnihil relaxati animo. Improprie quidẽ: nã relaxatos curis esse, & corporis defatigatione, dicunt historici: Leuatos uero & liberatos periculo. Lau. Quid? nõ etiã curis leuamur, neque ipse ut tu perperã interpretaris relaxatos periculo dixi, sed à periculo relaxatos & animo, id est curis, ob præsens periculũ, q̃d iam nõ timere, nõnihil laxamenti fuit. Enimuero minus hoc tu mirere, si apud Liuiũ fessos uulneribus scriptũ recorderis: sic enim ait: Carthaginenses quanq̃ fessos labore ac uulneribus &c. Fac. Virtus tamẽ militis omnia impedimenta uincebat. Improprie, ut multa, impedimẽta protulisti. Nã apud rerũ scriptores impedimẽta plurali numero appellant̃, quæ sarcinas uulgò dicimus. Difficultates aũt dicuntur, quæ tu impedimẽta dixisti. Licet tamen eo nomine uti singulari numero in eã sententiã, in quã accipis. Lau. Antea q̃ pro me respondeo, te correctorẽ corrigi dignũ interrogo, cur sarcinas uulgo appellari dixisti,

quasi ignotũ disertis uocabulũ? Cur itẽ idem quod impedimẽta significare? An nõ inquit Curtius? Magno cõsilio iacturã sarcinarum, impedimentorũq; cõtem psit. Et iterũ: Sarcinas & impedimenta ibi cũ presidio reliquit. Et Liuius: Quarta uigilia profecti, sarcinis & impedimentis Beneuenti relictis. Quid ergo nunc significant sarcinæ, nẽpe, res quæ in itinere portañ. Impedimẽta uero ipsa iumenta, quæ sarcinas, uel alia bellica instrumẽta gestant, uel trahunt, ut est apud Frontinũ. Ipse q̃q; ob hoc exasperatus, interfectis omĩbus impedimẽtis, ad pugnã de scẽdisset. Ad hæc interrogo, cur dicas unius uerbi sententiã potius q̃ sensum, q̃d nusquã, si memoria nõ labor, inueni. Cur postremo, impedimentũ in ea significatione plurali carere, cum ratio nõ prohibeat, nec ulla ars autoritas'ue? An uero Sallustij uerba legisti? Occulte per amicos, & maxime per homines nominis Latini & socios Italicos impedimenta parabant. Et Curtij: Vnã anum, & duas puellas itinerũ agminumq; impedimẽta triginta milibus talentũ auri permutes. Et Cic. Cũ primũ impedimenta naturæ diligentiæ industriæq; superant. Quum te peccasse doceo in accusando, me satis abũdeq; defendo à tua accusatione. Sed ualidius defendent sequentia. Nã ista uerba, quæ tu arguis maximorũ autorum sunt. Quintil. Et omnia quæ obst. bunt impedimẽta, uincenda sunt. Senecaq; in epistolis de Varano. Animus corporis impedimẽta uincebat. Fac. Ad ædẽ diuæ Mariæ cognomine custodiẽtis. O ineptũ hominem: ò uerborum inopẽ, quãto elegãtius si dixisses (quoniã puerum seruauit) ad ædẽ diuæ Mariæ seruatricis? sicut Iupiter stator appellatus est, quia Romanos à Sabinis in urbe fusos, inuocatus stare ac fugã sistere fecerit. Lau. Cur nõ addebas ô insignẽ barbariem, ô singulare in grãmatica uitiũ? Quid te impudentius, qui rem prorsus incognitã tibi diuinare permittis. Vocañ enim ædes illa sanctæ Mariæ guardalo, quæ uox ad præsens refertur tẽpus, non ad præteritũ. Et ego haud diffiteor in re utiq; religiosa me noluisse, cũ se offerret occasio, recedere à sanctissimorũ ueterũ instituto, apud quos lego, Agar cũ uideret filiũ siti pereuntẽ, ostenso sibi ab angelo puteo (nã & ipse de matre, de filio, de puteo loquor) appellasse locum, Videntis & Saluantis me: & prophetas uocatos Videntes. Cæterũ tu qui me ineptũ, & uerborũ inopem uocas, q̃ fui elegans nõ elegantissimus. Responde an elegantissimus sermo sit, fecerit stare Romanos, & fecerit sistere fugã, quasi uero qui percussi iacent, sint è numero fugentiũ, stantiumq;? Ad hæc, an couenias, aut cũ Liuio, qui standi nõ fecit mentionẽ: aut tecum, qui statorẽ confiteris appellatũ à sistendo, quod superius pernegasti. Fac. Ascendente iã die accalescẽte. Hoc te profecto historiographus nullus docuit, sed quispiã, ut puto, sutor, aut faber lignarius: historicus enim sic diceret, sub horã diei quartã, uel quintam, uel sub meridiẽ. Lau. Ergo nisi utar sub, aliter recte loqui nõ potero imperitissime, qui specie falleris elegantioris sermonis. Sub, significat ipsam primã temporis partem, ut sub lucẽ exportant calathis, id est, adueniente luce: nõ quacũq; parte lucis, sed ex prosa potius petamus exẽplum, Quintil. Sub tẽpus ipsum quo pugnaturus erat diuitis filius, hoc est, iamiã præsente tempore. Aliquãdo statim post, ut sub hæc uerba. At uero sub horã diei, quartã, pro quarta diei hora, non mihi unq̃ uideor audisse. Atqui calescẽte die sic dixi, quomodo Liuius & Paulus Iuriscõsultus, uel mollius q̃ illi. Nam Liuius quidẽ sic ait: Cũ calescẽte sole dispulsa nebula aperuisset diẽ. Paulus uero sic: Hora diei sexta eadẽ die calescente cœlo. Etenim diẽ calidum frigidũq; dicere minus durũ est, q̃ solem cœlũ'ue, & ascendente iã die sic dici quomodo Liuius, Præcipiti iã ad uesperũ die nox interuenisset: & alibi: Procedente iã die: & Cicero: Inclinato iam in pomeridianũ die. Et Plinius ad Apollinarẽ, Inclinato iã die. Et Suetonius in Othonis uita, Deinde uergente iam die. Quẽ modum loquendi si meũ non probas, improbes necesse est, & hos, quos

quos nominati autores, fatearis sutores, ac fabros. Sed quomodo te non puduit sutorũ facere mentionẽ, natũ patre sutore, & quidẽ ueteramentario? nisi qa ignoras sutorẽ esse, qui coria suit, & pelles quẽ uulgò cerdonẽ uocant, & quidẽ Plautino nomine canceolariũ. Faber quoq; cum dixeris, cur dixeris lignarius, excluso fabro carpentario, & breuiter omni alio fabri lignario, ærario, ferrario, nõ intelligo: nisi quia tuorũ propinquorum quispiã, talis est forsitan, & gaudes loqui sutoria atq; fabrilia. Tractant fabrilia fabri, inquit Horat. Fac. Alijs assidue super alios applicantibus, Plebeia sanè oratio. Quanto elegantius si dixisses, cũ noua quotidie auxilia superuenirẽt, aut alij super alios aduentarent. Lau. Duobus modis emendor: uno, cũ quotidie noua auxilia superuenirent, at ego nõ de quotidianis auxilijs sentio. An nõ hæc mea uerba sunt? nam simul ac Petrũ Pontium uiderunt, siue continuato quem instituerant cursu, siue ob eũ ipsum uelut exploratorẽ moti, laxatis habenis uirum persequuntur. Alijq; subinde atq; alij, ut quisq; maxime effuso cursu persequi poterat, ut ipsi proximi essent, usqueadeo uix satis spatij Petro fuit ad se cõijciendũ in claustra portæ castrorũ quæ petebat. Ibi pugna nõ iusta acie incipitur, discursantibus, atq; obequitantibus munitiones barbaris, si qua transitum facere possent, assidue alijs super alios applicantibus. Quid ergo teterrimi homines scripturas in iudicijs, & instrumenta corrumpitis, ut ij qui opus non legerint de quotidianis existimẽt auxilijs dici, quanquã ne sic quidẽ pro ineleganti reprehendi posset, alij super alios aduentarint. Ergo meũ alijs super alios nõ est inelegans, nec addiscitis quotidie coacti ueritate, hic uel modũ loquendi carpitis, quasi minus sit uenientibus auxilijs elegans, q̃ cum ueniunt auxilia: quod equidem haud uideo uel uerbum, quod cur plebeium censeatis, uos uere plebei, scire cupio: an nõ ait Quintilianus? Si nõ potes ultra procedere, citra applica: neq; abnuerim proprie esse applicare è naui appellere. Et si Cicero tertio Tuscul. quæstionũ inquit: Arce & urbe orba sum, quo accedam? quo applicem? ut si fuissem ego improprie usus hoc uerbo, non debueritis uos eius sordẽ notare, sed improprietatẽ, & hominem, nõ etiam uocabulũ reprehendere. Ipsi ergo mundius? qui cũ meum uelut plebeiũ contemnitis, pro patricio substituistis seruile, uel potius illegitimũ. Siquidẽ aduentare pro aduenire illegitimũ est ponere, ô absurdũ elegantiæ magistrum, quis te istud docuit? Certe uerã ex me discere significationem poteras in illis uerbis, quæ proxime antecesserant. Vnus speculatorũ subditis calcaribus anhelanti equo, & ipse anhelãs castra intrat, & ut cuiq; fit obuius, nuntiat hostes aduentare. Non quidẽ à se uisos, sed quos ex puluere uenire intelligat. Aduentare igitur nõ est aduenire, aut uenire tantũ, sed proximũ esse ueniendo. Fac. Mahumetani se habere uictoriã in manibus testabantur. Non Mahumetanos, sed Mauritanos uel Afros Hispaniæ incolas, appellare debuisti, & id esset elegantius. Lau. Etiam'ne Mauritanos elegantius est, quàm Mauros, ut usitatius Maure Panhormita. Ego ad istam imperitiæ uestræ particulam nõ esse Hispanos appellandos Mauros, uel Africanos iam respondi, & alioqui non Hispanos tantum significatos uolui, sed etiam ex alijs regionibus præsidiarios, qui eiusdem superstitionis essent. Ideoq; Mahumetanos appellaui, ut nostros, qui & ipsi ex multis regionibus unius tamen religionis essent, Christianos. Fac. Quandoquidẽ non statim paruerunt, dixit nõ relinquere, eis, nisi uestes. O elegantissimũ historiographum, puer adhuc ad grãmaticum proficiscens, ista profecto nõ incultius diceret. At ita tibi uerba deficiunt, ut aliter dicere nescias. Quanto elegantius si dixisses. Quòd uero nõ statim primo imperatoris edicto in deditionẽ uenerant, cũ singulis tantũ uestimentis abeundi singulis potestatẽ fecit. Præterea quòd in uestes uestimenta mutasti. Lau. Esto uestes dixerim, quid? absonum hoc inusitatumq; uocabulum est? O

te & ueste indignum, & cibo, qui hæc duo de rerum natura uis tollere: atqui ut de quā pueriliter locutus existimari debeā, nisi quēuis historicorū ueterum mea uerba deceant, nō abnuo puerilia esse, oppidani quibus denunciatū erat, nisi se dederent, extrema passuros: si dederent, cū omnibus quæ quisq; ferre posset abituros. Primū se imperata facturos negauerunt. Deinde ubi tantam manū circūfundi uiderunt, se obtemperaturos dixerunt. Quibus responderi iubet imperator, Quandoquidē non statum paruerunt, se nō relinquere eis, nisi uestimēta: sin punctū temporis in pertinacia, præstiterint, ne libertatē quidem relicturū, nec de nece etiam fore securos, hoc terrore permoti, sese dediderunt, oppidum uero militibus ad direptionem cōcessum. Tu hæc elegantius dicere tentasti, quod equidem te præstitisse profitebor: nisi in singulis quæ mutasti uerbis erraueris. Quòd uerò pro quandoquidē posuisti, cum persæpe patet quàm ineptum sit, tum uero ex ipsa serie quæ hæc est. Quibus responderi iubet imperator, quòd uero nō statim &c. Mutasti ergo non modo bonum quod non oportebat, sed etiam malū. Primo edicto, duo uerba totidem uitia: nam edictum appellare pactionis uerba cum hoste, dementis est. Cum sciamus edictum esse principis, aut consulis, prætoris'ue ac præsidis aduersus subditos, & proprie scriptum, & primū nominare, cū alterum nō sequat̄ superfluū est: nā fecisse potestatē abeundi nō habet edicti formā, aut denunciationis. Fac. In deditionē uenerant. Et hic duo uitia, unū improprietatis siue imprudentiæ. Quis enim ad illos, qui in eo sunt, ut statim ueniant in hostium potestatem, dicat, uolo ueniatis in deditionem, & nō potius uolo uos dedatis. Alterum grāmaticę uenerant, pro uenerint, quod nullus grāmaticę paulo studiosior puer dixisset. Lau. Cernis, ut puerilitatē à me in te transfero. Fac. Cum singulis tantum uestimentis abeūdi singulis potestatem fecit. Lau. Quinq; uerba sex'ue mutata totidē uel plura uitia: Nam cur cū singulis uestimentis, quod synceritas historiæ non habet, cur cū singulis? Quasi nō potuerint abire, cū binis, quemadmodū superius narratur, ut cum binis uestimētis demigrēt, qualia multa sunt apud historicos exēpla, pręterea tantum ociose positum est. Item ociose singulis, cum præsertim non singulis, sed uniuersis minatus sit imperator, abeundi cur dixeris non intelligo, cum à me non memorentur eiecti oppidani, sed tantum direptum oppidū. Potestatem quoq; facere, plusquā stultissimum est dicere, cum hoc nihil aliud sit, quàm indulgere muneris loco, alterius arbitrio. Nunc non indulgebatur, ut tu uis abitio & fuga, ut migrarent si uellēt, sed imperabatur atq; extorquebatur inuitis. Et ais fecit potestatē, ille uero nō fecit, sed promittebat se facturū potestatē. Animaduertis, cū in me nihil reprehensione dignum sit, in te reprehensore meo, plura esse peccata quàm uerba. Fac. Quibus de tertia uigilia receptis cōscensisq;. Et hoc quoq; improprie. Neque enim dici potest, equos ab illis receptos fuisse, qui nō uenissent in hostiū potestatem, cū recipere recuperare sit, uel periculo liberare. Cicero in Catone maiore: Nam nisi amisisses, ego nonnunquā recepissem. Vergilius, Frugesq; receptas. Et torrere parant flāmis &c. Lau. Quid præcipue in hac pecude coarguā? stultitiā'ne, an calūniā, an imperitiā, an uecordiā? Stultitiā quidē, q̀ cū exponat recipere esse, uel recuperare, uel periculo liberare: negat equos receptos, quia nō uenerint in hostium potestatem, hoc est, quia non sint recuperati. Quid si periculo liberati, ut certe fuerunt? sed esto non fuerint: Cur tuæ interpretationis, tam subito te cepit obliuio? Cur, tanq̄ cōsequens sit ac necessariū, collegisti: si recuperati nō sint, receptos dici nō posse? nō addēs illud, nec in periculo fuissent. Sed uidelicet id addere manifestæ calumniæ erat. Licet id significatum uelis, ut nō recuperatos, ita nec liberatos periculo fuisse, cum ego sic scripserim. Verum cū equos inedia ac labore cōfectos, & præsertum nocturno ignotoq; itinere adi-

gere uix possent, delituerunt in colle quodam, equis in prato, ut quiescerent, pascerentque, alligatis. Quibus de tertia uigilia receptis cōscensisque. Nunquid minori in periculo fuerunt fruges, quæ nunquam domini reliquerāt, quam equi, quos domini uicti fugientesque dereliquerant? Vides stultissime calumniator, ut ex tuis te uerbis cōuinco? Vides ut tibi ipsi nō constas? Vides ut significatum uerbi, quod docere uis, ignoras? An nō legimus recipere ferrum pectore, recipere pecunias, recipere alimenta, recipere doctrinam, recipere quod suū est, recipere se domū? Vnde receptores dicti sunt, & receptui canere. Liuius lib. 35. Recepti deinde ab ijs, ut necessarios hospitesque alloquerentur. Et in 36. Et quod nihil in Annibale auxilij ad receptos in fidem tuendos esset. Et in 27. Ea primum captus est murus obuiantibus recipientibusque Bruttijs, & transcensum in urbem est. Lucius Florus de Sexto Tarquinio ad hostes se conferente ait: Cui à Fabijs ut uoluerat recepto. Cæsar cōmentariorum 7. Copias omnes, quas pro oppido collocauerat, in oppidum recepit. Sed quid exemplis in re apertissima opus est? tuo potius ad iudicandam uecordiam tuā utar: Non'ne tu posterius his uerbis scribis? Si rex me rursus recipiat in eius gratiam. Cur igitur ô bipedum nequissime non dicantur eadem ratione hi recepisse suos equos: Audi nunc quid uir facūdissimus Asconius Pedianus scribat, super locū illum Ciceronis in Verrem? Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror. Suscipitur totum, recipitur pars: suscipitur aliquid propter se, recipitur propter aliud. Addam quàm differentiam Plinius inter recipit, & accipit notat, inquiens in 4. Hac labitur Peneus, uiridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium cōcentu, accipit amnem orcon nec recipit, sed olei modo supernatantem; ut dictū est ab Homero, breui spatio portatū abdicat: pœnales aquas dirisque genitas argenteis misceri recusans. Fac. Reliquas uirilibus partibus inter se diuidendas censuit. Virilibus partibus nunquam legi, quod meminerim, nec Latine puto in hanc sententiā proferri posse, sed uiritim & æquis portionibus crebro reperiri. Pro uirili enim parte idem est, quod pro uiribus meis. Lau. O Panhormita qui te Iurisperitum uocas. Nam de Fatuo qui parum legit, qui minus meminit, qui minimum quod est putat, nō miror, tu nunquam duntaxat in Iure ciuili legisti uirilibus partibus, siue uirilibus portionibus (nam idē pollet pars & portio, ut pro uirili parte & uirili portione.) Vlpianus 38. digestorum Iustiniani lib. de hæred. instit. Hæc adiectio declarat omnes ex uiribus partibus institutos. Scæuola lib 21. de legatis, & fideicom. II. pro partibus hæreditarijs, non pro partibus uirilibus. Iustinianus codicis lib. 3. titulo fami. hercis. Inter filios ac filias bona intestatorum parentū pro uirilibus portionibus, æquo iure diuidi oportere, explorati iuris est. Idem lib. 6. Vnde legitimi, & unde cognati, nepotibus aui materni pro uirili portione, etiam iure honorario successio defertur. Quid plura exempla? Cum Iustinianus ipse sermonem hunc exponat, & uiceuersa per ipsum exponat. Quorum unū est lib. 6. de cad. tol. Manere hoc apud enumeratas personas sancimus, omni modo pro uirili portione, id est, pro numero personarum. Alterum institut. lib. 2. de inoffic. testa. Vna quarta eis dari possit, ut pro rata distribuatur eis, id est, pro uirili portione data quarta. Nunc ut ad te Fatue reuertar, quo autore diffinis, pro uirili parte, esse pro uiribus? nam mox stulte addidisti, cū idem sit quod quantum est partis unius, siue quantum spectat ad unum uirum, siue quantum præstari debet ab uno uiro. ut Quintilianus: Habes Marcelle uictori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuare posse per nos uidebantur. Et quia dixi hoc pollere, quod pro uirili portione. Idem alio loco: Militem, hoc est, plus quàm uerum. Iamiam'que in acie staturum, cui pro uirili portione salutem suam patria commisit appellas? Liuius, Hæc impensa grauis est, cum

eam plus q̃ pro uirili parte, quę́q; capere principem uident. Cicero in Philippicis: Tũ me eius beneficio, plus q̃ pro uirili parte obligatũ puto. Idē in Verrē. Est aliqua mea pars uirilis. Et Liuius: Illius gloriæ pars uirilis apud omnes milites sit, qui simul uicerunt suæ uictoriæ neminē omnium mortaliũ sociũ esse. Non'ne palã est partē uirilem esse eã quæ uirũ contingit? Nã pro uirilibus ut intelligas errorem tuũ, est pro suis quisq; uiribus, quod aliter dicit, pro se quisq;, ut Vergil. Pro se quisq; uiri summa utũtur opũ ui. Fac. Iubet bombardarũ ictus emittere. Elegantius multo si dixisses, iubet tormentis muros quati: quod uerbũ à maioribus usitatũ, etiam in cõsuetudinem uenit, cũ sit generale uocabulũ omnium machinarum bellicarũ ingentia saxa torquentiũ. Lau. Vsitatũ inquis maiorũ uocabulũ fuit tormentũ, quasi de hoc nunc agatur, at nõ in hunc accipiebãt illi sensum. Posteris quos iuniores uocas, in cõsuetudinem uenit, quasi negem nobis esse utendũ. At noua res nouũ uocabulum flagitat, generale illud est machinarum saxa torquentiũ, quasi non inopiæ remedium sit ad generale confugere, uelut ad mutuũ. At ego peculiare & proprium quæro. Nec tamen quæro, sed à plurimis in usum recepto utor, eo quidem audacius, q; tormenta è lignis compacta erant, unde tormenta dicta, quibus homines torquebantur, quæ lignea fuerint. At hoc de quo agimus diuersæ multũ & materiæ, & figuræ, & actionis est, nec torquens saxa, sed expuens cum ardore & sonitu. Ideó'q; compositũ eius nomē ex ardeo, & bombus, Græco quidē, sed iã pro Latino apud multos autores usurpato, quorũ sunt Columella, Plinius, Apuleius, Macrobius, præter poëtas quorum sunt Lucretius, & Persius. Quominus debes despicere, ut ineptum. Nimis longum sit: si enumerem noua à posterioribus excogitata nomina, nouis rebus accõmodata, ne cæteras scientias artesq; enumerem in ipsa re militari, quale est apud Vegetiũ Matiomarbuli & obiæ telorum genera, ueteribus inaudita, aspectu incognita. Et certe nihil iniquius est, quàm ad generalia semper, & impropria cõfugere, & hanc uerborũ inopiam pati malle, quàm suum (ut quæq; res nascitur, sicut in hominibus fit) attribuere nomen, & ingeniosum inuentum propriæ appellationis honore fraudare. Multa in hanc rem repeti possunt ex oratoriæ artis præceptoribus, sed Horatio contentus sum, qui ait:

Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas.
Multa renascentur quę iam cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore uocabula, si ualet usus.

Deniq; libellum, de nouis rebus antiquitati prorsus ignotis condidi, ubi de hac quoq; feci mentionem, testatus necesse scriptoribus esse, uti ipsarum rerũ uocabulis iã usu receptis. Ex quo cõstat id quod feci cõsilio, arte, necessitate, publica autoritate fecisse. Fac. Vt uenator fecit, qui dispositis per diuersa loca retibus, interdum plus prędę nanciscitur, ubi minus opinabatur. Et hoc quoq; uerbo nanciscit imprudenter usus es, sicut etiam alibi. Nanciscitur enim qui acquirit, nactus uero qui inuenit: nec est mirandũ cum fruor quoq; fretus eius participium, & adipiscor atq; adeptus significato differant. Fruitur enim literis qui fructum ex eis capit, fretũ uero alieno consilio confisum dicimus. Lau. Satis abũdanter tibi superius de hac re satisfeci, nunc tantũ dixerim, fruor non significare fructũ capio, sed uoluptatē: nec fretũ pro consilio tantũ alieno cõfisum, sed interdũ suo: nec tantũ pro consilio cõfisum, sed nõ nunq̃ uiribus, doctrina, amicitia, cęterisq; id generis. Fac. Vt qui uagi palantesq; persequētibus hostibus abierant, longius uestigia nanciscũtur. Iterum in eundē errorem incidisti indocte. Lau. Fateor me indoctũ, nisi te indoctissimũ probaui. Fac. Et odia conciliationē recipiunt. Reconciliationē dicere debuisti, nobilis grãmatice. Cõcilior enim

regi

regi exempli gratia, si illi ignotus in eius gratiam uenio. Reconcilior aũt regi, si qua de causa mihi iratus, deposita ira me rursus recipiat in eius gratiam. Lau. Cur te infelix elebro nõ purgas? an expectas dũ Hippocratẽ ad curationem tui uocemus, sicut ad curandũ Democritum Abderitę fecerunt? Et illũ quidem sanę mentis, ut Hippocratis & ipsius literis constat, ciues sui sanatũ uolebant: te uerò planè insanum ac furiosum, ciues tui nõ alligant, nec ad medicum trahunt. Ais reconciliationem fuisse dicendũ, non conciliationẽ, quasi de is qui ex amicis ini mici facti sunt sentiam, & de omnibus qui inter se odia gerunt. Fac. Inuidia nullo pacto conciliari potest. In idem uitiũ imprudens iterũ incidisti, reconciliari enim, nõ conciliari potius dicere debuisti, sed melius & magis propriæ mitigari & sedari. Lau. Iterũ dico cur te nõ purgas elleboro? Quomodo potest inuidia reconciliari, cum de odijs dicatur reconciliatio, & tamẽ inuidia pro inuidis ponitur, ut odia pro ijs qui odia gerunt. Horũ animos nõ reconciliandos, quia nec amici forsitan nec inimici fuerunt: nec mitigari ac sedari, quia irati fuerunt, sed cõciliari nobis dicendũ est. Fac. Et hoc peius nocere potest. Neq; eleganter neq; recte dictũ, non enim peius nocere, sed grauius uel uehementius potest. Lau. Quantũ pręstaret, si apud me ageres discipulum, q̃ magistrum. Nam hæc in elegantijs exẽpla protuli cũ de bene & male præciperem, quæ crebro pro ualde ponuntur, ut de peius. Cicero de oratore: Habetis orationẽ bene longã. Plautus in aulularia: Nimis male timui. Cicero in Bruto: Addebatq; etiam, idq; ad rẽ pertinere credebat scriptores illos male mulctatos, id est ualde, & quasi bene mulctatos, sed in malũ suum. Ideoq; nõ bene dixit, sed male. Idem in Philippicis. Quo neminẽ ueterum peius oderunt. Terentius in Adelphis: Illud rus nulla causa tam male odij, nisi quia prope est. Ouidius Heroidũ: Peius adulterio turpius adulter obest. Igit̃ idem est peius obest, quod, peius nocet, id est, magis & uehementius nocet, nõ modo recte, sed etiã eleganter dictũ, quod tu prauus & barbarus ignorasti. Fac. Vbi sub oculis hostis fuit, q̃ occultissime poterant subsequuntur, ut lateant credentẽ se latere alios fallantq; cum fallit. Pædagogicus sanè & obscurus sermo, quẽ non emendaui: quoniã talis est, ut ne Oedipus quidẽ qui sphingi interpres fuit, illũ si reuiuiscat intelligat. Lau. Nunquid Pædagogicũ est, nõ intelligẽter loqui, & perobscure? Quod si ita esset, tu profecto omni tua uita Pædagogus intelligere deberes. Quẽadmodum est in ueteri prouerbio, balbos balbi intelligunt. Nefande, hęccine perobscura & ænigmatica sunt uerba? Hos barbari eqtes cũ uiribus freti, tũ improuiso aduẽtu sperabãt se oppressuros, interceptaq; re frumẽtaria stationẽ retẽturos, usq; dum, aut rex auxilia misisset, aut sibi aliàs manere cõducibile uisum esset. Obseruato itaq; tẽpore per occultos, transuersosq; tramites eunt, inuestigaturi eorũ iter, idq; odorati, mittunt breuiori uia ad stationarios imperiũ, docẽtq; quid acturi sint. Ipsi coacto raptim suorũ globo uestigia insequi instant, & ubi sub oculis fuit hostis, q̃ occultissime poterant subsequunt̃, ut lateant credentẽ se latere alios, fallantq; cũ fallit. Quid hic Oedipo est opus? Cum enim hostis latere uult eos qui in statione erant, ut incautos opprimeret, alia Christianorum manus à tergo insequens cum latuit, uolentemq; fallere, fefellit. Quale est apud Iustinum: Itaque insidiæ in insidiatorem uersæ, & qui se securum aggressuros putabant, ijs securis in itinere & peruigilio noctis fatigatis occursum est. Tu uero elegantius, qui Oedipum sphingi dicis interpretem fuisse, quia unũ sibi propositum à sphinge soluit ænigma, Verũ quandoquidẽ nescis Oedipus esse, consideres an sphinx potius sis, qui mihi uelut iter facienti occurris, & uerborum nectis ambages. Et ego tuus Oedipus non modo sapientior te, sed etiam fortior, qui te grassantem in uiatores mea manu cõpescam. Fac. Inflato torrenti. Melius, aucto imbribus.

Lau. Quid de Liuio sentis, qui ait? Vulturnus amnis inflatus aquis & preceps, Nolanorum, atque Acerranorũ agros tenebat. Hoc in 23. Idem in 41. Sed quia profectos ab domo inexplicabiles continuis imbribus uiæ, & inflati amnes tenebant. Fac. Vt illi loquuntur duabus leugis. Hoc modo uulgaris loquitur, non illi qui se eruditissimos profitentur. Lau. Imò hoc modo fatui reprehendunt. Non'ne ut Cicero, Quintilianusque præcipiunt, quia durum uidebatur hoc nomen, temperaui ea præmunitione, ut illi loquuntur, quod satis erat ad inauditum, & barbarũ uerbum molliendũ? Nunc nec barbarum, nec inauditum est: ut cæteros omittam, audi Hieronymum in Ioël dicentem: Nec mirum, si unaquæque gens certa uiarum spatia suis appellat nominibus, cum & Latini mile passus uocent, & galli leugas, & Persæ parasangas, & rastas uniuersa germania, atque in singulis nominibus diuersa mensura sit. Vulgus'ne minutissime minutorũ, an doctissimorum usum, autorem habeo? Non'ne Xenophon Græcè scribens, itinera dierũ parasangis metitur? cur ita? quia de rege Persarum, & suo illinc reditu scribit. Sileamus Græca, quę tibi ne degustata quidem sunt: nõ'ne Curtius, quod ille Parasangis, ipse stadijs facit? quia Alexandri Macedonis gesta referens Græco nomine, quod & Macedonum est, significandum putauit: ita ego Hispano de Hispano principe loquens. Est aũt nomen hoc Galliæ quidẽ natiuum, sed cũ Hispanis illi cõmune. Fac. Taceo illud, portentosa mendacia. Quod portenti similia, aut certè portẽtuosa sicut monstruosa dicere debuisti. Lau. Duo reprehendis, insolentiã nominis, & formationẽ: de secundo prius agendũ, de quo ita accipias, sic dici portentosum ut lutosum, cœnosum, damnosum, lucrosum, uitiosum, & cætera infinita. At enim dicimus monstrosum. Nunquid plus unũ in analogia pollet exemplũ, quàm infinita? Sed ô unicũ Prisciani exemplar: Nunquid ex eo didicisti in monstruosum inesse u, quæ in solis declinationis quartæ nominibus interponitur? quod ego in elegantijs tradidi, ut luctuosus, quæstuosus, sumptuosus. In secundæ uerò minime, ut ramosus, dolosus, lacertosus: quod certius fit, in neutris exeũtibus in um, quæ nunquam sunt quartæ & semper secũdæ. Ergo monstrosum trisyllabũ est. Exigis preter præceptũ analogiæ autoritatẽ? Certè nulla esse nisi ex poëtis potest. Ne forte librarij culpã causeris. Lucanus, Monstrosique hominũ partus: hoc tu Panhormita poëtarũ decus, nõ animaduerteras, animaduersurus si quidem in lasciuo poëta fuisset. Sed hoc leuius, quippe quod ad ortographiã pertinet. Illud grauius, quod prius reprehendistis, emendantes hoc nomen tanquam insolens, quod ô cæcum liuorem, non meũ, sed Plinianum est: quoque pro illius, nõ pro meo sum usus, inquiens: Quæ ne longius reprehendã, sat erit Plinium audire, qui de naturali historia ait, Vniuersa aũt quæ de Hercule, ac Pirene, uel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror: quæ iterũ appellat portentosa græciæ mendacia. An desideratis aliunde exẽpla? Cicero pro domo sua. Hũc tu portentosa pestis exulẽ dicere ausus es? Et in secundo de diuinatione: An uerò illa nos terrent, siquando aliqua portentosa, aut ex pecude, aut ex homine nata dicunt? sed quid ago quasi Plinio patrociniũ pręstare debeã, qui hoc uocabulo usus est, nõ ego, itaque desino repetere exẽpla. Illud uobis dictũ uolens paucissimarũ literarũ lectione cõtentis, quia apud Ciceronẽ pro Ligario: Portẽti simile est quod dicã, existimastis nunquam apud eundẽ, imò apud aliquẽ reperiri portentosum, quod sic est quadrisyllabũ, ut mõstrosum trisyllabũ? Et illud, ob factiosam potentiã, quod ob factionẽ & potentiã. An uis factiosum nõ inueniri sicut portentosum? An idẽ esse ex factione & potẽtia, quod factionẽ & potentiã? Fac. Et illud, duæ Hippagines, quod duæ actuariæ, uel uectoriæ naues. Lau. Quid te imperitius, qui & Hippagines reprehẽdis, quas Põpeius Festus ait esse naues, quibus equi uehuntur, quas græci ἱππαγωγοὺς uocant, & pro illo actuarias uectoriasque

riasq́ꝫ substituis, quorũ secundum aut nõ inuenitur, aut inusitatũ est. Cũ apud cõmentarios Cæsaris semel pro actuarijs scribatur Vectorijs, quæ falsa te scriptura decepit, ubi minus errasses si legisses gerarijs: ut Plautus in Mercatore, Aedificat nauim gerariam, & merces emit. & primũ multum differt ab ijs nauigijs, quibus equi transportantur, quod intelligas, licet, ex uerbis Marcelli libro digest. Iustiniani 48. de capt. & postl red. ab host. Nauibus longis atque onerarijs, propter belli usum postliminiũ est, non piscarijs, ut si quas actuarias uoluptatis causa parauerunt. Nonius quoque Marcellus exponit inquiens: Actuariæ nauiculæ celeres dictæ, quòd cito agi possint. Sallustius tertio historiarum. Ad hæc piratica actuaria nauigia, Sisenna: Quibus occisis, actuarias ad uiginti milia, & cõplures onerarias incendunt. Fac. Et illud poëticum, Acre præliũ surgit. Quod oritur dicendũ fuit eleganter scribendo. Lau. O caper, ne dicã capram, qui fieri potest, ut quia poëtice quid dictum, sit inelegans: quasi poëtæ cæteris scriptoribus loquãtur incultius, & non potius excultius? Est'ne poëticum? profer agedum aliquem poetam sic locutum? Est'ne poëticum? num magis prælium exarsit, quàm accensum est? non opinor. Atqui sæpe legimus bellum exarsit, & pugna atrox accensa est: etiã in prosa. Licet, ut ait Quintil. Historia quasi carmẽ solutũ est. Estne poëticũ, & supra prosam orationẽ? At ego dabo tibi ex quotidiano usu exemplũ. Si exurgat aduersus me præliũ, in hoc ego sperabo. Fac. Præterea & illud: Hac carne se exercitus ea nocte, quã peruigilẽ comessando & perpotando duxit, in præteritũ pauit. Quod est præter historiæ dignitatẽ. Lau. Quid ita præter historiæ dignitatem duntaxat in uerbis de quibus agimus? quid in sensu ab historiæ natura ac consuetudine alienum, infelix calumniator? Fac. Et illud: Magis impie magisq́ꝫ inexpiabiliter grassatur proditio. Quod ieiune & aride à te dictum est. Lau. Eo'ne inquisitionis progrederis, ut de ieiunitate & ariditate agas? modo saturare orationẽ & saginare, seu locupletare me doceas, hoc nõ facis. Quanquã, quid ieiunitas ariditasq́ꝫ ad elegantiã? Quomodo ẽ singulis uerbis elucet ubertas dicendi uel synceritas? Quomodo, ut ad literã uerba subijciam, ieiune arideq́ꝫ differui? Qui ex tanto & tam præsenti discrimine erepti animos tollebant, ferocioresq́ꝫ, quasi uicissent, se ostentabant, deum pro ipsorum causa pugnare iactabant, Nam numẽ affuisse, non casum aut fraudem intercessisse existimabãt, omnino nusquã magis impie atq́ꝫ inexpiabiliter proditio grassat̃, q̃ in bello cõtra religionis hostes. Vbi quæ sibi successerũt prospera, scelere nostrorũ, ea diuinitus euenisse interpretant̃, tegente proditione: in posterũ q̃q́ꝫ tempus eo qui ad prodendũ nostros solicitauit, atq́ꝫ induxit. Hæccine tibi uident̃ esse dicta ieiune & aride? uir digne patibulo, qui alia uerba subtrahis, alia cõmutas, qui dimidiatũ sensum profers, ne uere iudicare possint ij, quos de hac ipsa re uis iudicare? Fac. Et illud propter dissuetudinẽ rusticorũ ab agris. Quod propter intermissam agrorum culturam dicendum fuit. Lau. Qasi uero nisi uno tantũ modo quid eleganter dici nequeat, cum superius isto modo locutus sim, quẽ modum tu imprudentissime uis esse mihi ignotũ: uarianda fuit figura dicendi. Et nihilominus aliud est intermissam esse culturã. Nam potest intermitti illa, non migrantibus rusticis, ut freqũeter euenit metu latronũ, aliud rusticos diu abesse. Quod ego significaui inquiens: Cũ in agrũ hostilẽ peruentum est, magna uis ferarum excitata est ẽ cõsuetis locis propter diutinam, ut fit in bello, dissuetudinem rusticorum ab agris. Fac. Et illud: Fugæ atque exterritæ, quod præpostere protulisti. Lau. Hoc neq́ꝫ ad elegantiam, neq́ꝫ ad dignitatẽ pertinere, ut superiora quoq́ꝫ & sequentia pleraq́ꝫ, taceo: tantum dico an uere reprehendas ex ipsa uerborum inspectione constare, quæ hęc sunt: Quæ feræ ab agmine armatorum in quod inciderant fugientes, cum in aliud & sub

inde

inde aliud fugatæ atq; exterritæ hominū uociferationibus, tandē cōficiebantur aut uiuæ præsertim defessæ fugitando in potestatē multorū manusq; ueniebant. Nōne prius fugatæ sunt q̄ exterritę, & hoc ipso exterritæ, q̄ fugabant, præsertim defessæ? Nō enim dicunt timentes, quasi sua sponte, sed ab alijs territæ atq; exterritæ fugantibus ac uociferantibus, nisi uis, ut hebes es & inscius, post quàm fugere cœperant, non potuisse exterreri. Fac. Et illud. Ab agmine armatorum fugientes. Quod, agmen fugientes, dicere honestius fuit. Lau. An fugere ab hostibus, fugere à dominis, fugere à loco, inusitatus est sermo? Cicero de senectute: Libenter enim istinc, sicut ab agresti, ac furioso domino profugi. An quia fugere, utputa à domino, significat apud dominum fuisse? ut ita sit, non'ne apud armatos feræ uideri possint fuisse, cum dicantur in illos identidem incurrisse? Fac. Et illud. Ad capiendam uenationē. Quod dicendum erat ad capiendā prędam. Sileo q̄ elegans sit aues appellare exercitus prædā. Lau. Infinita exēpla sunt ubi uenatio pro re q̄ uenando capimus usurpat̄. Liuius: Apud quē solstitiali tempore comite, accepti cū miraremur unde illi eo tempore anni tam uaria & multa uenatio. Cornelius Celsus de medicina lib. 1. Venatio duriq; pisces, & ex domesticis animalibus assa caro maxime iuuat. Et alijs cōplurib. in locis. Quintilian. Quod omnibus nascit̄ industriæ præmiū est, sicut uenatio & aucupatio. Frontinus: Venatione q̄ꝗ & pecoribus quidā literas mēbranis mandatas. Paulus de act. empt. & uend. Veluti cū futurū iactū retis à piscatore emimus, aut indaginē plagis positis à uenatore, uel patheram ab aucupe. Idē de hæreditate uel actione uendita, Nec enim alea emitur, ut in uenatione. Vides ut iactū, ut indaginem, ut aleam uendi dicitur, ita etiam uenatio haberi, comedi, præmium esse, mitti, emi? quod etiam capi? quod adeo planum est, ut etiam legamus in Genesi: Isaac filio suo sic iubentem: Affer mihi de uenatione quam cepisti. Fac. Et illud, Mœnia includens. Quod, urbē circumsidens dicendum fuit. Lau. Hęc mea uerba sunt. Eumq; fossa primū & uallo, in sequentibus diebus per ociū muro ac maceria ad staturā hominis circūdedit. Idē ferè in inferioribus. Ferdinandus munitionibus quantū dabatur mœnia concludens, crebra nunc huc nunc illuc oppidanorū eruptione opus distincte à tergo partim iuncti Carri claudebant, partim fossa & uallū. Est'ne igitur hoc circūsidere mœnia an concludere, impudentissime Thersites? Fac. Et illud. Alij totidē latebant. Quod absq; ea particula alij proferri debuit. Lau. Quid? non possunt alij esse, & nō totidem? Sed ne multis audi Horatium: Mille talenta rotundentur totidem altera, porrò Tertia succedent. Fac. Et illud. Alibi effusa fuga, alibi confusa fuga: Quod confuse protulisti. Lau. Bis'ne ego fuga dixi scelerate, an semel sic? Iam omnis ex inferioribus castris exercitus se proiecerat, & alibi effusa, alibi confusa fuga petentem tuta hostem inuenit. Tu tu falsariorum impudentissime confusum sermonem reddidisti, si tamen confusa potius huiusmodi q̄ parū tersa habenda sit oratio. Tu itaq; eam inquinasti, idq; malitia non errore. Nam deum testor, qui & tui facti & mei testis est, atque iudex, mirari me, quomodo errare potueris, ut bis fuga legeres, quod semel est scriptum? Fac. Omitto & illud, Ad certius explorandum. Quod ad explorandum tantūmodo dici debuit. Lau. Quid si explorauerunt quidem missi qui missi erant, sed imperator exigit explorari diligentius? non dicemus certius explorari, nisi stoicari uolumus, ut nihil uero sit uerius, nihil bono melius, nihil perfecto perfectius, nihil certo certius: dij te perdant, ut Regulus dixit, Simia Stoicorū. Quod si ad cōmunem loquendi cōsuetudinē fari uolumus, quis hunc sermonē reformidet? imò quis reformidauit unquā? Liui. lib. 3. Speculatores mittendos cēsere, qui certius explorata referāt. Et in 10. Et quanquā similia ueris erant, certius tamē exploranda ratus dimittit

equites

equites. Quot iã locis, cũ detrahere mihi uis, summis & immortalibus uiris detraxisti? Fac. Et illud: Poscentium misericordiã. Quod ueniam petentiũ dicere debuisti. Lau. Vt proxime Liuium, sic nunc, Ciceronẽ cum cæteris reprehendis, qui ait pro Milone: Quid restat igit nisi ut orẽ, obtesterq; uos iudices, ut etiã misericordiã tribuatis fortissimo uiro, quam ipse non implorat. Ego etiam repugnante hoc & imploro & exposco. Et paulo post: Eorumq; nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt: quàm qui illam efflagitant. Et pro Murena: Vestram fidem obtestatur, misericordiã implorat. Adde quòd indecẽs nomen erat hoc loco uenia, cũ non se peccasse, sed miserabiles esse illi faterent. Fac. Et illud: Cibum quẽ poterant, deinde quietẽ capiunt. Quod, deinde corpora curatum abeunt, dicendum fuit. Lau. Cur ais curatum abeunt? cum ego nõ significauerim abeuntes, sed manentes, his uerbis: Sicq; dispositis qui obsessos, & qui pecora in pascuis custodiebant, cibum quem poterant, deinde quietẽ capiunt, lucemq; expectant, tunc quid consilij ineundũ sit deliberaturi. Cur ubiq; deprauas aut uerba aut sententias meas? Præterea quid opus fuit ista emendatione? Certè quod aut quietem pro somno accipi negas, quo uerbo omnes libri scatent, aut capere somnum reperiri: quod cũ alibi, tum apud Ciceronem est pro Sexto Roscio: Somnũ statim capere potuisset. Nõ fuit igit causa cur uerba mea & latina, & nitida, & usitata mutares, nisi ut ostentares te tanq̃ elegantẽ: uir impudentissime, leuissime, ineptissime. Nam ut intelligas quanto in errore uerseris: qui uis curare corpora, idẽ esse quod dormire, ante curamus corpora, q̃ somnũ petamus: quinimo si quid differentiæ est inter hoc & cibũ capere, prius sit curare corpora. An non cũ lauamur, inungimur, cæteraq; naturæ necessaria facimus, corpora curamus? Si negas, audi Curtiũ: Protinus regi corpus forte curanti, qd index detulisset ostẽdit. Certe rex tunc nec cibo reficiebat, nec dormiens audire potuisset. Ergo aut lauabatur, aut simile quid agebat. Quod quale fuerit, ex loco illo eiusdem autoris apparet: Aegyptij Chaldæiq; iussi corpus suo more curauerunt, hoc de Alexandri cadauere, cum dicatur, palàm est etiam aliud quiddam esse curare corpus, quàm cibo reficere, quod in uiuis antequam cibus capiatur fieri debet, prout declarat alibi idem autor, cũ inquit: At ille thoracem adhuc indutus, nec ante cibo est refectus, aut priusq̃ ueniebat exercitus constitit: nec ante ad curandũ corpus recessit, quàm præterierant qui agmen ducebant. Perinde atq; dixisset, nec ante ad focillandum corpus recessit, nedum cibum nõ sumpsit, quod post focillationem fit. Nam de somno sentire stultum est, præsertim dicẽte Liuio: Corpora curare, somnoq; operam dare, ut primis tenebris conuenire ad signum possent. Iterum: Cæteris signum dari iubet, ut mature corpora curarent, quietiq; darent, nocte in expeditionem eundum esse. Quid multa? quàm ridiculum sit sentire idem esse curare corpus quod dormire, cum nihil admodum curent qui dormiunt? Interdum etiam ad cibos spectat, ut idem, Pedestris pugna par animi magis quàm uiribus erat, quoniam recentes Penus paulo ante curatis corporibus in prælium attulerat: Contra, ieiuna fessaq; corpora Romanis & rigentia gelu torpebant. Et alibi apertius: Curati cibo, corpora quieti dant. Nonńe propè mea uerba hæc sunt? Nonńe à curatione corporis somnus excluditur? Et tu me uis dicere debuisse, Cibum quem poterant capiunt, deinde corpora curatum abeunt. Cum corpora curare sit, ut iam concludam & te, magistrum meum doceam, atq; dedoceam, agere curã corporis uel cibo potuq; uel alijs quæ necessitas naturæ desiderat antequàm dormias. Fac. Et illud? A socijs uideri, ab hostibus non uideri possimus. Quod incomposite protulisti: Lau. Cur incomposite, uir prorsus incomposite? qui etiã ignoras quid sit cõpositio, de qua tanq̃ de difficillima parte oratoriæ artis, tam multa Cicero Quintilianusq;

lianusq́ præcipiunt. Nã tu de ea sentis, de qua idẽ Cicero nõdum satis perfecte loquit̃ in libris ad Herenniũ in XIIII. uerbis: Quos tu mihi libros ab autore suo non probatos uelut scholasticos, scholasticus ipse, semper ingeris & inculcas. Quo palàm declaratur te cætera multo potiora nescire. Fac. Prætermitto & illud: Sed tantus propriæ salutis metus. Quod dicendum erat, Sed tanta recuperatæ salutis lætitia. Lau. Quis credat ne plura respondeam stulto, pro lætitia metus, pro recuperatæ propriæ me dixisse? Nam emendare nil aliud est quàm testari, hoc non in illo modo fuisse illi quem emendas dicendum faciendũ'ue. Fac. Et illud. Aut ritũ pecudũ caprarũq́ mactabunt. Quod, ueluti pecudes caprasq́ mactabunt. Lau. Quid repræhendis? an quòd ritu pecudũ dixerim? At Liuius ait: Cibo uinoq́ raptim hausto repleti, ubi nox appetit, propè riuos aquarũ sine munimento, sine custodijs, passim ferarũ ritu sternunt. An quòd ritu ad suppositum refertur? Atqui idẽ nihil interesse demonstrat in apposito, inquies: Nos hic pecorum more per extimos saltus, deuiosq́ colles exercitũ ducimus: nã ritu pecorũ ut more pecorũ dici posse modo ostẽdimus. Sed quid aliud sentias? nescio: imò nec tu quidẽ scis quid aut loquaris, aut sentias, ut ineptus sim si ambages tuas discutere pergã, licet uteris tua natura cũ sphinx sis. Verũ ut uideo in hydrã cõuerteris: cuius excisis singulis, plura capita succrescunt. Itaq́ sphingi, Oedipus fui: hydræ, Hercules ero. Fac. Et illud poëticum. Conuoluens flãmeas pilas. Quod, late iactans incẽdia. Lau. Cur ita poëticum? Interroga eos qui me rem gestam edocuerunt, num fuerint pilæ flammeæ, quas in cœlum rapiebat incendium? Et sanè ex ipsa narratione quid ego significauerim euidenter ostenditur. Hæc enim sunt uerba mea. Nec uulgari igni, sed incendio agebat̃, cui aqua obsisti nõ potest. Is igitur coria ac cætera incẽdia adeptus, siue ipso humore aleretur, siue repelleretur, cũ horrisono strepitu cœlũ, quo sagittę mitti nequeãt, assiduo ferebatur, cõuoluens flãmeas pilas, humano capite maiores. Cur tu sycophanta hoc reticuisti, humano capite maiores? quod de incendio cõsueto me nõ dixisse manifestum est, ubi nihil simile pilę est: pręterea flãma & incendium ignis est, ut absurdum fuerit futurum ignis cõuoluens flãmam, in quẽ loquendi modũ ipse emendator incidisti, ignis actans incendia: in quo si nihil aliud, id certe uitijs qđ poëticum est id quod in me tu nescio an malignius an imperitius reprehendisti. Fac. Et illud. Sagittabat̃. Quod, dũ sagittis præcipue hostes incessabãtur. Lau. Hæc mea uerba sunt: Et in eos undiq́ ab oppidanis sagittabatur. Tu pro sagittabatur cõmutas incessebantur, quasi sagittare nõ reperiatur cum legamus etiam artem sagittandi. Pręterea cur uerba aut addideris, aut sustuleris, aut mutaueris, nũ calumnia magis an dementia fuerit, alijs iudicandũ relinquo. Fac. Et illud. Templum mugiebat. Quod resonabat, uel sonitu complebatur dicere debuisti. Lau. Hę sunt annotationes Panhormitæ, qui se poëtam uulgò nominat, qui si sciret, quisq́ licet oratori atq́ historico metaphora, non ita male instructũ in forũ ad iudices suũ Fatuũ dimisisset. Nolo de natura metaphorę imprę sentiarũ disputare, cũ nemo uel iniquissimus rerũ iudex sit (ni fallor) probaturus hanc translationẽ quam Fatuus calumniator deprauat, omissa parte uerborũ, quę hęc sunt: Multi in templũ multi in arcem cõfugerunt. Sed multo magis pręses arcis, quã deus, præses tẽpli, implorantibus opem tulit. Nam & auidius nostri rapinę gratia ad templum properarunt, & locum illum magis consentaneum talibus uictimis existimarunt. Natabant omne humano cruore pauimentũ, & gemitu morientiũ templũ mugiebat. Quid ergo mirũ, si ex confuso multorum hominũ gemitu templũ mugire dicatur, pręsertim ubi fit mentio uictimarũ? Fac. Omnia enim ista ut leuiora transeo. Lau. Sed ut ipse leuiter transirẽ non effecisti, homo leuissime. Fac. Sed de elegantię tuę uitijs satis in pręsentia dictum est.

Lau.

Lau. Cur paulo ante dignitatis fecisti mentionem, si tantum de elegantia agebas? Sed uelim doceas, quæ sint elegantiæ uitia. An uitiū illa est, uir nullius prorsus elegantiæ summæq; stultitiæ, dementiæ, ac malignitatis, in quo uidere licet id quod post homines natos in nullo contigit, contigisse ex propè infinitis erratis, quæ in opere quamuis nondum edito, uixq; dum condito, te probaturū pollicebaris, nullū hactenus probare potuisse. Sed cum hoc efficere niteris, nō in totidē, sed in quadruplo peccatorum numero esse conuictū, qualis etiā in sequentibus conuinceris, ut non modo pœnam talionis des, calumniator, uerū quę furibus pœna constituta est quadruplum fur ac trifur soluas.

Finis.

# LIBER SECVNDVS

## DE ERRATIS BARPTOLOMAEI FACCII, in notis, quas scripsit in Vallam.

Caput I.

SI præscriptum seruare accusatoris in respondendo uellem, non de uerbis nunc (ut hactenus feci) sed de sententijs disputarem. Iterū ad primam controuersiam, mox ad secundam, atq; identidem ad tertiam reuersurus. Nam in sequentibus inuectiuis ille prorsus quem instituerat ordinem, & si ridiculum ac puerilem, de elegantia ac dignitate deseruit, uerborumq; atque sententiarum uitia promiscue obiecit, quodammodo à se ipso deficiens, & ubiq; inconstantiæ stultitiaq; suæ pręferens signa. Hanc ego perturbationem ideo mihi non sequendam statuo, ut etiam, si iste ab instituto suo quod superius sæpe destituit, non destitisset, tamē omnia quę de uerbis opponit separatim refutanda existimarem, quo uelut corpori sua redderem membra, neq; uni tantū corpori, sed duobus, uerborum alteri, alteri sententiarum. Siquidem cum uniuersa quæ de uerbis, ex ijs quæ de sententijs obijciuntur, per me extrahentur, unumq; in agmen contrahentur, quæ reliqua sunt & ipsa unum sua sponte corpus & agmen efficient: stabuntq; seorsum atq; altrinsecus duæ quasi acies una peditū, altera equitū: cōtra quas ego meas copias, primum peditum, deinde equitum emittam. Sic enim quantum in utraq; acie roboris sit dijudicabitur, si milites non cum diuerso, sed cum simili militum genere: si non interrupto, sed continenti prælio: si non eodem tempore, sed distributo cōfligent: sicut iam aliquādiu pedites cōfligunt, & in medio certaminis ardore uersant. Et, nisi fallor, magna pars hostilis exercitus cōfecta uulneribus iacet. Quo magis festinemus quod superest peditū immittere, ne refrigescat pugna, ne stricti in dexteris gladij torpescant: ne uictoria, quæ in manibus est, diutius differat, felix faustūq; sequenti auspiciū. Hæc aūt sunt ex secunda inuectiua in secundum librum meū, ut differamus ultimum in locum, quæ ex hac cæterisq; in mores meos euomuntur. Prius tamen quàm eius obiecta pono, quæ in prooemio secundi libri peccauit, notabo. Fac. Tuū de illorū operibus iudicium friuolum & cōtemnendum esse, quos tum legis. Lau. Quos pro quæ positum est. Ad opera enim nō ad autores relatiuum hoc inspicere debet: quia libros nō homines legimus. Quòd si quādo tropice pro operibus noīamus autores, id ita demū fit, si libros noiare supersedemus. Nā quis, nisi demēs, ita loquaē, mittā ad te tragœdias Euripidis, quem emi, & non quas: secus aūt tropice sic, Euripidem quem emi

quotidie

quotidie emendo. Fac. Omnes qui summã autoritatem eorũ scriptis cõsecuti sunt. Lau. Simile est quod superiore libro repetij ex te. Si me rex rursus recipiet in eius gratiã: dicendũ erat suis scriptis, & suam gratiam: sicut ecõtrario illud: quod itẽ repetij ex quarta inuectiua. Fac. Quam tamen etsi impudens es, ipse negare nõ es ausus præsente rege: cum ego errata tua coram maiestate sua proferre cõtenderem. Lau. Nescis reciprocum hoc esse pronomen, dicendumq́ fuisse coram maiestate eius. Nam sic uulgò non bene literati loquuntur: ego dedi sibi: uis dare sibi librum: ego iui ad uillam suam: cum hoc pronomen ad eandem personam siue ad eandem rem faciat relationem, ut ille placet sibi, cupit sibi reddi sua. Vel intermissa altera persona, ut noluit me secum cœnare, orauit ut ad se ires: non autem (quod fuit uitium tuum) Orauit ut ad eum ires: noluit me cœnare cum eo: cupit sibi reddi quæ eius sunt: hoc etiam loco à te positum est corã, pro apud: sicut iterum superiori libro & econtrario apud, pro coram, inquiens: Coram inclyto rege nostro in tot clarissimorum procerum uirorum consessu, apud quos. Quam differentiam inter has præpositiones me promisi redditurũ, quod nunc faciam, potissimum ex Liuij uerbis: Ad ea Quintius; coram quibus magis, quàm apud quos uerba faceret, dicere Archidarium rationem habuisse. Est igitur apud aliquem uerba facere, tum ad illum habetur oratio. Coram uero, illo præsente uerba facere, & fortassis etiam adhibito. Tu autem cum regem alloqueris præsentibus proceribus, sicut iterum tu postea dixisti. Fac. Coram rege, coramq́ maiestate sua, & apud proceres, omniaq́ in libro tuo reprehenderam, cum libellum meum, &c. Lau. Quid ineruditius, quàm tres libros historiarum appellare librum, totidem tuos libellum? Item sex elegantiarum uolumina numero singulari nominare. Fac. Neq́ planè esse illegitimum ex patre cœlibe, & matre innupta. Cœlibem hominem puto dici, qui uitam cœlestem in terris agat, procul ab uxore & fœminæ concubitu. Tu autem illum ex cœlibe natum esse uis, quem si continentem appellasses, aliquanto magis proprie dixisses. Lau. Hic planè confiteris id cuius superius ex Quintiliano memi nisti, te nõ legisse, sed ex alio audisse, cũ & illud & hoc sit ex eodẽ libro & quidẽ primo. At enĩ ingeniose uisus est Caninius cœlibes dicere, quasi cœlites, quòd onere grauissimo uacẽt: idq́ Græco argumento eadẽ de causa dici affirmat: nec cedit Modestus inuentione. Nam quia Cœlo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos quia uxore careant ait. Hoc tu nunquam Fatue legisti, unde discere posses huius uerbi significationem? Quid? non aliunde infinitis ex locis scire poteras? de quo ego cum in elegantijs sic præciperem: Cœlebs tam est qui semper caruit uxore, quàm qui nunc caret. Inde cœlibatus. Nullũ subieci exemplum, tanquam de re parum dubia, quæ quoniam tibi est etiam ignota, nunc exempla subijciam: Plautus in Cassina, Sed utrum nunc te cœlibem esse mauis liberum, an maritum seruum, ætatem degere & gnatos tuos? Idem in Mercatore: Si quem scibimus, seu maritum, seu hercle adeo cœlibem scortarier. Ecce tibi cœlibes scortatores, qui uis eos esse utiq́ continentes. Horatius Epistola prima: Nil ait esse prius, melius nil cœlibe uita, Si nõ est, iurat bene solis esse maritis. Suetonius in Galbæ uita: Verum amissa uxore Lepida, duobusq́ ex ea liberis, mansit in cœlibatu: neque solicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem uiduitate, morteq́ Domitij: quæ maritum quoq́ adhuc nedum cœlibem Galbam adeo omnibus solicitauerat modis. Idem in Claudij: Confirmauitq́ pro concione apud Prætorianos, quoniã displicerent sibi matrimonia, permansurum se in cœlibatu. Et iterum: Quibuscunq́ aut cœlibatum, aut orbitatem, aut egestatem obijceret: maritos, patres, opulentos, se probantibus. En cœlebs marito oppositus, ut orbus patri, & egenus opulento. Quod congruit cum illo

Quin

Quintiliani: Clarus, an obscurus: magistratus, an priuatus: pater, an filius: ciuis, an peregrinus: liber, an seruus: maritus, an cœlebs: parens liberorum, an orbus. Iustinianus codicis libro 5. de donat. ante nup. & sponsa. Ea quæ tibi ut sponsus daturū se repromisit is qui te ficto cœlibatu, cum aliā matremfamilias domi reliquisset, solicitauit ad nuptias, petere, cum effectu non potes: cum tu sponsa, uxore domi posita, non fuisti. Sed quid plura exempla: profer tu pro te, uel unum & uiceris: nisi Pomp. Festū sequeris, sic scribentē: Cœlibem dictū existimant, quòd cœlo dignam uitam agit. In quo Pomp. suo more etymologiā attigit, nō significationem respexit, tanquā planam apertamq; omnibus, præterquā fatuis, qui in tanta exemplorū sylua, uenari nec unū sciunt. Cœlestis enim uita quibusdā putabatur grauissimo nuptiarū carere onere, quales ferè sunt adolescētes, quos Caninius quasi à deo dici uult. Nam continentem esse (ut ad opinionem ueterum loquamur) non est Cœlo digna uita. Cœlo inquam, uel patre Saturni, qui amissis genitalibus coactus est continere: licet cōtinentia uoluntatis sit, nō necessitatis. Vel cœlitibus, quorū nullus cōtinens fuit. Citius cū bestijs cœlibatū, quam cum cœlitibus cōmunicauerim, dicēte Plinio de colūbis: Nisi cœlebs aut uidua domum non relinquit. Quę res (ut scias quid Pom. senserit) nō modo diuina nō est apud ueteres existimata, sed etiā improbata, ut in lege 12. tabularū. Cœlibes esse prohibento: de quorum pœna cum Valerius Maximus, aliiq; nonnulli meminerunt, tum uerò Iustinianus in codice titulo de infirmandis pœnis cœlibatus & orbitatis. Et tu uis idem esse quod uirtutē cōtinentiam. Cui contrarium fecisti concubitum fœminæ. An sic Plinius? Idem de Essenorū gente, ait. Quā etsi cōtinentem, tamē cœlibem nō uocat. Gens sola & in toto orbe pręter cæteras, mira, sine ulla fœmina omni uenere abdicata. Qui sequit̄, multo intolerabilior est error. Fac. Vos appello uiri ut fortissimi, sic circūspectissimi Genuenses. Hūccine in numerum collegioq; uestrorū recipitis, quos cancellarios appelletis, tam hebetē, tam uacui capitis, tam mente captū, ut uelit filium natum esse homini, & ab uxore, & omnino à fœminis abstinenti? Lau. Et quia sic ego nō dixi: ponat in crimine: ut sic ipsi ac suo Panhormitæ ex uxore liberi procreentur. Fac. Prophetare tamen audere. Semper, ut uideo, in summa copia laborabis uerborum inopia: dic quæso, ubinam apud Liuiū, aut Cæsarem, aut Sallustiū hoc uerbū reperitur: cum historiā scribis, historicos imitari debuisti: qui diuinare, tum præsagire, tū uaticinari, tum ariolari dixerūt: ut unū è tam multis tibi in mētem uenire debuerit. Sed aliquid ecclesiasticū scribere reputasti. Lau. Bene quod meā uerborū inopiam insectaris, ipse tam locuples. Ariolātem'ne faciā potentissimū regē, dum suprema sua disponit: aut augurantē, aut uaticinantem cum ne diuinātem quidem facere ausim? Quod uerbū, ut Hieronymus in Malachiā ait, in malam accipitur partem in scripturis sanctis, quarum hic fuit obseruātissimus. Scythæ ergo regis ista tua uerba sunt, non Christiani. Quid si prophetare ille dixit? ego cōtra ueritatem historiæ faciam eum dixisse ariolari? Sed fac me accōmodasse personæ uerbū, quid interest quòd isti autores eo non sunt usi? quoniā prophetæ illis noti non erant. Vbi enim reperies apud eosdem ecclesia, episcopus, presbyter, diaconus, acoluthus, canonicus, papa? Vbi baptisma? ubi eucharistia? ubi schisma? ubi hebdomada? ubi synodus? ubi alia infinita? Quæ tamen à sapientissimis uiris è Græcorum fontibus deriuata sunt, non ut uestra fert opinio, ex Hebræis: quod si ex istis non possum proferre exempla, possum ex Græcis Homero, Hesiodo, Euripide, Sophocle, Eschylo, Aristophane, Platone, Aristotele, Theophrasto, Thucydide, Herodoto, Xenophonte, alijsq; quāplurimis, ut scias non imperitorum hæc, sed peritissimorū ue ustissimorumq; esse uocabula: & nunc, quod satis mihi est, in usu apud doctissimos quosq; sunt, ut nulla materia sit in quam non incidā, &

in primis historiæ, quæ maxime uarias personas res'q; continet. Et quod ad præ-
sens uocabulum attinet, quoniam gentilitatem ita adamare uideri cupis, à Græ-
cis prophetæ Apollinis dicebantur fatidicæ fœminæ. Et latinorũ Macrobius in-
quit in Saturnalibus: Sacerdotes Aegyptiorũ, quos prophetas uocãt. Verum ô
Panhormita, qui poëta uocari gaudes, iners ac hebes, nescis à Paulo appellari
poëtas græce quidẽ, quod latine non mutatũ? quod ad Titũ de Epimenide scri-
bit. Quidam prius eorum propheta. Ite nunc & huic detrahite uocabulo. Fac.
Nondũ à scurrando uacans. Verbũ illud scurrando rarissime usitatum est, & pro
obsoleto habendũ, ut puto. Lau. Quis tam inops mentis cõiunxit unquã usi-
tatum, quod est frequentatiuum, & rarissime, cum raro & frequenter inter se pu
gnent? perinde ac si quis dicat, raro frequenter studio. Sed sane sint eo usi rarissi
me autores, nónne satis est hoc mihi pro defensione, quòd usi sunt? at pro obsole
to ais habendum quanquã ne hoc quidẽ ais, sed pro incerto habes. Cur ergo al-
teri pro certo uitio obijcis? quod profecto nõ fecisses, si & Horatij meminisses,
incipiẽtis epistolã sic: Si bene te noui, metues liberrime Lolli, Scurrantis speciem
præbere professus amicũ. In'q; cõiuncta huic epistolæ Aristippus in Diogenem
loquitur: Scurror ego ipse mihi, populo tu. Et animaduertisses huiusmodi uer-
borum formandorũ, uel maximam esse licentiam, ut à scortum scortor à procus
procor, à poëta poëtor, à nuge nugor, à sycophanta sycophantor, à parasitus pa
rasitor, à uiaticũ uiaticor, à meridies meridior, à podagra podagror, à iuuenis iu-
uenor, à bubalus bubalor, à rusticus rusticor, à uillicus uillicor, à græcus pergræ-
cor, à fornix fornicor, quod est habere ac ductare in fornice meretricẽ, licet nũc
à plerisq; pro scortari usurpatur: et infinita huiusmodi penes optimos probatissi
mos'q; scriptores, ita à scurro scurror: q̃d si non reperissem, tamẽ ex proportione
fingere potuissem, sine ulla eruditorũ reprehensione. Fac. Quasi ficos edisset,
qui nondũ maturi erant. Sed bone grãmatice unde didicisti ficos masculini gene
ris esse? nescis ficos uel ficus pro fructu fœminino genere dici? Omnia'q; fructuũ
nomina, aut neutri generis esse, ut pirũ, malum, aut fœminini, quod genus nux,
glans, oliua, castanea. Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci: Dicemus fi-
cos ô bone Valla tuos. Lau. Hi sunt ioci Panhormitæ, hi sales: agnosco & ex
sententia, & ex uersu hominem. Differamus in suum tempus respondere contu-
meliæ, & quis morbus sit ficus, qui obijcit ignorat, nam plerunq; in barba est: &
si Panhormita, ut imberbium amator, ita ipse proprie imberbis est, uix ullis in fa-
cie interlucentibus pilis, ne dicam de uertice nullis interlucentibus capillis, toto
lucente quasi mortui calua. Sed uersus Martialis, ut est apud Priscianũ, suæ synce
ritati reddamus. dicemus ficus Cæcilianæ tuos. Sic Martialis, sic Iuuenalis (sic
inquiens, si uis aliam decerpere ficũ) sic usus dicendi magister, Quem penes ar-
bitrium est, & uis, & norma loquendi. Ecquid te pudet ista ignorare, quæ pueris
nescire turpe est? Ais sic: Martialis sic, Priscianus sic, Iuuenalis sic usus. Primum
inepte Priscianum, qui hęc præcipit, cum Martiale coniugis, qui poëta est: & eo
ineptius, quòd huius autoritate pręceptũ suum cõfirmat Priscianus, ut pro uno
testimonio hęc, nõ pro duobus haberi debeant: deinde cur à Martiale & Priscia-
no recedis, male recitans poëtę uersum? Cum enim inquit Priscianus & osten-
dit & uitium & fructum quartæ esse declinationis, genere autem differre: palàm
est te scripturã, siue stulte, siue malitiose corrũpere, nec sequi eos quos sequi te di
cis. Ad hæc si Priscianus autoritate quoque Martialis uult ficum demum quar-
tæ declinationis esse, quò mihi istam Prisciani Martialis'q; mentionem? ubi de fi-
cu, non de fico agitur: quò mihi Iuuenalem, quò mihi usum, & Horatij uersum:
quasi ego negem ficũ quartæ, generis esse fœminini: quia utor fico, quod tu re-
periri fateris? Vides ut fatue cõtra me argumẽtaris, ut fatuẽ Iuuenalem, & usum
de

de eadem declinatione in testimonium uocas, cum de alia sit dubium, ut fatue ficos ais generis esse, sicut ficus, fœminini: quod nullo cõfirmas nec præcepto, nec exemplo. Vbi perfrices uelim frontem, ac respondeas, an arti suæ satis fecerit Priscianus, qui cuius generis sit ficus fici, pro fructu reliquit in medio: cũ non semel prçcipiat, pro arbore in quarta declinatione esse fœminini. Nisi uolumus eũ masculini esse uelle, dum inquit, omnia in us correpta, uel secundæ, uel quartç generis esse masculini, præter arborum nomina. Age uerò demus Priscianum idem quod tu dicere, omnia fructuum nomina, aut neutri generis esse, aut fœminini: quid uos aut ille respõdeat quid in dactylus, Balanus, qui & ipse fructus est palmç, generis utrunq; masculini? Quid in pineos apud quosdã pro fructu pinus, id est illis minutis? Taceo corymbos hçderç, & racemos uitis. Quid ut uos fortius strictiusq; angam, in grossos qui etiã huius ipsius de qua agimus arboris fructus est, dicente Plinio, Ficos sub folio, grossos supra folium nasci. Quod si ita est, ut iam concludam, aliquod fructus genus & huius arboris fructus est masculini, ut notum est: quid tandem mirum si ficus fici in masculino sum usus, non sine autoritate, prçsertim uel Cornelij Celsi, uel Columellç, uel Plinij, aliorumq; nonnullorum? Vnde hoc nomen quoq; genere masculino secunda declinatione legimus usurpatum? At corrupti sunt codices. Cuius istud est affirmare? certe uetustos aliquot euolui, ut Cornelij his uerbis: Fico pingui leuiter cocto, & fici aridi partem ne pete mistam. Et Plinij, In ficis mirabiles sunt abortiui, qui nunquam maturescũt. Neq; tamen ita temerarius extiti, ut incertæ me scripturç committerem: quippe qui de hac re, multisq; alijs, cum eruditis ante publicationem communicare statuissem. Tu potius, tu temerarius extitisti in reprehendendo, uir tantum à peritia distans, quantum ego ab imperitia, qui pro negatione posuisti affirmationem: Ecquid te pudet ignorare, pro ecquid te non pudet, ut iterum reprehendi superius. Fac. Ad hanc facetiam cum rex arrisisset. Nescis facetias pluraliter tantũ dici, non facetiã? sicut ferias, quisquilias, nundinas. Lau. Itáne propter unum uerbũ facetum dicere debui, ad has facetias? quod absurdum sit. Quis istud præcipit carere singulari facetias? an licentius est facetia, quàm blãditia? Non arbitror. Non de uno uerbo blando, dicam ad has blanditias? Atqui Cicero de petendo consulatu ad fratrem inquit: Ea desiderat nominum elationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem. Paulo pòst: Sed opus est magnopere blanditia, quæ etiam si uitiosa est, & turpis in cætera uita, tamen in petitione necessaria. Possum multa similia afferre, ut liberum pro filium apud Iurisconsul. Quintilianum & Paulum, Caiumq; Iurisconsultos: Pugillarem & codicillum, cum sciamus ex arte pluralis esse numeri: uerum propter exemplorum similitudinem, accipe Plautum in Stycho: Hem tibi hoc primũ hæc facetia est, amare, inter se riuales duos, una cantare, potare, unum scortum ducere. I nunc & insulta mihi inquiens: Quid est quod scias, si hæc quæ ad pædagogum pertinent ignoras? Cur tu igitur pçdagogus hunc Plauti locum ignorasti? quẽ pædagogi nescire nõ debent? Fac. Adiecta ei appendice Catalonia, quæ uiribus ad illã sesquialtera est? O elegantissimũ historiographũ: Hæccine uerba oratoris sunt? Hæccine historici? ubiq; ostendis tuam uerborũ penuriã, ignarus quàm sit elegantiæ contrarium uerbis inusitatis & improprijs uti. Quãto elegantius si dixisses, adiecta ei Catalonia, quæ dimidio amplior, quàm illa est. Laur. Egóne uerborum inops, an tu sensus & cerebri? eum uocas uerborum inopem, quem cernis esse locupletissimum: appendice & sesquialtera suppellex est abundantis patrisfamiliâs, non egentis. Nam quòd negas ista uocabula in quæ mea commutas esse in domus meæ supellectile, facis ex fatui natura ac cõsuetudine, cum nemo qui scribere paulò diligentius cõsueuit, ac ne mediocriter quidem li-

teratus, ignoret. Sicut ecōtrario, tu hæc omnia quibus utor, quod fateare necesse est, in tua suppellectile non habes: ut intelligas te inopem uerborum esse, me diuitem. At sunt inusitata, & impropria. O imperitissimum & iniquissimum, qui aliorum uires ex tua infirmitate metiris. Negas in usu esse: dehinc addis impropria, quasi iis quæ extra usum sunt quæramus, propria sint, nec ne sint inusitata oratoribus, quę sunt inusitata historicis, at ego ex utrisque testimonia proferam. Cicero in Hortensio: Vidit quod uidendum fuit, appēdicem esse animi corpus, nihilq; in eo esse magnū. Idem pro Rabirio Posthumo: Est enim hæc causa, quo ea pecunia peruenerit, quasi appēdicula causæ iudicatę atque damnatę? Addam huic uelut oratorem Vlpianum qui de acquiren. uel amittenda possess. uel hæreditate, ait: Idem dico & si filiusfamilias, uel seruus iussu domini, uel patris adierit hæreditatē, uel mancipatus, uel manumissus, &c. Sunt enim appendices præcedentis Institutionis. Accipe nunc historicos. Liuius: Cohortatusq; prędicatione uera, quam tu scis, qua in Samio paratorum decorū appendicem Etrusci belli conficere iubet. Quòd cum Chersonessum Lysimachiamq; dederunt, Maroneā quoque, atq; Erium profecto dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis uelut appendices maioris muneris essent. Iterum: Peditum agmen in ripa elephātes ante quadraginta disponit carpentariorum cum appendicibus locadum, Vacceorum quę centum milia fuere inuicta acies si æquo dimicaretur campo. Hæc satis exempla docent, hoc non esse nomen inusitatum. Nunc docebo eius me proprietatem non potuisse ignorare cum scirem à Marcello quidem sic scribi. Appendix dicitur quod alii est adiunctum. A Festo autem sic: Appendices dicebantur ab antiquis, quòd circum penderent, quos nunc appendices dicimus, ut Plinium transeam, qui in 24. ait: Spina est appendix appellata, quoniam baccæ punico colore appendices uocantur. Sunt ne scelerate uerborum inopes, Cicero, Vlpianus, Liuius, cæteriq; apud quos hoc nomen inuenitur? Nam mihi culpa communis cum illis est, quia ut ipsi: sic ego sum usus. An tu inops uerborum, sententiarum, doctrinæ, ac sensus? Venio nunc ad aliud uocabulum Sesquialtera. Quid usitatius in arithmetica, musica, geometria, quàm sesquialtera, quod ἡμιόλιον Græci uocant sesquitertia, sesquiquarta, sesquiquinta, & sic deinceps? nisi negas has artes ad oratoriam pertinere: quarum quis sapor esset, ne tenui quidem gustu experiri uoluisti, potuistiq;: ita tenui semper literarum cibo, ac breui uolatu, ut cicadæ (nam illis assimilis es) fuisti cōtentus. Transeo Quintilianum, quem nunquā inspexisti: nónne ita scribit in Oratore Cicero? Vt necesse sit partem pedis, aut æqualem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem. Infinita possem ex optimis autoribus repetere exēpla, ut sesquiopus apud Plautum, ut sesquipedale apud Horatium, ac mille alios, & sesquipes, & sesquiplaga apud Cornelium Tacitum. Et ille multum tremens cum uix duobus ictibus caput amputasset, sæuitiam iactauit sesquiplaga interfectū à se dicendo, ut sesquicyathus apud Cornelium aceti, sesquicyathum olei minus: & sesquihora apud Plinium filium. Egeram horis tribus, & dimidia, supererat sesquihora. Cur non dixit supererat hora, & dimidia? quia sic fuit elegātius, & tu cicada ais inelegantius. In quo magis licet agnoscas imperitiam, quòd sic poteras emendare, si fuisset emendandum: Adiecta ei Catalonia finitima dimidio ampliore, uel dimidio quàm hæc ampliore. Dixi imperitiam, addo stultitiā, quòd cum de uiribus ego, non de finibus agam, tu pro appendice, finitima subdidisti: ubi alius quoq; tuus error agnoscitur, quòd non prouincia tota toti alteri prouinciæ finitima est. Sed extremi utriusque prouinciæ populi & inuicem accolæ. Neq; enim Italia Galliæ finitima est, & Gallia Italiæ, sed Italos extremos qui ad Galliam uergunt illi finitimos, & Gallos qui ad Italiam, huic finitimos dicas. Fac. Itaq; uisus est minus,

nus soluisse quæstionē, quàm innodasse: hoc quidem incomposite & inelganter à te dictum: est enim ambiguus & obscurus sermo, & cōtorte prolata sententia. Neque enim isto modo dicendum fuit, sed sic potius. Itaq; magis innodasse questionē, quàm soluisse uel explicasse uisus est. Lau. An idem magis est innodare quod minus soluere? Itē magis soluere quod minus innodare? Quid enim si de me, qui uos duos minimum & amo & metuo, dicam, quidā uos minus metuit quàm odit: tu tanquam ambigue, obscure, contorte loquutum sic corriges: quidam uos minus odit quàm metuit: quasi multo plus uos metuat, quàm oderit, ut quod ego imminuendū putaui, tu me nolente exaugeas. Alia est ergo hęc, alia illa sentētia. Sed agam potius exemplis tecum: qui tanquam ratione uaces, nulla potes ratione peruinci. Cur M. T. inquit? Ego uero me minus diu senem esse uellem, quàm esse senem antequam essem. Et alibi: Quòd si in alterutro peccandum sit, malim minus tumidus, quàm parum prudens uideri. Cur Plinius in secundo naturalis historiæ? Neque enim omnium rerum afferri posse causas minus mirū est, quàm constare in aliquibus. Cur T. Liuius in Fabio? Malim in bono constans, quàm nouum in malitia ingenium esse. Et iterum: Magis uereor, ne parum inde gloriæ, quàm ne nimium belli sit. Et iterum: Nihilo militiæ melius, quàm domi Respublica administrata. Cur non dixit, multo melius domi, quàm militiæ Respublica administrata est? Nempe quia diuersa erat futura sententia. Quod item in nostris uerbis usu uenit: hęc pro me. Cur autem tu incomposite, contorte, ineleganter? Cur sermonem deinde sententiam? Cur prolatam contorte, sententiam potius, quàm contortam sententiam dixeris? Imperitia tua uiderit. Fac. Nam concilium, quod illi parlamentum uocant. Nequeo mirari satis tuam imprudentiam. Quid erat necesse parlamentum addere, quod neq; elegans, neque Latinus sermo est? Putabas te non satis intelligi, si tantum concilium dixisses? Lau. Omitto de infinitis huiusmodi differere uocabulis: tātum de cognatis, ut aiūt uocibus agam. Nónne Liuius quod genus apud eum sepissime inuenitur inquit, Concilium uniuersæ gentis est demissos Romanos non habuerunt parapocletos antenuncios uocant. Num hoc elegantius: num Latinum est? num opinabatur Liuius, se non satis intellectum iri si tantum concilium dixisset? Et iterum, Summum apud Campanos magistratum Medistuticum appellant. Num latinum & elegans est Medistuticus? Vnum libet adhuc exemplū afferre ex patria tua? Plinius lib. 3. naturalis historiæ, sic ait: Padū Ligurū lingua Bodingum uocari, quod significat carētem fundo. Intelligis non imprudēs, sed uesane in sapientissimorū me incurrere uestigia, te in calumniosorū? nisi aut Gręca uerba insereremus quæ pauci intelligunt, aut ligustica quę nulli: ea uerò quæ iam pro Latinis habentur, & in libris multis lectitātur, fastidiremus? quanquā ô calūniator insane non utor ipse uocabulo hoc: sed alijs in usu testor esse, & si descendit à Græco parabola, quod pro Latino iam est. Vnde apud quosdam parabolani. Fac. Tandem post aliquot menses per conuentus uniuersos, hoc est, per terna brachia Valētiæ & Cataloniæ, ecclesiastica, patricia plebeia ultra quatuor Aragonię quæ diximus locus delectus est in Aragonia oppidū Caspa. eleganter profecto ut cętera, si eloquens esses profecto, sic diceres. Tandē post aliquot menses summo trium ordinum consensu qui ex Catalonia, Valentiaq; conuenerant sacerdotū scilicet, nobilitatis, ac plebis concilij locus in Aragonia constitutus est. Et scire debes, quòd non omnes nobiles patricij appellantur, sed tantum Romani à primis patribus à Romulo constitutis orti, uel ij etiam qui Rempublicam more Romanorum gerunt per similitudinem quandā, sed improprie. Non enim patricios Carthaginiēsium, aut Campanorum legimus, sed nobiles, aut nobilitatem. Lau. Quid in me reprehendas non equidem intelligo: cōuen

tus uniuersos in trium ordinum consensum mutas, quasi conuentus & cōsensus multum habeant in significatione similitudinis, aut hoc parum Latinum, uel parum proprium sit: quorum utrunque falsum docebo. Et quòd Latinum quidē sit, autores probāt. Cæsar de se ait: Quòd in Italiā ad conuentus agendos profectus est. Liuius: Nondum cōuentus dimissus erat cum respiciunt præsidium à Corintho. Plinius de hac ipsa Hispania, Cōuentus qui in ea fierēt enumerat. Alij præterea plurimi autores. Quòd autem proprium, documento est cū hic locus, tum alius aliquanto superior. Cuius hæc uerba sunt: Cuius morte solutum cōcilium est Catalambri. & postmodum conuentus prouinciales agi cœpti ab Aragonensibus in Alcanitio, à Valentinis in Tragera, à Catalonis Dertrusæ, quòd hæc oppida finitima sunt alijs duabus prouincijs, quòd difficilius fuit inter distractos conuentus deliberari. Cum præsertim quotidie maiora consererentur in Aragonia certamina, gubernatore uolente prouinciam in officio tenere ac quietam, comite accersitis è Vasconia & transmontes copijs amittente reliquias aduersæ factionis euertere, & suam rebus gerendis præficere. Tandem post aliquot, &c. Et tu meus censor emendas: qui ex Catalonia, Valentiaque conuenerant: ne ineleganter si cōuentus diceres. Et tamen quoquo modo conuenerant illæ duæ gentes cum unum in locum non conuenerint, quo modo conuenerunt è Catalonia Valentiaque, cū manserint in sua utriq; prouincia? A quibus uelim scire, cur Aragoniam dissocies atque seiungas? credo ne brachia nominares, quo nomine usus sum hoc temperamēto, ut dicerē ab illis ita appellari, cū nephas putarē aliud nomen fingere ueteri & uero & satis idoneo relicto: quod tu mauis fuisse dicendū ordines. In quo quātopere desipias si unquam sapuisti mecum recognoscas. Primum recedit ab integritate historiæ, deinde quòd hos nemo sanus ordines nuncupet sacerdotalem, orbicum, agrestem qui ne apud Romanos quidem fuerūt, tum quòd plebeium ordinem facis, quod inauditū est. Cuius rei nisi fatuus esses, admonere te potuit saltē marmor illud, quod quotidie prætergrederis, quo porticus seu statio montana fulcitur, his inscriptum literis. Ordo & populus Neapolitanus. Si præstātium exemplum postulas, ex historico, audi Cornelium: Iisdem consulibus auditas Puteolanorū legationes, quas diuersas ordo & plebs ad senatum miserant. Tum in eo uocabulo quod me docere uis te labi ostendis: quippe cum patricij nulli iam Romani uocari queant, utpote extincto senatu: & si senatus existat, in nomen transierit certi magistratus, unde dignitas ipsa patriciatus dicitur, lege Gregorium, lege Iustiniani codices autenticasque leges, nostrorum temporum historias, lege decreta decretales que, & quis patricius sit intelliges. Ergo non Romani nunc patricij, qui senatu carent. Cæterum quid absurdi est, si quæ urbes senatum habent, qui Romæ patres appellabantur, ut Venetiæ, ut Barcellona, ut tua domina Genua, ex his ortos appellare patricios? Certe Veneti scriptores suam nobilitatem patricios appellant, id quod tu non omnino diffiteris, ideoque tibi ipsi non constas. Et quidē ter tam paucis in uerbis: semel, quod cum Romæ tantum uelis appellare patricios, tamen ais, qui nobiles alijs in urbibus more Romanorū Remp. administrant, eos improprie quidem, attamen appellari patricios. Iterū quòd licet Carthaginienses Cāpanosque nō abnuas sic uocari, quia Romanorū Remp. administrarent, tamen cōcedis nunque hoc nomine appellatos. Tertio quòd uetas me posse saltē improprie uocare patricios, quos improprie sic uocari posse cōcedis. Ad extremum elegantiam tuam requiro, sagax & argute indagator elegantiæ, quis politus scriptor eo modo scilicet, usus est, quo tu? Fac. Gilibertus Centolia cum bene magna manu clientū in agrū Valentinū incursionem facit. Mendicus, ut uideo semper eris, cum bene magna manu. Isto modo diceret sutor aliquis, aut caupo, nō certe historiographus? quo

uerbo

quo uerbo hactenus iam ter, aut sæpius est usus, quasi nesciens, aut cum satis magna, aut si bene pro ualde accipi uis, cū per magna militū manu dicere. L. Possum iisdē, quibus apud Terentiū Menedemus, uti uerbis: Ego me non tam astutum, neq; tam perspicacē esse, id certe scio: Sed hic adiutor meus, & monitor, & præmonstrator Chremes hoc mihi præstat. In me quiduis harū rerum conuenit, quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus: in illum nihil potest. Nam superat eius stultitia hæc omnia. Nónne ait Cicero, ne superius repetā exemplū, de oratore? Si ad te ille bene ante lucē uenisset. Et pro Murena: Cum bene magna caterua sua uenit. Et de finibus: Habent & bene magnā & satis litigiosam disputationem. O uere sutoris fili, cauponisq;, imò in cauponem sutoremq; patrē cōtumeliosus & impius, quæstū illi suum ac uitam exprobrando. Sutor'ne Cicero & caupo? caupóne ac sutor Oppius, Hircius'ue? apud quē in ultimo cōmentario de gestis Cæsaris intra non quàm plurimas paginas reperies: Et bene magna cōparata manu. Et, bene magna multitudo. Et, bene magnū tempus. Et, bene multis uulneribus affecti. Et, bene magna prioris muri parte deiecta. Et tu mihi uitio uertis, quòd intra duo uolumina ter usus sum, ac mendicū uocas, quasi mendicitatis & non copiæ sit bene ponere pro ualde, uel pro satis: quasiq; hec ista sint nota, ac trita uulgò: quòd si mendicitas est, nota non habuisse hæc aduerbia, & ego ipsa nota habui, profecto tuo iudicio tu mendicus es, quia bene pro ualde nescisti. Nam si dicis per pro ualde me ignorasse, lege elegantias meas, ubi docui, quod nec Donatus, nec Seruius, nec Priscianus tradiderant, per cum positiuo, quàm cum superlatiuo. Item perquā pro ualde cum positiuo tantum coniungi. In quo Panhormita reprehensum se deprehēdit, qui, ut est friuolis in rebus ac nugatorijs gloriosus, iactabat se principē fuisse in epistolarū calce ponendi q; raptim, cum dicendū sit, quàm raptissime, uel perquàm raptim, siue perraptim: nisi ipsum decebat uitiosa oratio, semper ferè mentientē suas epistolas raptim exaratas. Sed ô te raptū Phrenesi. Ais si bene pro ualde uolo accipere, dicendū fuisse, permagna: nō secus ac si quis amicū cui constitutū sit hyeme nauigare, sic admoneat: Nolim hyeme mare intres, sed si ita tibi constitutū est eligito cōmodam hic domum quo ad hyems durat. O plus quàm caudex, stipes, asine, plumbee, si uolo accipere bene pro ualde, & hoc mihi cōcedis, cur idem uocabulū non uis me capere, sed aliud? Nam illa transeo, quòd clientū mutasti in militū, & hactenus & iam, quorū aduerbiorū alterū redundat, infersisti. Fac. Hinc quatuor illinc sex leugis distāte. Latinus es, & non pudet loqui Gallice? An hæc tibi pulchrior dimensio uidetur, quàm per milia passuū: quod uerbum Romanū est, & notum, & usitatū? Sed uoluisti applaudere genti de qua scribis (ut uideo) & ob id uerbo externo uti uoluisti sapienter. Lauren. De quęstione hac superius satisfeci. Nūc uecordiæ tuæ te admonebo, quę tanta est, ut ad singulos propè gradus pro labaris, ac dedita opera id facere uidearis: Leugam ais gallicum esse uerbum, probe tu quidem: cur autem eo utor? nempe ut genti assentarer, siue, ut more tuo loquar, applauderem, de qua scribo, & quæ gens est de qua scribo? certe Hispana. Quo igitur pacto, ô Ligurū infamia, gallice loquēs assentor, siue applaudo Hispanis, & non Gallis: Et nūc Gallos, superius uulgus hoc modo loqui uolebas. Prætereo quòd tersius eloquutus esses, exēpto secūdo uoluisti. Fac. Et id temporis non poterat sententia pro aliquo compeditorum ferri, nisi à sesquialtera parte iudicū. Iterum in superius inelegantiæ uerbū incidisti, quoniam id uerbum inusitatum, aut certe rarissimū maxime in historia. Elegantius, atq; id temporis pro nullo compeditorum iudicium ferri poterat, nisi ex omnium iudicum numero duæ partes in sentētiam conuenissent. Lau. Superius uolebas hoc nomen historicis oratoribusq; ignotum, nunc rarissimum inquis: non quia scis, sed

quia times alicubi reperiri: quod ne intellexisses quidē, nisi ex alijs historiæ meæ uerbis, quo quid stultius, negare & affirmare quæ nescias? Nūc spectemus quonam modo meam promis sententiā elegantius, aut potius effutiēs nauseas. Ego & id temporis: tu, atq; id temporis mutasti, & in atq; ambitiose, pueriliter, ineptes quòd si quid differētiæ in usu habent hæ coniunctiones: &, magis huic loco conuenit, utpote incursu sententiæ. Ego, non poterat pro aliquo compeditorum: te non aliquo mutasse in nullo, ineptissimū fuit. Ego, sententiam ferri: tu, iudicium ferri, sententiam quoq; mutasse in iudicium par ac similis ineptia, cum nihil plus in hoc quàm illo sit, neque significationis, neque nitoris. Verum præter hoc eruditionem tuam declarasti: euoluantur omnes legum, omnes ciuilis ac pontificij iuris libri, & sicubi iudiciū ferri scriptū reperias seruituti te libero, quam mihi seruire debes? ne possis dissimulare ne unū quidem uerbū te ex iure uel audisse, uel legisse cum quo oratores omnes historiciq; consentiunt, semper dicentes sententiam ferri à iudicibus: Interdum etiam sententiam dicere, quemadmodum in elegantijs tradidi. Tu uero homo male sanus cum communem loquendi morem reformides, specie deceptus elegantiæ, ut canis ille qui fingitur in fabulis ueram carnem pro falsa amisisse. Quid illa redūdantia uerborum, qua semper inuolueris? nisi ex omnium iudicum numero duæ partes in sententiam conuenissent: quod certius sic ueloclusq; dixisses, nisi ex duabus iudicum partibus, uel ex maiori iudicum parte. Nam in sententiam iudices conuenire, cum sententiam laturi sunt, sermo sutoris, cauponis, & piscatoris est: denique in sententiam pro in sententia contra grammaticam est: in quo decipit te uerbum cōuenio, cuius est natura, ut cum significet simul uenire, accusatiuum postulet: dum concordare ablatiuum, cum in utrobiq; præpositione. Fac. Quem quia nouerat suæ partis commodissimum fuisse sauiatus est. Hoc uerbum scire debes, comicum non historicum est, & propterea in historia fugiendum est. Lau. Vbi tamdiu tanta latuit sapientia? quid ita sero tātum uirum atq; omnis eloquentiæ præceptorem agnoscimus? quem non Liguria, sed Scythia censorem nostri orbi donauit: desisco iam abs te Cicero, quem ducem hactenus sum sequutus, ita scribentem in Bruto, de Iunio Bruto: Quid de matre sauianda ex oraculo Apollinis tam acute argutéq; coniecerit. Et ad Tironem in epistola illa. Sic fratris tuosq; oculos, etiam si te ueniens in medio forò uidero, dissauiabor. Te quoq; Plini de Cicerone eodem sic in epistolis carmine scribentem. Nam queritur, quòd fraude mala frustratus amantem Paucula cœnato sibi debita sauia, Tiro, cum cōterraneo tuo patris'ue tui Catullo, qui sic scribit ad Varanū suorum amicorum, ut ait, antistitem iucundū, Os oculosq; sauiabor. Et ad Furiū: Illo purpureo ore sauia. Et in Cæsarem: Sauiolum tristi tristius elleboro. Et te Marce Varro respuo, qui differētiam hanc pro tua cōsuetudine non tradidisti, inquiens apud Nonium Marcellū: Ab ore dicitur osculum, non ab suauitate, unde suauium quod simile sit sauiū. Fac. Dum pacificaret interposita sua autoritate inter dissidentes. Eleganter profecto more tuo: sed ego sic dicerē: Dum inter dissidētes pacem componeret, uel dum dissidentes ad pacē, uel ad concordiam reuocare conaretur. Lau. Non igitur elegāter Plautus in Stycho inquit: Sed satur ego tecū pacificatus sum Antipho. Nam pacifico & pacificor inueniri etiā Priscianus tradit. Non Quintil. in 11. lib. Gestus qui in statuis pacificator solet. Non Sallustius in Iugurthino: Igitur Vacenses, quo Metellus initio Iugurtha pacificante præsidium imponeret, fatigati regis supplicijs. Non Liuius: Inter hæc pacificatum legati à Volscis Equisq; uenerunt. Et iterum: Nunc ad pacificandum bene atque honeste inter primos stabis. Et alibi: Ad dirimendum bellum adhibitus & ab Aetolis, & à finitimis pacificator Amynāder rex Athamanū. Nō Iustinus: Sed Hāno punico ingenio post

paucos

paucos dies tacitus quasi pacificator Carthaginensiũ, Pyrrhũ adijt. Et alijs pluribus in locis. Possum aliunde plurima cõgerere exempla, quorũ te nullius constat meminisse: dum alterũ hoc uerbo utentẽ, ut barbarũ carpis, apertę dementiæ est. Adde quòd ais dũ conaretur, id est, usq; dum inciperet, cum ego de fine agã, tu de principio sentis: opinor significatione huius uerbi dum, tibi non cognita. Et reuocare eos ad pacẽ concordiamq; uis, qui nunquã inter se fuere concordes ac pacati. Quanquã haud scio an tuus modus, in quẽ emendas meũ, sit elegans: cõponere inter dissidentes pacẽ, cum A. Gellius lib. 7. dicat: Cõnixi sunt Rhodienses legationibus Romã sæpe missis id bellum inter eos cõponere. Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequiuit. &c. Fac. Diuersabatur regina in propinquo monasterio cũ sanctimonialibus. Magnifica profectò oratio & uere Tulliana: uel eius qui elegãtiæ parens haberi uelit. Ego nõ sic dicerem, et id esset fortasse pulchrius. Diuersabat regina apud uirgines diuo Dominico dicatas, quæ à regia nõ procul aberant. Lau. Magnificentiã in me orationis desiderat fatuus, quasi ad hunc locũ magnopere faciat magnificentia dicẽdi. Sed uidelicet Ciceronẽ imitari uoluisti dicentẽ: Nunquã se minus solũ esse, q̃ cũ solus esset, nec minus ociosum quàm cũ ociosus esset, & reliqua deinde. Magnifica uerò uox, & magno ac sapiẽte uiro digna. Verũ ut ille optime, sic tu pessime de magnificẽtia locutus es, cũ de elegantia agis. Neq; uerò minoris insanię est qua te sic existimas Tulliane dicturũ, diuo Dominico dicatas, cũ Tullius nec diuo libenter utitur, ut in diuo Iulio: et Dominicũ hominẽ nõ audiuit. Illud uero lõge stultissimũ, quòd cũ sordes orationis meæ insecteris, nõ tamẽ affirmas mundius dici potuisse, inquiẽs, & id esset fortasse pulchrius. Fortasse nõ utiq; pulchrius. Quid si nõ pulchrius, ut fortassis est? Sed si mundius ac pulchrius, cur igitur stolidissime mortaliũ pro certo accusas, quod pro non cõperto tibi esse confiteris? Inspiciamus q̃ recte: Ego, diuersabatur regina in propinquo monasterio cũ sanctimonialibus: tu, diuersabatur regina apud uirgines diuo Dominico dicatas. Ego intra certos parietes reginam facio habitantem. Tu uelut Dianę uirgines, quę in solitudinibus ac speluncis habitabãt, uideris innuere: & apud illas proinde quasi ab eis aleretur, protegeretur, susciperetur: apud monasterium regina domicilium habuit, non apud sanctimoniales. At enim sordet tibi (nam quid tibi putido non sordet?) Monasterium tanquam non antiquum, quod perantiquum est, & Græcum, sicut Cœnobium. At non usitatũ Liuio & Sallustio. Tametsi quis hoc affirmare audeat, cum melior pars ex libris illorũ interciderit, ut Varronis etiã aliorũq; multorum? Est inusitatũ antiquissimis, ideóq; reijciendũ censes. At quo pro isto nomine utaris? nimirũ tuo more circuibis potius quàm os ita sordido itaque coinquinato polluas. O stultum Iustinianum cum superioribus imperatoribus? O stultos Cyprianum, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium. Quid hos tantum stultos? Gregorium Nasianzenum, Basilium, Chrysostomum, & breuiter omnes Græcos Latinosq; Christianos: qui nomen maioribus suũ ignotum (si accusatori credimus) usurparunt. Maioribus inquã gentilibus siue ethnicis. Iterũ me reprehendes, quòd in barbariem cado, imò tu reprehendendus es, qui iterum, & sæpius, ac milies in stultitiam procidis. Nam quæ dementia est cum ego nesciam, aut nolim significare quibus sacris initiatæ essent, quodq; iuxta regiam habitarent sanctimoniales, te id addere? si tu Scytha uel Ligur addidisti, & non potius Antonius Panhormita, ubiq; se, uelut mus, indicio suo prodens. Is ut Siculus, hæc quę de Sicilia à me cõmemorantur emendauit: ratus hinc notatum iri, aut barbariem meã, aut indiligentiã, barbarus ipse & Maurus. At sanctimoniales non ita purũ uocabulũ est, ut uirgines: primum non uideo cum sanctimonia latinissimũ sit, ut

Cicero pro Rabirio: Ad deorum religionem & sanctimoniam demigrasse: & sanctimoniales non adeo nouũ nomen, deinde quod apud eosdem quos nominaui latinos, sæpe legimus. Tu ô caput omni prudẽtia doctrinaq; uacuũ, de tuo quoq; Panhormita loquor, non magis capillis foris, quam intus modestia & grauitate, non hic pilis magis, quam illic scientia nudo. Non dico quota quæq; ex sanctimonialibus uirgo reperitur: sed nunquid solę uirgines admittũtur? nónne quę uxores? nónne quę matres? nónne quę impudicę fuerũt? Nunquid quę uirgines admittũtur tales perstant? Istæ'ne sanctimoniales an uirgines erunt? Ais uirgines, sic opto sint uirgines Panhormita filiæ tuæ: de se id prædicent, quod mulier illa apud Petronium Arbitrum, Se memoria non tenere fuisse unquam uirginem. Vos quia inuenitis sacerdotes Vestę nominatas uirgines, idem de nostris sanctimonialibus effici creditis. Nec uos admonet ipsum nomen sacerdotis: ut enim olim nominabantur sacerdotes, nam & sacra faciebant, quarum nulla nisi quę uirgo putaretur cõsecrabatur: ita nunc in uniuersum sanctimoniales uocantur. Afferam unũ de his quos nominaui, testem: Iustinianus sæpe ait sanctimoniales uiduas, sanctimoniales uirgines, sanctimonialem uitã, sanctimonialem conuersationem: & quodã loco codicis, cuius titulus est de raptu uirginis, uel uiduarũ, nec non sanctimonialiũ. Raptores uirginum honestarũ uel ingenuarũ, siue iam desponsatę fuerint, siue nõ, uel quarũlibet fœminarũ, uel uiduarum licet libertinę, uel seruę sint alienæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus, & maxime si deo fuerint uirgines, uel uiduæ dedicatę: Et in fine capituli: Omnibus legis Iuliæ capitalis quę de raptu uirginum, uel uiduarum seu sanctimonialium, siue antiquis legum libris, siue in sacris constitutionibus posita sunt de cætero abolitis: ut hæc tantummodo lex in hoc capite pro omnibus sufficiat, quam de sanctimonialibus etiã, et uirginibus, ac uiduis, locũ habere sancimus. Postremo quis uos docuit illas diuo Dominico, ac diuo Francisco, aut diuo Benedicto dicari, cõsecrari ue, siue initiari, & nõ deo? An quia ueteres homines consecrabantur dijs quorum nullus non homo fuerat, & quidem nequam, Christianos fas sit consecrari dijs (sic enim sanctos, et bonos interdum appellatos inuenio) & non deo soli? ut Iustinianus ait: Si deo fuerint dedicatę. Legite, legite infelices rerum optimarum scriptores, nec pauculis sitis literis ex antiquitate contenti, unde plus tumoris quàm eruditionis hausistis, ne dicam furorem, stultitiam, prauitatem, uos unà (quod aiunt) cum materno lacte suxisse. Fac. Venerat iam regina Panormum, tenebatq; se in domo regia, quę dicitur illorum lingua Hosterium. Et hoc quoque est ex illo tuo errore consueto. Quid enim necesse erat adijcere, quod hosterium dicitur? quod totam orationem deformat atq; dehonestat. Lau. Ex infinitis quę se offerunt exemplis. illud Ciceronis ex eadem insula uisum est accommodatissimum in Verrem: Deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterium uocant. Quid ais Fatue, dehonestat orationem, atq; deformat buleuteriũ? nunquid hosterium? uter magis loquitur Tulliane, ego qui Tullio reperior similis, an tu qui criminator illius detractorq; conuinceris? Fac. Cum hęc triremim, Bernardus domum ingreditur. Tu qui grammatice pręcepta tradis, ignoras hoc nomen triremis quartum casum triremem facere, non triremim. Nam siue substantiuum, siue adiectiuum id nomen accipias, accusatiuum casum in em, non in im, mittit: quod tibi tanto grammatico ignotum esse non debuit. Nec dicere potes hoc uitio eius qui librum transcripsit cecidisse, quoniam quater hoc accusatiuo in im, uteris. Lau. Hic te teneo, nõ minus quam in superioribus, ubi sciens quędã librarij uitia, tribuisti mihi. Nam ô stolidissime, quid ita magno hic grammatico est opus? quis adeo imperitus puer ponat im, ut patrim,

matrim,

matrim, panim, dentim, & non econtrario potius, ut sitem pro sitim? quod ergo in puerum non cadit, id tu in me cecidisse uis, & peruersitate naturæ omnia in deteriorem accipis partem, interpretarisq; imperitiam quod altiore quadam ratione debebas dictum suspicari. Ego alibi triremem, alibi trierem, alibi trierim, alibi triremim posui, tanquàm à trieri descendens, quod sit τριήρης, uel τρίκροτος. An trieris in usu non est? imò hexeres & hepteres. Oppius seu Hircius: Altera nauis trieris. Quod nomen exponens Pędianus ait: Trieris ternos remorum ordines habet, ita & biremis, & quatriremis, & deinceps dicuntur. Liuius: Maximæ formę naues tres hexeres habebat, duas hepteres: à quibus nominibus nónne accusatiuus in im, exit, non solum in em? Quis neget triremim, ut trierim tanquam eodem utrunque fonte? semel, aut iterum posui, sicut aliquoties quoque triremem, deliberaturus cum amicis tum Græcarum literarum, tum eloquentiæ studiosis. Quare non imperitia homo imperitissime peruersissimeq; feci, sed magna cũ peritia atq; consilio. Fac. Illud planè contra grammaticã est, quod tu (ut ad tertiã inuectiuam ueniã) pueriliter amisisti. Et te magistrũ artis facis, & elegantię præcepta tradis: quē librum tuũ si quo modo mihi ociũ fuerit, ut perspicere ac resupinare ualeam, fortasse adhuc efficiã, ut qui eius exēplum à te habent, eum tanquã rem inutilem, & friuolam in linguã latinam, abijciant. Lau. Eum ad exemplum non ad librum referri potest, ut superius ostendi: siquidem, ut ibi dicendum est tragœdias Euripidis quas emi, nõ quem: ita hic, exemplum libri tui quod habeo, nõ quem habeo: quòd si uis utiq; grammatice dici masculino posito pro neutro, ad puerorum te examē iudiciumq; ire iubeo. Fac. Illud ipse iudicas, male te exemplum posuisse pro exemplar: cum hoc non illud habeatur, dicente Festo: Exemplum est quod sequamur, aut uitemus. Exemplar ex quo simile facimus. Illud animo existimatur, istud oculis conspicitur. Tuum uerò etiã manibus (ut significas) tenetur. Nam quare in historia regi dicata & tradita toties, & tam insigniter peccasti, quæ debet esse elaborata, & ab omni uitio pura, quid existimandum est de eo libello, quem incuriosius edidisti? Lau. Quare pro si, seu, cum posuisti, quod inauditum est: edidisti quoq; pro cõdidisti, quoniã edere publicare est: inq; cõdendo diligētia uel incuria, nõ in edendo. Fac. Sed ad accusationes tuas procedamus. Et uerba ista Aragonensis. Cum ab Aragonia Arago fiat, non Aragonensis, ut à Macedonia Macedo, ut à Paphlagonia Paphlago dicitur. Lau. Belle præceptor, qui latine græcissas, Græcarum literarum omnino expers. Quid similius Aragoniæ quàm Catalonia? quia de hac fecisti mentionem asine non scythicè (nam nulli feruntur esse in Scythia asini) sed ligusticè, exempla ad Aragoniam penè scythica attulisti, relictis finitimis atque conterminis, dixisses saltem Aragonios: Nam Plutarchus Catalonios uocat. Transeo quòd Septimius Paphlagonios, & nõnulli Macedonios, unde propriũ nomē Macedonius et Macedonicus adiectiuũ: ut triumphus Macedonicus, ora Macedonica, mare Macedonicũ, quod cognomen quibusdam Romanis familijs est factum. Sed faciant sanè tecum duo ista exempla, an legem ex duobus constitues exemplis? & ciuitatem ex totidem hominibus potius quàm ex mille? Nunquid à Babylonia non fiet Babylonius, sed Babylo? ab Ionia, non Ionius, sed Io? A Lycaonia non Lycaonius, sed Lycao? à Pannonia, non Pannonius, sed Panno? ab Aonia, non Aonius, sed Ao? à Pœonia, Pœo, nõ Pœonius? à Mygdonia, Mygdo, non Mygdonius. à Mœonia Mœo, & non Mœonius? à Sydonia Sydo, non Sydonius? ab Hæmonia Hæmo, & nõ Hæmonius? ab Ausonia Auso & nõ Ausonius? Hæc contra tuam correptionem exempla sunt. Aliquid prompti facti ratione subiungam, ut taceam ab ipsa Hispania Hispaniensis, à Populania fit Populonensis, à

Bononia Bononiensis, à Colonia Coloniensis, à Fauonia Fauoniensis: sic ab Aragonia Aragoniensis. Neq; uerò mihi fuit immutãda, quæ tam diu inoleuit, consuetudo, cum ab omnibus dicatur Aragonensis non Aragonius, nec Arago, sitq; Arago fluuij nomen, non gentis illius. Fac. Et traditorem & baram barbare inepte à te prolata. Lau. Hæc mea uerba sunt in oratione, quę hic ad literam subijciam. Et si quis ab ea quicquam uel emerit, uel pignori acceperit, eum continuo proditionis crimen incurrere, uocariq; apud Aragonenses traditor, apud Catalanos baram. Ex quo satis deprecor uocabulorum insolentiam ea præmunitione, quòd dico sic ab illis uocari, quã tu furcifer subtraxisti. Enimuerò baram sic dixi, ut Lucius Florus Celiam: Cum se prius epulis quasi inferijs impleuisse carnis semicrudę et celię (sic uocat indigena ex frumento potionem) ut Cæsar. Armoricam uniuersis ciuitatibusq; quę Oceanum attingunt, quæq; eorum consuetudine armoricę appellantur. Traditorem autem cum scirem illos ex euangelio mutuatus, ubi Iudas traditor appellatur, non ita irreuerens religionis sum, ut euangelicum uerbum in ore populorum uituperem, ac uitio uertam. Fac. Sed utinam uerius quàm gloriosius dicerent. Rectius quo ad artem grammaticam dixisses, atque utinam uere magis quàm gloriose dicerent, cum sit comparatio ad seipsum non ad extrinsecam personam. In eiusmodi enim constructionibus magis quàm particulam honestius interponimus, ut sic dicam, Cæsar fortiter magis quàm moderate res gessit. Lau. Minus ergo recte, minus grammatice, minus honeste, scriptores omnes dum aliter quàm ut tu emendas, loquuti sunt. Curtius: Magnificentius hæc iactata quàm uerius. Iterum, Id consilium non ratione prudentius, quàm euentu felicius fuit. Et iterũ: Sed acrius quàm constantius prælium inierũt. Iterum: Hoc sæpius prudentius q; auidius persecutus est. Rex quoq; auidior quàm patientior tum consilium cæpit utilius Besso quàm gratius: dum acrius quàm cautius pugnat. Afferam ex Liuio, Sallustio, Cicerone, singula exempla. Nam si tot uelim quot possum in infinitum res procedet. Liuius libro 42. Non acrior quàm pertinacior impetus Romanorum. Alter in Iugurthino: Multi dubitauere fortior an felicior esset. Nil enim differt hoc loco an à quàm. Tertius in Catilinam: Vereor ne potius omnes boni serius à me, quàm quisquam crudelius factũ esse dicat. Adeo Solinus lib. polyhistoron, siue Collectaneorũ sic orditur. Quoniam quidã impatientius quàm studiosius opusculum, quod moliebar, intercipere properarunt. Sed quid agunt alia exempla, cum Priscianus hoc pręcipiat, subiecto quod superiore libro protuli exemplo? Tam iustior quàm felicior Aeneas Hectore fuit, subdis tamen, Posse tamen autoritate tolerari non abnuerim. Liuius 30. ab urbe condita: Non spiritus magis magnos quàm utiles. Idem paulopost: Omnibus tuis secũdis rebus, nostris dubijs tam apta ac speciosa danti pax est, nobis petentibus magis necessaria quàm honesta. Ideo stultus ideo peruersus, qui non abnuas propter autoritatem posse tolerari tamen, ut uitiosum accusas, immemor hoc à Prisciano esse præceptum. Et tu apud me præceptoris fungeris uice, stulte atque excors, in re uel omnibus nota, & præter exemplum tuum uteris (ut Cicero inquit) testibus non necessarijs. Quid enim ista exempla contra me agunt? Cur quæ pro me sunt, & ea tam multa, uel non uides, uel taces? quorum alterum stultitiæ est, alterum peruersitatis. Et quoniam docere me uis quod aut omnes sciunt, aut ipse nescis, Accipe quod non modo te, sed Priscianum etiam doceam. Is enim tradit magis, aduerbium non solum positiuo, sed etiam comparatiuo iungi, quando ipse comparatiuus uel ad se, uel ad alium comparatur u., Achilles Aenea fortior magis quàm iustior. Hoc, Prisciani pace, apud probatos autores incompertum est, Solinum ut opinor sequuti, cuius uerba, quæ

ba, quæ modo attuli, ita ferè leguntur. Quando quidam impatientius potius quàm studiosius opusculum, quod moliebar, intercipere properarunt. Si ita scriptum reliquit Solinus, & eum sequutus est Priscianus, Nam & sequitur aliquando, dicam quod sentio, parum probabiliter hunc facere: qui omissis interdum eminentissimis autoribus, plebeios quosdam, ac minutulos consectatur, è quorum numero Solinus est, qui è Plinij liquidissimis fluminibus turbidos quosdam riuulos tortuososq; deducit. Alterum exemplum ad hanc rem pro simili, licet tale non sit, & ipsum ex se attulit Priscianus. Aiax Vlysse fortior magis quàm Diomede: quod minus quidem quàm illud, tamen uitiosum est. Cuius rei est causa, quòd magis (ut in elegantijs tradidi) aduerbium comparatiuum est loco maius. Nam neutra comparatiuorum aduerbiascunt, ideóque non potest exponi per magis comparatiuum, quia ipsum tale est. ut Curro magis te: unde factum est, ut præterea quę tunc tradidi, hoc è re præsenti adijciam argumentum: ex eodem tamen fonte deriuatum, Quòd cum duo comparatiua componantur, sicut ostendimus, non poterimus tamen loqui per magis duplicatum & positiuum, quale esset. Nec magis magnifice hæc iactata sunt quàm magis uere. Hæc Priscianus non animaduertens, nouum loquendi genus introduxit, quippe quod nullo confirmare potuit exemplo, quod alij sic dicerent: Aiax Vlysse fortior supra quàm Diomede, uel Aiax non tam Diomede quàm Vlysse fortior. Quare si per positiuum uis huius significationis satis explicatur, palàm ex aduerbio comparatiuo, ut magis, ut potius, aliquid, si illo utamur, redundare: nec nos Latine ac grammatice loqui. Habes'ne mihi gratias, quòd te, & quidem tanta, doceo? Si habes, te doceri non reprehendi à me uolo existimari: sin minus reprehendi potius quàm doceri: et reprehendi, non modo ut indoctũ, sed etiam ut ingratum. Sicut in illo quoq; quod dixisti, quo ad artẽ grammaticam, cum dicendum fuerit quantũ seu quatenus ad artem. Et extrinsecam, cum tantum sit aduerbiũ extrinsecus. Nec absolutũ iri te credas si quem nostræ ætatis, aut aliquem ex impolitis proximorũ seculorum in testimonium cites: in nullo enim inest tantum autoritatis, ut cum antiquitate sit cõparandus, nedum preponendus: quos certum habeo non iudicio sic dixisse, sed errore. Fac. Cum plurimas clĩetelas multas ex nobilitate beneficiarios haberet. Et hîc quoque sermo ex tua nobili schola depromptus est. Ego uerò nõ beneficiarios, sed beneficio deuinctos dicerem. Beneficiarij enim, ut scias, sunt quoddã genus militum, qui ex eo ita appellantur, quia promouentur ad honores beneficio tribunorum, ut inquit Vegetius: Idq; confirmatur autoritate Cæsaris in cõmentarijs suis cuius hæc uerba sunt: Hęc erant milia XLV. euocatorum circiter duo milia, quę ex beneficiarijs superiorum exercituũ ad eum conuenerant, quæ tota acie dispersa erant. Lau. Respondebo ad diffinitionem Vegetij, exemplũ Cæsaris, modestiam accusatoris. Et etiam diffinitionẽ Vegetij absolutã perfectamq; ducimus, tanquam nihil omittentis in diffiniendo. Cur idem inquit Contuberniũ esse communem quandam sub uno papilione uitę societatem, & inde contubernales dictos? cum sciamus contubernales in urbe & domi nostrę, præcipuéque sub patrefamiliâs degentes esse, & horum contuberniũ, quod non modo eiusdem domus societatem significat, sed eiusdem quoque tori, ut apud Paulum de sponsalibus libro Iustiniani digestorum XXIIII. Veluti ut eam quæ in contubernio filij fuerit, patrem quasi nurum non ducere. Illud Iustiniani libro II. Inter seruos & liberos matrimonium contrahi non potest, contuberniũ potest. Quare Vegetius, neq; enim peruditus uir fuit, ut in hoc ita in illo non absoluta diffinitione complexus est significationem. Nam illud quoque significat, ut in eisdem commentarijs Cæsaris: Petreius uerò, non desunt sese arma familiamq;

cum

cum hac et prętoria cohorte cetratorũ barbarisq; equitibus paucis beneficiarijs suis, quos suę custodiæ causa habere consueuerat, improuiso ad uallum aduolat. Quis dubitet beneficio Petrei qui dux erat, non tribunorum, hos factos esse beneficiarios? nec aliter sic fuisse dicendos, nisi ab eo essent beneficijs affecti? Itaq; uiderit Vegetius, ut generaliter de beneficiarijs loquar: ne à ducibus potius, quàm à tribunis, & beneficia magis quàm honores utiq; illi acceperint, quod multo est uerisimilius. Nam quis credat plura tunc in illis castris hominum millia fuisse ad honores iam promota? Nec sine peruersitate fecit accusator meus, quòd alterum ex ijsdem libris suppressit exemplum: quiq; non uult cum uirum describebam, suos eadem ratione potuisse habere beneficiarios, qua Romani habuere: aut certe proxima atq; persimili, cum multa sint nunc in re militari ab usu ueterum diuersa, quę referri quodammodo ad uetustatẽ queunt: siue uetusta ad nostrum morem aptari. Certe ne hoc nomen intercidat, ad nostrum translatum usum ferri non reprehendi debuit. Quod (nisi fallor) est à me non minus proprie positum, quàm à Vegetio diffinitum, conuicta accusatoris insigni peruersitate. Fac. Atq; quo crepitus bombardarũ horribilior & ictus perniciosior foret, omnes non momento sed penè puncto temporis laxabantur. Ad quorum pulsum puluereus ex discussis parietibus fumus diu in aëre uisebatur. Admirabilis profecto est eloquentia tua: Sallustianam'ne illam dicam, an Liuianam? Vbiq; deprehenditur tua Romanæ linguę paupertas. Ego uerò sic dicerem, qui Ligur sum: Ex quo tormentorũ æneorũ fragor plus horroris ac metus incurrere, quóue illorũ impulsus uehemẽtior foret, omnia uno eodemq; momento laxari iubebat: quorum tantus impetus erat, ut post iactum ater puluere commixtus fumus, in aëre diu conspiceretur. Lau. Legi fuisse qui non multos Homeri uersus emendare sint ausi, ut parum heroicos: sed nihil aliud quàm temeritatem suam, cum hoc fecerant, ostendisse. Idem in hoc Fatuo modo usu uenit: qui cum me (ipsi blandiar) semidoctũ hominem omni conatu, & aduocatis uiribus corrigere laborat, ne in uno quidem uerbo felix fuit: & si dolos etiam ac perfidiam adhibet: quod illi Homeromastigę non fecerunt. Ego enim sic scripserã: Sed acrius erat certamẽ tormentorũ, præcipueq; bombardarũ, quę utrinq; prorumpebant plurimũ tamen è castris ac muris: quarum nonnullæ erant & uastitate & uiolentia mirandę. Atque quo crepitus horribilior & reliqua. Hic tu eloquentiam in me desideras. Inspiciamus, quantopere admirabilis sit eloquentia tua. Ego bombardarum dixi cuius nominis superius rationem reddidi: tu per circuitionem tormentorum æneorum. Quid? non etiam ferreæ reperiuntur? quales forsitan illæ fuerunt: qualisq; est quam noster rex habet, omnium uastissima: uocant Messanensem. Audio etiam alterius quoque materiæ fieri, ex quo constat & te stulte sic appellare: & quia per circuitionem parum commode possumus, per suum nomen, qualecunq;, id est. debere nos loqui. Ego crepitus, tu fragor, quasi crepitus, aut nusquam reperiatur, aut hic parum quadret. Plautus de tonitruo, cui nihil quàm hoc similius est, in Amphitryone inquit: Sonitus, crepitus, tonitrus. Et in Curculione: Placite egredere, & sonitum prohibe forium, & crepitum cardinum. Iuuenalis Satyr. II. Testarum crepitus. Titus Liuius: Sed flammis in castra tendentibus uapore etiam ac fumo crepitúque uiridis materiæ flagrantis ita consternauit hostes. Et iterum: Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo, tantum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte fieri solet, edidit clamorem, ut auerteret etiam pugnantium animos. Et iterum: Clamorem pugnantium crepitumq; armorum exaudimus. Atq; iterum: Nanque clangore oris, alarum crepitu excitatus Manlius: Possum è commentarijs Cæsaris, possum è Suetonio, possum ex alijs

multis exempla repetere, si necessaria forent. Ideoq; unũ ex Plinio maxime idoneum adiecisse contentus sum lib. 16. Ait Autem: Hæc genera accensa fuligine immodica carbonem repente expuunt cum eruptionis crepitu, iaculantur'que. Longe planum feci id quo sum ipse usus, nomen esse & usitatum apud ueteres, & à me aperte proprieq; positũ. Ne fuerit causa cur mutaretur, nedum in peius, quale tuum est: Quippe crepitus est uiolentus sonitus, & proprius rerum quæ subito rumpuntur, ut uesicę flatu inflatę, quæ incussis calcibus compressa diffinditur. Cuiusmodi non est fragor, lentus quidam, & continuus sonus rerum collisarum, & quæ diutius confringuntur: ut apud Vergilium de uenti nondum certi aduentu:

Continuo uentis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & arduus altis
Montibus audiri fragor aut resonantia longe
Littora misceri.

Accommodatior est igitur bombardę crepitus quàm fragor. Pergamus ad cætera: Ego, quo horribilior: tu, quo plus horroris ac metus addidisti: quod additũ non oportuit: quia horror est uehementior quidã & expauefaciens metus. Necnõ decrescit oratio quæ debebat augeri, metu subiũcto. Ego, foret: tu incuteret: pauloq; post, foret: ostende, ubi nã inueneris incuti horrorẽ, & elegantius loquutũ te fuisse concedam. Ego, è quo ictus perniciosior: Tu quo'ue impulsus uehementior: primũ, ue, pro q;, accipis: deinde non uehemẽtior ut stultissime dixisti, impulsus est, si pariter omnes, q; si subinde laxentur. Præterea acrius nomen ictus, q; impulsus: licet & ipse postea suo loco sum usus impulsus: postremo satius perniciosior, quàm uehementior. Ego, eodẽ non momento, sed penè puncto temporis in uno eodemq; momẽto. Mira est in Fatuo impudẽtia quod ego nego, id tu quasi rei gerẽde affueris affirmas. Sed uidelicet idcirco emendasti, quia punctũ temporis idem sentis quod momentũ. O imperite grammatice, qui Latine loquentem barbare loqui iubes: nesciens plus temporis momentum habere, quàm punctũ, quo proprie nihil est minus, cum illud sit circiter horę spatium, ut apud Horatium, Quid enim concurritur horę Momento. Iustinus etiam amplius spatium significare ostendit, Inquiens, Per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento de uictoria nunciatum sit. Ego, laxabantur: tu, laxari iubebat. Quis nam quæso laxari iubebat? manca sine supposito oratio est. Sed hoc ad stultitiam tuam, non ad uerborum comparationem pertinet. Per me rei declaratur effectus, per te præparatio: quippe cũ possęt iuberi, & tamen non laxari. Ego ad quorum impulsum: tu quorum tantus impetus erat: à me percussio exprimitur, à te eruptio: & propterea improprium est sanè appellare tormentorum impetũ, qui saxorum est tormentis expulsorum. Ego, puluereus ex discussis parietibus fumus: tu, ut post iactum ater pulere commixtus fumus, lenocinante ubi, seu Panhormitę, uersu Vergiliano, Aterq; ad sydera fumus. Et iterum, Mistóque undantem puluere fumum. O pecus, ô Circes poculo uirgáq; ingrunnientium ac subantium gregem eiecte, quem fumum loqueris puluere commistum (Illum ego ex puluere fumum appellaui) puluereum fumũ, quia puluis assimilis est fumo, ac uerum fumum ais, & hunc atrũ, quasi fumus nisi ater soleat esse, aut puluis ille fuerit ater? Et ne de puluere taceas, facis fumum puluere cõmistum quasi duæ res fuerint, ingerens superuacua, ut post iactũ detrahens, quod deterius est, necessaria: ut ex discissis parietibus, cur hoc detraxisti? nempe quia de eo sentis fumo, qui ex bombarda cum lapide prodit. O fumosum tuũ sulfureumq; ingenium, qui de isto fumo feceris mentionẽ? prorsus si de cõuiuio regio scriberes, narraturus pro quodã rei gestę ornamẽto, quãtus ex optimis patinis sublime uapor effumasset? Ego, diu,

in aëre

in aëre uisebatur: tu, in aëre diu conspiceretur: Taceo quod uerbum tuū in clausula positum finis hexametri est: quod etsi in historia toleratur, tamen hoc loco, ubi me emendas, damnari debet, si modo tu numeris necĩis orationē, aut omnino pedes ac syllabas tenes. Quid attinebat mutare hoc uerbum mire in amarū, nisi omnia amarissime immutares? Quòd si ut apud Aristophanē est quemadmodum Eschyli atq; Euripidis uerba apud iudices inferorum in lancibus posita examinantur, utra sint magis tragica, sic nostra ponderarentur, profecto mea siderent, tua uelut inania, cum sua lance tollerentur. Fac. Quippe ad regem cōmeare, & tractare inter utrosq; cœperant. Ambiguus et diminutus hic sermo est: nisi pacem, aut concordiam, aut quid tractaret adijcias. Neq; enim simpliciter prolatum ullum integrum sensum habet. Quare male abs te dictū est. Lau. Non adiecit quid tractaret. Cur nō adiecit Liuius? Quid Marcellus immolauit? taurum an arietem, aut quid aliud? Cum inquit, immolasse eo die quidam prodidere memorię: & alijs pluribus in locis huiusmodi sermo est. Nullum, inquis, integrum sensum habet. Et quomodo sensum eius etiam tu Fatuus intellexisti? siquidem pacem cōcordiamq; tractabat: ergo minime necessarium fuit addere, quod ad sensus intelligentiam nihil facit, nec ambiguus diminutus'ue sermo est, quem malignus aperte se intelligere dissimulare non potest. Etenim quis ambiguam? quis hanc decuratā sententiam putet? Spero affinitatem inter nos futuram cum summa concordia, quoniam cōmunes amici inter utrosq; tractare cœperant. Verum tu nodū in scirpo quæris, qui scirpo uestiri dignus es, qui facūde loqui te arbitraris, istis uerbis sic simpliciter prolatis: & post ambiguus & diminutus. & nullius integri sensus hic sermo est: infers pro conclusione: quare male abs te dictum est: quasi non apperuisses quid de meo sermone sentires. Fac. Constat inter omnes qui illi festo affuerunt, nec uidisse, nec audiuisse celebriores pompas, cerimoniasq;. Scribis de honore summo regi habito, & uteris sacrorum uerbis. Pompę enim & ceremonia ad sacra pertinent. Elegantioribus igitur et magis proprijs uerbis usus esses, si ita dixisses: Cōstat sanè inter omnes, qui illi celebritati adfuerunt, se magnificentius, aut splendidius aliquid uidisse nunquam. Lau. Vis te gnarum religionis innuere, dum ad religionem ista uerba reuocas. Agnosce quantopere in isto genere sapias, disceq; preceptor quid pompa sit, quid cerimonia: de pompa præter exemplum Plauti de uestitu amatoris, quo superiore sum usus libro, Cicero in Pisonem differens de triumpho: Quid tandē habet iste currus? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista mihi crede delectamenta, penè puerorum, captare plausus, uehi per urbem, conspici uelle. Idem de Oratore: Non enim alia sermonis, alia contentionis uerba: neq; ex alio genere ad usum quotidianū, alio ad scenam pompamq; sumuntur. Et in Oratore: Sed hac pompę ac palestrę: nunc in aciem uerumq; certamen descendamus. Et in Tusculanis quęstionibus libro quarto: Illa quidem ex rhetorum pompa, ardores animorum, cotesq; uirtutū. Et de Officijs: Ne pomparum ferculis similes esse uideamur. Sunt autem fercula pomparum simulachra uictoriarum, quæ in triumpho gestabantur: quod indicat Lucanus, dum inquit de triumphali pompa: Quam seriē rerum longa procedere pompa. Quas potuit belli facies. Neq; uero in lætis modo pompa est, uerumetiam in tristibus, ut idem Cicero pro Milone: Tu spoliatū imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, felicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quintilianus: Quid sibi uelit ille funebrium longus ordo pomparum. Liuius: Consulares uerò fasces & prætextam curulem, nihil aliud quàm pompam funeris putent, claris insignibus, uelut uelatos ad mortē destinari. Hæc de pompa. Nunc de ceremonia. Illud tamen præfatus

ſatus, Cur ab religione ſentias abeſſe in templo, per pontificem, regis conſecrationem atque unctionem more ſacerdotum? An conſecratio ad ſacra non pertinet? Accipe nunc exempla quibus citra ſacrorum reſpectum probabo tibi uſurpatum hoc à ueteribus fuiſſe uocabulum. Liuius: Pacem habeat ſibi: legiones captas uictori reſtituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fecialibus, cerimoniáque alia ſolenni. Cæſar: Et quoniam in præſentia dignum erat, iterum conſules profecti ad Pontum in colloquium, cum de fœdere uictor agitaret, negarunt iniuſſu populi fœdus fieri poſſe, nec ſine fecialibus cerimoniáque alia ſolenni. Item Cæſar: Et quoniam in præſentia obſidibus inter ſe cauere non poſſent, ne res efferatur, aut iureiurando, aut fide ſanciendo petunt collatis ſignis militaribus, quod more eorum grauiſſima cerimonia continetur, ne facto initio belli ab reliquis deſerantur. Omitto cætera exempla, quę plura ſunt, & tu me ais ineleganter atque improprie locutum, in quo ſemel peccas. Iterum, quòd pro optimis inania uerba ſubſtituis, magnificentius, aut ſplendidius aliquid. Mea certe conueniunt cum illis Cornelij Taciti: Necdum celebrare ſolennia nuptiarum audebant. Tertio, quòd feſtum mutaſti in celebritatem pro ſolenni feſto accipiens, cum docti pro honoratorum hominum frequentia accipiant, aut huiuſmodi hominum cultu. Quintilianus libro primo. Ante omnia futurus orator cui in maxima celebritate, & in media republica uiuendum eſt, aſſueſcat iam à tenero nō reformidare homines: neq; illa ſolitaria, & uelut umbratili uita palleſcere. Et iterū in eodem loco: His adijcio, præceptores ipſos, non idem mentis ac ſpiritus in dicendo poſſe concipere, ſingulis tantū præſentibus, quod illa celebritate audientium inſtinctos. Cicero pro Archia: Cum hac celebritate famæ, quum eſſet iam abſentibus notus. Et in eadem: Niſi hanc celebritatis & gloriæ. Quarto, quòd unquam ſuperflue addidiſti, & ſanè inſanè. Quinto, quòd præpoſtere extuliſti elegantioribus & magis proprijs, quia prius eſt, ut ſint propria quàm elegantia. Fac. Augebant autem iucunditatem ſolennitatis, quod quinque filij circa patrem uiſebantur: quorum medius inſpectante omni cœtu, patrem priuſquam regali chriſmate tingeretur, cinxit enſe equeriatus, utpote præditus illa dignitate. Et hoc quoq; depromptum eſt ex illa tua impudentiæ tuę officina: quem non pudet (ut priore libro dixi) uerba noua formare cum uetera extent, honeſta illa quidem, & uſu comprobata. Saltem è Græco expreſſiſſes ea uerba. Nam, ut ait Horatius. Et noua fictáq; nuper habebunt uerba fidem, ſi Græco fonte cadant parce detorta. Equerium primo libro formaueras, hoc equeriatum, ſcilicet alter Varro, uel Tertius Cato ad locupletandam linguam latinam è cœlo lapſus. Lau. Si equerium recte ac neceſſario dici ſuo loco probaui. Quid eſt quod ab eo mireris formari equeriatus, ut à patricius patriciatus? At extant uetera. O inſanum hominem, Militiáne fuit olim dignitatis nomen? & miles is qui uulgo & non Græce Caballerius nominatur? At è Græco detorſiſſem: quid tibi cū Gręcis barbare? Et ſi Græcus fons huius rei nullus eſt, quonā pacto illinc detorquebo, cum illi detorſerint è noſtro? Hæc breuiter reſpondiſſe ſatis eſt. Nam quòd Catonem tertium me per deriſum nominaſti, oſtendis te uere deridendum, qui cum mutuari uis uerba Iuuenalis, Tertius è cœlo cecidit Cato: non animaduertiſti illum de moribus loqui, non de literis. Non enim fuit omnium Catonum locupletare linguam, cum poſterior cato nequaquam locuples in dicendo ſit habitus, nihilq; admodum librorum ſcripſerit. Illa quoque uitio non carent: quòd priorem librum uocas primum in tertio poſitus, quódq; formaueras pro formaſti, hoc libro equeriatum dixiſti. Fac. Sed anticipato die uenit quaſi officij gratia papam excepturus. Tullianū uerò hoc eſt? Sed qui eloqui didicerunt non anticipato die uenit, quod pædago

 gicum

Anticipare.

gicum est uerbum, dicerent, sed pridie ante constitutum diem. Lau. Omitto, quòd pædagogicos facis Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, cæterosq́ eiusmodi, unde locus ille notissimus: Anticipauerũt uigilias oculi mei. Tullius ne ipse non suo more, non facunde, sed pædagogice dixit ad Atticum scribens, dices? Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo scì turus sis? Etiam expressius libro primo de natura deorum. Aut quod genus hominum, quod non habet sine doctrina anticipationem quandam deorum: quã appellat prolepsim Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua, nec intelligi quicquã nec quæri, nec disputari potest. Statimq́ post: Fateamur constare illud etiam, hanc nos habere, siue anticipationem, ut ante dixi, siue pronotionem deorum. Et iterum in eodem lib. Informatum & anticipatum mentibus nostris. O Ligurum dedecus, ac literarum opprobrium, qui fatuè furioseq́ principibus linguæ latine maledicis. Audi nunc historicum Suetonium: Nam mortem adeo leue suppliciũ putabat, ut cum audisset unum è reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamauerit, Carnulius me euasit. Hoc in Tyberij. Item in Claudij uita: Fecit & seculares ludos, quasi anticipatos ab Augusto, neq; legitimo tempore reseruatos. Sunt & alia alibi plurima exempla, nõ modo apud prosa oratione scribentes, uerumetiam apud poëtas, genus hominum inter scriptores omnes eloquendi studiosissimum, ut Statium:

Sperauit flexæ circum compendia metę
Inferius ductis phœbeius angía habenis

Pridie.
Postridie.

Anticipare uiam. Sed ô pædagogorum sterquiliniũ, quo autore dixisti pridie ante cõstitutam diem? Nónne pridie compositum est ex præ & die, sicut postridie à post & die, siue à postero & die: utq́; hoc diem sequentem significat, ita illud diem præcedentem? Quid ergo necesse fuit addere præpositionẽ, quę idem significat quod præ? An sic Iustinus inquit? Equum pridie constitutam diem ad audiendum locum ducit, ibiq́; equę admittit. Hoc tu sicut illud Iuuenalis imitari quàm uoluisti tam nescisti. Nam quòd singulariter diceret, pro plurali posueris, tibi in crimine, quemadmodum tu in me faceres, non pono. Fac. Aduenit Sanctius episcopus Palentinus, ducens sponsam pronubus & uelut parens puellę. Non utimur hoc nomine bone grammatice, nisi fœminino genere sicut nec nupta: quamuis nouum nuptum Plautus semel dixerit. Hæc enim ad fœminas, nõ ad mares pertinent officia. Pronubã enim dicimus eam quę nouã nuptã in cubiculo sponso copulat: quod est fœminæ, nõ maris officium. Lau. Nuptã tu siue nubere officiũ uocas, quod qua so officiũ? Nempe quod proprium est fœminarũ uirũ pati? Nunquid officium Priscianus id uocat? non de ilio uerbo et isto exẽplo agit. Trãseo quòd Iustinianus binubũ uocat q bis: & alij quidã innubũ, qui nũquàm duxit uxorem. Ego non de eo loquor, qui uxorẽ capit, sicut nec tu in pronuba, quę nec ipsa nubit. Sed sicut hęc præest sacris nuptialib. pro parte uxoris (licet tu uelis esse quę sponsam cũ uiro copulat in cubiculo, nõ modo imperite, sed etiam fœde ac uenere diffiniens, ut Panhormitę discipulũ liceat agnoscere) ita pronubus pro parte uiri, estq́; utriusq; officium solennia curare. Hic tu, præterquàm quòd negas hoc nomen inueniri, reddis rationem, cur non inueniatur, eandem ipsam quòd nubere pertineat ad fœminas, quasi uerò pronuba, nunc nubat, & non suũ officium exerceat, agẽdo, prouidendo, gubernando: quod nõ magis est fœminę quàm uiri, cũ sexus hic nõ faciat differentiã. Vnde officia multa sunt cõmunis generis, ut cõuiua, agricola, cœlicola, & alia plurima. Ex quo liquet tuã rationem nõ minus cassam esse, quàm cassam nucẽ: Nihilq́; obstare quin pronubus esse possit, ut est apud Græcos Paranymphus. An nos Latinũ nõ habemus? Tibi nõ habere dicendũ est, qui de eo mentionem non fecisti,

Nuptus
Nupta
Binubus
Innubus.
Pronuba.
Pronubus.
caua
Paranymphus.

non fecisti, in pronubo reprehendendo. Mihi, ut res habet, dicendũ: nos habere in hunc sensum auspicem, ut apud ipsum Plautum in Curculione: Vltro ibit nuptum, non manebit auspices. Quid alias? cum de hoc uocabulo ita præceperim in elegantijs: Auspex qui præerat nuptijs celebrandis, quia auspicium pro nuptijs capi solebat, adhibebaturq; hic pro parte uiri, ut pronuba quę præest, & ipsa nuptijs celebrandis, pro uxoris. Vt Lucanus, Contenta est auspice Bruto: & reliqua. Cur autem non dixi, nunc auspicem. Quia non sum Scytha ut tu, nec de Scytha loquebar, quę gens auspicia sectatur: sed de pontifice Christiano. Cur uerò pronubus? quia cum alios sacrosanctos uiros imitari uolui, tum uerò Hieronymum, qui in libris Iudicum ait, Socerum Sansonis collocasse filiam uni de amicis Sansonis & pronubis. Sed hæc ratio tibi non probatur, Hieronymum contemnenti, túq; quo nomine hanc rem appellares, nisi nunc à me doctus, ignorares. Fac. Rex tamen neque prophetanti planè crediderat. Cum scribes aliquid theologicũ, isto uerbo utitor. Sed cum scribes historiam, putato tibi non licere bone magister elegantiæ, qui tam frequenter eousque adusus es. Lau. Quid ais scelerate? non nominabo in historia mea prophetas, sed aruspices potius atq; augures, cæterosq; diuinos, ariolos, coniectores? quasi non meo, sed Numæ Pompilij seculo scribam? Quid enim si de alicuius prophetæ uaticinio sit scribendum? quemadmodum nunc usu uenit, aruspicem'ne aut augurem, aut ariolum nominabo? An'ne talem fuisse neges, de quo loquebar? Hæc mea uerba sunt: Etenim fertur quidam, siue ex prognosticis corporis præsagiens, siue oraculo à quo instinctus dissipasse famam, nondum exacto quadriennio regem uita defuncturum. Rex neq; prophetanti planè crediderat, neq; tunc magnopere cõsolantibus acquiescebat. Fac. Cętera neglexerit papa prę umbra illius nominis. Non præ umbra imperite, sed præ splẽdore eius nominis. Neq; enim umbram, sed splendorem eximium, præ se fert pontificis nomen: quo honore nullus in terris illustrior. Lau. Imperitus ergo Cicero, qui in Pisonem ait. Nam ut leuitatis est inanem aucupare rumorem, & omnes umbras falsæ glorię consectari: sic leuis est animi, lucem splendoremq; fugientis, iustam gloriam, qui est fructus uerę uirtutis, repudiare. Nónne non dixit omnes fulgores falsæ glorię consectari? Cornelius Tacitus lib. 30. Eo anno mortem obijt Memmius Regulus, autoritate, constantia, fama, inquam tum præumbrante imperatoris fastigio datur. Vides ut fulgor imperatorius obumbrat. Et iterum: Flauium Sabinũ inermem, neq; fugam captantẽ circunsistunt: & Quintũ Atticum Cõsulem umbra honoris, & sua uanitate monstratũ. Et iterum: Se tributa ac leges, & prę umbra regis Romanum ius uictis impositurum. En umbra regis, ut ego dixi umbra papę. Liuius: Nam si etiam nunc sub umbra fœderis æqui seruitutem pati possumus. Quid abest? Quintilianus: Qui dum maiorem uim eloquentiæ ferre non possunt, sub umbra magni nominis delitescunt. Profectò magnum nomen, splendorem non obscuritatem habet. Lucanus: Exacuem quæ te cõplectar Roma, tuumq; Nomen libertas, & inanem nominis umbram. Ecce umbra nominis pro maiestate quadam ac splendida dignitate. Fac. An non est hæc abiectissimorum hominũ contumacia atq; ambitio, & luciferi arrogantia, qui dicit: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo: Locutio sanè digna historiographo eloquentissimo, ne plura dicam? Lau. Digna Scytha Mauroq; sententia, qui nolit pijssimum regem piè loqui. Quid ais? illa apud Liuium: Ioue nate Hercules salue. Te mihi mater ueridica interpres deûm, aucturum cœlestium numerum cecinit. Et alibi. Iupiter Optime Maxime Iunóq; regina, ac Minerua cæteriq; dij deæq;, dicuntur eloquẽtissime, Et ipsa deorum nomina, uelut stellę illustrant orationem. Christiana uerò ac pia no-

Auspex

Pronubus.

Umbra & splendor

Umbra pro maiestate & dignitate.

Christiani christiana ... decore...

mina, tanquam notę ac maculę dehonestant, atq; deformant? Etenim solet cōmemorare Panhormita, seu carmē, seu prosam orationem, simul ac de rebus ad Christianā religionem pertinentibus loquitur, obsolescere nitorē, atq; elegantiam perdere. Vt si uos audire uolumus, quo simus elegantes, ad cultum Herculis, Iouis, Iunonis, Mineruę, et ante omnes Veneris, imò cupidinis, qui matre sua magis est uobis cordi, redire debemus. Ego sic regi Ferdinando dignam se orationē dedi, ut Liuius Euandro, & M. Manlio. Vos uerò peruerse, qui non uultis accōmodari personę sermonē: & si potius uerus hic sermo Ferdinandi. Fac. Additū quoq; est non esse tentandum, quid facere audeant qui primogenio dicere ausi sint, die quodam in dissensione de supplicio sontis cuiusdam. Nōdum exiccatum atramentum, quo exarata sunt instrumenta declarationis de successione: & præter mores legesq; iam fieri. Ornatissime profecto & exquisitissime ut cætera. Recte tu quidem, ne à more tuo recedas: dicerem, qui cū alias de supplicio sontis cuiusdam dissensio esset. dicerem, non, pertimuerint, nondum exaruisse publici documenti literas: quo eius successio sancita sit. Lau. Comparemus tua cum nostris uir stolidissime, qui unam recte dicendi censes esse uirtutem exquisitime loqui. Ego tres proceres facio cum rege sermonem habentes his uerbis: Obseruabant omnes præcipuéque Garaus Caruellis præses Cataloniæ, ne quid in consiliarium ciuitatis male consulerent, né ue præsentem furorē plebis imperitæ magis irritarent, darentq; spatium, nondum adesse maturitatem, quod nunc negant, id ultro postea delaturos: motū plebis esse torrenti similem, qui ad breue tempus inflatus perennibus aquis concitatius fertur, mox æstum ac feruorem omnino perditurus. Additum quoq; & reliqua. Tu ut exquisitius loquaris non laborans, quo modo sequentia cum superioribus congruant, ais? Erant qui dicerent. Hoc nō exquisite loqui est, sed mentis exinanitę. Ego, quid facere audeant: Tu, quid illi audeant, nempe quid audeant dicere: nam sequitur qui dicere non pertimuerint. Et hoc exinanitæ mentis est, non exquisitę dictionis. Ego, qui dicere ausi sunt: tu, dicere non pertimuerint. Cum uerbis sententia non dissonet, tamen mutasse hæc uerba mētis exinanitę est, & timuerint aptius erat quàm pertimuerint. Ego, die quodam: tu, aliâs, quasi non semel eiusmodi controuersia extiterit. Hoc etiam mutasse mentis est exinanitę. Ego, in dissensione: Tu, cum dissensio esset. Par & hic signum mentis exinanitæ, nisi semper illa inanis fuit. Et eo magis, quòd ex uerbis tuis significantur nescio qui dissensisse, ex meis uerò isti ipsi. Ego, nondum exiccatum atramentum: Tu, nondum exaruisse literas. Hic magis animaduertendum exquisitā ne oratione, an exinanita ratione locutus sis. Primum, quòd ueritate discrepet, eximis atramentum, quod in prouerbijs solet nominari, non literę. Sed scilicet atramentum ut humile & sordidum uocabulum repudiasti, quasi non de scriptorio atramento dicatur, sed de sutorio, hoc est, tibi domestico: deinde quòd etsi proprie dicitur exarescere, magis tamen proprie exiccari: quod genus est siccari cruorē, siccari sudorem, siccari ficus, uuas, poma, non exarescere, nisi cum sicut tuū caput exinanita sunt corrupta. Tum quòd literæ pro scriptura nō accipiuntur. Sed in singulari potius numero, quòd postremo non forma scripturę quod est litera, sed materia, quod est atramentum siccatur, siue arescit. Ego, quo exarata sunt instrumenta: Tu, publici documenti literas. Cur mutasti in literas instrumentū? Certe quia barbarum existimasti. O barbaros iurisconsultos ac rusticanos: cum mille alijs locis, tum uerò in titulo de fide instrumentorum & admissione. Quid iurisconsultos? An non apud plerosq; alios hoc nomen inuenies? Afferam unum cōmune Quintiliani ac Ciceronis exemplum. Sunt quædam & falsę expositiones, quarum in foro duplex genus est: alterum, quod instrumentis adiuuatur: ut, P.

Atramentum exiccatum

Instrumentum Documentum

ut, P. Clodius fiducia testium, qua nocte incestũ Romę cõmiserat, Interamnæ se fuisse dicebat. Alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Cæterum nihil te insimulo, nihil arguo, si modo pro isto aliud non dico magis, sed æque propriũ substitueris. Publici documenti literas. Hoc uerò inauditum est omnibus iudicijs, uniuersis auditorijs iuris ciuilis incognitum. Ego, declarationis de successione: Tu, quo eius successio sancita est. Cur ego declarationẽ, cur successionẽ nuncupaui? Quia se iudices ipsi, ut ex instrumento apparet nuncupauerunt. Nõ enim ut Numa Pompilius, non ut Tullus Hostilius, nõ ut Ancus cæteriq; reges consensu Senatus populiq; Romani, sic iste consensu procerum populariumq; creatus est rex: sed per Iudicum sentẽtias declaratus defuncti regis maxime proximus, ut illi proximitatis iure succederet. Quare nõ fuit causa, cur hoc uerbum quo uelut adamantina columna regni ius omne fulcitur eximeretur, & aliud substitueretur (ut sic dicam) uitreæ columnę instar. Nam quid ad pronunciationem Iudicum? Quid ad instrumentum? Quid (ut tuo uerbo utar) ad documenti literas? Quid denique ad successionem sanctio? quę proprie est lex cum terrore & pœna, & si à quibusdam aliter usurpatur. Vt enim Vlpianus ait de diuisione rerum & qualitate. Proprie dicimus sancta quę neque sacra neque prophana sunt, sed sanctione quadam confirmata: ut leges sanctæ sunt, sanctione enim quadam sunt subnixę. Quod sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi deo non sit consecratum: Et interdum sanctionibus addicuntur, ut qui ibi aliquid commisit capite puniatur. Quo minus sic loqui decebat, eos qui ius regium, nec intra uerba tantum spernere uidebantur. Agnoscis nunc ô mentis exinanite, quàm exquisite loquaris, quanquam accurate? Quanto melius tecũ ageretur, si cum patre in sutrina sedisses, manibus atramento sutorio, nõ modo sordidis, sed etiam graueolentibus, ac nõnunquã uerriculũ, & si imbecillius, cum illo traxisses, quàm quòd ad literas puerorum custos à patrono, uel domino missus es. Fac. Quod si quemadmodum à Papiensibus dictũ est, acerbiora sunt aduersa, quàm iucundiora prospera, dicimus præclare cum Ferdinando actũ esse. Honestior elocutio si dixisses: Quòd si plus acerbitatis aduersis inest quàm iucunditatis prosperis, præclare cum Ferdinando actũ esse existimemus. Lau. O mentis exinanite. Superius hoc tolerari posse fatebaris autoritate, nũc eam repudiam. Vt quo sæpius me reprehendere niteris, hoc sæpius in illud censorium dictum incidas. Qui dum alienam inscitiam insectari uolunt, suam confitentur. Nisi uis me ad illud quoq; respondere, quòd dicamus mutasti in existimemus. Quod non tam inscitię, quàm stultitiæ est argumentum. Fac. Sed Ioannes imperite atque indocte. Homo quidem grauis probusq; ac strenuus, sed idiota. Tu certe magis idiota, quàm ille, qui sic barbare loqueris, Quanto elegantius fuerat dicere: illiteratus, aut literarum ignarus. Lau. Si barbarum uocabulum est, si non utendum, cur eo tu in me pro Latino uteris? Tu qui me doces elegantius loqui? Est'ne uocabulum barbarum, quod in media Græcia, medijsq; Athenis natum est: usitatum Platoni, Aristoteli, Demosthení, Eschyni, deniq; omnibus Græcis? An ignoras barbarum Græco contrarium esse, ut nigrum candido, ut amarum dulci, ut malum bono, ut tu mihi? At non est inquies latinis notum. Finge me detorsisse è Græco, quod superius autoritate Horatij præcepisti, quanquam unde scias an detorserim Græco ex fonte, qui nunquam (ut inquit Persius) Labra fonte proluisti caballino, arrogantissime fatuorum, similis cæco, qui in solitudine oberrans auditos prætereuntes non rogat iter, sed intento digito doces. Quid si ego non detorsi? quid si multis iam seculis ostendam apud multos iam tritum, eosq; egregios? Inspiciamus, inquies, an sint egregij. Apud Hieronymum: Non habeo, dices, istum pro egregijs. Apud Ambro

LI 3 sium,

Sãm.

verriculum

sium, Hilarium, Cyprianum, Augustinum: ultimū inquies nonnihil noui. Cęteros ne inspexi quidem: sed omnes in eundem rejcio gregem. Apud Lactantium: Hic, dices, dum Ciceronis materiam tractat Tullianus est, quatenus uerò religionem Christianam, gregalis efficitur. Quid A. Gellium, Apuleium, Macrobium? Ne hi quidem satis egi egi? Quid, ne omnes peragam? M. Tullium? Appellabis'ne ab hoc, qui ita ait in Pisonem? Sed planè animi sui causa, ludos nobis idiotis relinquet. Et in eadem: Ea contemnis, quę illi idiotę (ut tu appellas) praeclara duxerunt. Et in Verrem sexta: Non modo istū hominem ingeniosum & intelligentem, uerumetiam quemuis nostrū, quos idiotas appellat, delectare possent. Hinc idiomata, ut aromata, ut themata, ut peristromata, ut emblemata, ut toreumata, ut alia mille uenerunt. Fac. Neq; nunc de pecunia res est, de qua si certaretur, pudendum uobis erat, tantulum sumptum regi uestro non gratificari. Sed de pudore meo, de autoritate huius sedis, de fama apud exteras nationes. Quo magis magisq; tua lego, eo magis inscitiam tuam intelligo. Pudorem dicis quod honorem dicere debuisti. Neque enim id pertinet ad uerecundiam, sed ad honorem ac dignitatem regiam, quòd regi suo non gratificarentur. Melius itaque & correctius loqui disce. Lau. Vter correctius loquatur pronuncient iudices. Cicero pro P. Sylla: Si suus pudor ac dignitas nō prodesset, nullum auxilium requisiuit. Et pro eodem dico illud quod in his causis coniurationis, non autoritati assumo, sed pudori meo. Idem pro Quintio. Denique omnia potius, quàm ius, quàm officium, quàm pudorem. Idem pro Flacco, Septimio ac C. Caelio testibus P. Seruilius & M. Marcellus huius pudoris integritatisq; testes, repugnabunt. Idem pro Archia. Quare conseruate hominem pudore eo quem uidetis amicorum comprobari, tum dignitate, tum etiam uenustate. Et de legibus: Quid uerò de modestia, de temperantia, de continentia, pudore, pudicitiàq; dicemus? Quintilianus cum alijs plurimis in locis, tum uerò in prima declamatione, quę sic incipit: Sentio iudices pudori iuuenis pro quo minimum est, quòd parricida non est, grauissimum uideri, quòd absoluendus est contra nouercam. Cuius discipulus Plinius & ipse Orator eximius in epistola ad Amicum scribens de honestissima muliere, inquit: Neq; enim aderat alius, qui defunctę pudorem tueretur. Vlpianus libro 23. de sponsalibus. Palam quaestum facere, non tantum eam quę in lupanari se prostituit. Verumetiam si qua, ut assolet in taberna, uel quę alia pudori suo non parcit. Idem libro 47. de iniurijs, & fam. lib. Aut si carmen scribat, uel proponat, uel cantet aliquid, quod pudorem alicuius laedat. Si placet historicus, accipe Caesarem commentario primo: Vt quàm primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atq; officium, an timor plus ualeret. Infinita sunt huiusmodi testimonia, quorum unum tibi decantabo è triuijs:

Productus testis (saluo tamen ante pudore)
Quantumcunq; potes celato crimen amici.

Est ne hoc loco pudor, idem quod uerecundia, ut dicebas, siue ut correctius loquamur, confusio illa mentis, quoties facti nostri pudet? Qui pudor te si homo esses tenere deberet, quòd amicum falsis criminibus accersisti: & pudorem eius, ad quem tu nunquam aspirasti, laedere tentasti: qui correctius etiam meliusq; dixisses, eo magis magisq;, ut cum illo congrueret, quanto magis magisq;. Vter igitur ab utro discet melius et correctius loqui: ego abs te, an tu à me?

DE

## DE CONFVTATIONE VERborum Facij. Cap. II.

NEque uerò scripta mea tantum, sed, ô incredibilem furorem, quod etiã locutus sum, ut minus polite dictũ carpere nõ pudet, in quarta inuectiua. Respondebo enim huic reprehensioni uerborum, prius quàm obiecta refutem sententiarũ. Fac. Qualis enim sermo tuus est, talis est profecto oratio, quem multi iudicio decepti, quòd sunt ignari eloquentię, disertum & tersum putant: qui si quid in his studijs profecissent, facile deprehenderent, linguam tuam non Romanam esse, sed barbaram. Ego uos puniam ambos, minitaris Antonio, & mihi dixisti in conspectu regis, ne dicam cætera inepta, atque irridenda. Sed si Romane & Latine loqui scisses, non uos puniam ambos dixisses, quo rudius & inornatius dici non potuit, sed utrique meritas referam gratias, uel utrunque ulciscar. O quàm multa notarem in sermone tuo, si te audire uellem, sed insanum ac dementem præsertim in nugis, quibus affluis non audio, quæ multi ut belle & ornate à te dicta laudant, & mirantur: Verum non ex sermone iudicatur hominis facundia & doctrina, sed ex scriptis & operibus, quibus maior uis ingenij, maior ue cogitatio & cura adhibetur. Conferantur tua scripta cum meis, & æquum habeamus iudicem, tunc uidebis, quàm parum disertus sis. Lau. Differo respondere conuicijs tuis. Interim te teneo ex tuis uerbis prius uos contra historias meas scripsisse, quàm ego te uerborum ulla contumelia afficerem. Siquidem ista quæ in me reprehẽdis ut barbara, postridie illius diei, quo cũ Antonio iurgatus sum, quoque die contumelia te affeci, dicta sunt, cum tu ad ulciscendam hesternam iniuriam, uel ad patrocinandum potius Antonio uenisti. Et certe minitari se ulturũ, eius est non qui fert, sed qui accepit iniuriam. Nunc ad tuam uerborum meorum reprehensionem: Qualis inquis sermo tuus, talis est oratio tua. Quippe uis hunc in pronunciando, illam esse in scribendo. Quam differentiam quis quæso te docuit? profecto non Cicero, Quintilianusq́ꝫ: qui uolunt orationem, cum proprie accipitur, sic à sermone differre, quòd hic sedatior, remissior, pressior, ac tenuior, qualis philosophorum: Hæc ut in qua ornamenta, amplificationes, affectus insunt, popularibus accõmodata sit auribus. Ideóqꝫ Oratores uocari, qui istiusmodi genere utuntur, ut declaratur ex superiori Ciceronis exemplo. Non enim alia sermonis, alia contentionis uerba. Sed hæc te accusant, non me ab accusatione defendũt. Dixi uos puniã ambos. Esto, rudis & inornatus sit sermo. Si negaro meum esse quo me teste conuinces? Nemo animaduertit, nemo notauit, quum ipse reprehendisti, si dignum erat reprehensione: Non erat inquies minus grammatice dictum, sed minus eleganter, aut minus ornate. Ideo non reprehendi. Concedas ergo te stulte obijcere, quod nequeas probare. Sed age concedo à me dictum. Vtrum igitur magis uitiosum, grammatice & latine, licet inornate loqui, an ut uos facitis idiotarum uerbis? quibus apud eosdem iudices cum exprobarem imperitiam dicendi, ne lacessitis quidem fiducia fuit literate loquendi, ne uidelicet in errorẽ incidatis. Ex quo reprehendere iure uestro potestis errata cæterorum, qui ipsi nunquam erratis, nimirum semper iacentes nequãdo cadatis. Nescimus, inquis, eleganter loqui, sed scribere. Conferantur tua scripta cũ meis, & non pudet uos meorũ accusatione scriptorũ non esse contentos? & unum in aliena facie deridere næuum, ipsos tota facie ficosos. Ex scriptis & operibus non ex sermone iudicatur hominis facundia, & doctrina. Quid sibi uult ista oratio? Ais ne me facundum & doctum, an negas? Si ais, cur linguã meam non Romanam uis esse, sed barbaram? cur inornate me locutũ ac



sermo pro dicere } indole di... oratio pro scribere } ...
Punire pro ulcisci, uel grates referre
Ambo pro uterqꝫ
Vlcisci iniuria, cuius est accepisse
oratio & sermo } quo differant
Ambo
ficosus

ruditer? Cur multa huiusmodi te posse in meo notare sermone? Si negas: cur inquis non iudicari facundiam atque doctrinam? Hoc contra illos dicitur, quasi loquendo facundi sint. Vides'ne dementissimo dementior, intra tam pauca uerba te loqui repugnantia, atque contraria? Quanquàm ô doctum & oratoriæ artis peritum, facundissimi quique oratores, uel Romani, uel Græci, nónne ex dicendo tales habiti sunt, uel magis quàm scribendo? Furiose qui te damnare iudicium publicum non sentis, hoc est regis aliorumque, quos ais, quia putent me disertum & tersum, quodque laudent & mirentur me ut belle & ornate dicentem, iudicio decipi, tanquam ignaros eloquentiæ, nec habentes aliquos in his studijs profectus: quasi aut tu plus habeas eloquentiæ, aut non sit optimus iudex oratorum populus, quod Cicero frequentissime Quintilianusque testantur. Longa mihi in hoc suppeditaret, nisi assidue breuitatẽ sectaretur oratio. Eoque regi (quatuor enim extitistis) persuadere conati estis, & cæteris sedulo persuadere conamini, me multo melius loqui quàm scribere. Non sum ergo infacundus, uel uestra confessione. Et tamen non talem esse probare niteris, idque duobus uerbis. Ex duobus'ne uerbis minus ornatis, omnis mea facundia periclitabitur? ob hæc duo barbarus ero? Ego uos puniam ambos. Hæccine adnotationem legisti? Nihil est quod minus culte, minus eleganter, minus diserte dixerim? Profecto nihil. Alioqui id potius obiecisses. O meam singularem Demostheneamque facundiam, in cuius non scripturis, non accuratione aliqua oratoriæ, non saltem præmeditata, sed extemporali tumultuariáque et obiurgatoria altercatione, nec apud eruditos (si aduersario credimus) quicquam notari potest minus ornatũ, quàm ego uos puniam ambos. Quod tu in loquendo quidem infans, sed in scribendo pristinæ facundiæ, emendas, mutans ambos in utrunque, & puniam in ulciscar, uel meritas referam gratias. Quid ais? an ambo in usu non est? ut apud Terentium: Opportune, ambos uos uolo. & T. Liuium: Quos cum pariter ambos benigno uultu excepisset. Et iterũ: Sicque eos ambos coronis muralibus donare. Et iterum: Ambo præoptantes exilio modicã domi fortunam. Et iterum: Tarquinios reges ambos, patrem uoluisse, filiũ perfecisse. Quòd si usitatũ apud autores est, superest ut probes me improprie usum, Hoc nõ facis Fatue, igitur accusas. Nũc de punio, quod duobus modis accipitur, uno cũ sontes plectimus: altero, cũ inimicos ulciscimur, quorũ utrunque uobis cõuenit, quos uel pro furibus proditoribusque, uel pessime de me meritis mulctare debeo. Cicero de officijs: Sunt autem quædam officia, etiam aduersus eos seruanda: à quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi & puniendi modus: atque haud scio an satis sit, eum qui lacesserit, iniuriæ suæ pœnitere. Idem pro Milone in Publium Clodium: Tu me iratum Sexte putas tibi, cuius tu inimicissimum multo crudelius, etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ postulare? Et pro eodem: Valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris sui. Et libro primo Tusculanarum quæstionum: Cum multi inimicos etiam mortuos puniantur. Errauit'ne Cicero, quòd punitus inimicos, & Liuius cum Terentio, qui ambo eodẽ quo ego modo dixerunt? At tu emendas elegantius. Sit ita sanè, loquebar ego ex tempore, non scribebam ut tu fecisti. Sed qui fieri potest ut elegantius, cum sic loquantur tam magni autores, quos tu furiose in me reprehendendo reprehendis? Quæ ratio alterum tuæ emendationis modum ut ineptum refellit, cum tamen non mei defendendi, qui iam absolutus sum, sed tuæ facundiæ perpendendæ atque existimandæ gratia inspicere uolo. Ais debuisse me dicere, meritas referam gratias. Ecquis me intellexisset eorum qui aderãt? apud quos exquisitior sermo superstitiosus fuisset. Quotus enim quisque tenet differentiam inter gratias ago, habeo, & refero? mentior, nisi tu quoque cum

Panhormita

dicere & scribere

Ambo & idem est indifferenter uterque

PVNIO.

Panhormita collega tuo istam elegantiam ignoratis, etsi à me in elegantijs tradi
tam. Nam ut inoleuit apud plerosq;, iam inde aliquot seculis opinio, refero gra-
tias, idem esse quod ago gratias. Ideoq; me dicentem gratias referam aliter acci- *Refero gratiam.*
pissent, quàm ego sensissem: sic apud eruditos minus latine dicitur, cũ refero gra
tiam sit dicẽdum. Quam elegantiã uix ulli nostrorũ temporum animaduersam
cum traderem, attuli apertissimũ ex Liuio exemplum: Hic afferam æque apertũ,
sed tuo ingenio clausum, ex Cicerone pro Plancio: Cui pro me senatus gratias
agendas putauit, ego à me gratiam referendã non putem? O te scitum correcto-
rem? O politum emendatorem? qui lotas alteri manus tuis illotis, atq; omni ma *scripta &*
dentibus illuuie conaris abluere. Cuius ex illuuie & illud est quod ais, scriptis & *opera.*
operibus: quasi scriptis nõ complectamur opera, & prius ruditer deinde inorna
te, & ue, pro q;. Taceo quod dissipate, & eadem sæpius loqueris incipiens tunc *ue, pro que indocte.*
cum desinis. Quibus uerborũ rerumq; uitijs ubiq; scates, & in isto ipso opere de
felicitate, de quo mihi aliquid nunc dicendum est. Ais enim. Fac. Præsertim
cum te audiam maledictis & obtrectationibus haud finem facere, librumq; meũ
de uitæ felicitate carpere, atq; contemnere. Et iterum: Nunc tantum superest, ut
libri de uitæ felicitate quem uituperas, defensionem subeam. Reprehendis, ut au
dio, quòd colloquutores nõ fecerim sæpius repugnantes, & præcipue, quòd La
mola facilis sit in assentiendò his quę Guarinus asserit. Lau. Testor fidem, tu
cogis in aliud me uenire certamen. Nimia confidentia niteris, supramodum te ia
ctas, & ad prædam tuorum gregum armatum hostem solicitas. Ego tuum opus
uix sumpsi in manus, cum illud communis amicus, abs te legendum accepisset,
in quod me nihil ante iniuriam acceptã dixisse uelis nolis ipse testaris, qui in pri
ma inuectiua huius meæ detractionis non habuisti mentionem. Ex quo manife-
stum est, quicquid dixi, id me iusto commotum dolore dixisse. Quãquam quan
tulum est, quod in te reprehendo. Si libros tuos, quos tu librum uocas, perlege- *librum pro libris .i. opere*
ram, licet agnoscas modestiam meam, qui ex plurimis qualia in historia illa, & *indocte*
inuectiua notaueram uitijs, ut mox ostẽdam, unum notaui, ac uix notaui. Si non
perlegeram, sed primas tantũ paginas euolueram, non potui colligere uitia tua,
non quod potuissem, uulnera inflixi, id est, non debes tu tantopere iniuriam ex-
postulare, non debes propterea efferri insolentius: nam ut rem tibi aperiam, par-
ticulam tunc operis inspexi, nõ tuo, sed alieno chirographo scriptam. Postea ue
ro cum tibi rescripturus essem, ad ipsum Archetypum ac chirographum tuum,
non dolo malo, non fraude, non proditione (ut uos in me egistis) sed prudentia
& uera uirtute perueni: quomodo sagacissimus Imperator latronum latebras, &
piratarum receptacula peruestigat. Teneo itaq; te tua manu, ut nulla tergiuersa-
tione, nullo mendacio queas effugere. Miraris, quòd fore non credideris, tuam
scripturam in meam uenisse potestatem: sic mirari prædones solent, cum suamet
arte capiuntur, quod quanti momenti sit, paulo pòst apertius senties. Quam ob
rem fallaci fiducia mihi insultas, inquiens. Fac. Cur me inelegantiæ nõ carpsi
sti? cur non falsæ latinitatis, ut ego te fons elegãtiæ & eloquẽtiæ flumen? Lau.
Quasi non te correxerim in inuectiua, atque historia, hoc non modo immemor,
sed etiam ingrate: licet non omnis immemor ingratus, nisi referre gratiam uolui
sti, & amice emendantem inimicissime carpere. Cur non te carpsi inquis falsæ la-
tinitatis? En te carpo. Vbi enim falsam legisti latinitatem? ubi carpo cum geniti
uo sicut accuso? Cur non inelegantiæ? ubi inelegantiam legisti? quod, sicut infa
cundia & ineloquentia, uidetur mihi in usu non esse. Fac. At te pudor tenuit?
At ille pridem in te extinctus est. Lau. Quis pudor tenere me debuit? nõ me-
cum propinquitate coniunctus, non de me bene meritus, non magnæ inter tuos
opinionis & famæ. Nihil minus restat pudor ille, ne inimici operi detraherem.

Fac. An timor & audacia perdita? Lau. Quisnam timor? ne hoc quidē exprimis. Eadem uesania, nisi uis ab omnibus intelligi fulgurans fulmen tonantis eloquentiæ tuæ mihi fuisse extimescendum. Fac. An religio: at contra fidei nostræ doctores inuectus es. Lau. O fustuario digne, religione retentus sum, ne libros tuos carperem? Nunquid sacer tu sacratusq́ue es, ut in te formidemus dicere, nisi in Panhormitę sacrario, ubi frequens es, deo fuisti initiatus Phœbo uel Baccho, uel Veneri? Et quoniam de religione agis, eaq́ue uis me retineri debuisse. Vide quàm retinear, qui illa te male utentem reprehendo. Vbi enim pro religione nostra apud Paulum, apud Euangelistas, denique apud Hieronymum inuenisti fides nostra, cum, ut ille testatur, fides sine apposito dicatur, pro religione Christiana? Nihil ergo aliud est ad Pammachium inquiens, nihil enim prodest, absque operibus cœlibatus & nuptiæ, cum etiam fides, quæ proprie Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur. Fac. Nihil ergo aliud est, quòd destiteris, nisi quia eiusmodi, quod reprehenderes non reperisti. Lau. Quòd destiteris posuisti pro eo, quod est, cur prohibitus sis, cum desistere sit ab incœpto desinere. Atqui ego non incœperam tuæ linguę uitia carpere. Quòd si intra tam paucos uersus, tam multa in te notaui peccata, quid in libris illis existimer fuisse facturus? Sed absit à moribus meis in quempiam, ut ueteres aiunt, caninam exercere eloquentiam. Tu hanc modestiam, lenitatem, grauitatem meam, interpretaris diffidentiam: & ob id mihi sine ulla moderatione insultas. Et quo modo post hæc lauta conuicia, possum non de opere tuo isto tam præclaro dicere, recederéq́ue paulum à natura? &, quoniam in scænam intrare coactus sum, fabulam peragam: Dicam itaque primum de uerbis tuis: secundo loco de rebus, ut tibi reddam rationem. Vbi, quod ad uerba attinet, docebo non modo, quemadmodum loquaris emendatius, uerumetiam quemadmodum inemēdate loquentem castiges, & si tibi etiam cordi est carpas. Breuiter enim & modice facere debueras in me, ut nunc ego in te, licet à te prouocatus impulsusq́ue. Fac. Multaq́ue ab antiquis & contemporaneis nostris grauiter, & ornate scripta occurrerent. Lau. Apud quem contemporaneos legeris doce: ueteres enim, & qui Romane scripserunt, æquales huiusmodi appellant: Poëtæ æquæuos præcipue senes: nonnulli recentiorum coæuos, & coætaneos. Fac. In quem regem de uita beata libellus conuenire potest magis, quàm in te? Lau. Conuenire tibi dicimus, non in te ut alio loco admonui. Fac. Et multa uerba de mutua ualitudine. Lau. Quid sibi uult istud mutua ualitudo, quod non modo exemplis, sed etiam ratione dicere prohibemur. Nam sicut recte loquimur mutuus amor, mutua beniuolentia, mutuum odium: ita perperam mutua sanitas, mutuū robur, mutuum ingenium, doctrina, opes, uires, ualitudo: quippe cum hæc, ut illa, inuicem non respondeant. Fac. Sed de omnibus unum atque tanquam de parricidis, & sacrilegis iudicium tulisti. Laur. Habere iudiciū quis dicitur, non ferre, sed sententiam sicut superius probaui. Fac. A quo nedum re, sed etiam uita spolietur. Lau. Si diligentius elegantias legisses meas, quanquā nunc ex historijs, ut uideo, multa didicisti, sic dixisses: à quo uita spolietur, nedū re. Semper enim nedum secundo uerbo applicatur, ut in elegantijs latius. Fac. Prosperis illorum rebus collætantur, aduersis uero contristantur, & condolent. Laurent. Profer autoris nomen, qui te docuit isto modo loqui, collætantur, contristantur, condolent, præsertim cum hoc datiuo seu ablatiuo: Nam peritorum huiusmodi loquendi consuetudo. Ob prosperas illorum res ipsis gratulantur: ob aduersas miserentur, eorum uicem dolent. Fac. Alter suorum manu, ut quidam putauerunt, enectus, mane inuentus est mortuus. Laurent. Quasi uero qui noctu occisus est, posset mane uiuus inueniri. Nescisti enim quod uoluisti, quale

quale est Liuij, Vt & uno ictu transfixum per latus occiderit, hoc est, transfigen gendo occiderit. Et Ciceronis, Atq; hunc ille summus uir scelere solutũ periculo liberauit: id est, scelere soluit & periculo liberauit, quæ duo diuersa non sunt, ut in tuis enectus & mortuus. Ideoq; Liuius secus, ac tu dixit. Fac. Tandẽ qui obuersati uestibulo Tribuni fuerant, nunciant domi mortuum esse inuentum. Lau. Sed hoc rei forsitan uitium est, illud uerbi enectus, cum necatus dicere debueris, nõ modo quia ille quem significas ferro est interfectus, & necatus interdum sine ferro, ut apud Ciceronem, ueneno necatus. Et Quintilianũ, fame necatus: sed quia semper apponitur ad enectus genus pœnę, ut gelu & illuuie in transitu Alpium enecti Carthaginienses enectus siti Tantalus. Manibusq; non manu suorum dicere debebas. Fac. Cum multos uideam uiros, summo loco natos, militiam proficisci. Lau. Vt militiæ pro militia usitatum est. Vt apud Liuium: Hoc anno domi militiæq; gesta: sic haud scio, an militiam pro in militiam repererim, ut apud Terentium: In militiam proficisci gnatum Cliniam amantem Antiphilam compulit durus pater. Fac. Verum ut hanc partem breuiter absoluamus, haud longioribus immorabor. Lau. Longioribus ineptum est uerbum, quia nec breuioribus dicimus, sed paucioribus. Igitur pluribus aut multis, aut certe longius siue diutius, fuerat aptum uerbũ, sicut breuius. Fac. Est profecto difficile: dissuadere hoc uulgo. Lau. Si elegãtias meas studiosius euoluisses, nam aliquid illinc, uel per te, uel per alios hausisti, scires nõ in euentu positum esse dissuadere, sicut nec suadere: persuadere uero in euentu siue in effectu. Itaq; non est difficile dissuadere: quia nec suadere sed persuadere, quod dissuades uel suades: id est, inducere eos, quibuscum loqueris, in tuam sententiam, ut aut non sentiant, quod tu ais non sentiendum, aut sentiant quod ais sentiendum. Fac. Sed num existimabis, uel Scipionẽ, uel Hannibalem, uel Fabium fuisse contentos? Lau. Contentos pro felices, accipis præter eruditorum consuetudinem, qui sic loquuntur, Paruo natura contenta est. Præterea cõtra grammaticam locutus es, cum singularis numerus hoc loco ob disiunctiuam requiratur. Fac. Præterea nominis illa diffusio, quam tu magnam atque optabilem rem iudicas. Lau. Improprium est nomen in hoc sensu diffusio, duntaxat in prosa. Fac. Tamen peruicacia quadam inducti opiniones obstinate defendunt: quos etiam longe magis reprehendendos putarim, quàm eos qui scienter: docti tamen & eruditi contra ueritatem pugnant, ut aduersariorum argumenta perspiciant Lau. Scienter pro scientes posuisti, cum scientes idem sit quod consulto, uel de industria, uel dedita opera, uel non sciendo: scienter uero quod docte & perite artificioseq; ut in elegantijs. Etiam peruicacia defendere & obstinate, idem est. Fac. Propterea perfici quod cœptum est hodie, quàm in crastinum extrahi præopto Lau. Extrahi est extendi non differri. Ideo melius paulò ante dixisti, nisi forte in crastinum diem afferri mauis. Fac. Ea dico quæ magis. uel defensa, uel impugnata fuerunt, quàm breuius potero exponam. Laur. Quàm breuius apud eruditos inauditũ est, sed quàm breuissime, & item in cæteris de quo latissime in elegantijs disserui. Fac. Quos libros quodã die apud communem amicum offendi te legentem, quos si perlegisses, ac sæpius relegisses, melius tecum actum esset. Lauren. Tamesi in his quæ illinc, siue per te (ut superius dixi) siue per alium accepisti, quàm gratus, ipse tibi es conscius. Fac. Excellentem primo corporis figuram & staturam arrectam. Lau. Sallustius qui nõnullis in uocibus quasi parum uerecundis à quibusdam reprehensus est, de animo nũquam dixit arrectus, de corpore autem, ut tu, quantum memini nũquam, nec ipse, nec alius nisi poëta. Erectam igitur & honestius, & magis propriũ fuerat. Fac. Num Brutum Romanæ libertatis autorẽ, filios

securi

securi percussos uoluptatis gratia peremisse? Lau. Idem quod superius uitiũ, quoniam non sunt duo diuersa securi ferire, & perimere: satis erat, ac satius dicere, securi percussisse. Fac. Cum quidē illa alterius extrinsecæ rei causa expectatur. Lau. Ex hoc in superioribus notauimus, non nomen, sed aduerbium esse extrinsecus, ut intrinsecus, ut altrinsecus, ut secus unde componitur. Fac. Sed cum cōmune quodq; bonũ & mediocre non possit abs te cōparari. Lau. Communissimum quodq; bonum dicimus, non commune, Tribuimus enim quisq;, quæq;, quodq; superlatiuo: omnis autem positiuo, ut in elegantijs copiose disputaui. Fac. Arrigendos in cœlum oculos, aut religionis gratia, aut rerũ diuinarum cognitione. Lau. Non admoneo iterũ fuisse uitandam uerbi obscœnitatem, sed solœcismũ esse, cognitione, pro cognitionis, uel ob cognitionem, Fac. Quantislicet animi & corporis, & rerum externarũ bonis plena sit, non miserrimam iudicet. Lau. Quantislicet oro quantiscunq;, quo autore dixeris nescio. Fac. Equidem mihi intelligere uideor nos, ita natura comparatos esse. Lau. Nusquam legi natura cōparatos homines esse, sed genitos, sed creatos, sed generatos, sed factos. Cōparatum autem natura dicimus, sicut comparatum legibus, cōparatum moribus: ut in elegātijs. Fac. Vbi plura bona insunt, quàm omniũ mortalium linguæ effari possunt. Lau. Dicendum erat quàm ut ea, uel quàm quę omnium mortalium linguæ effari possunt, ut in elegantijs. Fac. Quorum nũc planctus perhorrescimus, quorum'ue ortus, & occasus tanta cura & formidine obscuramus. Lau. Ve, semper pro q; accipis, quod pueris etiam plerisq;, qui grammaticam docētur, notum est, idem esse quod uel. Fac. Quibus profecto quo ad splendorem illustrius, quo ad ornatũ & uarietatē pulchrius. Lau. Iterum reprehendi hoc uitium. Tolerabilius seu melius, si dixisses, quantum ad splendorem attinet. Fac. Eiusq; immensam potestatem, ac sapientiam spectēt atq; perpendant. Lau. More non sanè facundorũ scriptorum, accipis perpendunt, pro intelligunt, cum perpendere sit exacte cōsiderare, ut in elegātijs. Fac. Vt cum illo beatorũ cœtu cōgaudere ualeamus. Lau. Tuo uitio, quod in me uitium non est, cum te tuis artibus refello, sæpius reprehendo. Nam ubi apud illos, ad quorum tribunal me citas, congaudere legisti? Atq; hæc hactenus. Non enim quicquid ferarum in saltu isto est indagauimus: eas tantum quæ in transitu inuestigantibus nostris canibus oblatæ sunt, cœpisse contenti. Illum quoq; leporem, quem in epistola ad Robertum Stroziam scripta, & in calce codicis adscripta, uelut in extremo saltu cubantē, nostri canes odorati sunt, capere libet. Fac. Et è contra, quæ mala ad alias species deuenere. Lau. Cicero & eius similes è contrario, uel contra non è contra, sicut nec de longe, nec de propè dixerũt. Potest & illud, siue inter uerborum uitia addi. Fac. Partes dialogi. Lau. Quasi aut sint aliquę partes illius dialogi, ut Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorũ, siue nominatim singularium personarũ, ut tibi dedi partes Antiochi, mihi sumpsi Archesilæ: aut partes omnes, quæ in dialogo sunt tribuantur uni, quod neq; fieri potest, neque tu sentis.

## DE INEPTITVDINE RERVM ET SENTENTIArum in opere Benedicti Facij. Cap. III.

Venio nunc ad rerum uitia, nec tua subijciam uerba. Nam totidem libris opus esset: sed eatenus de illius uniuersitate pronunciabo, quatenus crimen, quod mihi obijcis ut tui operis detractori, dilui possit, & quales isti libri (ob quos superbis ut sybilla dignos) sint, iudicari. Quæreris quòd audisti me in illis notare, quod feceris collocutores

cutores non sæpius repugnantes. Et præcipue Lamolam nimis in assentiendo facilem: huic responsioni, postquam satisfecisti, ut tibi persuades: quod an ita sit, mox uidero. Ad extremũ omni uerborũ petulantia debaccharis, quasi nõ unam notã obiecerim, sed inuectiuas in te, ac Philippicas scripserim. Quod meum crimen, quale sit, tuo unius probabo testimonio. Sed ero beuior, quoniã tibi responsum satis esse potest ea epistola, quam Roberto Strozziæ, uiro claro, scripsi. Verba autem epistolę hęc sunt: Animaduerti ex tuis literis perbreuibus, id quod per hosce dies ex te audiui, uideri tibi Lamolam, cui partes dialogi mei tribuo, nimis facile concedentem omnia Guarino: quod & quidem alius, quem honoris causa non nomino, dixisse fertur. Ait enim Lamolam uictas ubiq; præbere manus, quasi nescientem obiectam confutare. Ab ista oratione ut me tibi dixisse memini, pace tua loquar, longe Roberte dissentio: En idẽ & mihi displicuit & illi: imò & illi & mihi. Siquidem prior ipse uidetur annotasse, cum in uestro colloquio, non sit habita de me mentio, & eisdem quibus ego uerbis notasse. Nõ ergo pro atroci iniuria existimandum sit, si feci quod alius & doctus, & grauis, & amicus tuus fecit. Ille prior, ego posterior: ille apud te, ego apud eos quos tibi renũciaturos non credidi: ille literis, ego uerbis: ille sępius, ego semel omnino: ille sua sponte, ego rogatu quorũdam: ille accusator, ego iudex, testis'ue: ille satisfieri sibi postulans, nec admittẽs satisfactionem tuam, ego sic loquutus sum, ut iure optimo queam negare si uelim: ille absens, ego præsens, & quod omnium maximum est abs te iam plus quàm grauissime lacessitus: ut incredibilis quædam uideri possit mea lentitudo, modestia, lenitas, mansuetudo, patiẽtia, quòd me nõ aliter ultus sim. Et tu uir ferox, immanis'q; natura, tantulum ferre non potes, exæstuas, & in me ferro, igni, serpentibus armatus irruis, à te quoq; ipso dissentiẽs, cum inquis: Hæc sunt bone Laurenti, quibus motus sum, ne frequentiores cõtradictiones in libello meo induxerim. Sed eum tibi improbari facile fero, modo illum probari sciam & theologis & oratoribus omnibus, quibus illũ antequã ediderim ostendi. Cur non probatur hoc ipso in loco Strozziæ tuo? Certe uirum clarum appellasti. Caue ab oratoribus eum, theologis'q; seiũgas, quem nequaquam reor ipse seiungendum. Nam cæteros, qui iudicare possunt, atq; adeo omnes qui inspexerunt opus illud, scio contemnere. Quod cum ita sit, quid inani gaudio mihi gloriaris infelix: quid te falsis (ut inquit Vergilius) ludis imaginibus? A qua insania, quantum in me erit, te reuocabo: nec perire sinam, nec Hippocratis aut elleborum, aut uincula denegabo. Existimas et Roberto, & mihi, & cęteris, siqui te alij istius erroris monuerunt, satisfecisse, similis ebrio, se ebrium perneganti: cum, ne multa repetam, inquis: Itaq; cum scirem Lamolam natura facilem, & non pertinacem esse, uolui hominem secundum naturam & consuetudinem eius disputantem facere, ne contra decorum uiderer agere. Si uero te disputantem induxissem, quem scio contentiosum, repugnantem pertinacem, ab opinione tua nunquam recedentem, putassem equidem me contra decorum facere, & reliqua. O caput fanaticum ac uesanum, ut iam de opere tuo pronunciam, intelligas'q; qualis fuerit hactenus in me moderatio: quid magis decoro cõtrarium, quàm eam personã facere disputantem, quæ disputare, aut nesciat, aut nolit. Tradere arma, uel ad uerã, uel ad umbratilem pugnam, ei qui ad primũ statim congressum terga uertat, tela ponat, & se, antequam uictus sit, uictum esse fateatur? Nescis quæ sit natura disputationis? Eadem profecto quę pugnæ. Aut non descendendũ est in certamen, aut acriter decertandũ. Tu cum ueritatẽ, cum summum bonũ, cum felicitatem inuestigare te prędices, & alijs uelle ostendere, non ipsius naturæ rationibus, sed cõfessione disputantis ex aduerso probabis? Est facilis nimium ad cõcedendum Lamola? fecisses alium minus facilem. Neq; enim historiam, neq;

dialogum scribis, ubi pro nostro arbitratu sermonē, cui uolumus, attribuimus.? Vbi non orationem personę, sed personā orationi accōmodamus. Vbi nihil admodum refert quis, sed quid loquatur. Nam personā ferè, aut autoritatis gratia, aut uenustatis asciscimus. An ita te M. Tullius, cum alijs multis in locis, tum uerò in Catone maiore facere docuit? Cum inquit: Omnem autem sermonē tribuimus Tithono cuidā, ne parum autoritatis esset in fabula: Sed Marco Catoni seni, quia nulla uidebaē aptior persona, quæ de ætate illa dissereret, quàm eius, qui & diutissime senex fuisset, & ea in ætate præ cæteris floruisset. Tu attribuis primam (quæ asperrima solet esse) pugnam homini, si tibi credimus, imbelli, pauido, &, ut semel dicam, præuaricatori. Præuaricator enim est, ut Vlpianus definit, qui causam aduersario suo donat, à parte actoris in partem rei cōcedens. Quanquam peruicacissime fatuorum, non est quòd mollitiem, segnitiemq́ disputātis accuses, ut in alterū crimen refundas, amicumq́ uituperes. Noui hominē & constantem, & retinentem suæ dignitatis, atq; uirilem in disputādo. Qui tibi forsitan idcirco leuior uidetur, quia ipse furiosus es. Quid dixi uidetur? imò istud ad tempus finxisti, istud stultitiæ uelamentum prætendis: nam non Lamolæ sermonem, sed tibi attribueras homini, ut stultissimo, sic pertinacissimo, ut ex ipso libro, qui penes me est manu tua scripto docetur. Vbi tuo nomine cancellato, illius induxisti. Quid habes nunc fatuissime, quod contra hiscas? dic nunc te deseruire uoluisse personæ. Teneris nunc, teneris non modo pro inepto, uerūetiam pro mendaci, atq; periuro. Quantopere nunc torqueris & rumperis, fur alienorum librorum, quòd libros contra te tuos exhibeo, quòd tua te manu conuinco, iugulo, strangulo, & furem ad se suo laqueo suspendendū adigo: Sed ô incredibilē inauditam q́; dementiā. Nō tam mollities ac stultitia singularis est, in defendēdo proposito, quàm in proponendo. Quis enim, ne omnia prosequar, quamlibet pertinax, & te, si fieri potest, pertinacior, ea defenderet, quæ facis illum proponentē? An si quis dicat hominis felicitatē & beatitudinē esse, agricolationi operā dare, aut militiæ, aut principum sequi aulas, aut cōsequi sacerdotiū (Hæc nanq; & huiusmodi subinde, pro beatitudine proponuntur) diu perstare in sententia uelit? Quæ etiam cōfutare conari ineptum sit, nedum confutanda proponere, prorsus ut si sibi quis præuaricatorem aliquem apponat, quo melior ipse patronus existimetur. At enim discipulus Guarini Lamola fuit. Sileo quàm decorū sic in dialogo pluriū, discipulū, & hunc assidue, cum præceptore cōtendere. Ideóne pueriliter interrogantem, & plusquam pueriliter induxisti? Egregia profectò ratio, & per Iouem lapideum egregia. Putas me iocari? Opto sit ille propicius fatuis, & laurū solito feriat fulmine, infestario loquor. Tibi enim omnibus pueris stultiori, sermonem illum stultissimum attribueras: ut fatuè pugnam inires & relinqueres. Hactenus de una persona, de qua quid sentirem, aperte me pronūciare coēgisti. Quid de duabus alijs, Guarini, & Antonij Pāhormitæ? Nēpe tui es similis, de quibus, ut cumulatius nostrum sit in te beneficium, etiam pronunciabo, cum duos uerborū errores in superioribus tuis dictis notauero. Vnū, quibus illū antequam ediderim ostendi, cū dicere deberes, antequā ederem, uel antequā edidi: uideris enim nondū edidisse, quale est, anteq́; peccauerim uis me accusari, & antequā ediderim libros nolo transcribi. Alterū, uolui hominē secundū naturā & consuetudinē eius disputantē facere. Pro suā dixisti eius. In personis, tum cōmuniter, tum separatim, peccatū est. Cōmuniter quidē, quòd hi duo nunquā in mutuū uenere conspectū, q́ hoc tēpore, quo sermo fingitur, collocutores sicut iam plurimis annis in diuersissimis prouincijs agūt, q́ inter se non amāt, & tacitas simultates gerūt: Cū Guarinus se spoliatū ab Antonio libris, hic se ab illo spoliatū fama, etsi semper fuit infamis, existimat. Separatim uerò, quòd Guarinus Græca

rum literarum longe peritissimus, tamē sic inducitur, ut nullum Grece doctrinæ det specimen, nullamq́; significationem, nullius autorū Grecorū meminerit, nihil nisi ex Latinis gestis librisq́; repetat. At nescire te nisi lingua latina inquies. Non introduxisses Græcum hominē. Ex quo non modo decorū non seruatur, sed etiam tanto uiro fit iniuria, qui preter dignitatem suam locutus inducitur. O ubiq́; fatuum caput, ac uesanū, quem suis libris honestare conatur, eum summopere dehonestat: quanquā cui honesto uiro dignitatē addere possit tua oratio? Sed huic delicto ueniam do, nisi quod sequitur centuplo est grauius. Tu ne Guarinū ea literatura, ea ætate, ijs moribus, ea autoritate cum Panhormita cōiungis, à quo ille se & esse uult & uideri seiunctū? Gratulor hoc nomine etiā atq; etiam tibi Guarine, quòd ut Homerus, & Vergilius, Demosthenes, ac Cicero, Scipio & Lelius, ceteraq́; huiusmodi paria, uel nominātur, uel pinguntur. Sic tu qui cū Antonio Panhormita in Fatui, uelut tabula pictus aspiceris, ad posteritatis memoriam reseruaris: retulit tibi gratiam discipulus tuus, quòd illum instituit gratis: fecit quod paucorū est hominū, post annos quinq; & uiginti quā debere cœpit, cum fide satisfecit, rem et tibi & sibi decoram. Siquidē cum Panhormitā tuo consortio studet ornare, te quantum in ipso fuit, illius cōsortio uehementissime deornauit. Verū & tua uirtus & illius nequitia, & huius stultitia maior est, quàm ut dissimulari possit. Etenim ut iam de Panhormita agam, quid minus consentaneum, q̄ huic homini cunctorū scelerū exemplo, omniumq́; qui fuerunt deterrimo atque teterrimo dare sermonem de uirtute, de felicitate, de summo bono, de beatitudine, de paradiso? ut mihi materia ipsa ob ipsius personam sordescere, ac male olere uideatur. Quis enim peius de religione Christiana sentit? qui peius de moribus, de utroq; sexu, de seculi nostri pudore meruit, quàm Antonius Panhormita? usq; adeo si uera (quod fieri non potest) fuisset oratio, tamē alteri, cui uita, cui fama integra, potius attribui debuit: Lacedæmoniorū exēplo, qui cum ab improbo quodam ac minus strenuo dicta esset egregia in senatu sententia, ne talem uirum secuti fuisse uiderentur, iusserunt alium infacundum quidem, sed fortem ac strenuū eandem sententiam dicere, ut præclari consilij, preclarum sequerentur autorem. Illi malo uiro bonam orationem detrahendam, quæ eius esset, tu induendam quę sua non esset putasti. Tametsi quid simile inter illam, et hanc materiam? aut quid in illo improbo Lacedęmone fuit, horum flagitiorum, probrorum, dedecorum quæ in isto sunt? Nunquid domi suæ exoletorum lustra ut leno, uel mango publice habuit? num conuenticula aleatorum? Num contra fœminas pro pusionibus scripsit? Num pro externa contra paternam religionē uulgò disseruit? Num unam uxorē peremit, alteram quia filiam matri præponebat, amisit? Tertiā deformissime emit? Num de impudicitia sua nefandissima sic cōposuit carmine, quod opus hic Hermophroditum inscripsit, ut M. Antonius de sua temulentia? Num tantum sceleratus uir Antonius, omnium Antoniorū sentina, in quo barbaricā planè Africanamq́; libidinem agnoscas, & non etiā ignominia notes? At, quanta ignominia? Certe bis in celeberrimis Italiæ locis. Primum Ferrariæ cum Papa synodo adesset: Iterum Mediolani, omniū populorum frequentia inspectāte, per imaginem chartaceā crematus est. Tertio per seipsum cremandus ut spero: I nunc Fatue & dic te rationem decori habuisse, & inseruire uoluisse personæ. Ego uero (si qua mihi fides est) haud facile dixerim, quid scribere potueris magis, non modo indecorum, sed omnino nefarium. Atq; hęc de personis. Quid porrò ipsa tractatio, quæ cōiuncta cū eisdem personis est? Nimirum uel ex hoc satis signi erit, quòd hi duo tanquam disputantes, & suam uterq; causam defendētes inducuntur. Sed tanquam eiusdem causa patroni, ut alter alteri succedat, & succedat non quasi defatigato priori, non quasi adstipulator,

non

non quasi duo rerum capita habente materia, suum quisque pertractet: sed quam orationem alter instituit, alter exequatur: uterque stultissime: prior, quòd sine causa imperfectam relinquit disputationem: posterior, quod argumenta, quæ alter pro se parauerat, illi ipse priori inculcat, ueluti incognita referens, quæ nõ nescit eidem esse notissima. Sed quid faciat qui collocutores inducit, nisi loquendi uires seruentur, omnino circunspecta cogitatio, ut scias idem in cæteris personis, quod in Lamola fuisse cõsilium, attribuere singulis indecoram orationem, dum opus queat appellari dialogus, capteturque ab autore fauor hominum quos facit disputantes. Quanto satius erat, si disputationem eruditorum fingere nesciebas, persona tua loqui. Nõ grauiũ doctorumque hominũ, sed unius puellæ & duarum anicularũ, mihi uideris fecisse colloquiumque. Ex quo qualis stilus sit, de eo nanque ad extremum dicere habeo, satis colligi possit: de quo uelut in medio omnium, qui usquam sunt doctorum eloquentium conspectu, positus testificor. Haud ueritus insolentiæ crimẽ, si Iuliani Sedigiti uerbis dixero, Si quis cõtra sentiat, nihil sentiat. Cuius stilus eiusmodi est, ut si quos audias disputantes, nõ rationibus (ut moris est) sed lõge accersitis autoritatibus: nõ argumẽtis, sed nugatorijs testimonijs: non epicherematis, sed exẽplis, ijsque nulla diligentia, sed ut quodque uenit ad manũ: nulla inuẽtione, nulla disputatione, nullis figuris, nullis ornatibus, nulla grauitate, nulla denique ingenij cõmẽdatione, ut quiuis intelligat ac iudicet, nullũ nec naturæ, nec artis autorẽ præbere specimẽ: meliusque se de eadẽ re, quàm hic fecit disputare posse. In quibus libris, nec oratores, nec philosophi, nec theologi aliquid recognoscũt, quod planè censeri queat oratorie, philosophice, nec theologice dictum: & de quo scribere quàm disputare potius oportuerit. Nec libros esse, sed ineruditum, inconsultumque plusculorum ex quotidianis scriptoribus locorum aceruum, atque congestum. Habes meum Facie de tuo opere iudicium, ex quo licet intelligas, quanta fuerit, tum in me moderatio, ne de tuis libris omnia promerem, quæ sentirem, tum in te improbitas, quòd insultasti modestiæ meæ.

## DE RERVM ET SENTENTIARVM IN OPERE Benedicti Facij ineptitudine. Cap. IIII.

IAm tempus est, ut ad institutam sentẽtiarum disputationẽ transeamus. Cæterum nequaquam ab ratione fuerit abhorrens paulisper eam differre, tum ut ei suum librum dedicemus, & item suum quæstioni de moribus, tum ut dilatis uerborũ uitijs, quæ in meis uel sententijs, uel moribus reprehendendis aduersarius admisit, hunc librum germana ac propria materia expleamus. Hoc enim pacto nec ulla de uerbis controuersia, ubi de rebus agit̃, intercedet, et suo tractata loco, & lucidius & iucundius cognoscetur: in qua nostro instituto utemur, ut aduersarium, non recte loquentem, & breuiter & molliter reprehendamus. Fac. Non ad antarcticum polum, ut ad orientem, sed ad arcticum, qui polus certissimus est, se conuertunt. Lau. Poli duo sunt omnino, nec plures esse queunt: sicut nec cẽtrum, nisi unum in singulis globis, quas Greci sphæras uocant. Ex quo certior, non certissimus polus, grammaticus sermo est. Fac. Neque hæc quoque exornatio. Neque quæ tam uicina uolunt esse. An uidisti uspiam Liuiũ, cum de consulibus Romanis in expeditionẽ euntibus scribit, de signis quæ ferebant mentionem facere? Lau. Vidisti pro legisti accipis. Quemadmodum ergo legisti mentionem facere, pro facientem mẽtionem: dictu absurdum est, ita uidisti facere. Preterea satius erat omittere Romanis, cum cõsules nõ nisi Romani fuerint. Vt prætereant non solum consules insignia huiusmodi tulisse, nec solum in expeditionem euntes.

Fac

Fac. Quoniã eam rem dignitati populo Romano sciebat esse. Lau. Honori res sunt, non dignitati: & honor alicui habetur, non dignitas. Hic enim extrinsecus uenit: illa uero intra nosipsos est, uel in nobis apparet. Fac. Hæc porrò sententio. Lau. Tua sic incipit, qualiter nulla incœpit oratio, ut porrò sedē in huiusmodi principijs haberet. Fac. Opibus ac potentia illã ad postremũ diffinis. Lau. Pro definis, ais diffinis. Est enim definio idē quod termino, quod metior; ut termino summũ bonum uirtute, metior felicitatē uoluptate, tu definis omnia pecunia. Fac. A quibus credo id sumpseris. Lau. Sæpius admonui, te abuti coniunctiuo pro indicatiuo. Fac. Hic planè apertissime indicas admirabilem prudentiã tuam, uulgaria inducens exempla. Lau. Planè & aperte in idem significationis incidunt. Igitur alterũ redundat. Vulgaria quoq; pro illiterata accipis, nulla fretus autoritate. Fac. Vix ulla extat memoria literarũ, itemq; prodi monumentis. Lau. Libuit tibi elegantiæ affectatori imitari utrunq;, non perui denti memoriã & monumenta idem esse, ideoq; non prodi memoriã monumentis. Fac. Abessentq; à suis uiginti millibus passuum, ab hostibus uero non plus quadringentos passus. Lau. Cur alterũ numerũ per ablatiuũ alterum per accusatiuũ protulisti? Fac. Ac præterea præter historiæ dignitatē, in qua huiusce modi friuolarũ quarumq; rerum. Lau. Vbi coniunctum reperis ac cum præterea? In friuolarũ uero quarumq; rerum bis peccasti: semel, quòd quisq; superlatiuo iungi debet, non positiuo: iterũ, quòd in genitiuo plurali nunquã legitur cũ adiectiuo, ut docui in elegãtijs. Fac. Regē summa notare leuitate. Lau. Notatur quis infamia: nō autē leuitate. Infamia autē pœna est: Leuitas autem culpa. Quòd si notare pro accusare accipis, genitiuo debueras uti. Fac. Miseros captiuos, suæ gentis cultu corporis præditos. Lau. Non dicimus quempiã cultu corporis, sed forma, sed bonis fortunæ, sed bonis animi præditũ: interdum & malis, ut calamitate præditus. Fac. Cur captiui pudore affici deberēt? Lau. Vbi reperisti quempiã affici pudore? quis afficitur dolore, suppliciоq;, non pudore, aut uerecũdia. Fac. Et fabulam pro uera accuratissime scribis. Lau. Quid sibi uult pro uera? Nempe pro uera fabula, quasi fabula illa uera non sit, nisi quando pro narratione accipitur. Potestq; tunc addi, uel falsa, uel uera, uel ficta: dicendum ergo fuit, pro historia, siue pro re uera. Fac. Vt cũ expugnatã patriam uideret, tamen ab opere non discessit, donec texendo perseuerans occisus est, murum texere perseuerauit. Lau. Politius eloqui uoluisti, texendo perseuerans, quasi participiũ hoc iungatur cũ gerundio instar participij obtinenti, quod non secus est, quàm si sic dicatur, perseuerans texens: ut, quoq; nō indicatiuũ, sed subiunctiuũ desiderat. Fac. Sunt qui dicant regem nulla arte, nullóue consilio, ex regina liberos gignere potuisse. Lau. Virũ ex muliere gignere liberos dici eleganter, proferto priscorũ aliquē autorũ. Fac. Hoc uel meretrix impudica abhorreret. Lau. Accusatiuũ respuit hoc uerbum, quem tu ei dedisti: Amat enim ablatiuum cum præpositione, ut Cicero in principio Paradoxorũ. Animaduerti Brute sæpe Catonem auunculũ tuum, cum in senatu sententiã diceret, locos graues ex philosophia tractare, abhorrētes ab hoc usu forēsi & publico. Illud quoque incōueniens est epitheton impudica. Ex hoc enim quòd meretrix appellatur, satis significatur impudica. Ne alioqui uidearis aliquam pudicã esse meretricem, quasi hoc sit cuiusmodi uenenũ, quod & malum uocatur & bonum. dolus quoque malus & bonus. Fac. De loco ubi diuertebat. Lau. Existimasti ac eãdem habere rationē diuertor & diuersor? ita puto & ea propter errasti: nam diuersor tale est, quale cōuersor. Et diuerto quale cōuerto: diuersor illic, ut conuersor illic: diuertor illuc, & conuerto me illuc. Fac. Qui satis essent, quando nusquam alibi peccasses, ad te perpetuo uituperandũ. Lau. Quando pro quo-

niam frequentissime inueni, pro si nunquã. Fac. Non auderes in hominũ doctorũ oculos uenire. Lau. Vbi legisti uenire in oculos, pro eo quod est, uenire in cõspectum? Eodem dicitur modo uenire in oculos, quo ire. Atqui, ire in oculos est contra ire, & inuadere in oculos: ut apud Quintilianũ, Ire in istos oculos, in ista ora debebat. Fac. An adhuc se scurrã gerat nec ne? Lau. Vt omittam uerbũ illud scurrã. Sunt qui nudiustertius me certiorẽ fecerint, te legisse elegantias meas, è quibus discere debuisti non cõiungi, an & nec ne. Cicero de officijs, Demus, nec ne in nostra potestate est. Caesar, Vtrum praelium committi ex usu esset, nec ne. Fac. Siquis rem huiusmodi in cõuentu aliquo, pro uera recitauerit. Lau. Recitare pro narrare accipis, quod secus usus habet. Est enim recitare proprie ex scriptis ad uerbum apud alios pronunciare, siue legere, ut audientes percipiant. Interdũ quod instar lectionis est, apud eosdem pronunciare memoriter: quę aliquãdo legisti, uel lecta audisti, ut nihil ex tuo adijcias. De hoc ut reor in elegantijs. Fac. Quid oportebat dici de Francisci uestitu & barba? quid de rerũ humanarũ derelictione? quid de eiusdẽ hominis aptitudine ad res principũ administrandas? quid illam sententiã interiectam? quid aliorũ quos enumeras (sunt enim decem, si recte memini) cõmemoratio? Lau. Pro meo, renũciasset rebus humanis, genus sermonis apud multos autores usitatũ, substituisti tuũ uelut elegãtius, rerum humanarũ derelictione, ignarus aliud esse relinquere, aliud derelinquere: illud generale, hoc speciale: derelinquimus, quae in periculo relinquimus. At cũ opibus, aut magistratus renunciamus, non derelinquimus ea, sed relinquimus. Neq; me praeterit apud nonnullos legi deum derelictum, sed non quos tu me sequi iubes, & habere autores. Apud hos nãq;, neq; derelinquere in istum sensum reperisse me memini, nec aptitudinem, sed dextentatem. Quid loquar de duplici solœcismo? Nam unde interiectam sententiam regitur? Vnde nominatiuus ille. Quid aliorum commemoratio? ut existimari possit tertius solœcismus, ista uacillatio, ut igitur per accusatiuum, hic per nominatiuum interrogaueris? cum alioqui neuter casus, unde pendeat, habeat. Fac. Magnum cum caeteris in partibus, tum maxime hoc loco prudentiae, & dicendi artis documentum edidisti. Lau. Quis unquam isto modo locutus est, & nõ sic potius? cum caeteris in partibus, tum maxime in hac documentum dedisti. Non enim documentum, quod est probatio praesenti temporis seruiẽs, edi dicitur, ut exemplum quod ad memoriam editur, ut apud Terẽtium: Quae in te exempla edent. Fac. Quos credo imitatus sis. Lau. Imitatus es, latinius erat, ut superius saepe notauimus. Fac. Cuius tantae opes, & dignitas fuerant. Lau. Elegãtius in numero singulari fuerat, ut uerbum respondeat ultimo supposito, quod est dignitas. Fac. Vsq; ad femora succinctam. Lau. Meum diuaricatam mutasti in succinctam, quod diuersae significationis est, ut apud Vergiliũ, de Venere: Succinctam pharetra & maculosae tegmine lincis. id est supercinctam, non ut accipis, & ego exprimo diuaricatã, ut de eadem dea inquit, idem autor: Nuda genu. Fac Breuissimis uerbis praeteriri decet. Lau. Quod praeterimus, de eo uerba non facimus. Verba quoq; breuissima uocantur, non quę pauca, sed paucis ex literis, uel syllabis constent, dicendũ igitur. Paucissimis uerbis perstringi decet. Fac. Credo id dicere uolueris. Lau. Nimis crebro in hoc uitium incidis, pro indicatiuo ponens subiũctiuum. Fac. Regnum antea sibi ignotum & inaccessum. Lau. Inaccessus locus, non ad quem non accessimus, est, ut tu accipis, sed ad quẽ non possumus accedere, id est inaccessibilis, ut Vergil. Diues inaccessos, ubi solis filia lucos Assiduo resonat cantu. Praeterea prius ponendum erat inaccessum, ut tu uis ad quod non accesserat regnũ, quàm ignotũ, quoniam locus, ad quem accessimus, notus est nobis: & qui ignotus, is nec aditus. Fac. Credo nunquam

praeceptum

Ire in oculos

Recitare

præceptum ullum de his quę ad breuitatem narrationis pertinent, uideris. Lau. Idem uitium quod crebro notaui subiūctiuo pro indicatiuo posito. Fac. Vtrū condito testamento an secus. Lau. Non est eruditorū isto sermo, sed hic, recte an secus, bene an secus. Non autem, ibis hac uia an secus, dormiens an secus, sed an non. Ita cōdito testamento an non. Et enim secus idem est quod aliter. Atqui propria locutio est & usitata, recte fecit an aliter, id est, an male? condidisti uerò testamentum an aliter? siue an secus, ideo improprius & inemendatus est sermo, quòd hoc aduerbium non habet alterum cui opponatur. sed uerbum cui opponitur negatio sic, an non, ut subaudiatur an non condidisti? Fac. Nam si Cicero reprehendit qui dixit aut dicat. Lau. Solœcismum admisisti diuersos uerborum modos coniungens, cum fuerit eodem utendum: aut sic, qui dixit aut dicit, aut sic qui dixerit aut dicat. Fac. Igitur omnes reges à uectigalibus immunes, ac liberi esse debent. Lau. In uectigalibus dicimus, non à uectigalibus. Non enim amat præpositionē à, immunis quoq; genitiuo gaudet, nō ablatiuo cū præpositione. Fac. Si æquum est ut iusta regi soluantur. Lau. Ridiculus sermo si æquum est soluere, quod æquum est: si iustum est soluere, quod iustum est: Præterea iusta alicui soluere, est honorem exequiarum defuncto præstare, ut plurimis doceri potest exemplis. Fac. Tu doctissimum hominem de serijs, ac maximis rebus legentem interrumpes. Lau. Legentem eodem modo dici posse existimas, quo disserentem de maximis rebus. Fac. Ausus es profiteri apud regem, & apud quem regem? Regem inquā summæ sapientiæ, summiq; iudicij, te emendaturum omnes deprauationes, quæ in operibus Liuij librariorum uitio ceciderunt. Lau. Vbi reperisti post interrogationem subijci, inquam, ut solet nēpe, profecto, certe, & quæ sunt id genus? ut in elegantijs tradidi: Inquam uero eum usum habet, cuiusmodi est apud Ciceronē, Ciues ciues inquam: tu, tu inquā. Ad hæc sicut alibi librū pro libris, ita hic opera pro opus appellas. Vnum enim Liuij opus extat, idq; dimidiatū, atq; truncatum. Etiam cadere in operibus, quàm congruum sit grāmatici cognoscent. Vitio quoq; pro culpa improprium est. Siquidem uitiū libri, uitiū hominis appellamus, cum liber uel homo uitiatus est. Hūc librarius mendose scribendo in culpā incidit, non in uitium, nec se uitiauit, sed librum. Fac. Si liceret corrigi proprio arbitratu, atq; iudicio, quod à te fieri intelligo. Lau. Huius quoq; rei quem magistrum habes, ut pro accipio siue audio, utaris intelligo? ut uulgo ineruditi loquūtur: Intelligo regem discessurū, intelligo te accepisse uxorem. Fac. Quid id facere desinunt Lau. Pro non audent siue non tentant ais desinūt, cum desinere sit eorum qui incœperunt. Fac. Tu uero de his loqueris, de quibus modo dixeras, corrigere nō audent. Qua ratione textus corrigēdi sint. L. Vbi Cicero & hi quos mihi cēses imitādos dixere textus? F. Paucis quibusdā permutatis, dicā, an peruersis? L. Permutatis pro mutatis: qui aliena suis mutat, nō permutat. Lego eadē rerū permutatione, quid sit permutatio? F. Tu enim cū arator magis, q; orator sis, Logicā identidē, ut uitem repastinari putasti. L. Hic iocus est Panhormitæ, qui scripsit in Antonium Raudēsem, qui in hunc postea libros, & prosa oratione & carminibus edidit. Non erit Orator Rhodus arator erit. Mutuatus ex meo quodam carmine, quod neminem uero nomine præstingit, argutiæ tantum gratia compositum.

Non est cur doleas, quod quæ uis Aeole habere,
  Cuncta nequis, cuncta nam quis habere potest?
Non potes esse bonus pictor, potes Aeole pistor.
  Non eris orator magnus, arator eris.
Ciuili uel pontificum non Aeole iuri
  Sufficies? iuri sufficies patinæ.

Et in sequentes deinceps uersus. Non est ergo iuris, nisi patenarij: ut meo in me uersu pugnetis. Verũ si aratorem me facitis, haud probe mentionem uitium fecistis. Cum bobus & aruis rationẽ habet arator, nõ cum uinetis atq; arbustis. Cereremq; magis quàm Liberum uestrum colit. Quid? si ego arator, uos oratores. Vos oratores ego arator interrogo, nunquid oratoris sit, an aratoris pro itidem quod significat similiter, siue pro ita. ponere identidem, cuius significatio est, frequenter, eodẽ modo. Fac. Cũ sint qui intelligant q̃ minimũ literarũ teneas. Lau. Quàm pro quantũ, nunquã applicat̃ superlatiuo: nisi cũ uno uerbo possum, siue queo, siue ualeo: ut in elegantijs. Tu nũc pro quantũ accipis. Fac. Ita sit ut inter Græcos Latinus sis, inter Latinos Græcus, inter utrosq; neuter. Lau. Neutrũ non neuter dicendũ fuit, quòd uidelicet illud ad numerũ rerum, hoc ad numerum hominũ refertur, Plautus in Amphitryone, Seruus es, an liber? utrum animo quod libitum est meo. Nõ dixit uter. Cui simile est illud, Petronij arbitri? Hebræi estis, an fugitiui, an utrunq;? Plinius ad Hadrianum, Stabat modo consularis, modo septem uir epulonum, iam neutrum. Duplex Vicentinus in argutissimo carmine, quod solum ipsius inueni,

Cum mea me genitrix grauida gestaret in aluo,
Quid pareret fertur consuluisse deos.
Mas est Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq; neutrum.
Cumq; forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti fatum, Iuno hic ait occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, sors sua quæq; tulit.
Arbor obumbrat aquas, conscendo, decidit ensis
Quem tuleram, casu labor, & ipse super.
Pes hæsit ramis, caput occidit amne, tulitq;
Fœmina, mas, neutrum, flumina, tela, crucem.

De uero autem Hermaphrodito, inquit Ouidius:

Nec duo sunt, sed forma duplex nec fœmina dici,
Nec puer ut possit neutrumq;, & utrunq; uidetur.

Sunt alia quoq; infinita exẽpla. Cur tamen (inquies) Cicero ait? Sed tamen nostra legens, non multũ à Peripateticis dissidentia, quoniam utriq; & Socratici & Platonici esse uolumus, de rebus ipsis utere tuo iudicio. Cur inquam non ait uolumus esse utrunq; Socratici & Platonici, sed utriq;? Quia utriq; præponitur, uerbo non apponitur, referturq; non ad unum Ciceronẽ, sed ad Stoicos Peripateticosq;, sic quoniã utriq; hoc est, & nos Stoici, quorũ præcepta nũc trado: & Peripatetici, cuius sectæ præceptorẽ Cratippũ, tu fili audis, uolumus esse Socratici & Platonici, id est, ab eodem fonte uolumus uideri profecti, quia quæ Socrates loquendo (nam literã nullam scripsit) hæc Plato scribendo, sub illius tamen persona, tradidit. Si qua autem tradidit, sit inter eos qui Socraticos, & eos qui Platonicos sese appellant differentia, supersedeo exequi. Et hoc aduersus elegantiã peccatum: quod sequitur aduersus grãmaticam est. Fac. Peream nisi malim penitus ignorare literas Græcas, quàm illarũ, tam paruam, quàm te scientiã attigisse. Lau. Pro nominatiuo posuisti accusatiuũ, quod ita esse inspicienda cõstructione probabitur: sic peream, nisi malim penitus ignorare literas Græcas, quàm attigisse tam paruam illarum scientiam, quàm te, uides ut dicendum erat quàm tu, id est, attigisti: nunc iste accusatiuus unde regatur, non habet. Fac. Si ab his quos uituperas. At tibi turpe est, cõtemnere, à quibus didiceris. Lau. At ociosum est, atq; ineleganter positũ. Fac. Quæ summo usui sunt, non solũ mediocribus, sed etiã doctis hominibus. Lau. Mediocres pro mediocriter doctos accipis, quod inauditũ est. Sed esto. Quomodo autem hos tanquã docti non sint,

infra doctos statuis? Fac. Nomen me hercule operi conueniens. Lau. Caue ne te Scytham suspicemur, qui per Herculem deieras, & hinc esse, cur me uocabulis Christianæ religionis utentem asperneris. Fac. Vt Græcorum ueterum more de quacunque materia & scientia te in publico disputare uelle aliâs proposueris. Lau. Aliâs, pro quodã die quàm sit elegãs, tu uideris, & quàm cõpositũ ubi nũcupaueris materiam, scientiam subdidisse, quasi latior sit scientia, quàm materia, & non omnis scientia, sub materia contenta. Fac. Inter Græcos Latinissas. Lau. Græca nomina recipiunt hanc terminationem, ut à πατὴρ τοῦ πατέρος ϗ πατρὸς patrisso πατρίζω. Plautus, Atque adeo hoc argumentum Græcissat, tamen non atticissat, sicilissat. Et alibi. Scyathisso apud uos quando poto. Fac. In æde sacra libellum Græce scriptum legis spectante populo, ut uulgo Græce doctus esse uidearis. Lau. Non dicitur in æde sacra (quia omnis ædes sacra est) sed in æde certi dei, ut in æde Iouis statoris: igitur in ædibus sacris, quia nõ omnes ædes sacræ ut in elegantijs latius. Præterea, nec proprie doctus Græce, & si proprie liber scriptus Græce. Fac. De quibus tradidit sciuisse dicitur. Lau. Quas tradidit melius dixisses, & scisse quàm sciuisse, Quintiliano tradente. Fac. Nisi Antonius eius intercursu ex illorũ manibus eripuisset. Augustinum carpis nec uerbis modo, sed etiã scriptis erratũ à se dictitans. Lau. Illic debueras dicere suo intercursu non eius, & hic ab eo, non à se. Fac. Cum te ut de male sentiente existimãt. Lau. Te existimo ut de malo sentiente, nunquam audiui. Fac. Cuius consuetudinẽ uides, omnes uiri boni aspernantur, atq; ut uesanũ effugiunt. Lau. Melius erat fugiunt: nam effugere est ab eo, uel homine, uel loco fugere, elabiq́;, ubi eramus inuiti. Fac. Hæc ego scribere statui. Lau. Si accipis statui pro constitui, & animo proposui, nondum scripsisti, quod falsum est: si pro iudicaui, scribẽda statui dicendũ fuit, ut putaui ueniendũ, id est, ueni, de quo in elegantijs. Fac. Vt si quã mihi detrahẽdo uoluptatẽ ebibisti, hanc totam male legendo euomas. Lau. Quàm facile bene dicta non bene docti deprauant, cũ imitantur. Sallustius in Ciceronem, ut tu nunc in me maligne atq; inuide inuectus, inquit: Vt si quã male dicendo uoluptatẽ cepisti, eam male audiendo amittas. Est enim maledicere mala de altero dicere: Male uero audire, male de se audire, ut in elegantijs. At male legere non est mala uel de altero, uel de se legere, sed indocte legere. Hæc sunt quæ uelut instrumenta ac testimonia in iudicio recitata probãt, ut pars inquinate loquatur, ac minus latine. Nunc ad confutationem rerum in quibus arguor peccasse transeamus.

## DE CONFVTATIONE RERVM IN QVIBVS *Valla arguitur peccaße. Cap. V.*

EVropam tertiam partem orbis terrarum esse, ferè traditum est, & reliqua quæ scribere longum est. Lau. Quid cæteris in locis facere putandus es, qui ipsum statim operis mei principium deprauas, gratiamq́; corrumpis compositionis: Nam sic scripseram, Europã tertiam orbis terrarum esse partem traditum est, sequutus Quintiliani præceptum, qui hoc docet, Ciceronis exemplo dicentis: Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes, quia in duas partes diuisam esse, durum erat. Cæsar quoq; & ipse sic incipit: Gallia omnis in tres diuisa est parteis. Fac. Descriptio ista orbis terrarum ex aliqua parte superflua & uitiosa est, maxime ubi probare niteris Hispaniam orbis terrarum caput, & eam trium partium, in quas mundus diuiditur esse maximam. Lau. O Brutũ pecus? Hispaniam'ne ego dixi tertiam orbis terrarum esse partem, eamq́; maximam? Fac. Satis enim fuerat, cum de Hispania solum mentio futura esset, Hispaniarũ situm gentesq́; describere. Lau. O nunquã quid loquaris aduertẽs? quãto lon

gius erat situm Hispaniæ gentesq; describere, quàm tres orbis partes, & quinq; Hispaniæ regna per transitum, &, ut dicitur, perfunctorie attingere? Atqui ut exemplo tecum agam, cur Thucydides in historia nulli secundus, statim in primo, ut maximum omnium bellum, se conscripturum monstret? decuplo pluribus quàm ego uersibus in superiora longe tempora euagatur? argumentis etiam colligens illos exercitus fuisse, quàm sui temporis minores? Sed omittamus Græca. Cur Iustinus scriptor cōpendiarius, & alieni operis abbreuiator, de origine Scytharum Aegyptiorūq; altius repetit, & de antiquitate utriusq; disputat gentis, ac deinceps passim similia facit? Fac. Dicis te historiam incipere, & cosmographiam ingrederis, quę res ab historici officio separata est. Lau. Quibus istam rem? Hoccine percurri, cosmographia appellanda? quòd si fecissem, ratione tamen probabili ductus tuerer factum meum, causa nō exemplo, cum unusquisq; ut poëtarum, sic historicorum suum sit institutum sequutus. Cur Sallustius præter historicorum morē in Catilinario Iugurthinoq;, à nihil ad historiam pertinētibus principiis est exorsus? Cur Xenophon in uita Cyri superiorum uestigia deseruit? Quis deniq; (ne omnes percenseam) alteri ferè similis est? Et ego similis alicui sum, & exemplo nitor non dico Pauli Orosii, qui à descriptione mundi incipit, aliorumq; nonnullorum, sed Cæsaris qui à cōmentariorum argumento longe diuersa in principio scrip sit, sicut ostendi: Nisi quantum attinet ad eas regiones de quibus scripturus sit, ut antè dixi. Hoc ipse et quàm breuissime fieri potuit feci, ut breuius multo quàm cæteri: nec ferè pluribus, quàm Sallustius in Iugurthino partes Africæ, nec minus necessario. Esse autem meam descriptionem ociosam, nemo nisi inimicus, & inuidus statuet. Fac. Est enim contra præceptum narrationis de breuitate, quod est. Et si non ab ultimo initia repetamus.

Lau. Nec ego paucioribus absoluere potui, qui rem ingentem tanto cōpendio complector, & tu cū artis rhetoricę peritum te ostentaueris, plus quàm imperitissimus agnosceris. De iudicialis enim orationis Cicero narratione loquitur, quæ nihil ad historiā attinet: de quo in sequentibus quoq; (nam sępius hoc inculcas) differendum est. Fac. Verum sicut ad cœlum Hispania uergit in occasum in dextera esse censenda est: ita ad ipsum orbem terrarum, quia certissimū est caput, Europæ caput nominari potest. Lau. Vehementer erras cosmographe, si putas Hispaniam, quia in occasum uergit, in dextra parte cœli cēsendam esse. Qui enim mundi partes dimetiuntur, non ad antracticum polum aut ad orientem, sed ad Arcticum, se conuertunt, atq; ita eorum dextera ad orientem, sinistra uero ad occidentem uergit. Atq; in hunc modum omnes cœli terræq; dimensiones à sanis hominibus fieri uideas. Rationes autem meas, quæ iudicibus ignotæ sunt, subtices. Præterea sic disputas, quasi ego ad antarcticum dixerim respiciendum, & non ad arcticum. Aisq;, qui mundum dimetiuntur se conuertunt ad arcticum, quod apud nullum, nec ueterum, nec nouorum astrologorum geometrarumq; legisti: nō deniq; apud ipsum Priscianum, qui de situ orbis: etsi Græci autoris interpres, uersibus scribit: quid facit mundi dimensio ad dextrū sinistrūq; distinguendum? Non agam tecum subtilioribus argumentis, non abditis rationibus, sed tuis ipsius & si rudibus uerbis. Qui se ad arcton conuertit, seu quo apertius, intelligas, qui se conuertit ad lunam media nocte medioq; cœlo meantē, Non'ne eas stellas uocabit dexteras, quæ ad dexteram quidem illius micant, ad sinistram uero suam respondent? Item sinistras, quæ ad sinistram eiusdem sitę opponuntur dextrę suę? Vtq; ipsę stellę inter se alia dextera, alia sinistra, tam hic oculos, manus, pedes suos dextrum quidem in lęuam, lęuum uero in dextram spectare confitebitur. Sed quid tibi cum luna, arcto, stellisq; reliquis? homini batto & argillaceo, nisi quomodo lunaticus & stolidus es, ac ritu ursi (arctos Græce

uocatur

uocatur)furis. Duo illa si qua marmorea dimidiata, quę supra ualuas portæ regię spectantur intrantibus alterum imberbe, barbatum alterum, illud uero hoc aliquorum iudicio pulchrius: non'ne dextrum est nobis, quod alteri sinistrum. Itemq́ sinistrum nobis, quod alteri dextrũ? prout licet uidere in speculo in quo Panhormita se mirari solebat. Cur sibi lęuus oculus identidem pro dextro, ad auram cum eadem nare traheretur? Qualia multa disputant cum alij philosophi, tum uero qui de prospectiua præcipiunt, cum a sinistra oculi parte dextrũ ex aduerso signum describunt, Itemq́ ediuerso. Itaq; ut ij quibuscũ loquimur contraria nobis gerunt latera, Ita cętera quę in conspectu nostro è regione consistunt, qualis septentrionis, orientis, occidentisq́, facies enim illa cœli non terga sunt. Quid afferam huius rei ex pluribus autoribus exempla, tum Latinæ, tum Grææ linguæ, tum punicę in nostram traductę? Satis sit unus Plinius cum sua, tum superiorum autoritate, quos sequitur dignissimus cui credamus. Cœlum rotare è læuo in dextrum, hoc est, ex oriente in occidẽtem: quod tu captus oculis negas, nisi captus es mente. Sic in secundo naturalis historiæ ait: Lęua prospera existimantur, quoniam à lęua parte mundi ortus est. Et in eodem: Omnium autem syderũ errantium meatus, itemq́ solis & lunę contrariũ mundo agere cursum. Idẽ: Lęuum illud semper in dextra præcipiti. Et de uentis loquens. A lęuo latere in dextrum, ut sol ambiunt. Sed ne te hęc exempla perturbent, sic habeto: Sol suapte natura contrarium mundo agit cursum, id est, in læuum: sed ipsius mundi raptu rotatur in dexterum, sed quidem multo ocyus. Vbi sunt igitur insane isti sani homines, quos à me dissidere ais? Fac. Nec uero minus infirma est altera ratio tua, qua probare niteris Hispaniam esse Europę caput, quoniam nullis montibus, nulloq́ flumine terminetur, ut dicis tu: qui logicę repastinatorem te facis, nomen profecto rei conueniens, hoccine consequens affirmabis? Hispania nullis montibus, nulloq́ flumine: sed aperto uastoq́ mari terminatur. Igitur Hispania Europę est caput: Si hoc affirmas, ad dialecticã redi. Lau. Quid blateras uesane: eandẽ rem, pro ratione repetis: nam bis idem dicis, ne intellectis quidẽ, ne dicam parum syncere, uerbis meis expositis, quę hęc sunt: Ipsa autem Europa nusquam aptius conuenientiusq́ initium sumere, dicenda est, quàm ubi primum se ab Africa dirimit, non flumine aut monte, ut alibi fit, sed freto oceani, ac mediterranei maris: hoc est in Hispania: Sequutus enim sum pręter rationem, cum multos alios autores, tum uero eundem Plinium, qui ait: Terrarum orbis uniuersus in tres diuiditur partes, Europã, Asiam, Africã: quę origo ab occasu solis, & Gaditaneo freto, qua irrumpens oceanus Athalanticus in maria anteriora diffunditur. Pauloq́ post: In eo prima terrarum Hispania est. Ideoq́ ille ab hac descriptione terrarum, ut à capite orditur. Tu uero cum nihil habeas, quod opponas, inquis, si hoc affirmas: quasi dubium sit an affirmem. Quia igitur sic disputas, ac dialecticam cum rhetorica grammaticaq́ nescis, me autore ad sutrinam, & uerriculum redi. Fac. Alter fratrum sperat se relicturum Mariam suam, Castellæ reginam: cum alter fratrum qui non sperabat suam Mariam, relicturus esset, ille se putat hos coniuges regni sui facturum hæredes, & hic qui non putabat, sui facturus erat. Huiuscemodi exornatio aliena est à rerum gestarũ expositione, quæ debet esse pura & minime fucata. Conuenit autem proprie cõfirmationi, uel confutationi in oratione. Taceo uero cõpositionẽ, quę qualis sit uides. Lau. O minutorum minutissime, qui totus pædagogica oles præcepta, uim orationis inculcas in historia, quæ quantum differant, postea cõmodius aperiam: tametsi Quintilianus uult omni gratia & uenere ornandam & uariandam esse narrationem. Quis te magistellus edocuit, quæ cui parti orationis exornatio, aut figura conueniat? quasi

quasi non ubiq; habeat locū, intelligo te. Alani cuiusdā longe ab eloquentia abhorrētis, & si quis nostris tēporibus illius est similis, potius quam Ciceronis aut Quintiliani praecepta sectari horū alterius nullum opus, alterius iuuenilia duntaxat opera legisti. Caeterū ut pro me respondeā, possem, si liberet exquirere, cōplura huiuscemodi reperire exēpla. Vnū tantū apud cōmentarios Caesaris impraesentiarū occurrit. Hic subitā cōmutationē fortunę uidere licuit, qui sibi modo timuerāt, hos tutissimus portus recipiebat. Qui nostris nauibus periculū intulerant, de suo timere cogebantur. Itaq; tempore cōmutato, tēpestas & nostros texit, & naues Rhodias afflixit. Quid hoc à nostro genere dicēdi differt, cū rationibus tum ipsa propositione? Sic enim apud nos scribitur. Sed profecto raro respondēt euēta propositis nostris, ut intelligere possimus consilia humana utiq; diuina ratione superari. Alter fratrum &c. Nam quod ais de compositione, Ciceronem mihi uideris non legisse, qui in tertio de oratore, itēq; in oratore, ut Quintilianus quoque aliter ac tu cōpositionem accipit. Huc accedit quod stultū est dicere ei, quē reprehendis (non probabo illius errore) quantopere erres, tu uides. Fac. Praeclareq; cum exercitu ac populo agitur, si dum maiori parti bene consultum sit, minori male consulitur. Inepta certe & impia sententia. Nescio unde istam praeclaram philosophiam didiceris, quae doceat minori parti male cōsulendum esse. Neq; enim minus consulendū est paucis, quàm multis, si fieri possit: quòd si quo fato, aut casu fieri non possit, plurium saluti prospiciendum erit. Sed tamen paucioribus non male consulendum, illud enim inhumanum est, sed quoad poterit adiuuandi erunt. Sanū igitur si particula ista subtracta, sic dixisses: Praeclareq; cū exercitu ac populo agitur, si plurium saluti consultū sit. Lau. Quandoquidē non meam tantum sententiam carpis, uerumetiam illorū de quibus locutus sum factum, prius pro illis, postea pro me dicam. Quis adeo à lectione librorum ueterum abhorrens, atq; peregrinus, imò quis adeo rerū imperitus est, qui non legerit & memoriae nostrae non audierit duces, plerunq; paucos milites in apertum coniecisse discrimen occidiq; ab hoste uoluisse, quo ipsum hostem circunuenirét ac fallerent? Et hoc quidem sponte. Quid ubi necessitas coēgit, id quod nunc fuit, cū fame laboraretur? Vnde Liuius: Annibal id damnum haud aegerrime pati: quin potius credere inescatam temeritatē ferocioris consulis. Tu nunc Annibalem ad philosophos citas, accusasq; cur non omniū saluti consuluerit. Non'ne uicissim ille, si haec audiat: tibi respondeat? Quid ais deliro Phormione delirior? Nisi ita egissem, non ipsum consulem, & propè rem Romanam strauissem, atque profligassem. Aut omnino non gerenda, aut sic gerenda sunt bella. Neque enim fas est, neque postulandum, ut in re militari consulatur omnium saluti: nullaq; nō uictoria, ad quam omnes tendimus, consistit sanguine ac morte nostrorum. Ita nihil aliud bellū est, nisi male consulere paucis, dum pluribus bene cōsulatur. Nec secus ipsi philosophi, ut Xenophon, & Epaminundas, ut Dion, & alij plurimi cum ipso parente philosophiae Socrate bella administrarunt. Ausim confirmare, ne in pace quidem aliter uiui posse, nisi ut aliquibus male cōsulatur, dum pluribus bene consultū sit. Haec aduersus te Annibal. Ego illud. Quē philosophum habes autorem, non minus paucis, utputa duobus tribus'ue, quàm multis, utputa toti exercitui, aut toti humano generi consulendum? Et non potius, si uirtus omnium par sit, pluribus magis totidem aeque paucioribus minus prospici debere? quanquam sicut es fatuus, idem ais & negas. Cum enim inquis, si quo casu et si quo (ut stulte adiectum est) fato idem fieri non posset, prospiciendum esse saluti plurium: hoc sentis, deserendam salutem paucorum. Nempè paucioribus male consulendum, quod negabas. Deniq; si quo ingenio ac prudētia

esses,

esses, cum dicitur: praeclare cum exercitu, ac populo agitur, si minori parti malè consulitur: palàm est de eo populo atque exercitu dici, qui nisi cum impendenti clade decideret: amissione paucorum sit totus ipse periturus. Aliter non pręclare cum eo ageretur, sed male. Quantulacunq; enim corporis sui iactura cuique mala est. Hactenus pro defensione facti illorum: nunc pro me aliquid dicam, ac uerius contra stultitiam tuam. Nam quid stultius quàm sententiam utilitatis retorquere ad honestatis? Pręclare cum exercitu ac populo agitur, utile fructuosumq; est, si dum maiori parti bene consulatur, id est, utiliter fiat, minori male consulitur, id est, inutiliter fit. An si in alto nautę propter uim tempestatis ad leuandam nauim nececesse ducentes aliquot uectores Neptuno tradere, te & Antonium in mare deijcerent, non pręclare mecum esset actum, qui in eadem naui ueherer, uobiscum incommode, quòd illi meę uitę bene uoluissent consultum, uestrę uerò male? At non debuerunt: esto sanè. Non ideo tamen hoc minus uerum sit. Non fuit honestum. Nescio, Mihi certe est utile. Non bene fecerunt: istuc ego non laboro, mihi bene fecisse negare non possum. Non fuit ita consulendum: quid mea, dum mihi bene consulerint: & tamen consulere nunc ad actionem, non ad rationem refertur: sicut bene ad utilitatem, non ad honestatem: & male ad damnum, non ad uitium mentis. Fac. Dura uidebatur omni ex parte ratio. Lau. Cur uerba mea passim deprauas? etsi ego dissimulo ne uerbis libros extendam, dura uidebatur ego scripseram. Fac. Inquireret fontes quos magnos uiros esse suspicabatur. At ne ad delictum quidem potuerat ulcisci. Reficeret currum. At magnum dispendium, & ut infame magis ac magis inualescente indies militum contumacia proponebatur. Rediret infecta re: at non aliorum culpa, sed ducis argueretur. Neque hęc quoq; exornatio huic loco conuenit, quę non narrationi, sed confirmationi, uel magis proprie confutationi accommodata est in oratione. Lau. Abi hinc in malam rem cum isto Alani, & Alani similium, absurdissimo praecepto. Quanquam quid ais? In oratione nunc ego iudiciali uersor, aut in narratione? nisi uis totam historiam esse narrationem. O te scitum artificem. Nunquid narrabat aut confutabat aduersariū, aut ad iudices orabat Alexāder apud Curtiū, inquiens? Bibere perseuerē? ut si datum uenenum fuerit, ne immerito quidem, quicquid acciderit, euenisse uideatur? damnem'ne medici fidem? in tabernaculo me opprimi patiar? Non. At satius est alieno me mori scelere, quàm metu meo. Deliberabat tacitus Alexander, ut nūc Ferdinandus. Et cur nō hunc deceat, quod illū decuit? Fac. Vexillis praecedentibus, quorum primū habebat imaginem domini nostri Iesu Christi in cruce pendentis? Alterum matris eius, cum angelo Gabriele conceptum opera spiritus sancti annūciante. Tertiū sancti Iacobi. Plebeia sanè & uere Laurentio digna eloquutio, & superuacua in primis rerum narratio breuitati cōtraria. Haec enim summatim, non particulatim narranda sunt. Quid enim opus erat de uexillis hoc loco mentionem facere? An uidisti uspiam Liuium, cum de consulibus Romanis in expeditionem euntibus scribit, de signis qua ferebant, mentionem facere? & tamen sine signis eos non isse ad bellum gererendum scimus. Secus autem facit cum hostium signa capta erant, quoniam eam rem dignitati Pop. Roman. sciebat esse. Lau. Reprehendis orationem meam, quòd plebeia, quod breuitati contraria, quòd à ueterum usu dissonat. Et quòd plebeia quidem sit, agnosco causam, quòd Iesum non Iouem: Mariam non Mineruam imò Venerem, Iacobum non Bacchum, Gabrielem non Briareum, aut Priapū nomino. Plebeia enim apud uos & ignobilia sunt nomina, nemine literato excultóque uiro digna: & quae orationem, ut soles praedicare Maure

 Panhormita,

Panhormita, applaudente fatuo Scytha (honor sit cæterorum auribus) permingant, atque conspurcent. Iesus, Maria, Iacobus, Gabriel, similiaque: sicut econtrario illa uelut gemmę ornāt, Iupiter, Apollo, Minerua, Venus, Bacchus, Hercules, Priapus, & cætera similia. Facessite impijssimi homines, piaculi tanti propediem luituri supplicium. Verum sumatim, non particulatim fuit narrandum: scilicet nunc causam iudicialem, non historiam scribo: & rem de qua pronuntiandum est narro, non uitam & gesta Ferdinandi. Minutissime pædagogorum, qui præcepta orationis iudicialis inculcas. Ostendam tamen quantum inter hanc & illam narrationem intersit, quo superius destinaui loco. At uexilla Liuius non recenset. Ranuncule odiose coaxans non loquens, qui ignoras apud consules his duntaxat temporibus, quorum libri Liuiani qui extant, meminerunt non fuisse depicta uexilla, sicut nec serica, & ais illum non facere mentionem de signis, nisi quando essent capta de hostibus: quoniam ista res cederet ornamento pop. Rom. Vere fatuo digna ratio: quare non idem referat, quot ipsi Romani signa in prælio amittebant? Nam si id solum narraret quod ad ornatum pop. Rom. pertineret, non historicus, sed tibi similis foret. Et nihilominus, quoniam me ad huius legem autoris accusas, audi quid ipse narret: Confestim ad aliud sacrificium eidem diuę à decem uiris edicta dies. Cuius ordo talis fuit: Ab æde Apollinis boues fœminę duæ albę, porta Carmentali in urbem ductę: postea duo signa cupressea, Iunoni reginę portabantur: tum septem pueri, & duodecim uirgines longam indutę uestem, carmen in Iunonem reginam canentes ibant. Illa tempestate forsan laudabile rudibus ingenijs, nūc abhorrens & ineruditum, si referatur, uirginum ordinem sequebantur tredecim coronati laurea, prætextatiq; à porta tergemina iugario uico in forum uenere. In foro pompa consistens, per manus reste data, uirgines sonum uocis pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde uisco Tusco uelabróq; per boarium forum in uicum publicum, atq; ædem Iunonis reginę: utra quæso magis superuacanea narratio? utra lōgior? Certe si quid in mea uideretur ociosum, apud æqua iudicia poteram putari Liuium imitatus, à quo tu recedentem facis: qui haud dubie de aureis sericisq; uexillis mentionem fecisset, cum de signis cupresseis, ut alię sileantur ineptiæ, tam curiose narret. At qua in materia? nempe secundi belli punici, quod ut ipse testatur, fuit omnium maximum. Audi præterea quid Curtius scribat, & si tibi uidebitur, postea superflua me & insueta narrantem reprehendito. Vtrunque regis latus ex auro argentóque expressa decorabant, distinguebant, internitentes gemmę iugum, ex quo eminebant aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli: inter hæc aquilam auream pennas extendenti similem sacrauerant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicę medium album intertextum erat, pallam auro distinctam, aurei accipitres, uelut rostris inter se concurrentes, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus, Acinacem suspenderat, cui ex gemma erat, Cydarim Persæ uocant. Regium capitis insigne hoc, cerulea fascia auro distincta circuibat. Talis in expeditione Darius esse narratur, qualem à me Ferdinandum narrari, rana quomodo tulisses, qui uel tria memorari uexilla non pateris.

Fac. Quasi uerò non sint, non solum alij principes interdum maiores regibus: ideoque regaliores, ut olim Romani imperatores: sed certe qui obsidet alterius regnum, ipso rege obsesso, non inferior censendus est. Hæc porrò sententia tuo illo summo subtiliq; iudicio maxime consentanea est. Tu enim cum loquaris de dignitate personæ, opibus ac potentia illam ad postremum diffinis. Dixisti prius regi Africano è dignitate nō uideri in bellum prodire, in quo non

sit rex

sit rex alter cum eo certaturus: postea subdis multos principes, quoniam potentia superent, regibus multis maiores esse. Non uides in quem errorem incidas. Lau. In quem incido errorem, ne quidem tu aperire scis, tam aperto ore ranunculus. An quòd diffidentia loquor? an ranunculinum ingenium non sentis, hanc me illius sententiam fecisse non meam? cum dixi: Addidit etiam facto superbiam barbarus. Noluit ipse huic expeditioni præesse, quòd diceret ab re esse, regem, nisi aduersus regem, exire in bellum: quasi uerò &c. Hanc ego barbari opinionem improbo, non mihi contradico. An tibi dolet, quòd facio alios principes regibus pares? Video quid captes, blãdiri uis regi nostro inuidia mei. O caput cucurbita farctũ, de barbaro rege loquor, non de Christiano. Et enim quid apud illos inter regem & principes differt? An non in ipsa Hispania sexcentesimo aut circiter iam anno propè tot erant reges, quot urbes? ut apud gentes illas, quas Iosue domuit? ut apud Græcos bello Troiano. Quippe quinquaginta reges ad Troiam è Græcia nauigarunt: ut multis adhuc in nationibus durat: quorum nulla alia dignitas est, nisi quòd iustum imperium in populos optinent, & aliquandiu iniustum, nulla inter regnum tyrannidemq́ differentia. Nam in Syria & Aegypto ferè aliquis è regijs seruis regnum inuadit, Soldanúsq́ efficitur, quod lingua illorum regem significat: quasi ille peculiariter rex sit. Atque ita, ut quisq́ potentissimus est ditione, ita ferè plurimum optinet dignitatis. At quam rationem reddis? Potestate & uiribus esse aliquos principes, qui fortasse uincant hunc aut illum, tibi concedetur si uoles. Sed quod ij principes à quibus uincuntur opibus uel obsidentur, dignitate superent, nunquam tibi planè concedam. Quis istud dicit amentissime, qui regẽ obsidet eum ipso rege superiorem esse dignitate? Ego tantum dixi non inferiorem: puta autoritate, fama, fauore hominum, et sua etiam per se accepta dignitate. Sed fac me id dixisse. Nónne apposui Romanos imperatores? An si quis Hispaniæ regulorum non existimare se diceret fore è sua dignitate, ut ipse prodiret in bellum aduersus Scipionem Pompeium ue, aut Cæsarem, quem tot reges comitarentur: non superbe tibi facere uideretur? aut maiorem in illo dignitatem, quàm in Romano imperatore inesse censeres? cum præsertim ab hoc obsideretur: ab hoc inquam, in quo maiestas populi Romani agnoscitur. Et cum dico Romanos imperatores, de Cæsaribus loquor, quos iam peculiari nomine receptũ est appellari Imperatores, ut apparet: cum ex illis locis plurimis, tum ex iure ciuili. Num igitur quinquaginta, aut plures, si plures fuerunt, Hispaniæ regulos comparandos reris dignitate cum uno quolibet Cæsarum, qui reges nõ extiterunt? Quare ista sententiola tua, tanquam falsa, & perridicula, tota reijcienda est. Vtrius igitur magis oratio ridicula: meá ne, quæ qualis sit iam probaui: an tua, qui ais concessurum te mihi aliquos principes uincere opibus, uiribus, potestate, aliquem regem, quasi hoc dubium sit ac probandum, nisi ab aduersario concedatur: Adijcisq́ si uoles, quasi non concessurus, nisi me uolente. Præterea ais, nunquã planè cõcedam, quasi sic tenuiter concedas, nõ tamen planè. Et idẽ nunc uis omnino reijciendum, quod pauloante parum abfuit, quin cõcederes. Sed cur reijciendum sit, reddis rationem. Præcipue cum ad dedecus regiæ maiestatis attineat, quæ in cæteris amplissima est. Dixi cur ridicula: nunc cur falsa sit dicam. An regi nostro fit iniuria, si regno barbaro dignitatem detraham? si ueritatem fatear? si parem ipsius, regi quantumlibet illustri comparem ac præponam? Et ne me censeas illi more tuo assentari, libere dico, non esse hunc parem Romano imperatori, penes quem amplissima in terris maiestas est: non penes alium principem, ut tu stulte fatueq́ mentitus es. Fac. Ex qua tertiam partem tubicinibusq́ ac socijs quos reuocauerat, distribuendã adiudicauit.

Tubicinum

Tubicinum (ut uideo) amator es: quos secundo loco numerandos in prædę diuisione iudicasti. Res est profecto digna historię grauitate. Sic Liuius, Sallustius, & Cæsar, à quibus credo id sumpseris. Lau. Quia decent fatuum insulsum'que ioci ac sales, non explicabo, quàm paria & his similia Herodotus, Thucydides, Xenophon, Plutarchus, Iosephus, alijq́ Græci historię intermiſceant: aut necessitatis (ut ego feci) aut iucunditatis gratia. Itemq́ historici Latini: sed uno tantum ex Liuio ipse sum contentus exemplo, cuius etiam Cicero Valeriusq́ cum alijs plerisque meminerunt: de tibicinibus, quoniam tu tubicines meos derides, à quibus tanta res in bello confecta est. Ait igitur Liuius, Tibicines, quia prohibiti à proximis censoribus erant in æde Ioui uesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo esset in urbe qui sacrificijs pręcineret. Eius rei religio tenuit senatum, legatos Tibur miserunt, ut darent operam, ut ijdem homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam, hortati sunt ut reuerterentur. Romani postquam propelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingenijs hominum aggrediuntur die festo, alij alios per speciem reparandarum cantu epulatum causa inuitant, & uino, cuius fermè auidum genus est, oneratos sopiunt, atque in plaustra uinctos conijciunt, ac Romam deportant: nec prius sensere, quàm plaustris in foro relictis, plenos crapulę lux oppressit. Tum populi Romani concursus factus, impetratóque ut manerent, datum ut triduum quotannis cum ornatu & cantu, atque hac, quę nunc solennis est, licentia, per urbem uagarentur. Restitutumq́ inde uescendi ius ijs qui pręcinerent. Amator erat tibicinum Liuius, & (quod mirabilius est) uinosorum: qui talia & talibus quidem uerbis enarrat: Quo tu me insectarere conuicio narrantem hanc tibicinum fabulam, quod eos omnes Tiburtini sopiuerint? quòd in plaustra non imposuerint, sed coniecerint, de monte in plana? Deinde plus quindecim milibus passuum portauerint? non nisi luce diei postera experrectos? quem ita carpendum putasti, quòd tubicines nominaui improbissime accusator, Simile est quod sequitur. Fac. Vt renouemus in nobis, quę de Orlando à * Rainaldo in hac regione gesta memorantur: qualia fuisse Hectoris, Aeneæ, Achillis, aliorumq́ principum frequenter audiui. Hic planè apertissime indicas mirabilem prudentiam tuam, qui uulgaria inducens exempla, * Orlandum nescio quem, & Rainaldum, de quibus uel apud Gallos, unde orti sunt, uix ulla extat memoria literarũ monumentis prodita, Hectori, Aeneæ, atq; Achilli, quos summi poëtę historiciq́ summis in cœlo laudibus extulerunt, cõparas. Lau. O peruersissimę mentis cauillatorem. Primum ais nõ extare memoriam literarũ. Quid ad me qui extare nõ dico? Deinde quia nescis an extet, affirmas uix ullã esse memoriã: quid sibi uult istud uix? nisi quod ais pariter & negas? Mira ubiq; incõstantia. In quo ne erres, nõ modo apud Gallos, sed apud nos quoq; monumenta sunt, latine scripta, de gestis illorum à nonnullis historicis. Deinde quòd poëtas historicosq́ cõiungis, tanquam aut multa de heroibus historici, aut eadem utriq; cõmemorent, cum inter se uehementissime dissentiant, ne plura referam, Vergilius ab Aenea quem deo cuidam similem facit, Mezentium Etruscorum regem canit occisum. Liuius: Mezentium eo prelio uictorem, Aeneam extinctum narrat. Postremo mentiris, hos cum illis à me cõparari: tametsi uel ob hoc comparari possent, quod de utrisq; fabulosa multa, & incredibilia referuntur. Neq; in persona mea talia dixi, sed in hominis militaris. Cuius persona ex hoc quoque commendat exempli gratiam, quòd cum prius fuisset Agarenę superstitionis, nunc esset Christianus, & apud illos & apud nostros audiuisse uerisimile est, quę Christiani cum Agarenis

bella

bella gessissent. Commendant personæ audientium, qui huic similes ac pares erant: commendat ipse locus, ubi principes illi pro nostra religione fortissime dimicasse memorantur: Commendat insuper conditio discriminis, euentusq; antiquitati similis, & alia multa, ut à me rite sit seruitum personæ, in attribuenda illi tali oratione, si modo ego attribui, & non reuera illius fuit: quorum tu utrunq; peruersissime negas: huius tu sequenti loco totam orationem ad literam subijcis, quę quo magis diiudicari queat, aliquanto altius repetam uerba historię. Altera pugna nō ab oppidanis, sed à castrēsibus uiris incœpta est. Erat in castris eques quidam nomine Ioannes Mars, Sceretensis, Agarenę quondam superstitionis, impiger iuuenis, uiribus animo respondentibus. Hic hortatus sodales suos, ut in agrum Malachanum incurrentes, agerent prædas: ad centum homines, quos paupertas faciebat audaces, coëgit: profecti, cum iam octo milibus passuum ab urbe abessent, sub luce trecentos, ut colligi poterat, equites ex aduerso in se ferentes conspiciunt: moxq; conspiciuntur inuicem, parua iam utrosque dirimente intercapedine. Cæterosq;, cum se deprehensos arbitrarentur, fugere uolentes, Ioannes oratione retinuit: & ut hostem quoque inuaderent induxit. Socij, ut ipse uestri aduentus, & ut sors tulit, uestri periculi autor sum, sic meum est uestri reditus, ac uestræ salutis curam habere, non solum meæ. Si locus hic, ubi sumus, satis apertus ad fugam esset, si satis esset distantiæ ab hostibus nimirum non tam ferox temerariusq; sum, ut pugnam moramue suaderem. Nunc cum & locum cæpimus angustum quo uenerimus occultius, & hostis non absit longius quadringentis passibus, ut opinor, recentioribus, quàm nos equis, quam spem salutis tantam ponimus in una celeritate equorum. At fessis plus quinque & uiginti milibus passuum remetiendum, quos isti incompositos ac dissipatos insequuti, ut quemq; primum assequentur trucidabunt: & ut certum habeo usque ad unum. Non enim firmiores nostri equi, aut ut dixi recentiores sunt ad perferendum cursum, modo tres quatuór ue illorum qui plures nobis sunt, si pernicibus equis insideant, instabunt fugientibus, terga cædent, & aut morari compellent, aut ritu ouium caprarumq; mactabunt singuli plurimos: ut renouemus in nobis ea quæ in Orlando & Rainaldo in hac regione memorantur, qualia fuisse Hectoris, Aeneæ, Achillis aliorumq; priscorum frequenter audiui. Ex quo non mortem defugerimus, sed ad honestam mortem refugerimus. Est autem honesta mors in pugna, nō in fuga. Ad quam mortem fortiter hortari uos ausim, si nihil aliud sit reliqui. Nunc etiam spes salutis ostenditur, ac uictoriæ, si fortunam belli tentemus. Sæpe enim pauciores uel consilio, uel uirtute, uel (quod maximum est) necessitate & desperatione uicerunt. Magna res est proponere animo aut uincendum, aut mortem, dedecus atque omnia extrema patienda. Sæpe infirmiores feræ quę in aperto singulas robustiorum fugissent, cum se inclusas uiderunt, contracta rabie, aduersus plures insurgunt, & nonnunquam eiulare & fugere compellunt. Ego uidi uulpem unā uulneratis plerisq; canibus euasisse. Nos ergo tot uulpes, cum rem nostram in angusto uideamus positā, paulo plures canes extimescemus inuadere? Quid quod nostrum adiuuat fortuna consilium? si inuadimus, speciem præbebimus nos partem insidiarum esse non totam manum, neq; enim compertum habent nostrum numerum. Videtis ut lente cunctanterq; ueniunt, unum uel duobus longius præmiserunt explorandi causa, & ipsos hæsitantes, ac circunspicientes. Audendum igitur antequam certum explorent, & tanquam fiducia sociorum qui lateant feroces simus, ferociter irruamus: uictoria imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa, nobis audenda, unde aut uictores cum præda & gloria redibimus, aut certe honestissimam mortem oppetemus: quam nefas est appellare

pellare mortem, fruituros apud uitę parentem uita æterna? Spero quoque in Christo Iesu, qui me de pristina mortalitate ad spem æternitatis reuocauit, eum hanc meam spem non frustraturum. Atque eius inuocato nomine, feror in suos hostes. Hęc dicens, adacto equo, in duos antecursores, & qui iam proximi erãt infesta hasta dirigit cursum. Illi propere terga dant, cæteri Christiani insequuntur. At barbari, qui ad responsum exploratorum suspensi erant, uisa eorum subita fuga, hostiumque incursu turbantur, & inter pugnę fugæque consilium cõmiscentur: & alijs terga dantibus, alij perterrentur. Libuit exequi longius historię uerba, ut sciretur, imò ut uoluptati foret legentibus felix euentus illius orationis. Fac. Oratio ista perpetua arator sapientissime, hoc loco uitiosa est, præsertim cum ij de quibus loqueris, neque in castris, neque pro castris essent: neque munitionibus ullis, neque loci situ defenderentur, abessetque à suis, ut scribis, uiginti milibus passuum, ab hostibus uerò non plus quadringentos passus. Aduersus se citatis equis sic aduentantibus, ut orandi spatium ac facultas non daretur. Lau. Quid? alibi quàm in illiusmodi locis non habetur oratio? etsi in istis non semper orationi locus est hostibus ingruentibus: quoties deprehensus circunuentusque in medio itinere dux, coniectis unum in locum sarcinis, milites suos est adhortatus? quomodo aliter in mari fieri poterit, ubi neque castra, neque munitiones, neque situs tuentur? Cæterum unde colligis illos citatis aduentare equis? quod ego non aio, sed lente atque cunctanter. Ideòque satis spatij fuit, si minus per ocium, ut tu cauillaris, at festinato ad exhortandos socios, cum etiã Graccho repente in eum ex occulto hostibus irruentibus, non defuerit tempus comites cohortandi, ut Liuius refert. Fac. Præterea hostes trecenti erant, ipsi uerò non plures centum: & recentiores equos habebant, ut scribis. Malacha enim, unde exierunt, uicina erat, ut retardari impetus hostium, præsertim conspecta paucitate non debuerunt: prius enim opprimi, & in uincula conijci potuerunt omnes à Malachanis, quàm orandi finis esset. Vno enim & continenti equorum cursu quadringenti passus ab hoste confici poterant. Lau. quibus Malachanis conijci in uincula poterant? ab equitibus trecentis. Quid ergo ad rem urbem fuisse uicinam, ab ijs qui in oppido erant? Quid ad rem equites habuisse recentiores equos? si non istis, sed oppidanis illis præda futuri erant. Præterea unde aut uincula equitibus, aut si uincula pro carcere accipis, ubi tam propinquus carcer? Aut ijs qui intra urbem manebant non equi, sed pegasi erant, quibus conscensis tam repente ab urbe, quæ octo milibus passuum aberat, accurrerent, atque aduolarent: præsertim uincula adferentes, quę citius dicto parauissent. Adhuc immemor es proximis diebus fuisse eos prælio uictos, ac plus quàm triginta milia suorum amisisse, & à nostris fuisse, uel interempta, uel capta: qua clade ita abiecerant animos, ut ne Granatenses quidem (quę regia gentis illius ciuitas est) ausi sint prodire è muris aduersus prędatoriam manum, quòd castrensem arbitrarentur. Et tu Malachanos protinus inuasuros fuisse uis hostem uictorem, non admonitus saltem ad secus sentiendum illis uerbis. Victoria Imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa, nobis audenda. Fac. Nec illud obstat huic rationi, quòd ais hostes insidias fortasse uerituros, & ab incursu temperaturos, quoniã & ipsi centum de quibus agitur, de maiori hostiũ numero timere non minus poterant, quòd illi propinquiores oppido, quàm ij castris erant. Lau. O plumbeũ pugionem, rationemque hebetem atque inscitam. Num quia mihi causa est cur te metuam, tibi cõtinuo nulla erit, ut uicissim ipse me timeas? metuebant nostri, ne sibi insidias tetendisset hostis, ne huic oppidani suppetias ferrent. Esto, qui non & ille ab istis similia timere poterat? illis eo magis, quòd uictores, quòd in agro alieno grassantes, quòd in loco insidijs

idoneo

idoneo erant. Quid, quòd nec metuere debebant nostri, aut insidias trecentorũ, qui per loca aperta, qui specie iter facientium ueniebant, qui de aduentu istorũ tam repentino nihil suspicari poterant, aut oppidanorum eruptionem tam longe positorum, à quibus cerni nequibant ipso meridie, nedum luce adhuc dubia. Quid, quòd nõ modo hosti maior numerus nostrorum timentibus fuit, nostris minime, uerumetiam nostris pugnandi necessitas, nisi perire mallent, hosti nulla, sed in fuga spes facillimi receptus. Fac. Oratio (ut scias hoc) debet esse loco & tempori accommodata, & ex ea iudicatur prudentia. Non enim omni tempori ac loco conuenit perpetua, & ex omnibus partibus perfecta oratio. Satis enim fuerat, cum utrique in conspectu essent, neq; plus quadringentos passuum distarent, oratione cæsa uti, & paucis uerbis ostendere pugnandi necessitatem: nisi turpiter cedere, quàm honeste mori mallent. Salutem (si qua erat) non in fuga, sed in una uirtute ponendam esse: forti atq; intrepido animo congrediendum, antequam eorum paucitas perspecta hostibus contemptum sui faceret: fortibus uiris sæpenumero fortunã affuisse. Lau. Nõ secus te loqui de prudentia decet, qui tam probe accõmodasti personis orationes in dialogo tuo: quàm de re militari loqui decuit Homerũ illum Thersiten. Quid imprudentius ista tua emendatione, atq; ineptius? siue quòd cum necessitatẽ pugnãdi uis ostendere, de honestate argumentaris: siue quòd pauculis ac frigidis uerbis putas, uel ducem debuisse uti ad suam sociorumq; salutem, uictoriam, prædam, uel illos inducere potuisse ad tam rarum facinus. Insuper ais non perpetua, sed cæsa debuisse me uti oratione. O uirum doctum? quid enim cæsa oratio? Nónne ut dialectico, qui minutis interrogatiunculis, aut quæ uicem optinent interrogationum, quod proposuisset, efficit concisa: sic rhetorico perpetua donatur oratio, hoc est continens, & non concisa? Obliqua fortassis oratione dicere uolebas. Sed obliqua in scribente, non in uere concionante desideratur: qua Liuius, Sallustius, Cornelius parcissime sunt usi. Fac. Itaque tota illa argumentatio, qua demonstras quid crudelitatis hostes in illos fugientes edituri sint: Et exempla illa fabulosa de Orlando & Rainaldo inepte atq; aniliter introducta: & illa de mortis genere accurata disputatio, & comparationes de uulpe et cane, uacui capitis, non hominis sani, omnia uitiosa, & præter artem, & historię dignitatem: quoniam ut dixi, nec locus, nec tempus ferebat hanc uerborum inanem magnitudinem, cum hostes ad unum qui cursum proximi citatis equis in se ferrentur, & ipsi nullo munimento loci tuti essent. Lau. An hæc oratio sit accommodata personæ, an secus, aliorum sit iudicij: cum sciant apud Xenophontem induci Persarum regem, dum Cyrum alloquitur, simili exemplo utentem: Scropham cum procellis suis fugientem, ubi se acrius premi sentit, conuertit, & addito animo in insequentes irruit. De loco quoque & tempore satis, ut spero, probaui, nequid tua ratio ualeat, quam unam ad probandum omnia quę proposueras reddidisti. Cæteras autem tuas absurditates transeo, disponẽdi, & sæpius in eadem recidendi: & in concione positorum uerborum: quale est male edere crudelitatẽ in fugientes: & introducta argumentatio, introductáq; exẽpla & accurata disputatio de genere mortis, cum nõ disputetur: & cõparationes, de uulpe & cane, cũ sit una cõparatio: & uacui capitis, nõ sani hominis, cũ redũdet hominis: & ad unum equi cursum citatis equis, quia equũ & equos implicas: & in se ferrentur, pro, in eos ferrentur: sicut superius aduersus se aduentantibus, pro, ex aduerso uenientibus: & neque in castris, neque pro castris essent, quasi extra castra sint, qui pro castris sunt: & ueritúros, pro ueritos. Proxime fecisti me imprudentem, & ego te talem ostendi: nunc fecisti uacui capitis, & non sani: uelim probasse id existimaueris, cum nihil minus feceris, nisi te talem

cum hic aliquantum probaui, tum mox multo magis probabo. Ais enim. Fac. Præterea notatione digna est illa cõtradictio, quam facis in initio orationis. Verba enim tua hæc sunt: Profecti, cum iam octo milibus passuũ ab urbe abessent, sub lucem trecentos, ut colligi poterat, equites ex aduerso se ferentes conspiciunt: moxq; conspiciuntur inuicem, parua iamiam utrosq; dirimente eos intercapedine. Ac paulopost ais. At fessis plus quinque & uiginti milibus passuum remetiendum est. Quid enim octo milibus passuum à castris progressis, quinq; & uiginti milia passuum remetienda erant? Lau. Taceo non esse uerba hæc in initio orationis, sed ante orationem. Nónne ipsis testaris scribere me (ut uerũ est) cum illi iam abessent à suis, hoc est à castris, uiginti milibus passuum? Quid ergo nunc ais eosdem octo modo milibus passuum progressos esse à castris? Quod ego nec dico, nec sentio, sed ab urbe abesse octo milibus passuum. Quonam modo te cæpit obliuio eorum, quę paulo ante dixisti? Ne possis negare nõ me, sed te contraria dicere, planéq; uacui esse capitis, ac debere Plautinos uersus in Bacchidibus, quasi testes ingenij tui, captare. Quicunq; ubique sunt, qui fuerũt, quiq; futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blemni, buccones, solus ego omnes longe eo ante stultitia. Fac. Quærebant nonnulli uel ioco, uel serio quosnam socios cum equis amisissent? Respondit quidam, imò interrogate ipsos equos, & ornamenta, ac uestes, quosnam socios amiserunt, Ioannes &c. facetius (ut sumus in uictoria faceti ac dicaces) nos uerò in nemore sumus uenati, et quot animalia manus nostras effugerũt, nõ perdidimus: perdidimus quot non effugerunt. Tu hoc appellas facete dictum? ego uerò et infacetũ & prorsus insulsum. Est enim pueriliter, & ieiune, atq; inepte prolatum, ac præterea præter historię dignitatem, in qua eiuscemodi friuolarum quarumcunque rerum, & maxime problеumate renunciata, quod ne Oedipus quidem interpretari sciat, superuacua est, cuius generis oratio à rerum scriptore diligenter uitanda est. Lau. Non facetum tibi uidetur sed insulsum: quid si Thersitis oratio uideatur tibi faceta, an tum erit faceta, an potius insulsa ut tu? nam quod tibi Scythę displicet, id Græcis placet. Et enim hæc fuit quæstio Homero proposita (ut notum studiosis est) quam cum soluere nequisset, dolore creditur absumptus, eóq; à Græcis, quos quidã Latinorũ imitati sunt, memorię mãdata illis uersib.

Ἐνθάδ᾽ ε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

Conditur hoc tumulo uates diuinus Homerus,
Heroum cecinit qui bene gesta ducum.

Et reliqua. Non attinet plura huius generis afferre ex historijs exempla, præcipue apud Xenophontem, quem musam atticam uocauerunt. Quid seuerius, quid ferè breuius historijs Cæsaris, quas propter compendiarium genus dicendi, commentarios uocat? In his ille (ut simili utar exemplo) ita ait: Omnibus equis Gallis equitibus detractis, in eos legionarios equites, milites, legionis decimæ, cui quàm maxime confidebat, imposuit, ut præsidium quàm amicissimũ, siquid facto opus esset, haberet: quod cum fieret, nõ irridicule quidam ex militibus decimę legionis dixit: plusquam pollicitus esset, Cæsarem facere: pollicitum in cohortis prætorię loco decimam cohortem habiturum, & nunc ad equũ rescriberet. Vides inuide, Cæsarem magis affectasse iocos, quàm me? Enimuero ut te tua laude non fraudem, ne tu quidem irridicule loquutus es, uel magis quàm uel meus, aut Cæsarianus miles. Nam quis grammaticis imbutus, non irrideat istam tuam orationem, ut incongruam? quod renunciata quidem caret substantiuo: problеumate autem pro propositione nihil obscura, quòd diuinare non interpretari illam oportet, ut Oedipus ille hic uel acturus sit ut barbarãs

quòd

quòd præter illa quę superiori libro reprehendi uitia uerborum, probleuma scribis & pro ænigma accipis. Siquidem ut Græca discas: Aenigma est allegoria obscurior. Problema autem propositio in interrogatione posita, ut Aristoteles ait in Topicis, & alibi, licet inter πρόβλημα, & per interrogationem propositionem quam uocant, differentiam statuit: quæ interrogatio hic non est: ergo ænigma (ut Plinius in quadam epistola ad amicum scribit) his uerbis. Eadem epistola & scribere te & non scribere significat. Aenigmata loquor: ita planè ut denique imprudenter, quòd diligenter ænigmata uis esse uitanda: quasi uerò diligentia sit opus ad hæc uitanda, quæ uix cum diligentia queunt inueniri. Cætera non sunt digna quibus respondeatur. Fac. Quòd si hoc conceditur, illud multum magis concessum iri necesse est, eos quos uulgo caballarios, Græci ἱππέτας uocant, eos uocare equerios. Hoc tibi nunquam concedet Parmeno, ut in narratione rerum gestarum disputationem inducas longiorem de uerborum significatione. Est enim uitiosa digressio breuitati contraria. Lau Nunquam ne respicies infelix, quod de arte repetis, id ad orationem, non ad historiam pertinere? Nam ut in illa quoad fieri poterit, uitāda digressio, ita huic more poëtarum est maxime amica. Neque hæc disputatio est, neque longa, sed sed perbreuis narratio: nec tam de nouo uerbo, quàm de noua re, sicut Thucydides de uocabulo Gręcię, id est, ἑλλάδ@ fecit. Fac. Videris enim non historiam uelle scribere, sed grammaticorum præcepta tradere. Itaq; totam istam de militis & equitis uocabulo disputationē, ut superfluam, atq; ineptā, uitiosissimā puto. Lau. An unò ne uersiculo pręlongus sum, & grammaticę præcepta trado? tametsi de re magis, quàm de nomine ago: si recte uis, & non interprete inuidia, iudicare, & hoc tam breuiter quàm erudite. Fac. Nec minus hoc loco elegantiam tuam damnandam atque irridendam censeo, cum uelis noua & absurdissima formare nomina, pro quibus proprijs & usitatis atque honestis uti licet. Equerios enim appellari uis, quos eruditi homines equites, & equestris ordinis uocant: quod nomen usus pridem admisit & comprobat. Hic enim ordo medius inter patres ac plebem Romæ fuit, in quo & Cicero extitit. Lau. Sedulo me cohibeo, ne toties te feriam, quoties licet: & multa in uerbis sententijsq; tuis prætermitto absurda: quale est pridem magis uerbum Prisciani exponentis quàm Ciceronis utentis, nisi præcedente alio aduerbio, ut in elegantijs: & admisit, deinde comprobat: cum prius cōprobemus quid, quàm admittamus, Et in quo ordine extitit, pro ex quo ordine extitit: præterea quòd eadem repetuntur & inculcantur. Hoc enim dico, quid absurdius, stultiusq; quàm id genus hominum, quo de nunc agimus, uelle ipsius esse ordinis cuius ueteres, ut Cicero, fuerunt. Quid enim ad hanc nouitatem facit antiquitas? Verum, adhuc quod nescis, ille extat ordo: ex quo illi, qui & olim fuerunt, & nunc sunt. Nunquid ista ratione uocati sunt uocanturq; equites? Nam quid simile inter hos & tuos? Tolerabilius si dixisses equites, ad exemplar eorum, qui equo merebant, atque hodie merent: siquidem ut uocabantur equites, ita & uocantur: unde equitatus, sicut peditatus eorum qui pedibus militant. Nec addidisses equestrem ordinem. Et enim equestris ordo non nisi Romę fuit, estq;, qui & ipsi uocantur equites, quòd uidelicet equo debent militare. Itaque cum istos appellas equestris ordinis, id agis, ut unusquisque eques Romanus ista sit prẹditus dignitate: & quisquis ista præditus est, inter Romanos numeretur equites, quorum siue utrunque siue alterutrum affirmaueris, quominus te luto incessamus ut fatuum, recusare non potes. Alioqui quis non fateatur suum Romanis nomen quod est equester ordo, suumq; militibus, qui equo militant, quod est eques, etiam domi peculiare Romanorum esse relinquendum, ne ma-

testatem horum nominum quasi consecratorum prophanemus, & nouæ rei nouum accommodandum? Ex his constat quàm eruditos existimem, quicunque illi sint, quos appellasti eruditos. Neque enim charior erit aliorum mihi dignitas, quàm mea. Ego neminem nomino, ut nemo mihi apud sese possit irasci, nedum apud alios, apud quos de suo, si uolet, errore necesse habebit confiteri, si audebit de me queri. Fac. Atque ita ad imperatorem capti perducuntur: quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, ut uix unquam sit uisus risisse hilarius. Non intelligis imprudens te grauissimum uirum, & regem summum, notari leuitate? Nihil profecto minus uerisimile. Quid enim dignum cachinno affertur? Lau. An ego imprudens sim, postea uidero: interim te talem esse tua est testis oratio. Velle enim alterum ostendere imprudentem, & causas, cur ita sit, non dico non posse, sed negligere afferre, non alienam, sed suam imprudentiam indicat. Esto sanè, ut haud decenter inducam Ferdinandum etiam, ut tu affirmas (quod nescis) grauissimum uirum, etiam, quod mentiris, regem cum longe abesset ab regni spe in risus solutum, atque (ut tu fingis) in cachinnum. Quid respondebis legentibus? finge enim te ab illis interrogari, ut certe tacito interrogant, quid est cur Laurentius fecerit imprudenter? an non rident & principes usque ad cachinnum, cum cachinnandi affertur occasio? At non fuit, inquies, materia tantopere ridendi. Tu potius imprudenter, qui cur huiusmodi materia non fuerit, reticuisti: quis enim hoc iudicare queat de causa non cognita? Fac. An quòd uiderit rex miseros captiuos suę gentis cultu corporis præditos? O singularem hominis prudentiam? O singularem iudicium? ubi est acumen tuum? ubi illa ingenij uis? An tibi iusta uidetur causa, cur regem cachinnantem inducas, miserorum captiuorum in sua ueste conspectu? An illud fortasse te mouit, quòd postea subijcis, puduisse captiuos, quòd in tali habitu cernerentur? At te magis pudere debuit Laurenti isto modo scribere. Quid enim erat cur captiui pudore affici deberent, si suis armis, suóque habitu ornati erant? Magis profecto illis erubescendum fuerat, si Romano cultu, & Romanis armis conspecti essent: qua uerò eloquentia & gratia ista explices, omitto. Lau Quis non modo iudicet an uere reprehendas, sed intelligat omnino quid censeas? quę imprudentia maior sit, an stultitia, dubito. Percontaris enim me, cur ille riserit: quare ego non dixerim causam percontaris: rursus an iusta causa sit, quasi causam dixerim, percontaris: an ideo riserit, quòd uiderit captiuos suæ gentis more uestitos: quasi hæc possit esse causa, & hic nunquam illam spectasset gentem: ridiculusque sit ille habitus, & illa armatura. Percõtaris iterum, an ideo riserit, quòd captiuos puderet sui habitus, quasi causa esse possit, aut illis pudendi ob patrium habitum, aut huic ob alienum pudorem. Percontaris denique, an aliud quiddam me mouerit, quasi hoc percontari oporteat? O te nescio quo nomine appellem, ita es bestia non loquens, sed coaxans. Et poteram quidem hac imprudentiæ, & stultitię tuæ confutatione contentus esse, sed malo legentes totius rei iudices facere, subijciendo ad literam uerba historiæ. Iussitque non descendere ab equis, sed longa se iunctos serie colligari fune, quem uictores deiecerant: ita uincti ex alueo processerunt, scutis ex corio factis, qualibus Mauri semper atque Afri sunt usi, ad sinistram partem ephippiorum appensis: lancea super dextrũ femur iacente, atque ita cum inauratis calcaribus, alijsque equeriorum insignibus, cum magna deducentium exultatione, quòd hoc sua arte potuissent, ad imperatorem deducuntur: quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, ut uix unquam sit uisus risisse hilarius: dixisseque circunfusis inuestigationibus, ac præ uictoria gloriabundis, quoniam puderet captiuos illo cultu conspici, exuerent et sibi haberent sagum,

per lusum,

per lusum, illorũ spolia se dono dare ijs qui cepissent. Vides quę per te exponenda fuerãt? uides quàm multa dempseris? uides quis cultus siue habitus fuerit illorum? quid eos puduerit? quid Ferdinandus riserit? At leuẽ facio Ferdinandum, qui ob hoc riserit: si ita sanè excesserit (quod est longe secus) modum ille risus, meum tamen fuit nõ laudes tantum eius exequi, uerumetiam, siqua minus laudanda egisset, more eorum qui Philippi, qui Alexandri, qui Caesaris, aliorumq́ principum gesta scripserunt. Tibi fortasse conueniat mentiri, qui soles, nec ais esse uerisimile, quod tam graues uiri qui affuerunt, uerum fuisse testantur. At satius erat illum non accusare leuitatis. Censoria castigatio: quid? Crassum'ne quem semel in uita risisse Lucilius scribit, uis esse debuisse iuuenem ducem inter milites uictoria ac ludicro exultantes? quasi non uiderimus quotidie regem filio similiter agentem, qui multo maior est natu. Quòd si, ut uerum notumq́ est, ille magnos hilaresq́ risus excitauit: eum tu damnare ausus es, ut leuissimum? quod tantum abest, ut ego faciam, ut etiam defendam (parum dico) ut laudari posse affirmem. Nam ita censeo risum hunc dignum hilari duce, dignum forti, dignum Christiano fuisse, cum uideret trecentos, non modo suos, sed etiam religionis hostes, qui ad perniciem nostrorum iureiurando adacti uenerant, tanto astu interceptos, tum inusitato incredibilique genere deuictos, & in tantam omnem exercitum alacritatem, plausum, exultationem effusum. Tu melius, qui doles uicem hostiũ religionis, qui toties illos miseros uocas: qui nostros uictores cum suo duce reprehendis, quòd miserorum non miserentur: quasi in triumpho, ubi uictores ante se agunt captiuos, ciuitas uictorum succenseat exultationi ob misericordiam erga captiuos. Vere Scytha & uere Maure, qui uictoribus irasceris Christianis, & uictos miseraris Mahumetanos, ut miseros. Cur tandem miseros? utra maior eorum pœna, an culpa? Certe culpa, nam pœna prope nulla est. Quid igitur, ut cæteros taceam, mihi casum illorum non ita miseranti facis inuidiam? Sed ne sine exemplo transeamus hanc de risu quæstionem, audi Liuium. Petissent, ne Pœno bellum Italię inferenti per agros urbesq́ suas transitum darent: tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut uix à magistratibus maioribus'que natu iuuentus sedaretur, adeo stolida, imprudensq́ postulatio uisa est. Vter risu uerisimilior? uter dissolutior? ridentis argutiam illam militum in castris, an uerba legatorum transitum ne darent Pœnis postulantium in senatu? Et alibi. Barbarus eum quidam ob iram interfecti ab eo domini interfecit: deprehensusq́ à circunstantibus haud alio quàm si euasisset uultu, tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. In tormentis suis credibile est risisse aliquem, in alienis incredibile erit? Ne aliud dicam, illud uerò an grammatice dicatur in sua ueste conspectus Priscianum consulito. Fac. Pegna amatorum, hoc est, petra amantium. Non illi profecto tam amantes erant, quàm tu amens, qui uerbo uteris incognito. Lau. Amens'ne sum, qui Hispanum locum de quo narratio est, ad uerum interpretor? Siquidem à me scriptum est. Insidebat speculator in edita petra, inter utranque urbem pari interuallo, nomine pegna amatorum, hoc est, petra amantium. Ideo autem amatorum in animantiũ transtuli, quod literate amator ad uirum tantum pertinet, amans ad fœminam quoque. Pegna apud Hispanos petra dicitur. Quòd si Sallustio licuit sine interpretatione dicere, Vsq́ ad decliuem latitudinẽ, quem locum catabathmon uocant, qualia exempla sunt infinita, Cur mihi, quòd Hispanum uocabulum interpretor, uitio detur? Etenim addis. Et fabulam pro uera accuratissime scribis. Nisi eam subijcias ad uerbum, qui iudex esse poterit? nisi ut me absoluat, imò adeo te condemnet talione. Credas enim iudicũ huius litis talia erga te esse uerba: Vnde

scis Barptolemæe fabulam à Laurentio, non historiam narrari? quomodo probas? qua coniectura colligis? quibus testibus doces? uel omnino affers? Tu igitur nobis amens uideris non ille. At mox amentiam hanc compescas à crimine Platonico inquiens. Fac. Quam postea à te nō credi inquis, hæc enim uerba tua sunt. Huius nominis causam, quia non iniucunda auditu est, satius est perstringere, quàm omittere. Iuuenis quidam & reliqua. Subinde dicis, quod, ne credam, sequentia inducunt. Lau. Nullum deus animal, neq; uolucre, neque terrestre, neq; aquatile genuit insidiosum alijs, quod non uigeret ingenio, præterquam hominem: ita multos uidere licet stolidos, & tamen malitiosos uoluntatemq; summam decipiendi habere, facultatem nullam. Id quod non nostro correctore cum superiore constat, tum uerò ex hoc loco, ubi alterius & longe sequentis negationem sententiæ superiori applicat, ut altera alteram collidat: quasi æstus & gelu eodem anno nequeant esse quia repugnent. Quæ malitia quàm stolida sit, uerba historiæ, quę ipse non est ausos ponere, testantur. Iuuenis quidam, nomen non traditur nec patria, sed tantum natio, quòd esset Hispanus, seu bello, seu latrocinio captiuus Granatæ, duobus tribus'ue annis seruitutem seruiuit, utente domino sua opera in rebus urbanis, atque domesticis. Filia cuius capta tum forma, tum nitore linguę, tum liberalibus moribus adolescentis, hominem illexit, & ipsum mutuo flagrantem specie puellę, & elegantia. Iidem cum uiderent nec impræsentiarum liberam sibi esse consuetudinem, nec diu futuram, cum alter seruus esset, altera nubilis, præterea periculosam utrique rem atq; capitalem, constituerunt per occasionem ambo fugere, sed adolescens honestius, quòd ipse ad suos, illa à suis abibat: nisi religionis ratio constitit, quod ne credam sequentia inducunt. Non rem gestam nego, sed causam fugæ fuisse religionem: quod probat finis narrationis: quæ uerba iste malitiosorum stultissimus, & stultorum malitiosissimus, ne dolus suus deprehenderetur, peruertit, tenorémque rei interrupit alio diuersæ & procul positæ materiæ capitulo. Huius euentus & si nonnihil me quoque miseratio subit, tamen miseratione indignos ob id fuisse apud deum existimo, quòd & puella amores suos uidetur non deum sequuta, & iuuenis audacior fuisse cum rapina ad se uindicandum in libertatem, quàm prius sine rapina: quæ causa, ut iter sibi tardius, & persequutores acriores, & minorem spem ueniæ pararet, extitit. Præterea neuter in extremis suis rebus bene de dei bonitate sensit. Quid aliud agunt hæc uerba, nisi affirmant me sentire rem quidem ueram fuisse, sed religionis causam abfuisse? Nunc inspiciamus quid tu eis opponis. Fac. Inepta sanè & inconcinna sententia, tum rationibus, tum uerbis. In quibusq; enim rebus uel minutissimis philosopharis: non ita Liuius, non ita Cęsar: quorum opera percurrisse te credo, sed certe eorum uirtutes haudquaquam intellexisse. Vbi enim incidit quicquā graue & dignū memoria, sententiam afferre, & quid probes improbésue explicare nō incongruū puto, si modo id raro & moderate facias. Lau. Quid tua stultius oratione, qui dum ex autoribus uerba aucuparis, quę apud te suū decorem perdunt, nihil quod loquaris attēdis? Proponis quòd sententia mea est inepta sane, inconcinnáq; tum rationibus, tum uerbis: demum rationem subiungis, quòd ubiq; philosophor, quod non factitarunt Cæsar & Liuius. Quid ratio hęc ad propositionem? Fac me nimium esse in sententijs frequentandis, quod tu philosophari uocas, quomodo probas perineptā hanc perq; inconcinnam esse sententiam? Hoc non facis: quod unum est peccatum uel stultitię, uel calumniæ tuę. Alterum, quòd ratio ipsa non patet. Non enim probas me, uel in minimis philosophari, seu passim frequentare sententias. Tertium, quòd sententiam à rationibus, tanquam diuersa sint, separas. Quartum quòd

quòd nescis quales historici sint, aut certe tuo more dissimulas: qui crebrior in hoc genere quàm Sallustius, & cuius hic æmulus fuit, quem tu non uidisti, sed de quo legisti, Thucydides. An uerò legisti Ciceronem ita scribentem: Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile uincit: qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum sententiarum numero assequatur: ita prorsus uerbis aptus & pressus, ut nescias utrum res orationis ratione, an uerba sententijs illustrentur. Quid plura? cum Lucius Florus atque Iustinus, qui epitomata scripserunt, huiusmodi sententijs redundent: nisi quòd magis te uelle dicere existimo, ideo mea est inepta, ideo inconcinna sententia, quod de re Christiana loquitur, quodam historiæ dehonestamento. Honestius igitur Liuius (eludant nunc antiqua mirantes.) Non equidem si qua sit sapientum ciuitas quam docti fingunt magis quàm norunt: aut principes grauiores temperantioresq; à cupidine imperij, aut multitudine melius moratam censeant fieri posse. An Liuio licuit contra Platonem, Aristonem, Theophrastum, aliosq;, qui de republica præceperunt (ut tu appellas) philosophari, mihi contra neminem pro republica Christiana licebit? sed hęc satis. Fac. Illud ad extremum à te quæro, quid ita dixisti in historijs dignum memoria? Lau. Nónne quæcunque historici memorię mandant sunt digna memoria? Quid est sententiam afferre potius quàm sententia uti? Verum hoc in uerborum uitijs notandum erit: tamen & hic quoque conuenit, ut intelligas non me sed te labi in rationibus siue sententijs & uerbis cum ineptis tum inconcinnis. Nunc respondebo illi particulę superioris reprehensionis: quæ abs te post hunc locum erat ponenda.
Fac. Et multis uerbis explicas, quod te paucis complexurum promiseras.
Lau. Quomodo tu istud iudicibus probas? Dimisisti multas iam in urbes huius contra me operis exemplaria, citra exemplar historiarum mearum: sine quo qua ratione legentes poterunt tuam accusationem ueram iudicare? Hoc stultitię tuæ argumentum comitatur calumniam, quæ manifesta est ijs quibus ipsas historias ostendo, quibus non longa narratio uidetur: sed tu longe stultissimus, malignissimus, indoctissimus. An non Liuius sic inquit? Operęprecium uidetur excedere paulum ad enarrandum, quàm uaria fortuna huius sit in amittendo, & recuperando paterno regno. Militans pro Carthaginiensibus Masinissa &c. deinde exequitur hanc rem circiter ducentis uersibus, & quadruplo pluribus quàm sint mei. Fac. Ex quo intellectum est, quòd diutina dissuetudine didiceramus nō pluribus lignis opus esse ad cremanda cadauera: præsertim, ut tum erant, solibus incocta, & adipibus qui defluebant, nōnihil alimenti flammę præbentibus. Fœda profecto & tragica non historica narratio. Quodcunque enarras mihi sic incredulus odi. Lau. Vix unquam propositioni ratio respondet propositionis: quod fœdum dictu. Autoritate Horatij pro ratione affers quod incredibile est. Prius ad uersum Horatij: deinde ad propositionem tuam paucissimis respondebo, postea aliquid adijciam exemplorum. Horatius non uult in scena propalam fingi Medæam filios trucidantem, & Atreum liberos fratris coquentem, quę cum facis inspectante populo sunt & incredibilia & inuisa. At cremari corpora defunctorum in publico tam uerum quàm usitatum fuit: quod si semel fiat seculo nostro num tetrius erit, quàm olim fuit? num tragicum? & si tragicum, num tamen protinus ab historia alienum? num fœdum relatu, utiq; in hostibus & Agarenę superstitionis? Cornelius Tacitus: Fœdum atq; atrox spectaculum: intra quadragesimum à pugna diem, lacera corpora, trunci artus, putres uirorum equorumq; phormę, infecta tabo humus. Vergilius de Cycople Homerum sequutus, cuius hi sunt uersus:
σὺν δὲ δύω μάρψας ὥς τε σκύλακας ποτὶ γαίῃ

nisi fortuna, in cuius manu sunt omnia, nisi casus adsit. Hunc in modum censes à duce Ferdinando fuisse milites alloquendos, Fatue atque furiose? Cũ præsertim non ad rem militarem, hoc tantummodo pertineat: sed ad cuiuscunque rei consultationem. Neque enim plus regni bellicis in rebus fortunę est: quàm in nauigationibus in re rustica, in negociationibus, in matrimonijs, in liberorum prouentu, cæterisque id generis: quoniam fortuna nihil aliud est, quàm deus, qui moderatur omnia, aut ipsius dei moderatio. Ex quo nemo quippiam consultabit, quippiam futurum sperabit isto metu fortunę. Fac. Multi nec opinantes domi sunt oppressi. Horum unus etiam texens: qui cum audisset urbem expugnatam, non obseruauit fores, non fugit, non etiam surrexit: sed tanquam fieri non posset, texere perseuerauit: atque ita sedens telam, atque detexa esset, sanguine suo tinxit. O imperitum hominem? Miror equidem, cur & alium mingentem non induxeris? Hoccine est historiam scribere? Hoccine est illustrissimi & maximi regis res gestas commendare? huiuscemodi res, præsertim tam ineptè, historiæ immiscere? Lau. Quid est quòd uerba mea derideas, quòd hanc narrationis partem contemnas? nunquid Ferdinandum facio texentẽ, aut texentem interfectorem, an nõ? etiam paruus in historia locus, certe, si saperes, multum hæc res ad admirationem uictorię facit: quòd rem Ferdinandus effecit etiam hostiũ opinione maiorem. Omittam infinita minutarum rerum exempla inter maximas insertarum: quantopere me derideres si (ut facit Liuius) dicerem. Gallum illum qui Romanos ad singulare certamen prouocabat, exerta lingua præ contemptu hostis processisse. Cæterum nullum fuerit similius, quàm quod idem Liuius de Archimede refert in Syracusarum expugnatione. Et custodibus dimissis per domos eorum qui intra præsidia Romana fuerunt, cum multa irę, multa auaritię exempla ederẽtur: Archimedem proditum est, in tanto tumultu, quantum captę urbis fragor in discursu diripentium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset interfectũ. Non comparabo inter se opera, non excutiam utrum uerisimilius: certe ut alia paria sint in utroque, plus illud in nostro est, quod ducis uincentis gloriam auget. Et tamen Iuuenalis uersibus à tuo Panhormita deprauatis conuicium facis:

Frange igitur calamos uigilatáque prelia dele,
Quæque facis dona Veneris bone Valla marito.

Per æque te irridere alios decet, ac Gallum illum, de quo modo dixi decuit: uel potius per æque ac simiam illudere nobis decet: cum aut nudatos dentes quatit, aut nudatum rictum cum deformi cauo protendit. Verum quasi nolis hoc reprehensum, ut es ubique inconstans, subijcis. Fac. Licuit tamen tibi & huius rei mentionem facere, si modo illam aptè, & cum aliqua dignitate uerborũ expressisses: hominis constantiam laudans, atque ostendens, tantum in eo mortis contemptum fuisse, ut cum patriam expugnatam diripi, & ciues passim cædi uideret, tamen interritus ab opere non discessit, donec texendo perseuerans, occisus est. Sic rem cognitione & admiratione dignam effecisses: quæ isto modo puerilis atque irridenda est. Præterea quàm arida, quámque exanguis sit ista oratio, alijs iudicandum relinquo. Lau. Supersedeo de dignitate uerborum loqui: rem ipsam spectemus. Velles me uirum fortem & mortis induxisse contemptorem? O effutiens uerba non promens: qualis non fuit talem à me iubes induci. Non ego poëta nunc sum, non Barptolemæus Facius: qui cum poëtas ignoret, tamen in historia poëticam fingendi licentiam, non historicam synceritatem solet imitari. Cur non Liuius Archimedem talem induxit potius, quàm abalienatum à sensu ciuitatis quæ diriperetur, intentum figuris in puluere discribendis? cum diceret eum uirum, qui suo ingenio patriam tandiu

ab hoste Romano tutatus esset, non ad puluisculum inuentum, sed ad murales machinas fortiter oppetere mortem. Fac. Quanquam ô terq; quaterq; uesanum: in cuius, nisi furiosi quale tuum est, ingenium cadit, ut cum fugere possit, cum uitam suorum'que ferro defendere, cum denique uirum fortem decet inter confertos hostes dimicantem honestissime occumbere, malit domi manere, patentibúsque foribus hostem operiri, & sedens, iners'que, nulla uoce, nullo gestu, nulla operis intermissione trucidari. O rem inauditam? ô telam preciosam? ac cruore emi dignam? texere perseuerauit, qui mortem contemnebat. Lau. Dij te perdant, quos deierare ac peierare soles, pluris ille telam, quàm uitam fecit quoad texeret, qui iam uiuere negligebat? Hunc tu uirum laudas? hunc admiraris? hunc cognitione ac prædicatione dignum existimas? quem omnes etiam immanium ferarum truculentiam iudicent excessisse? Atque hoc deprauatissimi iudicij tui insigne documen est. Sed non minus insigne illud uacui facti cerebro capitis. Audite, audite hominis acumen, ac circunspectionem. Ait illum uidisse patriam expugnari, diripi, passim ciues cædi, & tamen ab opere non discessisse, sed texere perseuerasse. Intus igitur eodem tempore ac foris fuit, domi texebat, & idem per urbem uagabatur prorsus Amphitryon geminus & geminus Sosia, ut Plautus inquit. Nam altri intra domum, altri extra domum erant, sed non uterque ueri. Cui tanta sermonis absurditas, nisi fatuo excidisset? Nisi te ob hoc defensurum iri speras, quòd idem putasti posse contingere in texore, quod in sutore: quod tu ministerium cum patre tuo factitasti sedens extra limen, & quæ per uiam geruntur inspiciens. Agnoscis iam Fatue utrius oratio puerilis sit, utrius irridenda, quam puerilitatem absurditatem'q; illud quoque indicat, quod ais orationem meam aridam atque exanguem: quod etsi cur dicas non agnosco, cum præsertim breuitatem sæpe in me requiras, tamen in re, ut tu insimulas, minuta atque humili non multum desideratur carnis & sanguinis, licet tu ubique sis talis, quoties talem esse non oportet. Fac. Re bene ac feliciter gesta proceres, exacta enim iam æstate appetijt autumnus, ut quicquid ante hyemem agi posset, id non magni sanè momenti esse censendum sit &c. Lau. Hic meam ad literam subijcit orationem, quàm ideo non subijciendam, quia non defendendam statuo: quippe cum uel aduersus eam nihil nisi nugatoriũ friuolum'q; opponat: cuiusq; quicquid reprehendit, id ferè in accusatione repetat. Fac. Quid erat opus artificiose rhetor hac artificiosa exornatione? quo spectat? quid agit? quid sibi uult? dixeras ante non iudicio, non iure, sed factione, potentia, armis de regni Aragoniæ possessione agi: postea hæc subdis, inducens argumentum à minori quasi ea res obscura sit, nihil in dubiũ uenire possit: si postquam dixeris non uia iudiciorum, sed potentia & armis certari, statim subdidisses illud, quòd à te post argumentationem hanc dicitur, armis & potentia hostem armatum ac potentem: opus est belle à te dictum confiterer. Itaq; totum illud à te superflue ac uitiose prolatum puto. Nec profecto minus improbo subsequẽtis argumentationis tuę in tot capita distinctionem. Cum enim ostendere propositum sit, discordiam inter Hispanię & Aragonię reges oriri posse, quid oportebat enumerare causas unde bella oriri soleant? Cum satis esset id modo dicere: posse aliquando bellum inter ipsos reges excitari? quod si accederet, fore, ut grauissima belli necessitas Hispano regi incumberet: præsertim si ad Aragonici regis partes barbarus rex accederet. Et in demonstrandis utriusq; regis opibus, non erat indecens te longiorem esse. Lau. Tota generis huius est accusatoris nostrę orationis notatio prorsus inepto, imperito, peruerso, fatuo digna: ut propè sit æque ineptum has nænias confutare conari, cum præsertim sint animi

sint animi iudicium à fastidio prohibendi, quantum in nobis erit, quasi alio potius rei respondendum loco, prosequitur. Fac. Sed in eo scilicet occupatus es, ut doceas bellum aut odio, aut simultate, aut inuidia, aut metu, aut auaritia nasci solere: quasi uero non alijs de causis bellum oriri possit. An ignoras interdum suspectione iniuriæ, interdum aliena gratia, interdum fœminarum raptu, uel alia huiuscemodi graui causa atrocissima bella suscitari? Sed non erat opus hoc loco bone arator ad eas species deuenire, quæ magis ostentationē quandā artificij, quàm prudentiam significare uideantur. Mihi crede nisi ingenij tui rectum ac syncerū sit iudicium, frustra laborabis cum artificio tuo. Lau. Dij tibi dent quæ optas: & si male optas, dent bene optare: qui me tam amice, fideliter, prudenter admonuisti stultitiæ meæ. Itaq; ut tibi credam (quod iubes) animum induco: sed unus restat scrupulus, qui me male habet: Ne tu sis multo me stultior, qui mihi præcipis, inquiens: interdum suspectione iniuriæ oriri bella. Si de facienda iniuria sentis, non obscure loqueris. Quis inops mentis non intelligit metum causam belli subesse? Sin de facta, bis stulta loquutus es: semel, quòd temerarij est hominis iniuriam, quam sibi factam esse pro exquisito exploratoq; non habet, malle ulcisci, quàm certius explorare. Iterum, quòd species est simultatis & odij. Nam odium & simultas ex iniuria nascitur, ueluti si suspicetur res aliquis contra se ab altero rege summissa hosti suo militum auxilia: quę fuit frequentissima Romanis, et sola propriè, belli inferendi causa: uidelicet ob ulciscendam iniuriam. Cuiusmodi etiam est ob raptum fœminarum: quale fuit bellum inter Græcos atque Troianos, Græcis iniuriam ulcisci uolentibus. Iam uero aliena gratia mouere bellum non minus stolidè, quàm superiora, abs te dictum est, Qui enim pro alio bellum suscipit, easdem causas belli proponere, quas ipse ille cuius suscipit partes, nec suo, sed alieno se nomine agere testatur: ut aut propulset, quæ infertur, iniuriam: aut ulciscatur illatam: aut illam inferre uolenti, se uel ducem uel comitem præbeat. Quæ iniuria ex aliquo à me enumeratorum fontium emanat. Quocirca dabis ueniam, si tibi magistro tam rudi atq; hebeti fidem nō habeo. Fac. Quid, quòd in eadem re tibi ipsi non constas, sed aperte contradicis? Hæc sunt uerba tua, ne calumniari me putes: Et enim si alius quàm ego rex Aragonum creetur, inter quem ac regem Castellæ (ut memoria patrum scimus accidisse) discordia incidat: an speramus occupatos nos duplici marte ex utrisque hostibus uictoriam reportaturos, aut Granatam expugnaturos? Paulopost subdis, Castellæ regnū in omni Hispania maximum est. Hoc cætera regna, non dicā oderunt, inuidētq;, certe metuunt: & ab eo sicut infirmiores quadrupedes uolucres'ue à leone, aut ab aquila cauent. Nam rex Aragonum etsi præpotens est, ac maris, ut ait, dominus: tamē in eius uires multo minores fama sunt. Quid enim Sardinię regnum, male pacatum, ac propè Catalani nominis inimicum, adiuuaret Aragonię regē, bella gerentem cum rege Castellę? Qui Sicilia, quę uix didicit iugum ferre alienigenarū? quæq; (ut audio) iam nunc non satis quieta est. Omnis igitur uis ac robur regis illius residet in Hispania, quæ Hispania nequaquam cum nostra est comparanda. In priore parte ostendis timendum esse Hispano regi discordiam ac bellum Aragonici regis, tua enim uerba hunc sine dubio sensum habent: ut sit timendum ei, si Aragonicus rex cum barbaro se coniungat, ne Hispanus rex utrisque resistere non possit, sed contorte sententiam istam dicis. Lauren. Imò tu contorte & stolidè. Contorte quidem, quòd, ut me corrigeres, regem Castellę in regem Hispanię mutas: quasi quatuor alij non sint, & ipsi reges Hispanię, sed transmarini. Stolidè autem, quòd istud ego nec dico, nec sentio, regem Castellę utrique rei Aragonię Granatęque non posse resistere, quasi ab ijs ei bellum sit inferendum: sed non facile de ambobus uictoriam reportaturum,

utriusq; urbes expugnaturum. An parum interest non facere uictoriam debellationemq; hostis, & hoc ipsum ab alio timere? Ne longius exempla repetam, in hac ipsa Hispania non mille urbes à Romanis omni conatu expugnari nequiuerunt ad Augusti usq; memoriam, ut Liuius testatur, & in tua Liguria (si modo Ligur, & non Scytha es) castella quædam aduersus Romanam potentiam pluribus annis in contumacia perstiterunt. Nunquid pop. Ro. quia penè desperabat hęc expugnare, idcirco ab his quicquam periculi, nedum debellari timebat? Impedimentum minoribus ab hostibus rerum consequendarum, non partarum amissio perniciesq; metuitur. Itaq; si Castellæ rege Granatam obsidente, rex Aragonum barbaro suppetias eat, non uerendum esse illi significo, ut castella amittat, sed ut obsidionem omittat: quare stolidè, tanquam contrariũ subdis. Fac.

In posteriore uero parte ostendis non esse metuendas Aragonici regis uires Hispano, quoniam Castellæ, siue Bethicæ, & Lusitaniæ regnum, ut antiqui dicerent, omnium regnorum Hispaniæ maximum atq; opulentissimum sit: & cæteris omnibus regnis formidabile, quòd regis Aragonici uires minores fama & opinione hominum sint: quòd Sardiniam inimicam habeat, quòd Siciliam inquietam, & rerum nouarum cupidam: quòd deniq; omne robur in ea Hispaniæ parte, quam tenet, positum sit, quæ cum ulteriore Hispania nequaquam sit cõferenda. Lau. Et in hoc quoq; mentiris, cum ego non dicam, non metuendas, sed minores, sed non comparandas, sed à socio bellorum rege Granatæ disiunctas minus posse, eoq; minus, non autem omnino non timeri, quemadmodum leo aquilaq; (ut in eodem simili uerser) uix unum quodlibet animal, hic quadrupedum, illa uolucrum, tanquam sibi letiferum extimescat: timeat tamen ut quodq; proxime ad uires accedat, multoq; magis illorũ gregem. Et plurimũ (ut etiam iurisperiti testantur) interest inter atrocem & qualẽcunq; metum. Quare ut finẽ faciam, quibus & primi libri, palàm est & perperam te interpretari uerba mea, non modo quasi nihil prorsus uires Aragonię metuẽdas esse Castellæ sentiã, uerumetiam si paulo post metuendæ erunt, non tamen protinus hanc esse sententiam priori contrariã. Aliud est enim oppugnare, aliud repugnar posse: item aliud certare, aliud uincere: sicut aliud metu fugere, aliud cum metu pugnare. Fac.

Hic cum cerneret regem subinde orationi suæ (ut putabat) indormientem, oculis conniuentibus capiteq; demisso stertere, intersistebat: rex contra, cur interquiesceret animaduertens, iubebat eum pergere: non enim se dormire, & si clausis oculis sterteret. Aut si corpus præ morbo dormiret, non tamen dormire animum. Hoc quidem imprimis contra præcepta narrationis de uerisimilitudine abs te dictum est. Non enim solum ueram, sed etiam uerisimilem narrationẽ esse oportet, si sibi fidem uendicare uelit. Cui enim credibile uideatur regem legatos audientem, non dico stertere, sed dormire? An tibi parum uideatur esse, illum dormientem facere? An id indecorum ignoras regiæ maiestati esse? Non regem: sed ebrium quendam, uideris uelle demonstrare. Quem si animi torpor ex corporis languore proficiscens interdum rapiebat, tamẽ stertentem inducere uitiosum fuit. Scribendum est enim sic bone magister artis, ut personarum dignitates seruentur: alioqui probabilis non erit narratio, sibiq; fidem derogabit. Lau. Quid reprehendam te, quòd artem oratoriam non teneas, qui me scribentem historias, ad præcepta iudicialia reuocas narrationis: & non potius ad præcepta de apte dicendo? quique uis utique ueram narrationem esse debere, quæ ut sit uerisimilis præcipitur, siue uera sit, siue ficta, si quidem fictis nonnunquam est locus, etiam citra ueritatis iniuriam, dicente Cicerone: Et fictæ narrationes sæpe ponendę. Quid in hoc te reprehendam? Cum nihil scias ex rebus humanis. An (ut taceam cętera non satis in se uiolentię Lethargus habet, ut hominem

cogat

cogat stertere? Consule medicos Sciscitare proceres Catalanos natu grandiores, qui huic rei affuerunt, & disces cum cæterorum Lethargicorum, tũ uero Martini regis dormiendi, & stertendi assiduitatē: & nihilominus hæc mea uerba sunt, ne causeris parum à me significatũ esse. Nec magis nomine suo lugendus, quàm patris cui unicus erat iam senescenti: neq; tam ætate, unum nanq; & quinquaginta annos natus erat, quàm habitu corporis obesi nimium ac præpinguis, & ueterno grauascentis. Accedebat his & ætatis & corporis incommodis quartana: malum imprimis gaudio lętitiaq; curandum. Sic affecto, nuntius de morte filij affertur, & reliqua. Veternũ autem idem quod Lethargum esse uolunt, quòd assiduum soporem inducat. Huius tu uires homo imperitissime ignoras, & ais: Rapiebat interdum si furor, qualis te rapit interdum, fuit, aut comitialis & non assiduus morbus. Quid reprehendam te? quòd eandem sententiam ueles & inculces, quod ars fieri uetat, cum ita rerum sis imperitus, ut putes ebrium quenquam qui stertit, & quòd non minoris inscitiæ, à dormiente exigas ne stertat, præsertim ægroto: quasi præstare hoc dormiens possit ægrotusq;. Quid reprehendam te? quòd corruptis utaris uerbis, cum etiam mea uerba corrumpas, seu sententias potius, qui ais regem dormisse, quod ego non modo non dico, sed etiam planè nego: Quod non tantum non sentio, uerumetiam ne sentiri à legẽtibus queat operam do. Quod deniq; non solum non fuit, sed ne fieri quidem potuit. Cum legatum interlocutus sit, & se nequaquā dormire testatus, prout ipsius responsio plena prudentiæ, grauitatis, meditationis, extitit documento. Quare tuam magis indicas, tum calumniam, quòd ais à me derogatum esse regiæ maiestati, quia dormientem stertentemq; fecerim: tum stultitiam, quòd derogandũ potius censes ueritati, quàm hominis famæ, ne uidelicet ipsius hominis contrahas offensionem.

Fac. Sunt qui dicant, nullo pacto, nec medicorum arte, nec multifarijs machinis potuisse eum, uel puellæ uirginitatem demere, uel cum muliere cõcumbere: licet mater, aliæq; nonnullę fœminę uelut ministrę puellę adessent, licet uiri quoq; aliquot regi auxilio essent, qui uentre quasi appensum per fascias à lacunari pendentes quibus tumor proni uentris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puellæ ac sustinerent. Lau. Sceleratissime Sarmata, non satis habes quæ fortassis ego celata uoluissem propter uerecundiam, ea prompsisse in publicum atq; uulgasse, nisi uerba mea, uel optima sui parte defraudes. Clausula enim illa. Sed hæc uerecundius forsitan in silẽtio reponuntur, quæ superioris orationis nuditatem, ueluti tenui quodam uelamento tegebat, exemisti, ut in ipsam membrorum obscœnitatem inuehi posses his uerbis. Fac. Et hoc quoq; à te multo uitiosius prolatũ est. Est enim primum contra præcepta breuitatis, nam sæpe satis est, quod factum est dicere non ut narres quemadmodũ factum sit: Satis enim id fuerat, Sunt qui dicant regem nulla arte nullo'ue cõsilio ex regina liberos gignere potuisse, ut non fuerit necesse, quæ turpia sunt auditu, referre. Potest etiam argui id esse contra probabilitatis præceptum, de quo ante dictum est, quòd dignitates personarũ seruatæ non sint. Quid enim turpius dici potest, quàm quòd rex præsente socru, & etiam adiuuante, cum uxore coierit? Quid inhonestius quàm quòd socrus generi uirilia spectaret? Quid indecentius, quàm quòd regina pudicissima corpus suum spectandum daret his, qui regem adiuuarent? Hoc uel meretrix impudica abhorreret, quod tu reginæ honestissimæ tribuis. Lau. Differo de breuitate respondere. Extenuabo paulisper quod obijcitur prius quàm defendā: unde scis id in luce potius, quàm in tenebris umbra'ue actũ? nũ talia in obscuro fieri nõ possunt? Cur ita improbus temerariusq; es, ut cõfirmes quod ignoras? ut accuses, quod an dignũ sit accusari non statuisti atq; cogitasti, ut tuus deteriorē in partē inclinet animus? Hęc breuiter de extenuatione criminis. Nũc illud

defendam, primum referri hanc rem à me causa postulabat, quo probaretur desperatio Martini regis iam prolis tollendæ. Deinde non ita reformidanda fuit nouæ rei festiuitas: neq; enim nephãdę ueneris, sed matrimonialis sanctitatis necessaria memoratur actio. Nam quòd interfuit socrus, aliáq; ministeria uideris pari meminisse, qualia nobis ęgris præbeantur à domesticis obsequia. Postremo nunquam historici ab huiusmodi referendis abhorruerunt. Taceo Græcos: qualia sunt quæ de Cæsaribus Suetonius narrat, quæ Cornelius Tacitus, quæ deinceps alij historici. Redeo ad superiores & ne longior sim, uno sum Liuij contentus exemplo, tua omnia obiecta refutanti. Hic autor libro 38. ubi deprehensa bacchanalia plus quadringentis exequitur uersibus, cõmemorat, quæ uerba mater cum adolescente filio habuit: quæ cum eodẽ scortum in cubiculo: hunc postea domo à matre uictricóq; eiectum, ad amitam Ebutiã se contulisse: quid consul cum socru de hac Ebutia loquutus sit: quid eadem uocata retulerit, quomodo item Hispalæ adolescentis concubina uocatu consulis introducta sit, præfata, fabulata, quàm fœdas mulierum & quod tetrius est, quàm deformes mariũ promiscuasq; libidines. Quæ narratio quàm curiosa sit, uel ex his autoris apparet uerbis. Consul rogat socrũ, ut aliquam partẽ ædium uacuam faceret, quo Hispala immigraret: cœnaculum super ædes datũ est scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes uerso &c. Quocirca nõ est, quòd meam narrationẽ insimules, ut prælongam, quæ ad Liuianã breuissima est: ut parum probabilem, quæ probata est, & admodum sua sponte credibilis: ut illiberalem & obscœnam, quæ ad plurimas historiarum narrationes nil habet obscœnitatis. Adeo in literis sacris multa reperies, non dico obscœnius, nihil enim obscœne etsi obscœne actum est, illic refertur, sed aptius simpliciusq; exposita. Fac. Primum habitans in prædio suo, cui nomen Pulcher aspectus, de quo supra dixi: deinde in habitaculis monasterij, in ualle Donzellæ, non procul à muris. Hoc quidem præcepto breuitatis in primis repugnat, quod est: & si non longius quàm scito opus est in narrando procedetur. Quid enim oportebat sciri ubi rex primum habitasset: solum id dicere, ubi habitaret, satis fuit, si & de loco ubi diuertebat, mentio necessario facienda erat. Cum id neque obest, neq; adiuuat, pręterire satius est. Lau. Sed quàm eleganter ista dicas, alterius sit iudicium. Nondum quid inter historicam oratoriamq; narrationem intersit, aperio, cum satis hoc loco sit, tum superiora Liuij uerba testari, tum aduersarium inscitię suę admonere, qui non modo contra me recitat pręcepta rhetoricæ, nihil sanè ad hanc rem facientia: sed etiam nescit quatenus sit breuitati inseruiendum. Nam hæc eiusdem Ciceronis, cuius contra me affert uerba, sunt in narratione pro Milone. Milo quo die à senatu dimissus est, domum uenit, calceos ac uestimenta mutauit, paulo dum se uxor (ut fit) comparat commoratus est. Et alia huius generis plurima, quę tu, stultitię lacte nutritus, non considerasti: qui libellos illos de arte rhetorica legisse contentus, quid altius alibi pręcipiatur, quem'ue usum ars ipsa desideret, discere non laboras. Fac. Nunc referam id quod an ueneni, an pestis, an alius rei signum sit, medici uiderint: quod ipse qui uidit, quid fuerit se scire negat: idemq; regem ueneno periisse non credit. Hic est Borra Scurrarum eximius quatuor & octoginta hodie natus annos, necdum à scurrando uacans: qui, ne quis de eo me miretur facere mentionem, in tanta fuit apud cõplures sępe reges, dignitate dicam, an opinione, an beneuolentia: ut eum in libris meis fastidire non debeam, quem reges nullo quamuis serio in negotio fastidirent: cum præsertim (quod apud uulgi opinionem ualet plurimum) diues sit adeo, ut ad centum milia aureorum profiteri possit. Vir profecto natus ad improperandum literarum scientięq; ac sapientię studiosis, qui doctrinam non ueri contemplatione, non summi boni fine,

non ipsa uirtutum laude, sed pecunia & umbratili populorũ honore metiuntur. Ad hoc quotidianũ Borrę conuicium pertinet, dicentis, plus se & pecuniæ & honoris cõparasse, dum stultũ agit, quàm qui literatum & sapientię studiosi uocantur. Quod cum audiunt pleriq; literati, ornatumq; hominis regalẽ uident, & erubescũt & dolent: & si uera fateri uolunt, etiam inuident: nimirũ infra omnes scurras histriones mimosq; detrudẽdi, male meriti de liberalibus artibus, quibus inuidiosam uolunt esse uitam scurrilem. Cõmisisti hac in parte errores supinos & crassos, qui satis essent, quamuis nunquam alibi peccasses, ad te perpetuo uituperandum, & cõdemnandum. Hos profecto uix crederem à te commissos esse, quamuis omnia inscitiæ & ruditatis exempla de te credi possent: nisi librum tua manu correctum, & in marginibus rubris literis annotatum hisce oculis uidissem. Quis enim credat hominem, qui se principem & doctorem omnium artiũ & scientiarum profiteatur, in tot errata incidisse? Profecto si quid in te ruboris esset (quem iampridem amisisti) non auderes ante hominum oculos uenire. Sed quid iuuat te hominẽ pertinacem admonere? Quod maius signum hominis arte rhetorica, & quæ artis moderatrix est natura carentis, quàm prius exaggerare crimen, quàm planum fecerit? nam postquam tantopere exaggerauit, non posse planum quod obijcit facere, quod flagitiosum sit, id quod in meo nũc accusatore contigit rhetores iudicẽt. Rem ipsam potius exquiramus: primum ubi dicis, is est Borra scurrarum eximius, contra artem facis, nisi forte Quintilianus, quem artificio anteponis Ciceroni, hoc te docuit. In re enim grauissima, quę est ueneni quæstio, leuissimum testem adducis: & quem laudare à prudentia & uirtute testem debes, hunc à scurrilitate, non laudas, sed uituperas. Quòd dicis nec dum à scurrando uacans: id perspicue contra breuitatem esse certe dignoscitur. Quid enim scitu opus est, an adhuc se scurram gerat nec ne? ut omittam uerbũ illud scurrando, quod rarissime usitatum est, & pro obsoleto habendum, ut puto. Lau. Expetit pœnas à mortuo Antonius, à quo uiuente non potuit. Cum ille uir sagax atque urbanus hunc ueluti bubonem & minutarum uolantium nocturnum hostem cauillaretur, nunc postquam reliquit lucem, cygnus à bubone & noctua male audit. Quid ais noctua? est'ne grauissima ueneni causa, dignaq; cuius testes grauissimi existant? O sic infra homines, ut noctua infra uolucres. Grauissimæ personæ in suspicione ueneni desiderantur, credo de ferendis legibus, de sedanda ciuium discordia, de rebus ad bene beateq; uiuendũ pertinentibus negocium est. Nónne per eosdem plerunq; ueneficia conuincuntur, qui conscij fuerunt? Ergo qua in causa, seruulus, aut ancilla pro teste admitteretur, in ea tu talem uirum non admittes? etiamsi ad ea quæ dixi, non addã hunc ab Imperatore Sigismũdo inter duces habitũ: bello, quod aduersus Turcos gessit, pręfectumq; alæ fuisse prorsus Iunio Bruto æquandũ: qui aliquando fatuũ egit, sicut tu, dissimilis qui nunquam agis fatuum, neq; agere potes, quoniam semper es fatuus: & tamen detrahere te illi non pudet, dicentem. Fac. Quod dicis, Ne quis miretur me mentionẽ facere, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate ne dicam an opinione, an beneuolẽtia, ut eum in libris meis fastidire non debeã. Vide quantũ erres. Videris dubitare an dignitate, an opinione: an in beneuolẽtia fuerit apud principes, cũ nec in dignitate, nec in opinione esse possit persona scurræ, loquor enim non de illo tantũ, sed de genere toto: cum dignitas & opinio in eos solum cadat, qui uel in aliquo sunt illustri honoris gradu: uel ingenij, uel doctrinæ præstãtia quadam magnam laudem & gloriam assequuti sunt. Licet & in malam partem opinio accipi possit. Itaq; in tanta non dignitate, non opinione, sed uoluptate à te dicendum fuit. Laurent. De qualitate personæ, & modo respondi, & mox respondebo: nunc ipsum correctorem corrigere

uolo,

uolo, quolibet demente dementiorẽ. Ego me addubitare dico, an ille fuerit semper apud reges in aliqua dignitate, an in opinione, an in beneuolentia: hic uult fuisse in opinione, & dignitate. Esto sanè, quid in beneuolentia? de hac silentium agit: nimirũ confitens, nam silentiũ hoc loco pro cõfessione est. Et alioqui si ex tribus (ut dialecticorum more loquar) disiunctiuis, una mihi satis est, & hoc tum cõstat, tum ab aduersario cõceditur, nónne cum partitionẽ meam ille reprehendit, sibi ipsi cõtradicit? Quòd uis mihi fuisse dicendum, illum apud reges semper fuisse in uoluptate. O imperitorũ imperitissime, in uoluptate fuisse sic accipitur, ut in lætitia, in gaudio, in delectatione: hoc est, quòd accipit lętitiam, gaudiũ, delectationẽ, & uoluptatẽ: quæ sentẽtia longe abest ab eo quam sentis. Nam præbuisse alijs hãc uoluptatẽ, siue fuisse alijs uoluptati, dicere uolebas. Quid quòd ais opinionẽ accipi posse in malam partẽ? quod si ita est, quid ponis in crimine, quòd illum dixerim fuisse in opinione? Quid quòd affectator uerborũ Ciceronis inquis? loquor enim de genere toto: quasi non de genere toto loquaris, dum inquis: Cum nec in dignitate nec in opinione esse possit persona scurræ. Credebas te dixisse persona Borræ. Quid quod nõ uis ullius esse dignitatis aut opinionis, nisi aut illustris honoris gradu, aut præstanti ingenio doctrináue præditos? quasi cęteri, ut nobiles, ut probi ciues, ut graues, honestęq; mulieres, nullius sint dignitatis, nulliusq; opinionis. Quid quod aliqua & quædã pro eodẽ accipis, ut sępe aliâs, illud cũ sit particulare, hoc singulare, ut in elegãtijs et dialecticis latius disseruimus. Fac. Quod dicis. Quẽ reges nullo quãlibet serio negocio fastidirent: honesta, ratio cur de scurræ persona mentionẽ in historia regis facere debueris. Lau. Cur nõ honestissima ratio stolidissime, quẽ reges in suo cõsilio adhibent, eum à me nõ fastidiendũ? At enim historiam regis cõpono, O uespertilio, nũquid uenerabilior est regis historia, quàm palatiũ? quod si illi uiro locus in cõclauibus atq; cubiculis regum semper fuit, nullus angulus in historię meę uelut ædibus cõcedetur? Cũ præsertim ut in domibus principũ & coqui, & agazones, atque id genus hominũ non modo uisuntur, sed etiã necessarij sunt: ita in illorũ historijs. Nec intelligis tanto maiorẽ te contumeliam facere regibus quàm mihi, quãto grauius est regẽ cum indignis personis habere usum cõsuetudinemq;, quàm me ista mãdare historiæ. Sed absit ut ipsum pro indigno habeã: cui tantũ uideo à tantis principibus tributum, qualiter ab alijs principibus erga huiusmodi personas non semel factum legimus: ut erga Rosciũ histrionem, quem raris effert Cicero laudibus. Et de quo ita Macrobius in saturnalibus scribit. Is enim Roscius, qui etiã L. Syllæ charissimus fuit, & aureo anulo ab eodẽ dictatore donatus est: tanta autem fuit & gratia & gloria, ut mercedem diurnã de publico mille denarios sine gregalibus subacceperit. Aesopum uerò ex pari arte ducenties sestertiũ reliquisse filio constat. At uero diffisus huic rationi ueluti parum robustæ, confugis ad eam quæ propria est imprudẽtium, defensionem: negasq; hoc uerum esse inquiens. Fac. Præsertim cum id falsum esse perspicuum sit. Quis enim uidit unquã in senatu, aut ubi de maximis rebus consultetur, ad consulendũ scurram uocari. Lau. Oratio te tua stultissima coarguit, qui non audes Borram nuncupare, sed argumentum sumis ex uita scurrili. Non repetam quantus apud Sigismundum, utrunque Martinum, apud Ferdinandum fuerit, nec quantus alibi apud Alfonsum: Sed his paucis mensibus quibus fuit in Italia, quis ignorat consilijs eum maximarũ rerum frequenter interfuisse? & absentis quoq; scriptas ad regem, de summi momẽti negocijs literas legi. Et item regia manu uicissim scriptas, nõ uti ad leuem, sed uti ad prudentissimũ uirum: quod erat sine cõtrouersia publicatum: ad cõmune iudicium, inde uocari solebat: se dum insipientem agit, non posse alicui persuadere, ut insipiens sit: cõtraq; filiũ suum imitatione sapien

tis,

tis,nemini posse persuadere se insipientē non esse. Fac. Quod dicis,cū præsertim,quod apud uulgi opinionē ualet plurimū, diues sit,adeo ut ad centum milia aureorum profiteri possit. Vehemens & hæc quoq; ratio,ut scurram testem in re maximi ponderis afferre,& historiæ inserere debueris, uidelicet quoniam diues sit,argumentum à diuitijs multum ualet apud te (ut uideo) ad faciendam fidem, & locupletandam historiam. Pauperis igitur testimonium nullum,aut leue erit. O prudentiam hominis singularem? ô artificem admirabilem? puer ista profecto nō diceret:qui uix prima artis pręcepta didicisset. Lau. Recte doces,si isto modo doces discipulos tuos. Ouat & parta de me uictoria fatuus,prostrauit,occidit,alligatumq; ad currū,in morem Achillis, hostem inimicumq; citatis equis per puluerem trahit. Sed inspiciamus quomodo strauisti,quomodo uulnerasti: ne somno potius ac uino uictor sis, id est à somno ac uino uictus. Dixi diuitias apud uulgi opinionem ualere plurimum,et illi magnas fuisse diuitias. Horum tu neutrum,nec negas nec negare potes. Verū igitur me loqui fateris. At enim uulgus nō recte sentit,ne sentiat: nunquid illud ego recte sentire defendo? illud reprehēdito, illud accusato. Cur me pro illo,nephāde calumniator,inuadis? nam quod talem hominem uel admittere testem, uel inserere debuerim, satis insaniæ tuæ abundeq; respondi. Et nihilominus ut causam uulgi agam rectius etiā quàm tu censorius Cato sentientis, Quis adeò, non dico ab arte oratoria, sed à librorū lectione,atq; ab usu communi remotus? Quis adeò hospes,adeò peregrinus,ac Scytha, uel Maurus, qui nesciat multum in testibus facere conditionem, sicut in iudicibus? quos scimus eligi non potuisse,nisi certum censum profiteri posient: sicut in equitibus Romanis, sicut in his quæ sunt generis huiusmodi. Siquidem Seruius Tullus nulla re patres,equestrem ordinē,ac plebem distinxit,nisi ex census facultatumq; discrimine:uoluitq; ita quenq; plurimum in ciuitate dignitatis obtinere,ut plurimū facultatum professus esset. Nec posteriora tempora ab hoc instituto dissenserunt dicente Plinio filio: Senator censu legi cœptus, iudex fieri censu,magistratum ducemq; nil magis exornare quàm census. Multæ preterea historiæ testes sunt ac multis in locis iura ciuilia. Cæterū ne longius fortassis euagetur oratio, luce clarius est, in dicendo testimonio plus momenti diuitias habere, quàm egestatem apud omnes homines: idq; ipsa duce ratione, cum sciamus inopem facilius corrumpi posse, quàm diuitem. Ideòque sapienter Aemilius Paulus, in cōtrouersia de magistratu obtinēdo, inter diuitem ac pauperem: illum quidem pro malo,hunc autem pro bono habitum, inquit, Neutri dādum magistratum: quoniam alteri nihil satis,alteri nihil esse: prope in æquo reponēs paupertatem & auaritiam, etsi uitium illa non sit,tamen esse statuit facilem quandam corrumpendæ inscitię materiam. Et tu in sinu paupertatis natus,affirmas nihil uidere à paupertate, & à diuitijs argumentum. Quanquam quis rhetorum argumentum à diuitijs memorat? Illi,an quis diues sit, an pauper, in loco argumentorum qui dicitur à fortuna,uel à conditione,constituunt:non à diuitijs,uel à paupertate dicunt esse argumētum,uoluntq; illud rei dubiæ facere fidem: non autem locupletare historiā,ut tu ais:qui quid sit ars,quid imitatio, quid prudentia,ignoras. Sed ad alia procedamus. Fac. Quod dicis, quod cum audiunt plerìq; literati,ornatumq; hominis regalem uident,& erubescunt & dolent, & si uera fateri uolunt,etiam inuident. Hoc loco & imprudenter loqueris,& magnam literis iniuriam facis,si quempiam egregie literatū,nō literis intinctum (ut aiunt) inuidere putas hominis scurrę conditioni. Lau. Vtinam crimen tuum uerū esset,& non plures multo,ac prope omnes fine diuitiarū literas metirentur. Quid enim aliud ferè expetūt studiosi medicinæ? Quid iuris ciuilis atq; canonici? quid deniq; philosophiæ? ne addā theologiæ? nō tamen quid sentire debeāt dixi, sed quid

quid sentiant. Sed egregie literatos ab intinctis literatura seiunxi, ut tu solita tibi impudentia seiungis, reprehendisq; in eo me quod non dixi, ut in sequētibus facis. Fac. Fieri quidē potest, ut diuitijs hominis inuidia habeatur: sed & statui & conditioni, nequaquā credēdum est. Lau. Quis tibi cōditionem & statum nominauit? Diuitijs ego hominis significaui inuideri, nō uitæ. Tametsi quid tu conditionē appellas? an cōditione non significantur diuitiæ? ut supra ostēdi. Nam status quā proprie utaris, tu uideris. Fac. Taceo quòd affirmas id quod probare nō potes: cū multi generis illius uitę nō modo cupierint, sed etiā imitari tentarint. Verum uigor ille ingenij eos, facultasq; defecit, quod iste sæpe testatus est, cum diceret: Plusquam mediocris est solertiæ, sic stultū agere: ut gratus sit iucundusq; prudentibus. Nisi forte literatus ille uacui capitis sit, cuiusmodi te esse ex oratione tua constat. Te enim facile credam ac sine teste ullo, quoniam tibi nullum præsidium in literis est, propter intemperantiam & uesaniam tuam, non autem illarum culpa, non solum eius diuitijs, sed etiam arti inuidere, & illius uitam anteferre tuæ. Quòd si quis doctus aurum Borræ exoptet, mirandum profecto non puto, his præsertim temporibus, quibus diuitiæ in precio sunt. Lau. Non respondebo ad conuicia tua, quæ cum sine iudicio, sine modestia, intemperanterq; ac uesane proferantur, tuę dementiæ testimoniū dant, non meæ. Vacui me capitis appellas, Cur ita sentias, non probas. At cur id de te ipse sentiam, recognosce. Ais, non culpa literarum in illis mihi, nullum pręsidium esse. An ulla potest esse literarum culpa? à quo unquam legimus illas fuisse culpatas, quasi aliquid deliquissent? Superuacua igit, id est, uacui capitis fuit ista oratio, & eo magis, quòd dixeras hoc contingere propter intemperantiam, ac uesaniam meam. Adde quòd artem uocas quam uix quæstum uocare licet. Nam ars sine ullo apposito, præsertim singulari in numero, pro bona accipitur. Adde quòd ais non mirari, si quis aurū Borræ sic exoptet, hoc præsertim tēpore. Si de illo ipso auro Borrę sentis, ut iniustus, & alieni cupidus, loquaris. Sin de pari, quid magis dictu superuacuum, quàm te nō mirari, si quis doctus id exoptat, ad quod omnes tendunt? quod nunquam ne sanctissimi quidem, quoties iuste habere possunt, respuerunt, tanquam iuste humaneq; in alios collaturi? quæ cupiditas non maior his temporibus quàm superioribus fuit, quæ si hęc dictu superuacua fuerūt, profecto uacuum caput indicāt. Fac. Borra, ut erat ex aduerso, uidebat umbram quandam breue loci spatium occupantem, paulatim à medio uentre ascendentem, prout anima inferiora cōtinenter relinquebat, Vbi ad guttur euasit, & ipsa euanuit. Lau. Venit mihi ex hoc loco in mentem Miniati cuiusdā, qui fuisse dicebatur insignis aleator, & eo quæstu in numerum papalium peruenisse scribarum, quem Antonius Pāhormita, cum ab eo hospitio acceptus esset, ueneno sustulit, & bonam partem ex mortui censu cōpilauit, adiutus Hyla suo, per quem, ut alios multos, ita miserum Miniatū illexerat, atq; inescauerat. Rem loquor minime obscuram. Hunc adeo scelestum, & ad omne facinus promptum cum suo Fatuo, nunquam putaui tanto furore teneri posse, ut ita palàm, itaq; frequenter corrumpere scripturam auderent, quo in eam impetum facerent: non cōsiderantes codicem meum, etsi interuerterant, nec ad me rediturum sperabant: tamen ad probanda quæ opponebant necesse esse, proferri in medium. Sed uidelicet Cæcus est furor, nec habent scelera cōsilium. In ipso codice ita scriptum est, qui semper inter nos ueritatis erit testis: Borra, ut erat ex aduerso, uidebat umbrā quandam breue loci spatiū occupantem, paulatim à medio uentre ascendentem, prout anima inferiora continenter relinquebat. Id uiderit'ne, an uidere uisus sit, an cōuexitas aliqua corporis adumbrauerit, fides penes oculos eius sit. Vbi ad guttur euasit, & ipsa euanuit, & rex animam efflauit. Fac. O proceres censore

opus

opus est, an Haruspice nobis? Si quis rem huiuscemodi in conuentu aliquo, pro uera recitaret, quot censes esse qui in illum id dicerent:

in mare nemo
Hunc abiicit saeua dignum ueraque charybdi?
Nam citius catulos, & concurrentia saxa
Tradiderim, plenos & tempestatibus utres,
Et cum remigibus grunnire Helpenora porcis.

Aut credis ista uera esse, aut non credis? Si credis, stultior es stultissimo, qui putas morientis animam conspici posse. Si uero non credis, cur fabellam historiae inseris, uix dignam, quae ab anicula decrepita puellis ad lucernam nentibus enarretur? Lau. Iuuenalis uersus contra alterum profertis, qui non modo contra eum nihil agunt, sed ne intelligũtur quidem à uobis: quippe qui Odysseam non legistis. Aut credo ista dicitis, aut non credo. O Helpenore magis ebrij. Nisi crederem, quomodo historijs insererem? Nemo enim historijs inserit, quae nõ credit. Ego uerò credo, nec ego tantum, uerum etiam rex alijque plurimi, qui de Borra audierunt. Credo ego quae credibilia sunt: credo quae regi enarrata sunt, & persuasa, atque sunt ista: nempe ea quae narraui. Non fuit igitur opus, ut illa uos mihi interptaremini. At quomodo interpretamini? certè, ut uos decebat, malignè, perperam, falsò, regis morientis animam à Borra fuisse conspectam. Hoc ego dixi? Hoc ego significaui ueneficì? Non'ne fatemini superius à me scribi, nunc referam id quod, an ueneni, an pestis, an alius rei signum sit, medici uiderint: quod ipse qui uidit, quid fuerit se scire negat. Vbi hic mentio ulla cõspectae animae? cum dicitur uisum, id quod signum est: & signum alicuius morbi, profecto non de anima dicitur, sed de corpore. Anima si uideri posset, non in uiuente uideretur, non in pectore, non in uentre, sed extra iam mortui corpus, qualis aliquando sub humana specie uisa est: cum dico, ubi ad guttur euasit, non de anima loquor, sed de signo. Item cum dico. Et illa euanuit, & rex animam efflauit: ut ambiguitas sensus, quam captabatis locum haberet, orationem meam decurtastis, quae decurtatio & illud probat eam quoque particulam, an conuexitas aliqua corporis adumbrauerit, de medio uos exemisse eadem causa. Nunc itaque suae syncertati restituta oratio docet, non de anima me sensisse, tanquam ab illo conspecta, sed uos manifestarios esse librorum corruptores: ut taceam quàm credibile sit me fecisse ex medio uentre ad guttur ascendentem, qui in libris meis de philosopnia disputo, sedem animae atque substantiam in corde esse, illincque ad caetera membra ad instar solis radios emitti. Ex Aragonia quidem delecti sunt, Dominicus Ranus, episcopus Ostensis, quem postea Ilerdensem, ad extremum archiepiscopum Terraconensem, ac eundem cardinalem scimus nuper diem suum obijsse, post omnes collegas illius iudicij in quo ipse desederat primus, de cuius scientia, uita, autoritate dicere parum attinet. Cum iudicia hominum, hoc est, honores habiti testimonium dicant, Cur tu huius uiri nomen, cognomenque corruperas, & pro eo quod erat uerum, substitueras unam literam. P. sine nomine etiam dignitatis? Nempe, quia dolet tibi Serraricum Ramum illi propinquum uirum, & literis, & dignitate praestantẽ, qui tunc aderat, ob id mihi conciliari, quanquam non id erat propositi mei. Ex quo ut scias Fatue, dum eum tui studiosum esse uis, iniuriam illi facis, domesticos hominis titulos, quantum in te est, delendo. Illud quoque malitiae malignitatisque tuae argumentum est, quòd cum nouem iudices breuissime à me describantur, praeter unum de caeteris meum testimonium taces, de hoc quae plusculis uerbis describo recitas, tanquàm singulis in reliquis fuerim. Fac. Franciscus Aranda uestitu, & barba horidiore, quòd uidelicet renunciasset rebus humanis, alioqui ita accommodatur ad domos principum, qui

bus diu profuerat, moderandas, ut nusquam non & in consultandis & in administrandis rebus, ac maturandis primas optinuerit partes, idq; sola naturæ bonitate atq; ingenij dotibus citra ullam scientiam, ac citra ullas propemodum literas: ut appareat ex homine natiuis bonis excellenti formari potius præcepta sapientiæ, quàm ex præceptis sapientiæ formari hominem excellentem. In quo illud præcipue admirabantur, quòd cum quasi pater esset, aut quasi tutor potentissimi cuiusque, tam modico exiguoq; contentus foret. Ideoq; libertatis miræ ac nemini obnoxius erat. Hoc loco abs te uehementer erratum est bonæ rhetor. Enumeratio enim debet esse breuis, & continuata. Lau. Vnde probas arator eximie, hanc esse enumerationem? Non'ne enumeratio locum postremum in oratione optinet, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, hoc est (ut ad uerbũ transferam) recapitulatio? Versor igitur nunc ego in oratione, ut in alicuius loci confirmatione, & non potius in prælio, cum si hunc locum inceperim, non ab re fuerit, & nomina Iudicum, & qualitates referre, ut posteritas sciat, quos uiros tantæ rei preficiendos ex suo quosque corpore consilia tanta existimarint. Ex Aragonia quidem & reliqua. Vter ergo melior rhetor: tu qui me corripis, an ego qui te in eadem re corrigo? Fac. Et si de moribus uel uirtute Iudicum commemorare propositum erat, paucis uerbis id à te faciente faciendũ fuit. Quid enim oportebat dicere. Quem scimus nuper diem suum obijsse, post omnes collegas eius iudicij, in quo ille prius desederat? Quid oportebat dicere de Francisci uestitu & barba? Quid de rerum humanarum derelictione? Quid de eius hominis tot uerbis aptitudine, ad res principum administrandas? Lau. Quid sciscitaris asine, cur ista commemorem? cum superius reddiderim causam. Nam aliter, qua ratione fas erat posteritatem scire, qui uir ac quales fuerint, qui Ferdinandum declarauerunt regem? Demens ac furiose concedis à me mores iudicum, atq; uirtutes cõmemorari debere: & longitudinẽ in me sermonis arguis. Quid referri breuius potuit, quàm cum superiora, tum uero ea quæ sequuntur? Berengerius Berdesinus, quo neminem, neq; illius, neque huius temporis, iurisconsultum in Hispania senes meminerunt, maioris autoritatis fuisse, & perinde ad tantas opes peruenisse. Ex Valentia uerò Ioannes Ferrarius, Dominus Carthusiæ, non tam scientia (erat enim in iure ciuili perdoctus) quàm conscientia optima prudentiaq;, ac grauitate singularis insignis. Vincentius Ferrarius, eius frater, ordinis prædicatorum, cuius admirabilis in concionando laus ad exteras usq; nationes est peruagata, princeps haud dubiæ sui temporis oratorum, duntaxat illiterate loquentium, & (si uera memorantur) miraculis clarus, & ante, & post obitam mortẽ. Petrus Bernardus, iuris ita peritus, ut Valentiæ nemini postferretur: uita quoq; casta & integra. Ex Catalonia aũt Franciscus Zaranda Tarraconensis archiepiscopus, cum doctus sanè in ciuili, ac pontificio iure, tum uero ita facundus, ut ei primæ partes in eloquentia tribuerentur. Bernardus Vallis siccæ, quem non tanti faciebant, quòd in iure ciuili nulli suorum foret secundus, & in dicendo sanè admodum ualeret, quanti, quòd plerasq; causas gratis defensitaret, neq; ex patrocinijs, potentiorum fauores, neq; ex humiliorum, gloriolam captabat. Guilielmus Gausapes, uir ut in Hispania literis satis eruditus ac cultus, atq; ex omni Barcellonensi populo, tum prudẽtissimus, tum syncerissimus iudicatus. Non'ne à me uelociter ista commemorata sunt, summoq; compendio? Nam illa de Aranda ideo narranda paulò longius existimaui, quòd nõ eadem ipsi quæ cæteris aderant ornamenta: quo stultius calumniosiusq; subijcis. Fac. Quid illam sententiam interiectam? quòd magis ex ingenio hominis sapientia, quàm ingenium hominis ex sapientia confirmetur, quæ tota contra se est, cum nullis sapientiæ præceptis, unquam potuerit institui. Lau.

Fateri

Fateri me insipientem non recuso, nisi tu talem te ipse confiteris. An non te insipientem confiteris & fatuũ? qui hanc sententiam uis improbare, cum probas; qui eam mutatis uerbis aliam facis: qui crimina uelut sagittas sine aculeis, sine acuminibus, sine pennis emittis. Nam ut sit cõtra mores meos ista sententia, dũ non sit contra ipsum opus, quid attinet eam nunc exprobare? qui postremo ubi caput, ubi pedes habeas nescis. Cum enim apud me scribatur: Delecti itaq; sunt nouem iudices, ex singulis prouincijs terni: imparem eum numerum ad finiendas, uel lites, uel consultationes Hispani multo commodiorem existimant, ais: Fac. Quid aliorum quos enumeras? sunt enim decem (si memini) non solum uirtutum, sed etiam honorum ac factorum: propè omnium ad fastidium usque prolixa commemorantur. Lau. Tam cito'ne tibi Iudicum numerus excidit? Procul aberat opinor hic locus, diu uerba mea non legeras, aut difficile esset te illorum meminisse. At enim te excusas, qui inquis, si memini, tanto inexcusatius, tanto insipientius factum tuum est: qui cum possis uno intuitu fieri certior, mauis rem committere fortunæ. Et alioqui quid memoria, quid diligentia est òpus? qua ratione fieri poterat, ut non cernas, quod ante oculos est, quod legis, quod accusas? O admirabilem insipientiam? & inauditam ingenij tarditatem? Vitia orationis meæ in scribendis iudicibus, quæ latenter deprehẽdere te iactas; nomina ipsa Iudicum, quæ à me numerantur, quæ ordine recensentur, quæ in marginibus quoq; rubrica notantur, nescire quot sint, aut dubitare confiteris. Nec pudet te uanitatis ad fastidium, usq; prolixe, ut ex Cicerone breuitatis exẽplum, contra me proferas, inquiens. Fac. Habes exemplum optimum à principe artis Cicerone nostro in Pompeiana, sic enim dicit: Quod si autoribus, hanc causam Quirites confirmandam putatis, est nobis autor uir bellorum omnium maximarum'q; rerum peritissimus P. Seruilius, cuius tantæ res gestæ terra mariq; extiterunt: ut quum de bello deliberatis, autor uobis nemo grauior esse debeat: Est C. Curio, summis uestris beneficijs, maximis'q; rebus gestis, summo ingenio, & prudentia præditus: Est C. Lentulus, in quo omnis pro amplissimis honoribus, summum consilium, summam'q; grauitatem esse cognoscitis: Est C. Crassus, grauitate, uirtute, & constantia singulari. Lau. Quàm penè totidem uerbis à Cicerone personæ suæ, & à me meæ cõmemorẽtur, res ipsa declarat. Cæterum quis accusatoris, uel calumniam, uel inscitiam non prouidet? Cicero ad Pop. Ro. loquens in nuncupandis ijs ciuibus, qui notissimi populo essent, non necesse habuit, uti longiore oratione: ut ego qui scribo ijs, quibus iudices noti non fuerunt: Iudices inquam uix, inter se satis noti, utpote diuersarum nationũ. Ille ad præsentem usum contentus fuit designasse, quales ij forent, quos populus ipse autores habere deberet: quod secus in me est, qui præfatus etiam sum me posteritati hæc tradere. Ideoq; aliter cum multis alijs in locis, tum uero in Bruto facit, ubi in describendis plerisq; oratoribus multo, quàm hic ego, diutius immoratur, quæ tu pro tua singulari stultitia non cogitasti, nec quòd extra rem Sallustius, quales Cæsar & Cato, qui sententias in senatu dixerunt. Item qualis Sylla fuerit, exponit huic facto meo simillimum, ut apud Thucydidem de Themistocle fit, & Pericle, alijs'q; nonnullis. Fac. Ille post multa uerba, quæ ad purgationem facti attinebant, dicitur inutile coniugij mentionẽ, & ad ea turbato uultu regina subiecisse. Hui senex scabide, imò uero ne plura dicam, hui stulte, hui barbare, qui tam barbare loqueris? Lau. Thersites, quem ut corpore, sic animo prauo, atq; peruerso Homerus inducit, non adeo maligne ac stolide Agamemnoni profectionem suadenti cõuiciatur, ut hic mihi. Quid in sermone meo stultum? quid barbarum? quid scabidum? An non Suetonius (ne pluribus immorer) de matrona Romana in Tyberium Cæsarem loquuta, sic inquit? Ac ne reã

quidem interpellare desijt. Ecquid pœniteret? donec ea, relicto iudicio, domum se arripuit, ferroq; transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido, seni clare exprobrata. Vnde nota in Attellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebruit: hircum uetulum * capreis naturam ligurire. Nisi comparandam non putamus, aut in facienda iniuria personam reginæ, cum priuatæ. Aut in patienda, personam censoris, cum præfecti, aut ipsorum uerborum atrocitatem. Fac. Dignum profecto risu spectaculum, si cui ridere in tali casu uacaret, & alienum periculum turpitudinemq; spectare uoluptati foret: mulieres crinibus penè passis, nocturna tantum ueste indutas, aut altera quoque circumuolutas, magis quàm amictas, & inter eas reginam, ut dignitate, sic celeritate præcipuam, quasi primo corona currentes diuaricatasq; ad femora, irrupêre in mare penè glatiatum. Magnum cum cæteris in partibus, tum maxime hoc loco prudentiæ, & dicendi artis documentum edidisti, Reginam à pedum uelocitate laudans. Id enim solet in primis laudibus Didonis, à summo poëta poni, & ab historicis, quos credo imitatus sis. Assidue in stultitia proficis, teq; ipsum superas dementia. Lau. An in laudibus reginæ reposui, quòd uelociter curreret? Rem narro. An in laudibus uersor? Admiror celeritatem, an rideo? Et quando ad exemplum me reuocas alterius reginæ, tanquam à poëta laudatæ, quasi ego secus faciam, Agnosce utra inducatur laudabilior. Hæc fugit à latebris cubiculi, & quidem celeri cursu, ne ab amatore principe stupraretur: illa quam non cucurrisse uis, haud minus celeriter adacto equo speluncæ accurrit, ut illic cum principe magis, quā amatore cōmitteret stuprum. Atqui Dido non pedibus, sed equo insidens currit. O Vergilianum hominem? qui nefas, autore Vergilio, statuis reginas currere. Oblitus ne es, quid ille de regina Camilla Homericis uersibus dicat?

Illa uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Aut mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, teneras nec tingeret ęquore plantas.

Aut si horum uersuum tibi non uenit in mentem, illorum certè uenire debebat:

Vane ligur, frustraq; animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.
Nec fraus te incolumem fallaci proferet Auno.
Hæc fatur uirgò, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisq; aduersa pręhensis
Congreditur, pœnasq; inimico à sanguine sumit.

Quid dicam de Harpalice? & spartana uirgine? de quarum uelocitate idem meminit, cum Dianam uenatricem faciat, & in eodem habitu Venerem, quemadmodum Homerus Iunonem ac Pallada cum in prælijs, tum alibi currentes, qualia multa sunt, apud Ouidium (quoniam de poëtis agimus) exempla: sed ut omissis exemplis rationem spectemus? Si Dido non cucurrit, num continuo dabitur uitio alijs, quæ cucurrerunt? Currunt quæ timent, quæ coguntur, quibus denique fugere rapide, uel conducit, uel necesse est, quale nil in Didone extitit: quod si extitisset, nimirum talem Vergilius descripsisset. Quòd si qua unquam ratio currendi est, ea profecto est, quoties pudicitia in discrimen adducitur: Cuius integritas non fuga modo tuenda est, sed etiam morte: & eo propensius, quo plus est in persona dignitatis, ut celerrime omnium fuerit reginæ fugiendum, quia maxime erat (quod suspicandum legentibus dedi) de suo pudore sollicita. At tu prudentiæ alumnus, & me carpis, quasi sim mentitus: & reginam, quia prædone insequente cucurrerit, non incesserit, ut de Didone Vergilius ait.

* Capris.

Regina

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna iuuenum stipante caterua.

Fac. Addis aliud quoq; genus reprehensionis, nec illud minore reprehensione dignum, quòd dicis dignum risu spectaculum. Erat enim res non digna risu, sed commiseratione, uidere reginam, quam fortuna in amplissimo statu collocauerat, in tam atrocem casum incidisse. Dicendum potius sic fuit, dignum erat commiseratione spectaculum, reginam, cuius tantæ opes & dignitas fuerant, eo angustiarum & calamitatis redactam esse, ut si pudicitiæ & honori consultum uellet, uel per medium mare absq; nauis auxilio illi fugiendum esset. Lau. Antequam pro me satisfaciam, atq; etiam stultissimum cerebrum tuum me docente intelligas, qui ais illam ex summo in imum delapsam, quod planè mentiris, cũ nihil admodum amisisset, ac ne timeret quidem amittere, nisi libertatem, cui uellet, nubẽdi, sed eblandita sunt tibi uerba Ciceronis ad Herennium, qui libri sunt delitiæ tuæ. Quem fortuna paulò ante in amplissimo dignitatis gradu collocarat. Et in de senectute aliquos dixerit: te propter opes, & copias, & dignitatem. Adde quòd ais, si pudicitiæ & honori consultum uellet: quasi integrum sit honestæ fœminæ, nolle consulere suæ pudicitiæ: aut si in mare penetret sit impudica, suusq; honor extinguatur. Quis te hanc philosophiam docuit, eam, ut ciuibus affertur, esse impudicam? Nos sicut admiramur, quæ maluit mortem sibi consciscere ne uim pateretur: sic illam impudicitiæ absoluimus, quæ omnia citra mortem, imò adeo citra periculum mortis fecit, ne uiolaretur. Fac. Adde quòd ais illam fugisse per medium mare, quod ne Polyphemo quidem Neptuni filio licuit, dum aut Vlyssem, aut Aeneam persequi uellet. Adde quòd ais absq; nauis auxilio, quis audiuit quẽpiam fugere per mare absq; nauis auxilio? Lau. Nunc redeo ad emendationem, dicere debui, dignum miseratione spectaculum. Erras miser erras. Nam ea re inquis, miseratione dignum, quòd illam uis ex amplissima fortuna eo calamitatis decidisse: quæ si non decidit, non est dignum miseratione spectaculum. An risu? quid ni? cum sciamus huiuscemodi pericula, cum ijs perfuncti sumus, afferre reminiscentibus quandam iucunditatem. Vnde Vergilius, & hæc olim meminisse iuuabit. Quod quotidianis etiam liquet experimentis. Mentior nisi testes habeo, à quibus accepi sæpenumero regiam ipsam familiaribus mulieribus, hunc casum cum uoluptate risuq; narrasse. Eamus nunc & illam fortunam lugeamus, ex qua illi ipsi qui perfuncti sunt rident, eaq; ferenda capiunt uoluptatem. Atq; ut hoc confirmem aliquo non quotidiano exemplo. Audi Ciceronem, cum domum suam euersam consecratamq; conqueritur. O rem quam homines soluti, ac cura liberati ridere non desinunt: tristiores autem, sine maximo dolore audire non possunt. Publius'ne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meã intulit. Cicero in tam indigna re de risu mentionem facit: Ego in re propè ioculari ab risu abstinebo? etsi non planè rideo, nec planè dignum risu spectaculum dixi, ut solita impudentia mentiris. Sed addidi, si cui ridere in tali casu uacaret, & reliqua: per quæ satis temperaui risum meum, multoq; magis quàm tu accusationem tuam. Verum quid ita tibi uenit in mentem, risum mutare in commiserationem? An ita facit Iustinus in tristissima Xerxis fortuna, cum inquit? Vbi cum solutum pontem hibernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. Erat res spectaculo digna, & existimatione sortis humanę, rerum uarietate miranda, in exiguo latentem uidere nauigio, quem pauloante uix æquor omne capiebat, carentem etiã omnium seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graues erant. Omnino non magis dolentibus, neq; miserantibus, si utrũq; casum recte existimemus, Iustinus suum locum attingit, quam ego meum, cum

tantũ res illa digna esset admiratione, quantũ hæc risu. Etiam uir uerecundus, et castus, & tuo Panhormitæ similis, qui mulierum femora spectari nefas putat, ad ijcis. Fac. Præterea & illud odiosum, quòd reginam usque ad femora succinctã facis. Quanto enim honestius erat, hanc partem obticere, quàm exprimere turpe est? Lau. Non dicam, quod noctu, quod nemine inspiciente, præter socias fugæ mulieres, factum est: sed quòd quanto nudatiore corpore, tanto honestius cucurrit. Nam sicut si quid interposuisset moræ domi, ut sibi uestimenta circundaret, argumentum pudicitiæ fuit: ita extra domum, quo expeditius hostem euaderet, diuaricatam fugisse: quam reginæ laudem præ tuo mentis stupore, cũ non intelligas, me carpis, & mordes, & in adamante caninos dentes ui exerces. Fac. Atque ita indignabundus ad cubiculum reginæ perrexit intrauitque: ubi cernens cubile turbatum, quale solet ad subitũ timorem relinqui, perdicem ait perdidi, sed nidum teneo. Protinusque depositis uestibus, ut adhuc erat tepidum, subit, ac per totam se uolutans, ac subinde spiritum per nares trahens: significabat more uenatici canis ad lustrum feræ ipso se odore delectari. Tanta ei fuit, inter maximarum rerum conatus, cura amoris, tanta etiam intemperãtia, ut quod imprimis dissimulatum oportuit, & quod antea pernegauerat, id nunc detegeret atque fateretur. Hæc quæ dictu turpia, ac fœda sunt, breuissimis uerbis preteriri decet. Aliter enim historicus, aliter Satyricus, scribat. Satis erat id dicere, tanta fuit Bernardi impudentia, & quædam ueluti amoris rabies, ut reginæ adhuc tenenti lectulo sese uolutare non erubuerit. Lau. Turpiloquium meum breuiloquio emendas, quasi quod turpe & fœdum dictu est, non sit tale cum breuiter attingitur. Verum quoniam duo in me uideris reprehendere, non recuso censeri, & turpiter loquutus nisi apud sanctissimos uiros, hæc recitari possunt, ut taceã quod Græci Latinique memoriæ mandauerint, freti lege historiæ: & uerbosius exequutus, nisi tu quid historia, quid satyra postulat ignoras. Quid etiam Satyrorum simile est? Quid dissimile historicorum? Tu uerò melius, qui in me iubes omissa lucè narrandi paucis perstringe rem totam, & quodãmodo cęcare, ut ipse facis qui nihil de uestimentis depositis, nihil quòd se linteaminibus inseruerit, nihil cur se uolutaret significas: nihil leporis ac gratiæ admisces, multa etiam stultissime commutas: rabiem, pro cura: impudentiam pro intemperãtia: lectulum, pro toto cubili: non erubuerat, pro dissimulatum oportuit. Etiam repenti lectulo, sine præpositione, an dicere potueris grammatici uiderint. Fac. Educitur è profundo lacu, obscuraque testudine Bernardus, modo Siciliæ regulus, ueste, capillo, toto corpore madenti: & hoc ut uix credibile uideatur, ex pluuia. Libera nos domine de pœnis inferni, & de profundo lacu, & de ore leonis, ne absorbeat nos tartarus: credo id dicere uolueris. O exquisitam eloquentiam? O dignam repastinatore dialecticæ orationem? Lau. Festiue, facete, urbane dictum, sed cur non dignam repastinatione orationem? si impolita est. O inconsultum hominis cerebrosumque iudicium? qui sacerdotes omnes, ac utentes precatione derides ac cauillaris, quid tu Maurus & Scytha? Cuius piaculi quas pœnas luere debeas, ad ipsos sacerdotes relego. Sed nunquid ego tota precatione utor, an duobus tantum uerbis? certe duobus uerbis. Improbe ergo totam illam precationem per derisum mihi decantas, quæ cur deridenda sit uelim scire. Audio enim illam nõ modo quatenus me contingit, uerumetiam in alijs partibus defendere, ut te doceam stultitiam tuam. An ex ore leonis barbarum est, quod mille in locis reperitur? An tartarus absorbeat, quod apud Vergilium legimus? nam è profundo lacu, nec minus elegans est, nec minus usitatum: nisi forte idcirco derides, quòd ea censes illinc me esse mutuatũ, homo uerè ridiculus, quasi ego sacris initiatus sim, & illa cum sacerdotibus cantare solitus, & eo magis ridiculus, quòd ipse

hoc

hoc quod obijcis admittis: inquiens. Fac. Magistrum te grammaticæ profiteris, & hæc ignoras? Lau. Quod ex illo uidetur scriptum, Magister in Israel es, & hæc ignoras? Scriptum inquam non ex particula, ut ego feci, sed omnino: & tamen non quasi in parte, sed quasi in tota oratione peccarim, totam emendare conaris, cum ais: Experiri libet hoc loco an possim eloquentiam æquare, qua te omnibus præstare putas. Ego sic dicerem: Bernardus, cui pauloante propter opes & copias, & popularem gratiam Sicilia parebat, toto corpore profusus, ac penè imbri enectus, miserando conspecto, è tenebris in lucẽ producitur. Lau. Stultitiam hominis singularem, dum aliunde quid suffuretur, quantum id apte fiat, non laborat. Superius, ut ostendi, non quia res postulabat, sed quia elegans sibi uidebatur, ex Cicerone uerba mutuatus est. Idem nũc facit, nam eiusdẽ sunt autoris uerba, exq; eodem quarto ad Herẽnium libro, sed ne aliena uiderentur, per te mutata: Sulpitio, cui pauloante omnia concedebant, & reliqua, itaq; uerba Ciceronis sunt optima illa quidem, sed quia huic rei non competunt, fiunt te recitante deterrima, Ego dixi uelociter & expedite. Bernardus modo Siciliæ regulus. Tu, Bernardus, cui paulo ante propter opes, & copias, & popularem gratiam, Sicilia parebat. Quæ uerba omnia ambitiosa, affectata, redundantia, præter id quòd impropria sunt. Quid enim magis improprium, quàm parere homines propter gratiam popularem? Cum gratia sit fauor studium amorq; populi, qui opem, auxiliumq; ferre solet, non parere. Ego, educitur è profundo lacu, obscuraq; testudine. Tu, è tenebris in lucem producitur, nihil inquiens de situ loci, nisi quòd erat obscurus. Ego, quòd lacus, quòd profundus, quòd cameratus. Tu, quod in lucem quod falsum est, non enim ad solem apricumq; productus est. Ego, ueste, capillo, toto corpore madenti. Tu, toto corpore perfusus, plus est madentem esse quàm perfusum: & per singulas partes exprimere, quàm semel totũ dicere. At enim addis. Et penè imbri enectus. Transeo quòd prius perfusum, q̃ imbrem nominas, quomodo imbri enectus est, quẽ imber non tetigit? Nec pluuia, sed aqua pluuia, quæ per cadurceos in lacum defluxerat, tantumq; abest ut aqua enectus, ut nihildum læsus fuerit, & si collotenus succrescente aqua, prope erat, ut summergeretur. Ego, & hoc quod uix credibile uideatur ex pluuia. Tu pro hac arguta sententia posuisti, miserando conspecto uel conspectu, nam per o, scriptum est, quod addere stultum fuit, cum hæc uerba istum locũ præcedant. Fac. Qui miseranti similis propere succurri imperauit. Proxima nocte de tertia uigilia summisso fune Bernardus caligis ad genua cõplicatis, nulla amictus tunica demittitur, custode, ut ualidus conturbaret miseri consilium, urgente ad descendendum, tanquã anxius esset, ne in fuga deprehenderetur. Nec minus hic artem, & eloquentiam desidero homo desertissime, hui disertissime dicere uolui. Primum quòd superuacua narras, quid enim necesse est à te memorari, utrum caligas laxas ad genua haberet, ut ligulis contentas? & utrũ ueste amictus esset, an linea tantũ tunica? ubi breuis esse debes, longus es, uerborum non necessariorũ multitudine, quod est cõtra artis præcepta de breuitate. Lau. Paulopost de breuitate, ut promisi, satisfaciam. Disertũ me esse etiam cũ contumelia negas. Cur ita? quia dixi nulla amictus tunica, qđ tu mutas amictus ueste, quasi hæc duo nomina multum differant: quæ quidem ij, qui Aristotelem transferunt λῶπος καὶ ἱμάτιον nil differre uolunt. Sed ut differant, cur tunicam sentis interiorẽ esse, quam subuculam uocamus, quasi uestis illa esse non possit? dicente Horatio, Nocturnam uestem maculant. Et ego dixi complicatas, tu mutasti laxas: quasi laxæ ad celerius fugiendum faciant: addidistiq; ligulas, quo nomine quid significetur ignoras. Nam hæc lora, quibus nunc utimur, apud ueteres in usu nõ fuere. Quo tempore Martialis hoc distichon scripsit:

Quamuis me ligulam dicant, equitesq; patresq;,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Iam in illo ubi breuis esse debes, prælongus es: atq; hic ego te emendaui, & quo tersius loquaris edocui: tu quomodo me emendes, doceasq;, uideamus. Fac. Præterea qua elegantia ista exprimis? Multo elegantius si sic dixisses. Proxima nocte de tertia uigilia Bernardus custodis ope confisus, per funẽ dimitti cœpit, ipso custode simulatione quadã pietatis, ut properaret hortante. Lau. Tu custodis ope confisus dixisti, quod ego nec dixi, nec dictũ uolo. Taceo quàm disertus sermo est ope confisus, sed promissis, sed uerbis, sed propinquitate, & quæ sunt id genus. Adiutus enim ope quis dicitur non confisus. Tu per funem dimitti, siue (ut te emendem) demitti cœpit: ego summisso fune demittitur, quòd uidelicet iam erat sumissus funis, & totum actum descendendi, per funem complector, non tantũ principium attingo. Et alioqui pauloante sic dicitur, è fenestra turris demissurum. Tu ipso custode, ut properaret, hortante. Ego custode ad descendendum urgente, quod sua luce satis apparet. Quanto sic apertius accommodatiusq; custodẽ, qui cõscius uideri uult fugæ captiui, induci urgentẽ ne ipse deprehendatur, q̃ hortantem, ut alius euadat, quasi ille aut non audeat, aut negligat euadere. Tu simulatione quadam pietatis, in quo uel impudentissime, uel stolidissime mentiris, cum carceris custos, non simularet misericordiam: quam tu disertissimus Scytharum uocas pietatem, qui est amor in deũ, in parentes, in patriam, in pignora, siue (ut Cicero ait) iustitia aduersus deum sed ob acceptam mercedem simularet se illum uelle è carcere emittere. Ego, ut ualidius conturbaret miseri consilium. Horũ tu nihil significas, adhuc omni conatu, uel unius loci apud me, quem indisertum appellas, uim elegantiamq; assequi nequisti: adeo si meæ sententiæ, ac tuæ in illa Critolai libra, quæ ab Homero sumpsit originẽ appendantur, meæ desidant, tuæ ut inanes ac leues in aërem eleuentur. Fac. Cuius turpitudini hic quoq; cumulus accessit, ut cum ad transitum notorũ atq; honestorum uirorũ faciem uellet auertere prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet. Et hic quoq; à te peccatum est, superabundantia, & turpitudinis cõmemoratione. Satis enim erat id dicere. Cuius turpitudini hic quoq; cumulus accessit, q; in eum modum fune alligatus erat: ne à prætereuntium aspectu ora posset auertere. Quænam hic uerborum redundantia, quam tu disertissimus superabundantiam uocas? Sed de breuitate & longitudine mox. Ego ad transitũ notorum hominum, atq; honestorũ. Tu nude à prætereuntium aspectu tollis quæ tolli nõ oportuit. Sed quod tollis alijs supples, quòd cum in modũ fune alligatus erat. Nec plura sunt, quæ tu tollis uerba, quàm quæ subijcis & uere redundant, cum paulo ante dixissem. Ita totum diem reubus inuolutus, ac planè irretitus, tanquã Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul ac miserandum plurimis spectaculũ fuit. Sed præter redundantiam sermonis, num idem quod ego dixi, ea cum gratia dicis? Ego dixi illum prohibitum faciem auertere, ne posteriora ostenderet. Tu hoc solum, quòd ora non posset auertere, non reddita causa cur non posset: quippe nisi ob hanc quam reddidi causam poterat. Vides ut omnia quæ tollis, male tollis: quæ addis, male addis: quæ mutas, male mutas: nam quòd me turpiter loquutum uis, quia posteriora nominaui, nimirum facis ex consuetudine, male sibi cõsciorum, qui ob id sunt seueriores, ne si liberius & simplicius agant, fateri uideantur turpitudinem suam. Vnde Horatius, Vt qui conducti plorant in funere, dicunt. Et faciunt prope plura dolentibus ex animo. Etenim podicem quoq;, nedum hominum posteriora legimus.

Finis.

RESPONSIO VALLAE IN FACII INVECTIVAM
tertiam, quæ est in librum tertium.

VEnio nunc ad tertiã inuectiuam. Fac. Nam ubi ad ianuã regiæ peruenit, ex equo delapsus, ante ipsam ianuam genu posuit. Iterũ ad aulæ ostiũ, tertio ad fores conclauis, in quo rex illũ excepturus sedebat: postremo ad pedes regis, cui rex surgens dexterã porrexit: eamq; amplexatum exosculatũq; ori suo admouit, osculũq; mutuũ dedit. Huiusmodi uicium superiore libro cõmisisti: quod quidẽ est contra breuitatis præceptũ. Nã quod dicis, ante ipsam ianuã genu posuit, iterũ ad aulæ ostiũ, postremo ad pedes regis id tribus uerbis expediri potuit. Vbi ad regem uenit, ad eius genua procubuit: aut sic, ad eius genua se summisit. Nec illud quoq; magis necessariũ scitu erat, quod dicis illũ exosculatum & amplexatũ dexteram regis ori suo admouisse, cũ hoc de more inferiorũ sit, eorum maxime qui alieno parent imperio regũ dexteras osculari. Lau. Accipe magister eloquentiæ quod meliores præceptores sentiant de breuitate narrationis. Cicero de oratore: Narrare uero rẽ quidem breuiter iubent, si breuitas appellãda est, cũ uerbum nullũ redundat, breuis est L. Crassi oratio, si tum est breuitas, tum tantũ uerborum est, quantũ necesse est. Aliquãdo id opus est, sed sæpe obest, maxime in narrando, nõ solum, quod obscuritatẽ affert, sed etiã quòd eam uirtutẽ (quæ narrationis est maxima, ut iucũda, & ad persuadendum accõmodata sit) tollere uidetur. Illa, nam is postq̃ excessit ex ephœbis, quàm longa est narratio? Mores adolescentis ipsius, & seruilis percunctatio, mors chrysidis, uultus & forma, & lamentatio sororis: reliqua peruarie, iucundeq; narrantur. Quòd si hanc breuitatem quæsisset, effertur, imus, ad sepulchrum uenimus, in ignem imposita est. In his fere decem uerbis, totum cõficere potuisset, quanquam hoc ipsum effertur, imus cõcisum est: ita ut nõ breuitati seruitum sit, sed magis uenustati. Quòd si nihil fuisset, nisi in ignem imposita est, tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed & festiuitatem habet narratio distincta personis, & interpuncta sermonibus. Et est probabilius quod gestum esse dicas, cum queadmodum gestũ sit exponas, & multo apertius ad intelligendum si sic construitur. Aliquando autem non ista breuitate percurritur. Non'ne uidetur Cicero prope dedita opera contra te ista tradidisse, & Quintilianus? Nõ minus aũt cauenda erit, quæ nimium corripientes omnia sequitur obscuritas: satiusq; est aliquid narrationi superesse, quàm deesse. Nã superuacua cum tedio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur. Quare uitanda est, etiam illa Sallustiana (quanq̃ in ipso uirtutis optinet locũ) breuitas, & abruptum sermonis genus, quod ociosum fortasse lectorem minus fallat, audientem transuolat: nec dum repetatur expectat. Cum præsertim lector nõ ferè sit, nisi eruditus: iudicem rura plerunq; in decurias mittant, de eo pronunciaturũ, quod intellexerit. Vt fortasse ubiq;, in narratione tamen præcipue media hæc tenenda sit uia dicendis quantum opus est, quantum satis est. Quantum opus est autem, non ita solũ accipi uolo, quantum ad iudicandũ sufficit, quia non inornata debet esse breuitas, alioqui sit indocta: Nã & fallit uoluptas, & minus longa, quę delectant, uidentur: ut amœnũ & molle iter, etiã si spatij sit amplioris, minus fatigat, quàm durũ arduumq; cõpendiũ. Neq; enim mihi unquã fuerit tanta cura breuitatis, ut nõ ea, quæ credibilẽ faciunt expositionem, inseri uelim. Simplex em̃, & undique præcisa, non tam narratio uocari potest, quàm cõfusio, & talia adhuc plura. Cernis quo temperamento sit utendum in breuitate narrationis, qui me omnia præcidere iubes in exponendo atq; confundere? qui uuns tuus error est. Alter, quòd ad legem huius breuitatis, censes esse scribendam historiam, quæ duo tantum

differant alio loco, idem autor ostendit inquiens: Historia quoq; alere orationẽ quodam molli iocundoq; succo potest. Verum & ipsa sic est legẽda, ut sciamus plerasq; eius uirtutes oratori esse uitandas. Est enim proxima poëtis, & quodãmodo carmẽ solutum. Et scribuntur omnia ad narrandum, non ad probandum, totumq; opus, non ad intuitum rei, pugnamq; præsentem, sed ad memoriam posteritatis, & ingenij famam componitur. Ideoq; & uerbis remotioribus, & liberioribus figuris narrandi tædium euitat. Itaq; ut dixi, neq; illa Sallustiana breuitas, qua nihil apud aures uacuas atq; eruditas potest esse perfectius, apud occupatum uarijs cogitationibus iudicem, & sæpius ineruditum captanda nobis est. Neque illa Liuij lactea ubertas satis decebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Hæc tu qui toties breuitatis inculcas præcepta, non legeras? Quid Plinium Quintiliani discipulum, ita scribentem ad Capitonem? Habet quidem oratio, & historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis quæ communia uidentur. Narrat illa, narrat hæc, sed aliter: Huic pleraque humilia sordida, & ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa cõueniũt: Hanc sæpius nerui, ossa musculi: illam thori quidam, & quasi tubæ decent: Hæc uel maxime in amaritudine instantia: illa tractu & suauitate, atq; etiã dulcedine placet. Postremo alia materia, alius sonus, alia cõstructio. Nam plurimũ refert, ut Thucydides ait, inter λόγου ϗ συγγραφῆς: quorũ alterum oratio, alterum historia est. Aude posthac (si uidetur) librorum ad Herennium præcepta mihi repetere breuitatis. Fac. Rex sermonem intulit de sumptu domestico. Lau. Totã ad literam subijcit ex historijs meis orationem, quod ne hic ego faciã, inducor, ne longior sim, cum conetur illam labefactare nugis, & nænijs tantum, ut à me paucissimis ei si respondendũ. Fac. Nihil inconuenientius dici potest, q̃ huiusmodi cõquestio huic loco, & tempori, rhetorũ egregie. Nihil enim minus uerisimile, q̃ quòd rex prius penè, quàm regni habenas susceperit & cognouerit, qui iuste qui'ue iniuste aliquid de regio patrimonio teneant, diminuta regni mẽbra, & procerum opes nimias queratur. Tunc enim primũ ingressus erat regnum, antea sibi ignotum, & inaccessum. Lau. Prius penè, inquis, quàm cognouerit: Cognouerat igitur qui iuste, qui'ue iniuste aliquid de regio patrimonio tenerẽt. Hoc cũ ita sit, Cur nõ est uerisimile imminuta eum queri regni uectigalia? Atq; iterum negas, inquiens, tunc primum ingressus erat regnũ ante sibi ignotum. Quanquam quomodo antea (& si hoc nihil ad rem) quomodo tunc sibi ignotum? qui diu uicinum Castellæ regnũ pro rege administrasset, qui ad auunculum consobrinumq; reges in Aragoniam, aliquãdo uenisset, qui ad fines regni, & intra regnum tanto iam tempore de causa sua decertasset, iudicijs, studijs, & armis, ut à me refertur, qui iam altero anno regnat. Etenim (ô sine patrimonio natum, nescio an etiam sine matrimonio) quid prius ille debuit requirere, quàm uires patrimonij sui, quod primum solet esse in rebus humanis, suarumq; facultatum? Quis enim ex magistratu aliquo, aut procuratione sibi cõmissa, ac nondũ cõmissa, non ante omnia, uel per se, uel per aliũ de prouentibus exquirit: nedũ rex, cui belli pacisq; ratio constare debet? Fac. Sed ab hac sententia mox non recedis, sed cades, nõ negans illũ uires suas scire potuisse. Qui si scire potuerat, tam breui spatio, qui nam iniuste possederunt illud, à te prius ostendi oportuit, ne rex auaritiæ, simul & iniustę, iure accusari posse uideretur. Lau. Istud etiam ego satis abundeq; ostendi, & sua sponte credibile est, & pluribus ostendi non oportebat, quàm ipsius regis oratione. Verum quis te docuit circumspecte solersq; orator, cum proponas de coniectura, rationem reddere de qualitate? Cur enim prius ostendi à me, uis oportuisse scisse illum, uires patrimonij sui, & qui illud iniuste inuasissent? nempe ut credibile esset eũ de spoliatoribus suis

esse

esse conquestum: hoc ad coniecturam pertinet. At nisi hoc ostendam uideri ais illum auare iniusteq; fecisse. Hæc ratio non coniecturę est, sed qualitatis. Age uero, ut sequar absurditatem rationis tuæ, & tibi de qualitate respondeam: quid mea si ille auare, & (quod superuacuo addis) iniuste fecit? Nunquid panegyricum, an gesta qualiacunq; scribo Ferdinandi? Et tamen quid est, cur ille possit ex uerbis meis iure accusari? Nempe quia ais. Fac. Quis uero dicat eos, qui emerant, iniustos possessores esse? Egregia ratio, & Iurisconsultis probanda, ut quisquis emerit, quomodocunque emerit, suum sit. Lauren. An ignoras, cui in rem competat actio, & cui rei uendicatio? Consule ius ciuile, & intelliges quantopere erres. Nec prodest tibi, quòd Ciceronis uerba mutueris, licet ea tuo more corrumpas. Rex meam pecuniam habeat, ego rem suam nullam habeam? An eadem causa est eorum, qui rescissa lege, & qui rescisso iureiurando? Nam de rege nemini licere, quæ regni sunt emere sancitum est, quin etiam paruula mercede, aut nulla, aut usuris sortem superantibus, aut rapina, aut furto patrimonium regis suum facere, & eorum de quibus sic Cicero ait? Tabulæ uero nouæ quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Fac. Transis post hæc de grauissima causa ad leuissimam, de iure patrimonij regij recuperandi ad modestiam sermonis. Præteraa præsente comite Lunæ cui comminari uidebatur tali querimonia. Nequaquam sapientis regis uidetur esse, quinetiam si ab illo usurpatum fuisset, dissimulandum à rege, illo præsente. Lauren. Non sentis homo præpostere, te intellectum rerum naturæ peruertere? Rex enim laudauit adolescentem consobrini filium, & ad illius exemplum uelle se ait recuperare sua. Non ergo minitari uidetur, nec significare se aliquid ab illo, tanquam male possessum recuperaturum. Nam longe aberat ista suspitio. Fac. Nec uideo quâ, nisi per insaniæ ianuam istud tibi in mentem uenire potuisset. Quare totam istam conquestionem, ut ineptam, & nemini probabilem reijciendam puto, ut taceam rationes leuissimas, quas afferentem grauissimum regem facis: cur qui emerint iniuste possideant? Lau. Etsi fatuus es, non tamen malitia cares, qui ea quæ confutare non potes, uis credi nolle ueluti manifesta confutare. Fac. Cum ad conspectum regis uenit, in angusta sedentis sella, extra iactum lapidis: ex quo descendit, genuq; posuit, paulumq; progressus iterum adorauit, tertio non procul ab rege cum adorasset, nec rex assurgeret & reliqua. Hic est ille creber error tuus, qui non intelligis, q̃ sit ista locutio breuitati contraria. Lau. Fateor me, fateor & hic, & alibi errasse, idq; autore, Cicerone, Quintiliano, Plinio. Verum prolonga locutio mea liquidius apparuisset, si hæc quæ sequebantur subdidisses. Nullumq; dum signum clementiæ in uultu ostenderet, erumpebant omnibus lachrymæ, gemitusq;, ac singultus, cogitantibus, qua ex spe, & in quã recidisset, cui genua summitenti ad pedes sedentis in regia sella, paulo ante competitoris in tanto procerum amicorũ cœtu, ne salutationem quidem, aut clementem uultum impetrare fas esset. Cum præsertim regis Petri filia, eademq; matertera, ad pedes sororis filij aduoluta, muliebribus precibus ueniã marito precarẽt. Hoc est, hoc est peruersissime nebulonum, cur semel iterum, ac tertio fuit dicendum? Quid ne intelligi posse orationẽ unde legitimũ finem præcidisti? Fac. Sed aiunt eum qui creatus est rex posse sibi suapte autoritate tribuere illam dignitatem. Hæc est recepta hominũ opinio. Magnam præ te fers hoc loco prudentiã, primũ, qui non uides longius progredi, quam oportet, & à suscepta narratione de equestri dignitate disputãdo diuertere. Lau. Quid est contra breuitatis præceptũ? Neq; è materia digressus sum, & si digressio appellanda, certe breuissima est: & si longior foret atque frequentior, id in historia fieri permittit ars, non quidem

ista

ista, cuius toties mihi præcepta decantas (quanquam ne ista quidem uetat) sed altior atque perfectior, de qua superius dixi. Volo hic reprehendere, quòd proximo libro nolui, tanquam tunc parum apertum, quòd præ te ferre prudentiam, male accipis. Cuius significatio est ipso ore ac tacito uultu fateri, aut certe nō negare animi affectū habitumq́ꝫ: Interdumq́ꝫ ipso genere uerborum, ut Cicero in oratore: At fortasse cæteri rectiores, ego semper me didicisse præ me tuli. Et in Philippicis, Tamen ei me debere præ me semper tuli. Fac. Secundo aūt loco eam dignitatē uituperas, quæ semper magno in honore fuit, nec eam modo dignitatē, sed etiam ueteres, à quibus instituta est, cōtemnis. Taceo explanationē, quæ qualis sit, nemo nō uidet. Lau. Demus, ut quia dixi hanc dignitatē, si hoc nomen meretur, eā à me uituperari. Vnde probas magno fuisse semper in honore, & à ueteribus institutā? quibus ueteribus? An miles ille gloriosus apud Plautum. Itemq́ꝫ alius apud Terentiū huiusmodi fuit? sed hæc apud Græcos externosq́ꝫ. Quid apud Latinos? Nū Camillis, Fabijs, Scipionibus? num deniq́ꝫ Cæsaribus, hæc dignitas cognita fuit? Quid Iustinianus? cuius tēporibus Romanum uacillabat imperiū? Num in iure ueteri enucleando? Nū in ijs, quæ addēda existimauit ullā de istius modi militū dignatiōe facit mentionem? Num cæteri qui scriptū aliquid reliquerunt? Et nō pudet uos, qui uetera nosse uideri uultis, affirmare hanc tunc (si dijs placet) dignitatē extitisse. Quod aūt explanationem culpatis, nullo certo uitio obiecto facitis, pro more ingenioq́ꝫ uestro. Præsertim quòd nunquā disceditis à libris Ciceronis ad Herenniū scriptis: uix ut ipse autor fatet Cicerone dignis. Fac. Disposita itaq́ꝫ re familiari, cōditoq́ꝫ testamento, occlusis ostijs, ac fenestris domus, extincto igni sedentibus in pauimēto uxore & filiabus, prosequentibus aliquantulū collegis, ac cæteris uelut damnatū destinatūq́ꝫ inspectantibus, ac miserantibus ad regiā pergit. Credo nunq̄ præceptum ullum de ijs quæ ad breuitatē narrationis, pertinent uideris: tā frequenter in eo peccas. De quibus si nihil unq̄ traditū est, tamē si quid ualeres ingenio, iudicares ista superflua esse, quæ narras. Quid enim oportebat sciri? utrū extincto igni, an excitato? utrū sedentibus uxore, & filiabus in pauimēto, an stantibus in balneo? Is de quo loqueris ad regē se cōtulerit? Lau. Dij deæq́ꝫ quacūq́ꝫ ex materia facti bene faxint tibi, belle præceptor, tā grauiter prudēterq́ꝫ me admones, ut à magistris meis, qui nihil scire docuerunt, aut potius dedocuerunt recedā, Cicerone, Quintiliano, Plinio? Verū, ut fatear, hoc mihi uitiū est, ut nunquā me prolixitatis accuses, quin prolixius mea uerba repetere libeat. Itaq́ꝫ sequitur. Iam magis ac magis tumultus inualescebat, iam uulgus passim fremere audiebatur, & se inuicem acuebant. Nec exhortatores ex primoribus usquam deerant. Quare mi præceptor animaduerte quid agas: cum me breuiorem esse uis, longiorem reddis. Illud quoq́ꝫ uelim me edoceas, Cur in rebus quæ, nec duæ, nec contrariæ sunt dicas, utrū, quasi nō possent, alio in loco esse illæ fœminæ, q̄ aut in pauimento sedentes, aut in balneo stantes? Fac. Præterea quis credat tantum terrorem, & metum huic homini inectum, quoniā à rege uocaretur. Propter tumultum à plebe excitatum præsertim, à quo ille abfuisset. Lauren. O te uino ligustico temulentum? Propter tumultum ne excitatum hic uocatus ab rege est? An propter hunc uocatum tumultus excitatus est? qui esset princeps senatus, ut ex uerbis apparet, quæ non repetij. Edormi igitur (ut Cicero in Antonium inquit) crapulam, exhala. Quid ergo metuebat? Nēpe ne se, qui pro sua dignitate causam publicam, & defenderat aduersus regē, & defensurus erat, ille ad terrendū cōtumacem populū, mulctaret, atq́ꝫ interimeret: quod adeo regibus usitatum est, ut frequentius à montibus, q̄ à muris incipiant. Ideoq́ꝫ stulte subijcit. Fac Num ad leonem? num ad tigridem ibat? Lauren. O rerum imperitum? Quid irato truculen

culentius rege? quē populi, quem nationes, quē armati exercitus pertinent. Sed uideo, ut es religiosus, famæ regis cauere uis, inquiens. Fac. Nō uides regem truculentiæ, ac feritatis à te latenter accusari, qui erat humanissimus? cū non plus timoris, & desperationis ostendere potuisset, si regem occidere, uel prodere conatus esset. Lau. Stolidè (qui tibi putas bene cedere mendacium.) Vnde probas illum fuisse humanissimum? Hoc tu ut me refelleres finxisti ad tempus. Ego qui diligētissime mores Ferdinandi regis exploraui, ita in fine libri tertij scripsi. In contumaces nocentesq́ uehemens, sed erga eos qui allegarent necessitatem, paupertatem, morbum, ætatem, aliasq́ misericordiæ causas clementissimus. Sed fac minus seuerum: quid ni timeat qui sciat regem ira percitum, & se unum uocari, quasi principem senatus, ducem populi contumacis? cuius unius lege cum populo decidat. O te extra humanos sensus positum. Omnis ciuitas, quòd uelut regē inuasura, ad arma discurrit, nullo an aliquo timore fecit? Cur tantopere trepidabat? Quid minabatur illo die? si in principem populi male consultum esset, neminem eorū, qui cum rege essent incolumes fore? Adeo nō minor in armata ciuitate, quàm inermi ciue significatio timoris, pro huius uita erat? Ignoras'ne hæc ita gesta esse? Atqui nō debes ignorare, cū à me narrentur. Nō credis uera? Atqui sciscitari potes, eos qui interfuerunt propè innumerabiles. Falsa esse probare uis: testibus conuince, nō nugis. Sed quid hæc? Videris enim concedere, ita rem se habere cum ais, regiæ hoc trunculētiæ, ac feritatis argumentū esse. Libentius te de piscatoribus loquentem, sutoribusq́ audirem, quàm de regibus ac ciuitatibus, quasi uero non plurima sint exempla, uel popularis, uel castrensis seditionis aduersus regem ducem'ue iniustæ, & ob hoc ipsum concitatæ, quòd ais, quòd in aliquem sontem uellet animaduertere. Non repetam longius exempla, & quæ fortassis ignores, sed quod ad manū est, quodq́ legisti in primo libro historiarum mearum. Ipse idem Ferdinandus in Satanilliano bello decurionē, qui multis hominibus interfectis fidem publicam læsisset, subijcere pœnæ non potuit, simili quadam seditione impeditus. Fac. Satis itaq́ id fuerat dicere. Ceuillerius cum à rege uocaretur, rebus primum compositis ueritus, ne per iram rex in se male consuleret, in regiam profectus est. Lau. Rectè tu quidem & probe, sed Ciceroni cæterisq́ prudentibus breuitas ista non placet, ac minime probatur. Fac. Vbi peruenit Ceuillerius ad ianuam cōclauis, ubi ab rege expectabatur, pulsat ianuā, nam ministros in prima aula (ut moris est) reliquerat. Ianitor semiaperto ostio, quis esset interrogat: an Ioānes Ceuillerius? hic aliqd fauoris ex nomine magistratus acquirere uolens Cōsiliarius sum, inqt, ciuitatis. An Ceuillerius? ciuitatis inquā consiliarius. Responde, an Ceuillerius? Respondeo, q consiliarius. Responde quod rogo: nam alium q̄ Ceuillerium intromittere iussus non sum. An me intromittas, an excludas in tua est manu? Ego consiliarius unus, sed pro omnibus sum. Ideoq́ parui refert, interrogare de nomine. Hæc cum ille ad regem detulisset, Aperi rex, inquit Ceuillerio. Ex pertinacia enim se Ceuillerium esse confitetur, & contumaciam, qua mecum usurus est in uerbis, quæ dixit hactenus, præfert. Ecce alterum errorem insigniorem tuum contra breuitatem. Nam si reprehendit Cicero qui dixit, aut dicat. Accessi ad ædes, puerū uocaui, respondit, quæsiui dominum, domi negauit esse, quanto magis reprehendendus es tu, qui eadē repetis, & replicas sæpius: cū id dici elegantius his pauculis uerbis potuerit? Vbi Ceuillerius ad ianuā cubiculi peruenit, Ianitor quis esset interrogat: ille se consiliarium ciuitatis esse respondit. Cum autem ille nomen inquireret sæpius interrogatus, nunquam se nisi dignitatis nomine appellare uoluit: tanta fuit hominis, siue constantia, siue pertinacia. Lau. Cur tu qui Ciceronis in rhetoricis affers exemplum, non alterius in libris de oratore

memini

meministi? ut iucunda, ut uenusta, ut ad persuadēdum sit accōmodata narratio, distincta personis & interrupta sermonibus. An idem tibi uitiū uidetur, in meis & in his, quæ reprehendit Cicero uerbis? an maius, an tantū, peruerse atq; impudens? qui me sæpius eadē repetere planè mentiris. Quę ego longius, etiā quam tu feceras, ubiq; dolo utens in recitando persequutus sum: ut apparet à me uenustati, probabilitatiq; inseruitum. Quòd si tantopere tibi amica est breuitas, qui te stupor tenet ut nō intelligas, nō attinuisse narrare accessum ad ianuā, interrogationem, responsionēq; sæpius repetitam, præsertim nō reddita ratione? Cur nomen & ianitor interrogaret, & consiliarius celaret: cū satis fuisset, fecisse hominem ad regem qui expectabat introgressum? Afferem infinita ex Cicerone huius generis exempla, nisi uererer longius esse, & id Terentianum, quod ille attulit satis esset abundæq;. Hæc pro me, illa contra te. Primum quòd nulla, nec constantia, nec pertinacia, si quis sæpius interrogatus quis sit, non neget unquam responsum, sed nomine magistratus se appellet. Deinde quòd ais: Ecce alterū uitium, quasi non nisi semel hoc pro uitio superius obieceris. Tertio, quòd inquis illum se appellasse nomine dignitatis, quasi se is aliter quàm consiliarum nominauerit: quod non dignitatis, sed hominis dignatione præditi nomen est, ut consul, prætor, tribunus, censor, senator: ut consulatus, prætura, tribunatus, censura, non hominis est, sed dignitatis nomen: & senatus, conuentus senatorius: ut consilium, interdum conuentus consiliariorū, qui idem sunt senatores, quo nomine se nequaquam hic appellauit. Fac. Verum hæc duo uitia magis sunt uerborū, sed commodius hic quàm superiori libro, quia apertius reprehenduntur. Num afferam è regno patris mei, non ex aliis huius ætatis exempla? Certe Lacedæmonii apud quos bini reges erant, & magis perpetui consules quàm reges, ita parum in urbe multum in bello poterant, uoluerunt illos huius contumeliæ exortes esse. Taceo gentilia: quis unquam Hebræorum regum aliquem uectigal audiuit perpendisse, & nō potius regi uectigalia esse pensitata? Non id nunc postulo ut mihi illa pensitentur, quanquam & possent, sed ut regiæ dignitatis ratio cōstet. Exempla placent, ualidissimo inniteris argumento, Lacedæmonii, & Hebræi nullum uectigal suis populis pendebant. Igitur omnes reges à uectigalibus immunes ac liberi esse debent. Recta conclusio, si dixisses superiores reges Aragonicos non esse solitos uectigal pendere, consequens erat quòd nec ei quoq; soluendū uectigal esset. Nunquid qua lege unus, aut duo non tenentur, cæteros omnes solutos esse dixeris? Si hac conditione regnum acceperat, ut maiorum leges seruaret: & maiores ea uectigalia pensitarent, iniustum regem facis, qui leges non seruet, quibus erat obstrictus? Si uero nulla lege tenebatur, ostendi oportebat, non esse soluendum. Lauren. Taceo quòd idem uocas argumentum & exemplū. Taceo q; rursus unā rem duas facis, cū nullum hic adsit argumentū, sed exēpla. Taceo, quòd ubi dixisti recta cōclusio, addidisti cōsequēs erat. Quis te cogitari potest, fingi'ue stultior, ac negligentior. Non'ne in superiore Ferdinandi regis oratione, itemq; in proxima memoratur, paulo superiores Aragoniæ reges comitesq; Barcellonæ, nō modo non pensitasse uectigalia: uerumetiam exegisse, culpaq; quorundam regū, huc in dignitatis deuentū, rescissis legibus uiolatoq; iureiurando, quas leges iusq; iurandum restituere rex Ferdinanduus in integrum nitebatur: & tu morionum uecordissimus sic loqueris, quasi rex pro se nihil in tanta lite afferret. Nec minus stulte subiicis. Fac. An nescis aliis regibus, plus licere in populos, aliis minus. Esse q̄sdā populos immunes à tributis, esse alios qui grauia persoluant? Lau. Scio aliis regibus plus licere in populos, aliis minus, quod nihil ad rem. Illud nescio, aliis populis plus, aliis minus licere in reges, quo de agimus. Scio item esse populos alios ue

ctigali

ctigalium immunes,& alios non immunes. Nam de tributis somnias. Illud nescio, reges esse qui uectigalia populis an tributa persoluant: Hoc tu me doce gregis patrone, ah regis patrone dicere uolui. Licet'ne mihi tuis uerbis in te iocari hominem, nec iocis, nec serijs aptum, ut prudentius ille efferato ingenio Polyphemus cum duce gregis ariete loquutus sis, quàm tu gregalis, atque gregarius, cum omnibus loqueris. Fac. Si æquum est, ut iusta regi soluantur: Cur iniquum fuerit reges, quod debent populis persoluere? Lauren. Hanc orationem, uel Polyphemus ipse damnaret. Nam ut taceam, quòd duabus orationibus probatum est, nihil seruitutis debere populo regem, quod hoc aliud est? quàm si quis dicat: Si libertus patrono præstat operas, quas æquum est: cur iniquum sit patronum præstare uicissim liberto operas? dominus seruo obsequium? pater filio reuerentiam? rex populo uectigalia tributaque debeat? Ille uero nihil aliud populo debet, quàm munus suum, iustam legitimamque gubernationē. Itaque eius est, non parêre sed iubere: sicut populi non imperare, sed obtemperare. Quæ duo officia, ubi promiscua sunt, ambo pereunt. Plurima in hanc rem dici queant, sed prauo conatu opus est, ad imbecillum prosternendum. Fac. Iuste itaque regem loquentem facis. Lau. Imò uero iustissime & fortissime, tu potius, tu pro aduersarijs regis in ipsum peroras, cum pro eo loqui uis regiæ causæ defensor. Fac. Ad quod quidem nulla te historiæ lex cogebat. Vitia in oratione non tribuuntur, sed tibi sicut ars & elegantia, non ijs qui loquuntur, sed historiographis, à quibus orationes confectæ sunt, dari solent. Lau. Agnosce quàm improprie, inculte, laxe, loquaris. Sic enim dicere debueras: Vitia orationis ut uirtutes, non ijs qui loquentes reducuntur, sed scriptoribus tribuuntur. Sed quo modo intelliges quid loquaris? Esto rex quid loquutus sit iniuste, insipienter, ignaue, nunquid continuo uitia orationis erunt, hoc est, protinus historico assignabuntur? Num omnes reges fuere sapientes, atque moderati, & nō sæpe loquendo peccauere? Et ais, ab historiographis confectę sunt orationes, quasi idem sit confectæ quod fictæ. Omnes'ne censes tui similes, in historia mendaces, atque impudentes? Nulla'ne oratio apud historicos uera est, duntaxat in sensibus? Omnes'ne illorum ueræ orationes, quorum acta scribuntur, in falsa sunt à scriptoribus commutatæ? O dignū, qui ab historicis cum tuis mendacissimis historijs uiuus exuraris? Nam quod ad meas attinet, extat apud Catalanos in publicis monumentis, omnis hæc inter regē populumque cōtrouersia, ut scias ex maxima parte esse, & uerba mea, & sensus ueritatis. Fac. Quibus rebus cū uos tantopere aduersamini, quid aliud nisi cupidos uos esse significatis nostræ turpitudinis, dedecoris, infamiæ sine ulla uestra, si saperetis, laude & dignitate? Nec minus hic quàm cæteris in locis, tuam requiro prudentiam, qui turpitudini regi esse dicas & infamiæ, si uectigal pendat. Vtrum in fame & turpe regis an populis? qui uelint regem uectigal pendere, quod nulla culpa, nullo regis uitio admittitur, id regi turpe, & inhonestum argues? Turpitudo, & infamia est eius qui infert, nō qui patitur aliquid indignū. Lau. Dij te tuique similes omnes omnibus malis exemplis perdant, ita præposterus es, ac uecors: qui (quod uix asperrimi Stoicorum audeant) ais: dedecus turpitudine, infamiam, non patientem, sed facientem lædere. Si me uulneres, si torqueas, si trucides: non mea erit pœna, sed tua. Item si in fames, ac dehonestes tua, non mea erit infamia, ac ignominia: sicut econtrario laudatio, & gloria. Nam quod Aristoteles ait honorem esse in honorante, non ita sentiendum est, quemadmodum uulgo dicitur, ut honor sit honorantis, non aūt honorati. Nā est utique honorati, sed quòd est in manu & in arbitrio honorātis, ut illū tribuat. Etenim quid magis à sensu cōmuni abhorrēs? quid magis respuāt aures? Quid à regis & populi uel oratipne, uel opinione

alienius? quàm infamiam eius eſſe, qui illam inferat, non qui patiatur iniuſte, & pro nihilo, proq́; non male ducere, quantacunq; ſe iactura, infamia, iniuria, affici, dum ſciat ſe illa dignum: cum ſoleat hoc ipſo acerbitas doloris increſcere, quòd iniuſte patimur, ut apud Quintil. Innocentia opus eſt, ut miſerum faciat dolor. Sicut e diuerſo decreſcere, quòd iuſte: ut in eodem loco apud eundem. Neſcit profecto, neſcit quantam patientiam parent mœrori, quantũ animo membriſq́; rigoris inducat, quod patiaris agnoſcere. Hoc nihil ne cogitari quidem dici'ue ſtultius poteſt, niſi quod ſequitur. Præcipue qui patitur, non liceat eam indignitatem iure repellere. Si non licet iure repellere, quo pacto indignitas eſt? & tamẽ quis eſt, qui infamiam, dedecus, turpitudinem, quæ iure ac merito patiatur, non propulſare ſtudeat? quæ à quocunq; illata, cum grauia ſunt: tum uero ab his à quibus minime decuit. Ideoq́; rex queritur, talia quædam à populis ſuis, quaſi ad hoc incumbentibus pati. Multa mihi ſuppeditaret oratio, ſi ſtolida hominis uerba exagitare pergam. Fac. Fac igitur reges ſapienter & iuſte loqui, ac dicere quæ illis conuenientia & decora ſint, ſi uis laudẽ ex ſcriptis tuis aſſequi. Lau. Si non omnes reges ſapientes & iuſti fuerunt, quomodo omnes ſapiens & iuſta decet oratio? Licet hæc oratio, tam ſapiens & iuſta eſt, quàm tu iniquus, & fatuus. Fac. Quæ facta ſunt narrari oportet, quo ordine facta ſunt. Quid attinet hic de ordine loqui, tametſi non eodem ſemper quo geſta ſunt ordine narrantur? Quæ uere dicta ab hiſtorico, componi poſſunt? Lau. Egregium præceptũ, ut ſemper in orationibus mẽtiamur, quod quia tu ſemper facis, uel uoce, uel ſcriptis, reris id aut conſuetum, aut æquum cæteris facere. Fac. Sed quis expectet à te regem moderatum & iuſtum induci, qui ipſe immoderatus, præceps, inconſultusq́; ſis? Expectemus ergo regem loquentem, quæ nõ dixit, mendacia loquentem abs te induci: qui ut conſtat mendaciſſimus es, cùm nec ullum delectum rerum in oratione tu habeas. Ego uero delectum habendum cenſeo, inter probos & improbos reges: qui apud te omnes ſunt probi, quod fieri nequit, & tamen, quod monſtri ſimile eſt, mendaces. Neq; enim poteſt quis dare, quo ipſe careat. Quomodo ergo das orationem mendaciſſimam regibus, non mendacibus? & ut tu fateris iuſtis ac ſapientibus? non magis, quàm ego digito poſſim cœlũ tangere. Lau. Scelerate, ut tuo ſimilis Panhormitæ, pro cœlo aliud ſcripſiſti, prioris ſyllabæ uocalem, pro tertia ultimam, licet docti non una, ſed duabus ſcribant, alij per æ, alij per œ ἀπὸ τοῦ κοίλου. Vnde uita peſſima quid facit? Nec ego deprehendiſſem, niſi trito ſermone, te cœlum uelle dicere: at tu cum cœlum nominare uis, baratrum nominaſti, locum profecto digito tuo dignum, atque adeo lingua, nam tuis digitis cum ſcripſiſti, & tuæ linguæ cum protuliſti, adhæſit.

# LIBER QVARTVS

## RECRIMINATIONVM LAVRENTII VALLAE IN BARptolomæum Facium & Antonium Panhormitam, in quo reſpondet ab obiecta in mores, ac reliquos libros ſuos.

HAs, ut ſpero, hiſtorias noſtras, & nonnihil pręter hiſtorias ab infanda teterrimorum accuſatorum calumnia defendimus: reliquum eſt, ut quæ aduerſus cæteros libros meos, ac mores effuderunt, diluam: nõ ſeruato ipſorum (qui nullus eſt) ordine: nam nunc in mores, nec eos diſtincte ac diſpoſite, nũc in libros, atq; iterum in idẽ redeuntes inuehuntur. Tametſi quæ in uitã meam

euomuerunt plus furoris habent, quàm roboris, uix digna, quibus respondeam: qualia uulgo à procacibus petulantibusq; in quemuis obblacterari solēt, me imprudentem esse, qui nec alios, nec meipsum cognoscam: impudentem, qui mihi nimis arrogem: temerarium, qui alios carpam, & quæ sunt id generis. Quorum quæ nixa esse aliquo testimonio uidebuntur, refellam. Et ante omnia satisfaciendum illi loco, qui superiori materiæ finitimus est ac præcipue coniunctus, & totius huius tragœdiæ fomes: de quo me promisi dicturum, quòd Antonium Panhormitam uideor lacessisse, causamq; prębuisse, ut is in superioribus magna, hic maxima ex parte suum in me uirus euomeret. Nam & testibus exquisitū habeo, & ipsa quæ Barptolemæo ignota erat materia (ut postea ostendam) indicat hunc pariter aduersus me cum Fatuo scripsisse. Scribunt igitur. Fac. Quoties ego te uidi, legente Antonio Panhormita eruditissimo uiro Liuiū, apud hūc excellentissimum regem nostrum, cæteris qui aderant per summum silentium audientibus, illum à te interpellari, & molestas disputationes à te inferri, nec tempori certe, nec loco cōsentaneas, ut sępe miratus sim tam patientes esse regis aures, quin te sublimem rapi, ac loris cædi, tāquam loquacem ac molestum interpellatorem iusserit. Lau. Antequam accusationi respōdeo, quia se eruditissimum Barptolemæi uerbis Antonius appellat, ostendam ex hoc ipso loco, quàm sit uterq; eruditus, & qui laudatur, & qui laudat. Nam (ut dixi) ambo scripserunt. Primum te unde regatur, non habet: siue superuacuum est. Deinde insuetum est apud oratores historicosq; tale sermonis genus, quoties uidi legente Antonio, à te illum interpellari: cum dicendum sit: Quoties ego uidi Antonium legentē à te interpellari? De quo in elegantijs præcepi. Postremo, quin pro, quòd non, positum est. Respondeo nunc accusationi. Miramini quòd non iussus sum rapi, & loris cædi, quia legentem interfatus sum. Et quis hoc tempore legit? Certe ego, non tu Antoni. Centesima lux est, ex quo ab rege sibi aliquot libros prælegere iussus sum: Interq; legēdum multa ab eo, multa ab alijs, uel magnis uiris, uel maioribus proposita, ut tibi sæpe contingebat, soluere soleo, multo quàm doctius, adeo quantum intelligere possimus, nihil illi iucundius cadere solet, quam quoties lectio cum erudita aliqua quæstione transigitur: siue ut aliquid discat, siue ut admirabile ingenium, quo nullum cognoui præstantius, admirabilemq; rerum copiam, quas expertus est, ostendat. Nihil enim gratius apud optimas mentes est, quam res egregias cum gloria, uel discere, uel docere. Non est igitur iniustum, non insuetum, non regi, non mihi ipsi legenti molestum, aliquem auditorum interfari. His ego de causis uoluntati regis, seu uoluptati, nōnunquam quum lectioni adsum, inseruio. Neq; uero uos improbissimi potestis, usqueadeo tegere lumen ueritatis, quin illud per obstantia erumpat. Vestra oratio satis docet, quid de me sapientissimus rex iudicarit, qui interpellantem, si uobis credimus odiose ac moleste, tamen patienter audierit, tantum etiam non addidistis, etiam libenter. Cuius quod sit de me iudicium, uel ille dies indicio est, cum ad eum ignorantem scripsi, animal, quod ei dono datum esset, castorem esse. Multi enim multa dicebāt, idq; testimonijs probaui, sicut aliquot antea annis de capite Crocodili fecerā, quod Panhormita draconis, apud illum esse asseuerabat. Velim autē oratos, qui hęc legent, ne iactantiæ gratia ista me loqui existiment, sed necessitate. Non enim inuidiosa est, de se laus, quæ nihil aliud quàm pestiferæ infamiæ medicina est. Planè inquit cunctos, qui mecum sunt, Laurentius, ut facundia, sic scientia antecellit. Quę uerba illustris uir Simon Corellia Valentię pręses gratulabūdus ad me detulit, cum in magno hominum cœtu essem: quare non est, quòd regium mihi nomen opponas, quod causæ meę fauorem, non odium parit. At cur non sileo, ut cęteri faciunt? Ego uero facio, & quidem plus cęteris. Nam si nemo procerū

quoties aliquid auditu dignum excogitauit silet, isq; ab rege auscultatur: nec procerum modo, uerum etiam qualiumcunq;, quos tu pro tua consuetudine solitos silere mentiris: quo tandem modo mihi silere integrum est, quem loqui cæteri cupiunt, rex inuitat, aduersarius cogit? Omittam quàm sæpe alij adhortati sint quid sentiam, dicerem. Referam unam regis ex multis inuitationibus, itemq; unam ex aduersarij prouocationibus. Et quod ad primam partem attinet, repetam aliquanto altius, magis, ut spero, iucundam, quàm uerbosam narrationem. Ferè tertius annus agitur, cum die quodam subiratus, quòd à Panhormita (ut est malignus, & mordax) quibusdam in uersibus læsus essem, de quibus etiam postea dicam: me in regiam contuli affuiq; illi, ut solebat Liuium legēti, & casu hęc inter cætera uerba: Ire in sententiam pedibus, sic exponenti, fauere pro uiribus & omni conatu. Ego nihil interfatus, loquentem regem cum ijs qui affuerunt, imò adeo deum testor, quum finem legendi fecisset, negaui eam esse uerborum illorum significationem, & quænam esset subieci. Aderat Sensius quidem, uir non indoctus, mihi nondum cognitus, qui cum Antonio, cui notissimus erat, se nescire dicebat. Ego pro copia exemplorum quæ occurrebant, meam sententiam tutari nitebar, quæ controuersia, nescio cuius interuētu, dirēpta est. Paucis post hoc diebus, & rex in expeditionem exiuit, & Sensius Romam missus est: ubi sciscitatus eruditos uiros, quum redisset apud me ingenue se errasse confessus est, quòd diceret mecum sentire doctos omnes quos interrogasset. Igitur proxima æstate, Lib. 27. cum Antonius illum apud Liuium locum legeret: Octauo fermè post damnationem anno, M. Claudius Marcellus, & A. Valerius Leuinus consules reduxerūt eum in urbem. Sed erat ueste obsoleta, capilloq; & barba * commissa, præ se ferens in uultu habituq; insignem memoriam ignominiæ acceptæ. P. Veturius, & L. Licinius censores eum tonderi, & squalorem deponere, & in senatum uenire, fungiq; alijs publicis muneribus coëgerunt, sed tum quoque aut uerbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat, donec cognati eum hominis causa Marci Liuij Macati, quum de fama eius ageretur, stantem coëgit in senatu sententiam dicere. Rex non expectata expositione Antonij, ad me conuersus: Nunc, inquit planè intelligi poterit quid sibi uelit ire in sentētiam pedibus. Nescio utrum sim in eo miratus magis memoriam tam ueteris quæstiunculæ, an discendi auiditatē. Tum Antonius audacter confirmare opinionem suam, nec ipse aliam dicere, & quem ego sensum aliàs protulissem, haud dubie falsum esse: nunc uniuersi, cum antea tum post illius uerba, in me oculos intenderunt. Rexq; in primis, & se ad audiendum, toto uultu in me, qui ad læuam eius eram, conuerso composuit. Hic ego quid agerem? tacerem, aut inimico assentirer, & falsum sentienti, & me falsum sentire dicenti, præsertim adeo peruerso ac peruicaci? ut cum tanto iam tempore ueritatem quęstionis, aut inuenire potuerit, aut inuenerit, cum tam audacter accuset uera sentientem. Respondi itaq; præfatus, quodam uelut prooemio, quòd ideo rex (ad eum enim me conuerti) de ea re percontatus esset, quòd memoriæ suæ hæreret, aliquando inter nos de ipsa fuisse disputatum, quæ disputatio à me esset orta. Post hęc inquam nostra iam controuersia ab optimis iudicibus finita est, Cincio Ranuncio alijsq; nonnullis, ut Sensius, qui tunc interfuit, quiq; nunc Neapoli est, mihi renunciauit. Est autem optime rex, hoc loco isse in sententiam pedibus Salinatorem, in alterius sententiam nō uerbis, sed pedibus isse. Etenim in senatu quoties dicebantur sententiæ, quæ probari possent, fiebat discessio: hoc est, senatores discedere iubebantur in utram partem uolebant: utputa dicente consule, qui assentiuntur sententiæ Fabij, cōcedant in dextram partē, qui dissentiunt, in sinistrā. Atq; ita quisque quam sententiam probabat, in eius se partem pedibus conferebat. Quod probat Suetonius, qui in uita Tyberij, ait:

Alias promissa.

Cum S. C. per discessionem fieret, transeuntem eum in alteram partem sequutus est nemo. Corneliusq́ Tacitus: Et postquã discessionẽ consul permiserat, pedibus in sententiã eius iere, paucis exceptis. Accipite etiam ex ipso Liuio, non alienum à nostra quæstione exemplũ ex lib. 7. Vbi sententiam meã uobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis: quæ pars maior erit, eorũ stabitur consilio. Pauloq́ post: Agite dum in dextram partem pedibus transite, omnes transierunt. Quid plura exempla? Cũ Gellius hoc pene præcipiat, dicens: Quosdam senatores opinione quorundã uocatos pedarios, quos praue nonnulli pedaneos uocant, quòd pedibus non uerbis sententiam dicerẽt. Hac ego oratione Regem cæterosq́ cum persuasissem, Panhormita, quo apertius imperitiam suã, pertinaciamq́ indicaret, unum tantum testimonium pro se attulit: Ex Quintiliani declamationibus edoctus id à conterraneo suo quodã illius autoris studioso dicentis: Pedibus manibus iuimus in sententiã necessitatis. Opinor, inquit, ambulabãt manibus interdũ, leuatis in altum pedibus, aut pedibus simul & manibus ueluti quadrupedes. Hęc & huiusmodi cauillatus ubi finẽ fecit, & rex cũ reliquis in me oculis animoq́ cõuersus esset: loquebar aũt ego literate, Antonius aũt illiterate: debuerat inquã, quod boni aduocati est, Antonius infirmare testimonia mea, id est, ad suũ intellectũ exponere, sed eũ uidelicet excusat, quòd infirmare aduersarij testimonia, nõ solum boni aduocati est, sed etiã bonæ causę, qualis Antoniana nõ est. Ideoq́ à serijs ad ioca trãsfugit. At ego in eius testimonio ostendã nõ eũ sensum, quẽ uult ipse esse, sed meũ. Quintilianus idcirco prius nominauit pedes, cum ferè priores nominentur manus, ut apud Terentiũ: Quem ego credo manibus, pedibusq́, obnixe omnia facturum. Et in eadem Andria: Ego Pãphile hoc tibi pro seruitio debeo, conari manibus pedibusq́, quòd prius est pedibus, quàm manibus in sententiam ire. Imus autem in sentẽtiam manibus leuatis in sublime: non in modum quadrupedum officio pedum fungentibus: Sed quomodo Xenophon ait, cum milites loco discedere non possent, iussi sunt, qui sententiam orantis probarent, manus tollere, quod instar erat itionis in sententiam pedibus: quoniã pro pedibus quibus itur, manibus fungebantur. Atque ut idẽ ex autore latino probem, ait Flauius Vopiscus in Aureliani uita: Hęc interrogati pleriq́ senatores sententias dixerunt, quas longum est innectere. Deinde alijs manus porrigentibus, alijs pedibus in sententiam euntibus, pleriq́ uero consentientibus conditum est S. consultum. Et iterum in eiusdem uita: Pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens. Hoc modo Quintilianus, inquit, de populo frequenti, qui ex omni censu, & ætate constabat, cum fame laborarent, eos qui pedibus in sententiã ire non poterant, manibus isse, quas porrigebant ad declarandam animi uoluntatem. Omnes mihi hæc loquuto planè assensi sunt, testatiq́ idem fieri solere hoc tempore cũ alibi, tum uero in re militari. Et Antonius ut uictus, & damnatus obticuit: cum respondere & appellare tam nequiret, quàm uellet. Atq́ eo tacente addidi, quia de discessione dixi, dicam breuiter de diuisione sententiæ. Est in senatu sententiæ diuisio, quoties in sententia plura continentur, ut tota, nec probari, nec improbari queat. Ideoq́ iubetur in partes diuidi, ut de singulis consulitur. Hoc si neget Antonius probabo, non exemplis modo, sed etiã præceptis. Sub hæc quum ille ad cõuicia erũperet, Rex utrunq́ silere iussit: Hoc est ad quod ego, rege uolente ac causam postulante, ut loquerer inductus sum. Quod sequitur, ad id me aduersarius prouocauit. Interrogatus Panhormita à scholastico, quis sensus esset tertij illorum quatuor apud Iuuenalem uersuum:

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno fessus aratro,

Nodosam posthæc frangebat uertice uitem.
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Respondit Manū solitū frangere uitem à uertice, hoc est, ab imò, cum nodosior erat ferro, quod dicitur dolabra. Hac responsione, tanquā nō cōtentus scholasticus, forte nobilē & genere & literis uirum Franciscū Salimbenum, idē illud interrogat. (ita enim ab utroq; post nostrā cōtrouersiam accepi) tulitq; lōge diuersum respōsum, esse uitem apud Vegetium insigne quo milites uerberarentur, quam sententiā protinus ad Antonium scholasticus detulit, sed male præceptum peius docuit, siue hic peius præcepit, quàm doceretur. Itaq; respondet se diligenter ueram sententiā exquisiturum. Iubet post aliquot dies ad se redeat. Interea si doctior abire uelit, hanc rem cōmunicare cum aliquot uetat. Quid ita? an ne ignorasse quod ignorauerat uideretur, imò uero ut scisse, imò ut alios docuisse, imò ut, quod iucundissimum erat, me imperitiæ argueret? idq; apud regem, atq; illam frequentiam procerum? Quòd si nunquā à natura sua recedat falsò gloriandi, quid facturum credamus, ubi etiam spes eblandiatur, inimicum, & gloriæ suæ hostem hoc uelut laqueo strangulandi? Igitur nō procrastinat, & cum primum nactus est locū, ubi Fascium cōsularium fieret mentio, cōuerso in prælustrem uirū Egnigum Daualum, qui erat mihi ad sinistram (nam rex sedebat ad dextram) quanā inquit ex arbore uirgæ fascium erant? Ego etsi me præcipue illa percōtatione peti uidebam, hæsitabundus tacebam. Et Egnigus, quin ni ex granato? Nequaquā inquit Antonius, suspensoq; responso, ut ignorantiæ cōfessionem à me exprimeret, oculisq; hilaribus gaudium iam suum prodebat. Cū uniuersi quid sentirem, ut dicerē, tanquā ab aduersario interrogatus, expectarēt: ingenue me nescire professus sum, nec unquā quod meminerim legisse, existimare tamen pro locorum natura nunc ex hac, nunc ex illa arbore esse, cuius generis est, qua legati utebantur sagmina, unde sancti sunt dicti, ut quibusdam placet: licet aliqui illam eā herbam uelint esse. Neq; uero mihi ueniebat in mentē, ita Pliniū reliquisse scriptū: Gaudet frigidis sorbus, sed etiam magis Betula Gallica. Hæc arbor mirabili candore & tenuitate, terribilis magistratuū uirgis. eadē circulis flexilis. Et Plautum qui nonnunquā Vlmeas uirgas uocat, quibus serui cæderentur, quodā loco lictores, id genus uirgarum nominat: sed in seruo flagellando à domino, nō aūt magistratus iussu inquiens. Lictores duo, duo uiminei fasces uirgarū. Et siqua sunt alia exempla. Tum Antonius, audita est, inquit, sacra maiestas, ex certa uirgæ illæ arbore fiebant: Hoc perquàm pauci, & prope nulli sciunt, ac res imprimis digna scitu, uel propter historiarum notitiam, uel quia uersus Iuuenalis eloquentissimi poëtæ, aliter nequeūt intelligi: quales plurimi alij sunt, quos cum à nemine intelligi uiderem, multo labore desudaui, ut intelligerē, & alios docerem: & cum multis sibi uerbis fecisset audaciam, prorsus quasi de Laurētio uicto triūpharet, subiecit uersus atq; exposuit inquiēs: Ex uite uirgæ erant, hoc est ex sarmētis, quæ sunt uitium uirgæ: ex quibus fasces cōsulares fiebant, quibusq; delinquentes, qualis fuit Marius, uerberabantur, & alia plura. Vbi perorauit, & si uidebatur omnibus bene dixisse, tamē siue arbitrātes aliquid à me uerius dici posse, siue cupientes, ut aliquid responderem, saltē illi assensurus, tanquā nō habentes pro certo, nisi id ego cōfirmassem, in me omnes (& ego tum me ad respondendū parabam) conuersi sunt: miroq; cum silentio præstolabantur, quid in contrarium (ita enim uidebar) dicturus essem. Atq; ego, absurdum sit, inquam, optime rex arbitrari uirgas fascium consularium ex sarmentis fuisse, & fasces uitē uocari solitos, quasi una uitis fuerit, aut spoliata sarmentis, aut illis dependentibus: multoq; aliter figuratos in uetustis operibus cernimus, ueluti Romæ in arcu quodam. Hic me interpellans Antonius, ut qui sibi iā timeret, quemq; prouocasse hostē, sicut

de

Virgæ fascium consularium ex qua Arbore.

Iuuenalis Eloquentiss.

de Hectore Homerus scribit, quum ad singulare certamen fortissimum quemque Græcorum elicuisset, progresso in medium Aiace, iam pœniteret. Est inquit Romæ arcus quidam, ubi consul & lictores, cum fascibus sculpti uisuntur: & fabulam aliam, ut me dicentem inhiberet ordiebatur. Ad quem ego quid tu plura de arcu, cuius ego tibi fui monstrator? Tu'ne inquit mihi? Ego inquam tibi, & Leonardus Aretinus mihi, rediens in memoriam, paulolum hæsit. Et rex reuertere, inquit, Laurenti ad fasces, & perage quod institueris. Et ego: erat, inquam, optime rex insigne consulatus non una uitis, aut unus sarmentorū fascis, sed fasces duodecim ex quacunque, ut reor, arbore ausim dicere, uite excepta: Nam uitis ipsa centurionis insigne est. Illæ uirgæ consuli præferebantur, hæc à centurione gestabatur. Illis per lictores nuda terga damnatorum, ad palum deligatorum cædebantur: hac centurio per se non certam, sed quamcunque uestiti corporis partem solutorum militum, qui deliquissent uerberabat. Et hoc est, quod Iuuenalis de uerberato Mario ait: Adeo quidem ut uitis, quæ difficile frangitur, in illius etiam capite frangeretur. Multa dici possent, quare potius ad hæc electa sit uitis, quàm aut fustis, aut uirga, aut flagellum. Sed malo testimonia proferre autorum, quòd uitis fuerit centurionis insigne, & sic Iuuenalem intelligendum. Lucanus septimo de Scæua,

Ante feras Rhodani gentes, ibi sanguine multo,<br>
Promotus latiam longo gerit ordine uitem.

Hunc Scæuam & centurionem fuisse, & commentarij Cæsaris, & Valerius, & autores multi testantur. Plinius libro 14. Quid quòd inserta castris, sententiam rerum imperiumque continet, centurionum in manu uitis: & opinio præmio tardos ordines ad lentas producit aquilas? Atque etiam in delictis pœnæ ipsam honorat? Martius Iurisconsultus digestorum libro quinquagesimo de re militari. Is qui Centurioni uolenti se castigare restiterit, si uitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, uel manum Centurioni intulit, capite punitur. Hæc cum ab omnibus summa cum approbatione essent excepta, Antonius nihil hiscere in cōtrarium ausus est: Iamdudum pœnitentiam in uultu præferens, quòd ante me lacessisset: nec tamen unquam cum se offert uel minima occasio, lacessere omittit. I nunc & dic cur cum interloquar siue (ut ais) interpellem, quem ipse, quem rex, quem cuncti qui adsunt non tacere compellunt, nisi uelim in conspectu regis procerumque non apparere, idque inimici demerendi gratia: à quo, si hæ causæ non subessent, optimo iure possem expetere ultionem, quòd inter legēdum me sæpe carpsisset ut alios multos: hoc, inquiens: nesciuit Leonardus, in hoc errauit Guarinus, hoc male tradidit Gasparinus, Hoc ego docui Carolum, hoc ignorat Laurentius. Aliquando cum in gratiam redissemus, & lecturus Liuium à me permulta doceretur, adessemque legenti fautor: semel apud infantem Petrum, bis apud regem dixit, in sacra agó, pro in sacra facio lapsum esse Aurispam: At quē uirum? Nempe & Siculum, & amicū & præceptorem suum, de quo ille à contemporaneo quodam, qui interfuerat edoctus literis, questus est. Cæterum absentes rarius, me uero præsentem, etiam cum familiares essemus, malignissime momordit: prius quidem clanculum, postea autem apertius. An ulcisci me non debui, uel propter uersus, de quibus pauloante feci mentionem? Referam & hoc breuiter, ut qualis hic in me semper prouocator extiterit intelligi possit: quemadmodum Vergilius inquit: Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno Disce omnes. Ioannes Carrapha strenuus Decurio Neapolitanus, cum in arce, quæ dicitur Capuana, imaginem regis armati, equoque insidentis pingendam curasset, et circum eam quatuor uirtutes Iustitiam, Charitatemque, siue Largitatem, Prudētiam, ac Temperantiam, siue Fortitudinem (est enim ambigua pictura) à me contendit

tendit, ut uersus totidem facerem, singulos in singularum libellis, quos manu tenebāt, scribendos: addiditq́, ut duos saltem eo biduo, qui superioribus imaginibus iam prope absolutis adscriberentur. A pictore enim se deceptum, qui non præmonuisset scribere superiores uersus antequam ad inferiores pingendas descenderet imagines, ideoq́ tempus componendorum uersuum spe sua breuius esse: alioqui non ita commode postea scribi. Ego etsi febrire incipiebam, tamen me facturum recepi, ac plus exolui, quàm promisi. Tres enim uersus Iustitiæ, Largitatis, Temperantiæ, eodem die ad hominem misi, quos cum pictor esset descripturus, & plurimi homines lectitarent (est enim locus ille totius urbis celeberrimus) Nescio quo pacto Antonius audiuit, lectosq́, mirum dictu, quantopere carpsit: denique hominem deterret ne uersus impolitissimos egregie picturæ, atque illi loco, quem ad suum & regis decus elegisset, inscriberet. Iubet biduo expectare, & familia Carrapha, & castello Capuano, & regia pictura dignos se daturum, itaque octauo ab his uerbis die totidem suos tradit, nihildum me earum rerum per ualetudinem rescíscente. Eos uersus Ioannes ad me mittit, & iam conualescebam, nondum tamen domo prodire ausus, remq́ omnem gestam exponit. Ego meos postridie absoluo, ille suos septem diebus serius, utriq; ostenduntur, utrique nostrorum suos defendere, alterius impugnare, sui cuique fautores adesse. Scinditur incertum studia in contraria uulgus, ut in eodem loco Vergilius. At Ioannes, ut incertus quid ageret, utrosque mittit ad regem, in expeditione agentem, uelut iudicem atque arbitrum. Is quoque ne quem damnare uideretur, rem in medio reliquit: tantum utrosque commodos esse respondit. Seorsum autem meos (ita duo mihi secretarij retulerunt) plus succi habere confessus est: ex quo factum est, ut neutri scriberentur, quos hic ego cæteris iudicandos subieci. Et si quis tales imagines alicubi pingere uelit, ut habeat utros eligat. In suis ille loquentes facit, aut lectores, quod & absurdum, & obscurum est: aut uirtutes, tanquam non de se, cum tamen de se loquantur. Ego uirtutes ipsas, non modo aperte loquentes de se singulas, sed etiam ita, ut uersus in eum ordinem possint redigi, quo pictor imagines pingere uelit: Istius nequeant à prudentia incipere: qui hi sunt:

*Iustitia.*

Te bone rex sequitur uictas Astræa per urbes.

*Charitas.*

Te pietas & amor reddunt per secula notum.

*Prudentia.*

Agnoscit sociatq́ suum prudentia gnatum.

*Fortitudo.*

Te dignum cœlo uirtus inuicta fatetur.

Hæ laudes, ut cætera taceam, nisi fallor, nihil habent nisi uulgare, & quod singulis uirtutibus datur id omnibus dari potest. Quid mei? certe nō tales, ut (quod dicebat Antonius) ad suos nihil sint: quos in illum naturalem, quem dixi ordinē, redigo prudentia præposita.

*Prudentia.*

Prima ego uirtutum peragunt mea iussa sorores.

*Iustitia.*

Per me stat regis thronus & concordia plebis.

*Charitas, seu Largitas.*

Celsius est dare nostra, suum quàm reddere cuiq́.

*Temperantia.*

Corporis illecebras plus est, quàm uincere bella.

Fortitudo.

*Fortitudo.*

In gemmis Adamas, in moribus ipsa triumpho.

Sed ut in his rex non tulit aperte sententiam, sic in alijs pro me pronuntiauit, cum pro alia, tum uero quia indecens sit loquentem facere dormiẽtem. Est enim signum quoddam marmoreum, quod quidam Parthenopes uirginis uolebant esse iacentis habitu, dormientisq;: cui distichon epigramma iussi aliqui docti uiri facere sumus, aliorum tacebo. Antonij hoc fuit:

Parthenope, multos bello uexata per annos.
Nunc opera Alphonsi parta iam pace quiesco.

Meum hoc;

Parthenope uirgo diuturno exercita Marte,
Martius Alphonsus dat, requiesce tibi.

Sumus etiã nunc de alio Carmine ad marmoream statuã scribendo in cõtrouersia, de quo nondũ attinet facere mentionem, deniq; ipsius uersus nusquã uidentur inscripti, cũ mei & pro Salamanchis Panhormi, & Gaietæ pro antistite Normanno, & Neapoli pro Caraciolo magno Senescallo apud augustissima tẽpla in marmore incisi uisantur. Hoc ideo dico, quòd neminẽ pr̨ se poëtã ducit. Ex horũ uersuum mentione redeo in memoriã illorum, qui nuper ab imperito quodam inscripti sunt ad marmoreã statuã: capite inde afflicto (ut aiunt) Scipionis apud Traiectũ oppidum iuxta Minturnas cis Lirim: ibi enim aiũt in uilla sua Scipionem excessisse è uita. Ab hac ego opinione cũ homines reuocarem, quòd dicerem nec illũ habitum, nec ibi uillam illius uiri fuisse, sed apud Linternum trans Lirim Vulturumq;, Antonius semper apud imperitos me in hoc errare prædicabat: in crypta quoq; Neapolitana, quòd negarem eã à Vergilio factã, ut uulgus ait, sed à Tibullo. Ideo aũt à Vergilio creditũ, quia illic sepultus est: item quòd in eodem loco negarem Posilippũ esse, ubi Palepolis olim fuisset, & pro Palepoli dici Posilippũ: quod putant qui apud Liuiũ legunt, Palepolis fuit haud procul inde ubi Neapolis sita est. Sed uillã dicerem esse, ut olim fuisset quæ in libris scribitur Pasilippus: & huius generis plura, in quibus ille mihi aduersatur. Ex quo si non propter expectationẽ hominum, nõ propter iussum regis, nõ propter ipsius aduersarij prouocationẽ, certe ut satisfacerẽ ir̨ meæ interloqui atq; interpellare debui, præsertim quòd nõ fuit fraudandus, nec autor emendatione operis sui, nec rex uero librorũ intellectu. Sæpe enim synceritate carebat codex. Nonnunquã male ipse accipiebat lector: quorũ utrunq; cum emendarem, profecto & de autore atq; studiosis bene merebar, & gratam rem admodum regi c̨terisq; faciebã. At cur nõ alibi quàm in publico faciebã, inquies? cur nõ Antonium pr̨monebã? quasi uero ad eũ ipse docendi gratia ire debuerim: uenisset ad me, quæsisset rogasset nemine audiente, nemine resciturο. At non ferebat id eius stomachus. Quid meus hoc stomachus ferebat? discat ergo cũ rubore in aperto, quod domi discere noluit: aut desinat incessere, ne incessatur. Hoc itaq; est quod Panhormitæ dolet, quod nunc illius uerbis Fatuus accusat, dicens. Cantantem in compitis nemo est qui interpellet, nemo qui maledictũ arguat: Tu doctissimũ hominem, de serijs ac maximis rebus legentẽ, interrumpes? hoc apud multos Antonius ipse cõquestus est, ne possit negare se ista, aut scripsisse, aut dictasse. Nemo inquis cantantem in cõpitis interpellat, & si nulla comparatio est inter eum qui ex superiore libro clamitat, & eum qui inter confessores librum exponit: tamen nõ dicã me id aliquando uidisse, & circulatoribus fuisse reclamatũ: sed Ciceronẽ ita scribere: Poëta si uersu syllaba longior aut breuior fuerit exibilatur, exploditur. Tu poëta nõ in syllaba tantum, sed in uersu toto peccans, non exploderis? nõ exibilaberis? non saltem te patieris admoneri? Athenis si orator in accentu peccasset,

ab uniuerso protinus cœtu corrigeretur: unde admiranda illa Demosthenis astutia, qui in causa Ctesiphontis interrogauit auditores, utrum eis uideretur Aeschines esse hospes Alexandri, an mercenarius μίσθωτος accentu, qui esse debebat in ultima syllaba mutato in primam auditores tanquã non consulto peccantem, ut corrigerent recto accentu dixerunt μισθωτός: tum Demosthenes ad aduersarium conuersus, inquit: audis quæ dicuntur? quasi illi non ipsum emendassent, sed de Aeschine, ut mercenario respondissent. Quod igitur in oratorem ex superiore loco, & in medio foro de rebus maximis, & ad incolumitatem reipub. pertinentibus disserentem cuilibet licuit, id in lectorẽ de uerbis autoris alicuius in cubiculo inter considentes agentem nemini docto licebit? Et addis: Fac. Nescis inepte, nescis, astantis officium esse per silentium audire? Aut discere certe uis aut docere: si discere, silendũ est: si docere, ridiculus qui eũ docere uelis, qui regẽ doceat. Lau. Ego uero nõ semper asto, sed sępe assideo regi. Verũ quis isto modo nisi tu, hoc est Fatuus, argumẽtetur? Si discere, inquis, uolo, silere debeo: imò econtrario frequenter interrogare. Vnde Horatius: Inter cuncta leges & percõtabere doctos. Quanquã stultũ est dubitare, an nolim discere, ab eo quem reprehendo. Si docere uolo, ridiculus sum: ita'ne regem, qui hoc ipso quòd audiuit ac docetur, planè confitentem se non satis doctum esse, docere magnum est? si modo docere dicendus est qui male docet, ut postea ostendam, etsi non solus hic eũ docet: non est magna regiæ personæ dignitas cum literas ille discit, sed cum fungitur regio munere. Vter quæso ridiculus, tu an ego? Nec minus ridiculus es qui adijcis, Fac. Qui'ue ut illum doceas nihil postulet. Lau. Non ut illum rectè, sed ut barbare. Nam se dicere debebas: sic ridicule ineptéq; loquutus es, quasi illum aut ego docere uelim, aut rex uelit, ut doceã, & nõ potius se. Cuius rei fides est (ne de superioribus loquar) postea uoluit à me doceri, sibíq; ut legerem iniunxit. Tu tamen, ut opinor, nõ de rege, sed de Antonio docendo agis, utens cornuto, ut aiunt, enthymemate. Atq; ego ista duo cornua confregi nunc, etiã couellere uolui: conuelluntur enim quando probantur non esse contraria, & pariter negari possunt: quod ego facio, qui nec docere Antoniũ uolo, nec habeo discere. Non'ne tibi uideor in te, tanquã in Acheloum plus esse quàm Hercules? Acheloo enim Hercules unum cornu euellit, tibi ego utrunq;. Fac. Huius temerariæ loquacitatis, & intempestiuæ interpellationis tuę, quomodo per imprudentiam peccares, admonere te saltem debuit reliqui conuentus taciturnitas. Quem nam uides in toto consessu & circunstantium cœtu, nisi interrogante rege, præter te unum lectorem interpellare? disce igitur ex alijs modestus esse, atq; ubi maior te loquatur, silere disce, & linguæ frenum adhibe. Lau. Sed certè hoc nunquam mihi concedes propter innatam arrogantiã tuam. Fatue, quomodo quis interpellat lectorẽ, si ab rege interrogetur? Fatue, quomodo interpellat, qui respondet, nisi multo magis regẽ interpellatorẽ uoces, qui interrogat? Fatue, quis non per se discet, si non admoneatur ab alio? Fatue, quomodo me hortaris ad coërcendum linguam, & tanquam non obtemperaturum castigas, cum tuum sit officium aduersarium confutare, atque conuincere, non tanquam conuictum admonere? Fatue, qui ais reliquos tacere, cũ bis ter'ue aut ad summum quater Antonio legenti affueris? Fatue, qui inquis, nisi rege interrogante. Rex me interrogat: & quem primũ, quam'ue potissimum interrogabit? ita opinor inter senatores uelut cõsul sedet, ut rogare singulos sententiã debeat. Semel data libertas ab eo est, quod quisq; illi, ut sic dicã reipub. conducere existimat, proloquẽdi. Itaq; nunc medici, nũc iurisperiti, nũc militares uiri pro suo quisq; facultate, quoties dicẽdi materia succurrit, rege uolẽte, dicũt quod sentiũt: & eis tũ rex, tũ lector ipse respõdet: & in longũ altercatio & colloquiũ tendit. Scio me legẽte cõtigisse, ut

decem interfati sint, & ego auditorem me, non lectorem præstiterim: & tamen Antonio legente, qui de Liuio eruditius me disserere possit, nullum eorum esse qui solent adesse: ne liuor quidem atque malignitas inficiari possit, ut ego potissimum loqui præbuerim, præsertim ab omnibus expectatus, quoties aut syncera scriptura esset obscura, aut emendanda corrupta. Vbi tanta extitit Panhormitæ pertinacia, ut conuictus & condemnatus, tamen manus dare nollet, uel ob hoc ne me ad imprimendum altius pectori suo mucronem cõpelleret. Instigat enim in se aduersarium pertinacia & contumacia. Placat autem & propè erubescere cogit facilitas ac probitas. Quid dico manus dare? imò tanquam uictor uicissim insultat, nec solũ uerbo, sed etiã scripto sub histrionis persona, inquiens: Quidnam illud est? Fac. O arrogantissimum hominem, ausus es profiteri apud regem dum legeretur, & apud quem regem, regem inquam summæ sapientię summique iudicij, te emendaturũ omnes deprauationes quę in operibus Liuij, librariorũ uitio ceciderunt. Quod nec Aretinus, nec Guarinus, nec ante eorum ætatem Franciscus Petrarcha, nec multi alij nostrę ætatis doctissimi uiri corrigere ausi sunt, id tu homo indocte corrigere audebis? Si corrigi liceret proprio arbitratu atque iudicio, atque à te fieri intelligo: quot censes esse qui te aperte superarent, à quibus ingenio, & eloquentia uinceris, qui pudore ac modestia id facere desinunt? sed nescis adhuc (ut uideo) qua ratione textus corrigẽdi sint. At ego illud ostendã & gratis. Oportet enim in emẽdando aliquo deprauato, ut similitudo & numerus literarum conueniat. Sed quid ego hæc ad te, qui cum nihil recte scias, omnia te rectissime tenere non solum putas, sed etiam gloriaris. Lau. Fateor me ex animi sententia gloriatũ omnia rectissime tenere, Musicam, Geometriam, Astronomiã, Medicinam, ius ciuile, græcas literas, & alia infinita: gloriatum item omnes mendas in Liuianis editionibus emendaturum: si in cæteris recte ac uere loquutus es: sin minus tuo more mentitus calumniatusque. Ais me indoctum tu qui præter illa uerborum uitia, quæ in hoc loco superius reprehendi, dixisti, corrigi proprio arbitratu atque iudicio. Quis ô doctissime non suo arbitratu atque iudicio corrigit præter te, qui me corrigere uis non tuo, sed Panhormitę arbitratu? O Pãhormita præceptor, quo pacto quis potest sine suo iudicio libros corrigere? Ais hos multósque alios nostrę ætatis id nõ esse ausos: Nã protinus nulli? si nec hi nec alij multi ausi sunt? Minime. Ergo nõ negas aliquos esse ausos. At nullos alios inquies dicere uolebas, imò dicere debebas indocte qui me tuo nomine appellas. Ais nullos esse ausos aut certe multos: cumque ijs Aretinũ, Guarinum, Petrarchã, et quomodo tu corrigere me doces, & corrigẽdi legẽ tradis? hoc nihil aliud est, nisi non omniũ correctionem reprehẽdere, sed malam. Vides ut ueritas te etiã inuitum ad uera loquendũ retorquet, ut tibi ipse nõ constas, ut contraria proposito tuo loqueris: ut me nõ dehortaris à corrigendo, sed magnopere adhortaris ad corrigendũ? doces qua ratione libros corrigã: audio, si modo ratio ista satis docet. Sed unde tu istud scis, qui nunquã expertus es, quod nemo facere est ausus, aut certe multi & doctissimi quique? Quid mihi uitio uertis, si nõdum scio quod audere non debeo exemplo doctiorum: nec scire possum quod expertus nõ sum. Ais illos nõ fuisse corrigere ausos, unde id probas? Inspexisti illos Liuianos codices? negas? maligne ergo affirmas quod ignoras. At mendacẽ te mox testimonijs cõuincam, prius ratione uolo. Nam si experiri noluissent ius, utrũ emendare possent, ut nõ dicã eos si ita fuisset, dignos esse quos improbemus citius quam sequamur, nimirũ tu illos quales non fuerunt facis. Quis enim credat optimis uiris ac prestãtissimis ingenijs ad rẽ honestissimã defuisse animũ, ut summos autores quasi in patriã restituerẽt? si experti sunt, falsò negas nõ fuisse ausos, cũ eos isto pacto facultas defecerit, nõ uolũtas. Neque uere

ego dico illis facultatem defuisse, sed id te significare ostendo. Tu utrunque defuisse ais, ego neutrum: & id minus, quod tu magis uis defuisse: & in hoc te magis, cum in utroque mentiaris, esse mentitũ, testimonio est (ut ad testimonia ueniã) manus Petrarchę: qui diligentissime codicem suũ qui nũc Neapoli est, quemq́ uterq; uidistis, emẽdare conatus est, in nõnullis emendationibus felix: in nõnullis lapsus: in nonnullis remedium se nõ inuenire confessus. Testimonio est manus Guarini in Pliniũ de naturali historia. Quod opus cum sciamus men dosissimum, tamen totũ uelut immensum uastúmq; ædificium resarcire conatus est: & scriptis ad Marchionẽ Hestensem literis id se præstitisse gloriatur, quod non minoris negocij est quàm Liuiũ emendasse, in quo ipso hunc elaborasse, cũ alius tum filius suus Hieronymus illo patre dignus affirmat. Testimonio est manus Leonardi Aretini, quę in Liuio & in Cicerone alijsq; operibus ostenditur. Testimonio est manus Caroli Cintij, Pogij, Flauij, aliorumq́ multorũ qui Florentiæ, ut audio, rogatu Cardinalis Columnę, unà cum Leonardo Liuium quatenus potuerunt, emendarunt. Manus enim omnium censenda est, quod omnium consensu scribitur. Aiunt etiam Poggium dictitare se 40. iam annos in emendando Liuio, quum per alias occupationes licet, occupari. Testimonio denique est, O mirabilem confidentiam, manus uestra ac Iacobi Curli. Vos enim cõmuniter codicem regium, quem dono ei uir primarius Cosmus medicus Florentia misit, emendastis, dum taxat de secundo bello punico, quod quàm rectè fecistis, mox uidero: & postea non pudet ad me deterrendum, atq; adeo ad infamandum negare id fecisse quempiam peritorum: cum non modo illi, sed & uos non imperitissimi feceritis: ut improbare factum meum nequeatis, nisi & illorum, quos laudatis, & uestrum ipsorum improbetis. Aut si uos cum illis improbari nõ uultis, ne me quidem improbare possitis. Quare uestra quoq; cõfessione, uestróq; exẽplo, uelitis nolitis, crimine temeritatis absoluor, uicissimq; uos calumnię cõuinco. At multi sunt qui me ingenio & eloquentia superent, ut ita sit. uos certe nõ uestrum cæterorũ ingenio & eloquio anteponatis, & si meo anteponitis. Quod an rectè faciatis, nũc superest, ut inspiciamus, & an unus ego, an uos tres etsi plures fuistis antecellueritis: idq; in istis ipsis quos emendastis libris, etsi non affui legenti Antonio, nisi à secundo, ut opinor, ad exactum usque sextum: ultra quem progrediendum mihi non censeo, cum Antonius legendo nõ ultra progressus sit: ne meã ingratus sibi uendicet laudẽ. Nec me fugit ex hoc facto nõ modo tecum Antonijq; assertoribus rem mihi esse de palma doctrinę, ingenij, eloquentię: uerum etiam cum ijs quos & uos nominastis & ego: quósque nolim equidẽ à me offendi, non tamen sic eis satisfacere debeo, ut dicam ab iniquis impositam hanc esse mihi necessitatem, indigna enim sit causę dignitate talis satisfactio, quoniã in tam honestũ opus certatim debemus incumbere. Certabo itaq; cũ illis tanquã in palestra de laude & gloria: uobiscũ uerò tanquã in acie de uita & libertate, quanquã de hac causa iam factũ quoddam pro me contra Antoniũ præiudicium est. Siquidem Egnigus cuius habui superius mentionem, referam autẽ hoc paucis, dedit Antonio ex primo libro belli punici locũ illũ emendandum. Ventũ deinde ad multò angustiorẽ rupem, atq; ita rectis ac si istud ægre expeditus miles tentabundus manibúsq; retinens uirgulta ac stirpes, circa eminentes, demittere sese posset. Hunc aiebat Mediolani à Candido uiro perdocto ad pristinam synceritatem reductũ, & se magni muneris loco edoctũ, sed ea lege, ut neminẽ doceret. Antonius quãto acerrimo studio potuit, ut q sciret sibi cũ inimico luctãdũ, (est enim ipsi Cãdidus inimicus, ut pleriq; boni) plus quindecim dies in eruenda ueritate se macerauit: at quid illi responderit nescio. In regio codice cum Fatuo ac Curlo alijsq; nõnullis ita correxit. Atq; ita rectã

acsi istud

acsi istud ægre expeditus miles & reliqua. Tradidit mihi post (quàm autem postea, incertū habeo) Egnigus eundem locū emendandum, quem manu sua scripserat, præfatus à Candido, ne forte deterrerer, iam esse emendatum, & tradidit uesperi. Postridie mane ad eum detuli multis locis emendatū: quorum primus erat ille ipse, ut aiebat Candidi, atq; ita rectis saxis ut ægre: hactenus corruptio erat: uix inspecta primę lineæ scriptura, exclamat frequenti proceribus honestisq; hominibus regio conclaui, O admirabilissimū ingenium? Quid piget me pro defensione innocentię meæ promere ueritatem? addiditq;, hunc nodū Antonius Panhormita nunquam potuit soluere. Ac festinus ad regem in alterum conclaue conscendit, hoc uelut miraculum nūciaturus, & ut à multis accepi qui affuerunt penè eadem exclamatione orsus rem exposuit, illumq; in eandem admirationem adduxit, quòd uitium libri nullidum, ut Candidus affirmabat, & ipse cum alijs, tum uerò in Antonio proxime erat expertus emendatū, ego tam breui emendassem. In quo calumniam accusatorum meorum cerni licet, qui aliorum exemplo, tanquam id non ausurum me ab hoc munere, etiam cum conuicio, deterrent. En Candidus ausus est, & feliciter ausus, quódq; magis mireris, assequutus, quod assequi Petrarcha non potuit, ut manus ipsius docet. Hic uos teterrimi Sycophantę conuenio: adest'ne similitudo? constat numerus literarū in menda & emendatione? Quid igitur, tanquàm id à me non fiat, sed procul aucupor scripturæ ueritatem, me incessitis? Talia quoq; erunt quę sequuntur. Aut sicubi id non fiet, non reprehensione dignum erit: sed maiore miraculo. Sed iam omnium emendationum classem è portu emittamus: hanc quam emisimus speculatoriam nauim, suo ordini reddituri.

# LAVRENTII VALLAE EMENDATIONES SEX LIBRORVM Titi Liuij de Secundo bello Punico: Et primo in Lib. I.

Gener inde ob altam indolem ascitus, & quia gener erat factionis barchinę, opibúsq; apud milites plebemq; plus quàm modicæ erant, haud sanè uoluntate principum imperio positus.) Ego sic reor emendandum: ut pro gener erat, ponatur genere erat: pro opibúsq;, opibus quę: pro imperio positus, imperio potitus. Deinde breui effecit, ut pater in se minimū monumentū ad fauorē conciliandū esset.) Credo momentū esse scribendū. Nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatorū gentiū arma.) Vos emēdastis effrenatarū, ego efferatarū emendo. Sed interiora tuendo, minorē in diem urbē Sagūtini faciunt.) Credo legēdū in dies, ut in elegātijs. Turris diu quassata prociderat, perq; ruinam eius cohors Pœnorū impetu facto, cum signū imperator dedisset, nudatā stationibus custodijsq; solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis uiribus aggressus urbem momento cepit.) Credo legendum imperatori. Partitis diuidendisq; reliquijs prædę.) Credo diuenditis. Deinde, Cura humani ingenij, cum quidnam id esset quod respicere uetitus esset, agitante animo temperare animo nequisse eum.) Vos emēdastis temperare animum. Ego reor sic emendandum: agitaret animo temperare omnino. Qui tumultus repens postquam est Romam perlatus, & punicū insuper gallicum bellum auctum patres acceperunt.) Ita scriptum est in còdice regis, quod emendare debueratis, punicū supra gallicum: uel punicū insuper gallico. [illegible] Et ipsi

Et ipsi traijci exercitum, leuariq́; quamprimū regionem suam tantam omniū
urgente turba cupiebant.) Legendum est tanta hominum. Ibi raptim cæsa
materia, ratesq́; fabricatę, in quibus uiriq́; & alia onera trancerentur.) Vos sic
emendatis, equi uirique: quasi consuetum sit equos uiris anteponi. Ego uel non
emendandū reor, perinde ac si scriberetur in quibus & uiri & alia onera, uel sic
emendandum: in quibus quiq́; & alia onera: uel, uiri equiq́; & alia onera. Vt
quenq́; timentem altitudinem destitueret, uado impetu ipso fluminis in alteram
ripam rapiente.) Credo destituerat. Neque ante Hispania excessisse quàm
alias gentesq́; & terre omnes * gentes, quę & terras, quas duo diuersa maria amplectuntur, Carthagi
niensiū esse.) Sic reor emendandū, terrę & Carthaginiensiū essent: item nō re-
latiue, sed copulatiue scribi debere què, perinde ac si dicatur, omnes & gentes &
terrę. Nunc posteaquam multo maiorē partem itineris emensam cernāt. Py-
reneū saltum inter ferocissimas gentes superatū, Rhodanū iam tum amnem, tot
milibus Gallorū prohibentibus, domita etiā fluminis ui, traiectum, in cōspectu
Alpes habeant.) Legendū credo, Rhodanum tantum amnem. Ambigebāt
alias Brancus fratres, maior & qui prius imperitauerat * Braneus nomine, minor erat fratre et
cœtu iuniorū qui iure minus, qui plus poterat pellebatur.) Vos sic emendastis
dictionē iure delestis rubra siue uiolatia linea, addidistisq́; alias dictiones sic: qui
minor ab eo qui plus poterat pellebatur. O Lippi, ô alijs, quę uobis multa est,
lippitudinem exprobrantes: est'ne istud seruare similitudinē, seruare numerum
literarū in cōiectanda scripturę ueritate, alias dictiones eximere, alias adijcere?
Videte quanto id à me syncerius custoditur. Ambigebant fratres maior & qui
alias Braneus prius imperitarat * Brancus nomine, minore à fratre & cœtu iuniorum qui (uel
quia) iure minus ui plus poterat pellebatur. Homines intonsi & inculti, ani-
malia inanimaliáq; omnia rigentia gelu:) sic uos. At debuistis mutare istud ina
nimalia, quod non reperitur, in id, quod consuetū est, inanima. Deinde post-
quam interrumpi agmen uidit, periculumq́; esse exutum impedimentis exerci-
tum, nequicquam incolumē traduxisset: decurrit ex superiore loco: & cum im-
petu ipso fudisset hostem, equis quoq́; tumultum auxit: sed is tumultus momen
to temporis, postquam liberata itinera montanorum fuga erant, sedatur.) Vos
mutastis unam tantum dictionem, equúmq́; indoctè pro equis ponentes, cum
fuerit ponendum suis. Præterea sic mutandum periculúmq́; ne exutum impe-
dimentis exercitū nequicquam incolumē traduxisset. Castellum inde quod
caput eius regionis erat uicósq́; circumiectos capit, ut captiuo à pecoribus per
triduū exercitū aluit. Et quia nec mōtanis primo perculsis, nec loca magnopere
impediebantur aliquantulū eo triduo uię cōfecit.) Hic uos nihil aliud quàm lo
ca mutastis in locis. Ego uerò sic: Et captiuorū pecoribus per triduū exercitū a-
luit. Et quia nec montanis prælio perculsis, nec loco magnopere impedieban-
tur &c. Annibal nec temere credendū nec aspernādos, ne repudiati hostes a-
perte fierēt, benigne cū respondisset.) Credo legendū nec temere credendo nec
aspernando eos ne &c. In eos uersa peditum acies, haud dubium fecit quin nisi
firmata extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerat.)
Emendare debuistis fuerit. Inde montani pauciores iam & latrocinij magis q̃
belli more concursabant, modo in primum, modo in nouissimum agmen, ut
cuique aut locus aut opportunitatem daret, aut progressi morati ue aliquam
occasionem fecissent.) Vos emendatis: prout cuique aut locus aut opportu-
nitas apud eos erat, cum nihil sit mutandū nisi delendo ex tribus aut, secundū:
sic, ut cuiq́; aut locus opportunitatē daret. Ventū deinde ad multo angustiorē
rupem, atq́; ita rectis ac si istud ægre expeditus miles tentabundus manibusq́;
retinens uirgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.) Vos, ut dixi,
emendastis

emendastis, atq; ita, rectam acsi istud. Ego sic, Atq; ita rectis saxis ut ægre &c.

Natura locus iam ante præceps recenti lapsu terrę impeditus, dum ille admodum altitudinem abruptus erat.) Vos emendatis, dum mutantes in tum. Ego sic: lapsu terrę in pedum mille admodum altitudinū abruptus erat. * Moli nec peraltę.) Prealtę scribendum est. Itaq; in lævi tantum glacie tabidáq; niue uolutabantur, iumenta * secabantur, interdum etiam infima ingredientia niuem.) Mutastis infima in semita quasi solum iumentorum semita secaretur. Legendū est * infimam ingredientia niuem. Decem milia equitū in Italiam adducta magis affluxisse uerissimum est.) Credo legendum uerisimile est. Quid enim adhortari refert, aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen ægre uicissent, aut has legiones quibus hunc hostem fugientē sequutus.) Vos pro ægre substituistis audacter, ego autem egregie: uere audacter, non egregie emendantes: ego egregie, non audacter. Cum ad unum omnes ferrum pugnámq; poscerent, & deiecta esset in id sors, se quisq; eum optabat quem fortuna in id certamen legeret: & cuiusque sors exciderat alacer inter gratulantes gaudio exultans cum sui moris tripudijs arma capiebat.) Scribendū est, ut cuiusque, uel & ut cuiusq; sors exierat. An me in prætorio patris clarissimi imperatoris probe notum certe educatum, domitorem Hispanię, Galliæq; uictorem.) Scribendum opinor, propè natum, quod probat locus ille libri decimi. Sed cum Annibale propè nato in prętorio fortissimi ducis, alitóque atq; educato inter arma. Ne transieris Iberū, ne quid tibi rei sit cum Saguntinis: ad Iberum est Saguntū: nusquam te uestigio mouearis.) Vos mutastis è uestigio moueris. Ego, nusquā te uestigio moueris accentu in antepenultima, ut sit uerbi actiui subiūctiuum, non passiui indicatiuum. Nullum cōtentum ad uincendum homini à dijs immortalibus acrius datum esse.) Credo scribendū, nullum incitamentum.

Quibus procuratis Scipio cū equitatu iaculatoribusq; expeditis profectus ad castra hostiū, ex quo propinquo copias quātę, & cuius generis essent, speculandas obuius fit Annibali.) Petrarcha emēdauit, ex loco propinquo. Vos emēdare omisistis: quod sic fuit emendandū, exq; propinquo. Manilius equidē de filio uirū esse, quod & plures tradidere autores, secundū fama optinuit.) Vos emendatis Mumius pro Manilius ponentes, ego seruū pro secundū. Nam seruis fertur Scipionem ab hostibus eripuisse, filius à pluribus autoribus traditur. In quarta uigilia noctis insequētis tacito agmine profectus ad Trebiā fluuiū iam loca altiora locúsq; impeditiores equites castra locat. Vos tollitis iam: ego pro iam substituo in: pro locus, colles: pro equites, equiti. Delige centenos uiros ex omni pedite equiteq; cū uiribus ad me uigilia prima uenias. Nunc corpora curare tēpus est.) Ego uiribus reor mutari debere in quibus. Cæteris ducibus peditū equitúmq; præceptū, ut prehendere omnes iuberēt armatos deinde instratisq; equis signū expectare.) Cur in codice regio non emendastis prandere pro præhendere? Postremo omnes copias ad destinatū iam ante consilio, auidus certaminis eduxit.) Vos cōsilio mutastis in consilium quasi ad consiliū, non ad locū consilio destinatū ierit. Cum sic dicatur substantiue destinatū ut propinquū: quale fuit illud superius exq; propinquo speculandas copias. Tunc utique egressis rigere omnibus corpora, ut uix armorū tenendorum potē ita esset, & similitudine: & procedēte iam de fame etiā deficere. Credo sic legendū: potentia essent et lassitudine, uel & simul procedēte &c. Duodeuiginti milia Romani erāt: sociū nominis latini uiginti, auxilia preter Cœnomanorum.) Vos emēdastis preter cū fuerit emendandū pręterea. Pedestris pugna par animis magis q; uiribus erat: qua recētis Pœnus paulo āte curatis corporibus in mediū attulerat.) Vos emendastis quam recentis: cum fuerit emendandū, quia recentis

alias molli

alias necabantur

alias infirmam

Pœnus hoc est Annibal, uel quas recētis pro recentes Pœnus, id est, milites perni. Extemplo haud dubiā facere fidem quoq; additus terror Romanis, ut fusa auxilia sua uiderunt.) Vos mutatis quoq; in estq́;, ego tantum locum muto sic, additus quoq; terror. Cæterum ne hyberna quidem Romanis quieta erāt, uagantibus passim Numidis equitibus: equéq; his impeditiora erant Celtiberis Lusitanisq;.) Vos emendatis æquéq; tantummodo adiecta diphthongo, cum sic fuerit emendandum, & quæq;. Omnes igitur clausi undique commeatus erant, nisi quos Pado naues subuehere temporium prope Placentiam fuit, & opere magno munitum & ualido munitū præsidio.) Vos nihil aliud quàm dempsistis illud t, ut Emporium tantum esset, non intelligentes literam illam ad præcedentem pertinere dictionem, uel quia figuræ maiusculæ erat, fuisse apicē cum litera coniunctum, scriptúmq; reliquisse autorem subueherent. Præterea munitum quia iteratum est, mutastis in firmatum, ego muto in militum. Deinde ut tandem agitando sese mouere ac recipere animos, & raris locis fieri cœptus est ignis, ad alienam quisque opem tendere.) Vos (quasi mendosa scriptura sit) mutastis recipere, in recepere, opinantes esse preteriti temporis mouere, cum sit infinitum: aut referendum ad illud cœptus est: ut sit sese mouere ac recipere animos cœptum est, aut accipiendum pro mouebant. Ite nunc, & me reprehendite tanquam nescientem tali infinitiuo uti, qui uos hoc ipsum doceo. Taceo mille in locis uestrū in orthographia errorem. Pugna raro ulla magis ea: et cum utriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi ea dies in longum spatium quiuisset.) Vos tollitis ea: ego muto in sæua: opinor enim s quæ ultima est in magis fecisse, ut sequens s excideret, sicut factum est in illo superiore, rectis ac si istud, pro rectis saxis. Præterea mutastis quiuisset in siuisset: quia quidā codices habent si extendi eam. Si uerò scribendum est ea dies, ut est apud codices alios, nihil ista mutatione opus est. Postquàm perditas res amissáq; castra accepit, iter ad mare conuertit, haud procul Terracone classi. m. naualesq; socios uagas palantésq; per agros (quod fermè fit, ut secūdæ res negligentiā creēt) equitē passim dimisso, cum magna cæde, maiore fuga ad naues cōpellit) Vos emendastis pro classi classis supráq; scripsistis minutis literis has duas dictiones, ubi erat: quasi sic obscure loquatur Liuius: ut duo uerba subaudiri oporteat, cū sic emendandum esset, classicos milites.

*In secundo libro emendatā.*

SEcundus liber incipit. Iam uerò appetebat quę Annibal ex hybernis metuit: & neq; eo qui iam ante conatus transcendere Appenninū in tolerādis frigoribus. & ingenti periculo moratus ac metu.) Vos tanquam appetebat actiuum sit & non absolutū, pro eo quod est appropinquabat, siue incipiebat sic emendastis. Iam uerò appetebat quę Annibal ex hybernis quæ & metuit, nec hoc amplius. Petrarcha sic. Iam uerò appetebat quę Annibal ex hybernis metuit: ut neq; eo qui ante conatus transcendere Appenninū, & cum ingenti periculo moratus ac metu. Hęc si quis leget nō habens in promptu Liuiū uolo sciat Annibalē ante conatū fuisse ex Gallia Cisalpina, ubi se parū credebat tuto moraturū, transcendere Apenninū: sed fœdis cœli tempestatibus repulsum, & interea sæpe eisdē Gallis insidiātibus in ultimū discrimen adductū. Hunc locū Poggius ad quē Antonius et Barptolemeus suas in me inuectiuas miserāt, cum superioribus diebus has emēdationes ostenderē, dixit aliquot iam annis Florētię sic emēdasse unà cum Leonardo & Carolo Aretinis. Iam uere appetebat cū Annibal ex hybernis mouit: cętera negabat egere correctionis: sicut illum cōmunem mihi cum Candido locum, et alia multa, quòd uellet sic accipi, neq; eo metu qui

pro quo iam ante conatus erat. Solere nanq; Liuium dure ac scabre loqui. Ego etsi magis Liuij quàm meam uicem doleam, tamen nihil dixi, nisi ut ad reliqua pergeret. Cuius quàm docta sit expositio & quàm uera de Liuio opinio docti iudicent. Ego sic lego. Iam uer appetebat, quum Annibal ex hybernis mouit: et nequicquam ante conatus transcendere &c. Dum cōsul placandis Romę distrahendóq; delectu operā dat: Annibal ex hybernis profectus.) Vos sic emendatis, dum consul placandis dijs Romę distrahendóq; delectu, nescientes distrahendo duo uerba esse: dis quod ferè ueteres nō gemino ij scribebāt: & * trahendo, id est, differendo: Nam distrahere delectū nusquā legimus, palàm ergo est, quomodo emēdare debuistis. Senatū prætores per dies aliquot ab ortu ad occidentem solem in curia retinent. Opinor autorē ab orto scriptum reliquisse, id est ab orto sole, idq; aliquos uestri similes mutasse. Tibur quo die ad conueniendum edixerat nouis militibus uenit, inde Præneste aduersis militibus in uiā latinam est regressus: unde itineribus summa cum cura exploratis ad hostem ducit.) Vos emendatis inde præneste uersis itineribus: ego transuersis tramitibus. dis, trahendo

Sed ubi aperta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota uidet, increpans quidē uictos: tandē quos martios animos Romanis debellatumq; & concessum. Quod quis propalandę uirtute ac gloria esset in castra redijt. Cæterū tacita cura animū incensum.) Vos emēdatis propalandę, quod uocabulū non reperitur à palàm, neq; ut opinor à pala, sed à palus li, ut propalare uineā apud Luciū Columellā: & incensum incessit. Ego sic. Increpans quidē uictos tandē martios animos Romanorū: quia debellatū atq; concessum ei propalā de uirtute ac gloria esset in castra redijt. Cæterū tacita cura animū incensus &c. Vel quia quidā codices habēt increpans uictos, quid tandē sic: Quod tandē pro martios animos, Romanis debellatum'ne & cōcessum propalam de uirtute & gloria esset. Sed uir ac uerè Romanus, quo die eum dictatorem ex autoritate patrū iussúq; populi dictum, Veios allatum est: cum esset satis alium ianiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in equum.) Vos, sic. Veios allatum esset S. C. statim uenit ianiculum, ubi sedens, quasi uenit ianiculum possit dici, sicut uenit homo Romam: sed nihil ex sententia intelligitis, quam uobis aperiam, alium mutato in altum, nam ianiculum nō masculini generis est, sed neutri. Exprobrabant Fabio Maximo, qui cunctaretur, iactantes Camillum qui simul ac dictatorem se factum accepit (satis altum est ianiculum unde sedens prospectaret hostem Gallum) sic nunc è montibus Fabius hostem Pœnum (estq; parenthesis) non hoc ille fecit, sed in equum planúmq; descendit. Quo repente discursu, haud secus quàm syluis montibúsq; accensis omnia circum uirgulta ardere: cæptim quærit atq; ratio, excitans flammam hominum passim discurrentium speciem præbebat.) Vos sic emendatis, ardere cœperūt, excitatáq; flamma: in quo grammaticæ ratio non constat. Ego accipio ardere pro ardebat, ut intelligatis mihi non uobis hoc genus sermonis notius: emendóq; sequentia, capitúmque inequitatio excitans flammā. Erant enim boues, quorū capita alligatę cornibus faces, dolore fatigabāt. Vt plus cōsilio q; fortunę cōfidat, & se potius ducem quàm Sempronium Flaminiúmq; imitetur: ne nihil actū esse censeret extracta propè æstate per ludificationē hostis: media quoq; plus interdum quippe q; mouendo atq; agendo proficere.) Vos sustulistis media. Ego sic emēdo. Medici quoq; plus interdū quiete quàm mouēdo atq; agendo proficere. Vel, medicos plus interdū quiete quàm mouēdo atq; agēdo proficere. Quod etiā probat Hippocr. Hunc quoq; locū Poggius cum non admitteret, ut probe correctum: ego dedignatus expectare de reliquis iudiciū hominis, qui nihil nisi quod ipse inuenisset bene inuentū iudicaret: eū ualere iussi, nō ita magni referre existimās

in literarum senatu, si unus, & is pro sua dignitate retinenda, album mihi calculum nō dedisset. Nam cæteri omnes, qui liberi æmulatione & inuidia erant, hæc uniuersa summopere comprobarunt. Quorum unus fuit: ille ipse cuius memini. Cardinalis Columna, uir non minus ingenio moribusq́; quàm genere nobiliss qui has plerasq; emendationes suo codici addi à me mea manu uoluit. Hęc ideo dixi, ut intelligar à nemine fuisse in re inuenienda adiutus. Et cum uniuersi adnisos lato agmine, & nonnullis simul uenientibus haud sanè intrabiles essent, in latus passim naues egerunt.) Sic emendandū puto, et cum diuersi ac diuiso late agmine à tam multis simul uenientibus haud sanè penetrabiles essent: in littus passim naues egerunt. Cæterum omnes incensum est, nec continentis modo periectas horas pręteruecta, sed in Ebusum insulam trāsmissum.) Vos mutatis periectas in peruinctas: Ego in proiectas, hoc est prominentes. Eo uinculo Hispaniam uir unus solerti magis quàm fideli consilio ex societate, duxerat Sagunti nobilis Hispanus fidus ante Pœnis: tum (qualia plerunq; faciunt barbarorū ingenia) cum fortuna mutauerat fidem.) Vos ita mutastis (cum dico mutastis, errasse uos aio, atq; induxisse) Mutastis autem, facientes ex binis dictionibus singulas. de ex societate exoluendam: de dux erat, duxerat. Ego sic, consilio exoluit: Estq; finis superioris sententię. Tum sequitur altera. Acedux erat Sagunti nobilis Hispanus. Siquidem Acedux nomen hominis est, ut in sequentibus patet. Conuenerat inter duces Romanos Pœnumq́;, ut quę pars prius reciperet q̄ daret argenti populo bina & sex libras in milites præstaret 247. cū plures Romanus quàm Pœnus recepisset argentumq́; pro eis debitū sæpe &c.) Vos mutatis prius in plus, ego in plures, & milites in militem, & sex libras in selibras, id est in singulas libras cum dimidiata, ut semodius unus modius est & dimidiatus, & sescunx uncia & media. Annibal pro Geryonis mœnibus, cuius urbis captæ atq; incensę à se in usum horreorum pauca legi, qua erat tecta, instituti senserant, inde frumentatum duas exercitus partes mittebat.) Vos sic. Pauca reliquerat tecta quod ego non damno: quodq; ego per me animaduerteram: id si uos nō conceditis, nec ipse concedam uobis istud uos inuenisse, sed aut è libro aut ex homine didicisse: & alioqui altius ipse & plura quàm uos emendaui sic: in usum horreorum siqua relicta erant tecta * restitui iusserat. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institutorem mercis: filioq; hoc ipso in seruili eius artis ministerio usum. Is iuuenis utrum ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta animum ad spem liberalioris fortunę adiecit.) Ego reor non institutorem, sed institorem legendum: & pro utrum multa siue grandi. Vos utrum, cum tamen necessarium sit suum adiectiuum habere pecunia, non enim quantacunq; pecunia à patre relicta facit animos, sed multa. Non celerius quàm timui deprehendit fortuna temeritatem. Fabŋ æquatum imperio Annibalem, & uirtute & fortuna superiorem uidet.) Hoc uos in regio codice reliquistis inemendatum, quod sic emendandum erat, Fabio æquatus imperio &c. Itaq; prius quàm ad coniectū teli ueniret, aut manum consereret suos à fuga effusa, & ab annis feroci pugna hostis continuit.) Emendare debuistis & à feroci pugna. Progressus ante alios magister equitum cum patrem Fabium appellasset, circunfusosq; milites eius patronos totum agmen consalutasset. Parentibus (inquit dictator) medŋs quibus te modo nomine, quo fando possum æquaui, uitam tantum debeo: tibi cum meam salutem, tum omnium horum.) Vos emendastis, Parem inquit dictator te dŋs modo nomine. Ego sic parentibus, inquit dictator meis quibus te modo &c. Neapolitani legati Romam uenerunt, ab his quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ: atq; ita uerba facta ut dicerent: scire res esse populi ærarium bello exhauriri. Opinor sic legēdum. Scire sese populi, uel

*alias Statium habebat

scire

scire se reipublicę ærarium &c. Gratum sibi patres Romanos, populumq́ fa-ctūrum: si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosq́ iudicauerint, à quibus donū animo ac uoluntate eorū qui libenter darēt, quàm rem maius am-pliusq́ acciperēt.) Emendare debuistis, quàm re maius &c. Ab eodē populo Romano, S. C. literę ad cōsules missę.) Debuistis emēdare, Ab eodē prętore ex S. C. literę &c. Terentius Varro ne quem sui generis hominem plebs inse-ctatione principum popularibusq́ artibus conciliatū ab Q. Fabrij opibus ex di-ctatorio imperio cōcussum, aliena inuidia splendentē uulgus extrahere ad con-sulatum nitebatur.) Emendare debuistis, C. Terentium Varronē quem sui ge-neris hominem plebs insectatione principū &c. Nihil inclementer in Varro-nem dictū nisi id modo, mirari se, quòd ne quis prius q̃ aut suū, aut hostiū exer-citum, locorū situm: naturam regionis nosset: iam nūc locatus in urbe scire, quæ sibi agenda armato forent.) Credo sic legendū. Mirari se quomodo uel quēad-modū quis, id est, aliquis dux priusquā &c. Dubitas ergo qui eum sedendo su-peraturi simus, qui senescat in dies? Non cōmeatus, nō supplementū, nō pecu-niā habeat? Quādiu pro Geryonis castelli Apulię ignobilis tanquā pro Cartha ginis mœnibus, Sed ne aduersus te quidem ego gloriabor.) Petrarcha addidit pugnatū est, ut esset tanquā pro Carthaginis mœnibus pugnatum est. Vos ad-didistis pugnabimus. Ego, sed muto in sedet: ut sit, quandiu pro Geryonis Ca-stelli Apulię inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus sedet. Duobus du-cibus unus resistas oportet, resistes autem aduersus famā rumoresq́ hominum, si satis firmus steteris: si te neq́ collegę uana gloria, neq́ tua falsa infamia mo-uerit à ueritate. Laborare nimis sæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreuerit, ueram habebit.) Vos uerò nihil intellecta scriptura sic emendatis. Ve ritatem laborare nimis, sæpe aiunt extingui nunquam. Ego sic legendum cen-seo. Neq́ tua falsa infamia mouerit à ueritate. Laborare nimis ius sæpe aiunt, ex-tingui nunquam. Est autem etiam hac ætate tritum hoc uulgi sermone prouer-bium, ut pinguioribus uerbis efferam. Aegrotat quidem ratio siue ius aliquan-do: sed nunquam moritur. Omnia audentem contemnet Annibal, nihil te-mere agentem metuet. Nec ego ut nihil agatur: sed ut agentem te ratio ducat li-cet, non fortuna.) Petrarcha uidens hoc in loco deesse uerbum, addidit moneo sic. Nec ego ut nihil agatur moneo. Sed hæc additio superuacua est, tātumq́ mu tandum ego in eo: quod significat in eum finem. Gallis Hispanisq́ scuta eius-dem formę ferè erant: dispares ac dissimiles gladij: Gallis prælongi ac sine mu-cronibus. Hispano punctim magis quàm cæsim assueto petere hostem, breuita-te habiles & cum mucronibus, ante cęteris animato. Is gentium habitus tum ma gnitudine corporum, tum specie terribilis erat. Galli super umbilicum erant nu di: Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus consti-terant. Vos sic emendatis. Talis habitus gentium illarum. Ego sic. Ante alia habitus siue inter alia ipse habitus. Hæc exagentis prius turba fugientium ci-uium, deinde hostes oppressere consulem, ignorantes quis esset, obruerúntque telis.) Vos emendatis: hæc exigenti. Ego hæc exigentem, id est, postulantem à Lentulo consule. Hæc pugna Alliensi cladi nobilitate par: cætera utilis quę post pugnam accidere leuiora.) Ego sic emendo. Cęterum ut illis quę post pu gnam accidere leuior, quia ab hoste cessatum est. Hoc est quia Annibal cessa-uit petere urbē, ut Galli petierunt superatis ad Alliam Romanis. Præterea nan-que una dictio, debet diuidi in duas, ut sit relatiuum quę: refertur enim ad illud fuga. Ita tota emendatio erit singulis dictionibus in binas separatis, utilis in, ut illis: nanq́, in nam quæ, & leuiora mutato in leuior. Maharbal pręfectus equi tum minime cessandum ratus: imò ut quid hac pugna actum sit scias, die quin-

 to, inquit,

to, inquit, uictor in capitolio epulaberis: sequere cum equite, ut prius te uenisse quàm uenturum sciant. Præcedant (Annibal inquit) inimici: læta res & uia maiórque quæ ut eam statim capere animo possem. Itaque uoluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium pensandum tempore opus esse.) Ita in cæteris ferè exemplaribus: in regio autē, quod Florentię emendatum est sic, Pręcedant, Annibal, læta res & nulla maior: quod uos sic emendatis, præcedat Annibal inimicus, lęta res & nulla maiora, scilicet uultis: ut hęc sit oratio Maharbalis quę est autoris, ideóque sic emendanda. Præceperat siue pertulerat, siue peruaserat Annibalē, siue incesserat Annibali, nimia lætitia, siue nimia tantę rei, siue rei talis, siue uictorię lætitia, maiórque quàm ut eam statim capere animo posset. Cōmuto autē quæ extensum in contractū, seu diphthongatum siue longū in nō diphthongatum, & breue. Hanc meam emendationē probat esse uerā, conclusio quæ sequitur. Itaque uoluntatē se laudare Maharbalis ait. Spolijs ad multū delectis Annibal ad minora ducit castra oppugnanda.) Opinor legendum spolijs ad multum diei, uel ad multā diem lectis. Si tam duriores esse uelitis, quod nullo nostro merito facietis, cur nos hosti relicturi sitis. Opinor iam legendū esse, etiamsi tam scribitur. Siquidē Quintilianus ait usu receptū, ut sic iam, ut tam scribatur. Quo in tempore ipso adeo magno animo ciuitas fuit, ut consuli ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti & obuiā itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, & gratiæ actę quòd de republica nō desperasset. Qui si Carthaginiensium ductor fuisset nihil recusandum supplicij foret. Opinor legendum, Cui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicij foret. Vel, qui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil ei recusandum supplicij foret.

*Emendata in Tertio libro.*

HAec Annibal post Cannensem pugnā, capta ac direpta cōfestim ex Apulia in Samnium mouerat, accitus in Hirpinos à Statio, pollicente se Compsam traditurum.) Vos addidistis castra: sic castra capta ac direpta: quanquam poterat sic mutari sine ulla additione, castráque direpta. Sed nō improbo additionem: siue sit ea ex uobis, siue ex aliquo exemplari, nam multa conquisistis. Cæterum quid sibi uult primum illud uerbum, hæc? Ego superuacuū existimo, & hac de causa adiectum, quòd ij qui Annibal sine aspiratione scribunt, ipsam figuram aspirationis in principio libri nonnihil distare à sequenti uocali, & forte maiuscule scriptam uidentes, non partem huius nominis, sed aliud esse putauerunt. Igitur, hæc, quod uicinum in scriptura erat interpretati sunt. Celiusque & alij ita ut sine causa prętermiserāt scriptores ponere, pro certo sum ueritus.) Vos sic emendatis. Celiusque & alij, ut non sine causa prætermiserant, quod grammatica non consentit. Ego sic, Cæliusque & alij scriptores haud sine causa prætermiserant. Nam quidam haud per t, scribunt hincque fuit erroris causa. Hęc pacta, illa insuper quàm quę pacta erant facinora Campani ediderunt.) Deinde subiungitur interfectio pręfectorum, ciuiúmque Romanorum. Vos ita hoc emendatis, ut duo prima uerba tollatis tertium mutetis in alia. Ego nihil ex ijs nec tollo, nec muto: sed facinora in fœdiora sic. Hęc pacta subaudit fuerunt, illa insuper quàm quę pacta sunt fœdiora Campani ediderunt. Eo Pacuuius Calanius de quo ante dictum est, princeps factionis eius quę attraxerat rem ad Pœnos filiū iuuenem adduxit. Abstractum à suo cum Decio ait latere: cum quo ferocissime pro Romana societate aduersus punicum fœdus steterat.) Vos sic emendatis: abstractum à sinu, à latere Decij. Ego quia Liuius illū semper duobus nominibus appellat sic emendo, abstractum à sueto Decij Magij latere. Cœperunt epulari de die, & conuiuium non ex more punico, aut militari disciplina esse, sed ut in ciuitate atque etiam domo, diu ad uarias hominum uoluptatū illecebras

illecebras instructum. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calanij filius Parolla uinum potuit, ipsiq; ualetudinem excusans paterni animi quoq; aut mirabilem in turbationem causa ante solis ferme occasum patrem Calanium filius ubi in secretum ortus erat posticis ædium peruenerũt.) Vos sic emendatis, permolliri potuit ipsiusq; ualetudinem excusans pater. Ego sic. Pelli ad uinum potuit cibumq; ualetudinem excusante patre: animi quoque eius haud mirabilem turbationis causam, uel animi quoq; eius atram bilem interpretabatur causam, uel, haud miram ait perturbationem Pauloante solis occasum etc. Consilium inquit affero pater quo nõ ueniam solum peccati, quod defecimus ad Annibalem impetrari ab Romanis, sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani quàm fuimus unquam.) Non impetrari scribendum reor, sed impetraturi. Paucę horæ sunt intra quas iurantes per quicquid deorum est dextras, dextrę coniungentes fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus, digressi à colloquio, exemplo in eum armamur * iurgijs ab hospitali mensa: ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale, eam ipsam mensam cruentare uis hospitis sanguine.) Credo legendum non iurgijs: sed * periurijs. Et legatione missa ad repetendũ eum ne aut negando rem quam aliâs iurgijs primum peterent offendi sibi noui socij, aut tribuendo habendus Capuæ esset seditionis ac turbarum autor.) Legendum opinor non offendi sed offendendi.

Mihi quoq; quoniam respondi Himilconi interrogare uis fasq; est uelim seu Himilco respondeat,) Legendum credo, seu Mago seu Himilco respondeat.

Ergo si quis de pace consulet seu deferenda hostibus seu accipienda, habeo quid sententię dicam. Sed de ijs quæ Mago postulat repertis. Nec uictoribus mitti attinere puto: & frustrantibus nos falsa atque inania multo minus censeo mittenda.) Sic legendũ puto. Sed de ijs quæ Mago postulat nec repertis uictoribus mitti attinere puto. Cupidus marini oppidi potiundi.) Opinor legendũ maritimi. Cæterum postquam Neapolim à præfecto Romano teneri accepit. M. Iunius Syllanus erat ab ipsis Neapolitanis accitus, Neapoli quoq; sicut Nolam * amissa, petit Nuceriam.) Opinor legendum, Nola omissa. Instrui dein aliâs nõ admissa de utrinq; acie Romanorum cœptę pro mœnibus Nolę: Pœnorum ante castra sua prælia hinc parua inter urbem castraq;.) Obscurus sensus qui fiet apertissimus si loca duarum dictionum contiguarum mutauerimus sic: Instrui deinde utrinq; acies cœptę: Romanorum pro mœnibus Nolę &c. Media porta robora legionum & Romanos equites, duabus circa portis nouos milites leuemq; armaturam ac suorum equites statuit.) Opinor legendum sociorum non suorum. Non uinci enim ab Annibale uincere solitis difficilius fuit quàm postea uincere. Opinor legendum: non uinci enim ab Annibale, uinci solitis siue uinci suetis, uel uincere solito siue sueto. Annibal Acerris direptis atque incensis, cum à Casilino dictatorem Romanum legionesq; minus accipi nunciatum esset, ne quis tã propinquis castris &c.) Vos mutatis minus in cumis, ego in nouas, & accipi in acciri: quod ita debere legi, qui uerba ipsa autoris de duabus nouis legionibus legit, animaduerteret. Ibi cum dies aliquot suscepti campanis timentesq; cauendis ac struendis inuicem insidijs traduxissent.). Vos sic emendatis. Ibi cum dies aliquot suscepti cãpanis susceptis timentibusq; cauendis ac struendisq;. Ego tantum muto suscepti in suspecti. Ita eneruauerunt corpora animosq; ut magis deinde præteritę uictorię eos quàm præsentes tutarentur uires: Manusq; id peccatum duos apud peritos artium militarium haberetur quàm quod nõ ex cannensi acie ad urbem Romanam duxisset.) Vos sic emendatis. Cum dico uos, de quatuor in primis loquor, duobus quidem cõtra quos, ut nefandissimos mei accusatores, hæc scribo: totidem autẽ absentibus, Iacobo

 Curlo,

Curlo, quem Barptolemęo antepono, & Antonio Panhormita rhetore, quem proxime periſſe audio, non modo Latinarum ſed Gręcarum literarū ſanè perito: qui ſuas Genuam emendationes ad Curlum miſerat. Vos igitur regium codicem quo nullus in omni Italia eſt auguſtior uel emendatis, uel deprauatis.

Id peccatū ducis apud peritos artiū militariū habetur maius, quàm quòd nō ex Cannēſi acie &c.) Ego ſententiā ſuperiorem ſic claudo: quàm pręſentes tutarētur uires: & ſequentē, mutato manus in maius, ſic incoho: Maiusq; id peccatum ducis apud peritos artium militarium habetur & reliqua. Dixi incohari ſequentem ſententiā, ſed ita uolo dixiſſe, ut ſciamus eam à ſuperiore pēdere, ideóque ſcribendum haberetur, non habetur ſicuti uos emendatis. Nec muribus alióue animali abſtinerent, & omne hærbarū radicúmq; genus aggeribus infimis muri eruerent: & cum hoſtes exaraſſent quicquid hærbi terreni extra murū erat, raporum ſemen iniecerunt.) Vos mutatis hærbi in hęrbidi & raporum in raparum. Ego infimis in infimi de ablatiuo plurali in genitiuum ſingularem, & hærbi terreni in hęrbidi, uel hærbę tenerū, Raporum autem in raparū cur mutaueritis? non uideo. Cum Cato, Varro, Columella, Plinius, Martialis, Palladius, alijq; complures rapa neutro genere appellent. Fuluius Flaccus in locum P. Scantini demortui.) Vos emendatis: in locū P. Scauri inde mortui: quaſi dicatur inde mortuus & non ſemper demortuus. Cum de ea re M. Aemilius prætor dictatore poſt Caſilinum amiſſum profecto tam ad exercitū expoſcentibus cunctis retuliſſet.) Vos mutatis tam in tum: neſcij tam pro iam ſcribi, ut iterum admonuimus. Accirìq; C. Terentium conſulem ad dictatorem dicendū iuſſerint, qui eo ex Apulia, relicto ibi præſidio cum magnis itineribus Romā rediſſet.) Vos emendatis qui conſul ex Apulia. Ego qui mox ex Apuleia. Idq; ſacrū uaſis erat quo ſolennibus libarent.) Opinor legendum: ſacrū uas ijs erat, uel ſacrū uas erat. Quid in Apulia cum C. Terentio cōſule eſſet à peritis quęſitum eſt ne ſecundo cōſiliarius exercitus ſatis firmi ad tantum bellum efficerentur inibatur ratio.) Vos ſic emendatis, quæſitum eſt duo ne cōſulares exercitus. Ego: Nec quomodo conſulares exercitus, & reliqua. Eodem enim dictatoris legionibus reijci militē minimi quemq; roboris.) Opinor ſcribēdum. Eodē ex tribus dictatoris legionibus. Tot enim habuit dictator legiones, & binos conſules. Cum decreta ſenatus mandatáq; expoſuiſſet atq; edocuiſſet ipſe inuicē quemadmodū tractandum bellū in Hiſpania foret, retro in ſua caſtra redijt, nulla re quàm celeritate tutior: quod undiq; abierat antequam conſentirent.) Vos hæc ultima uerba ſic emendatis: antequā eum ſentirent. Ego antequàm conſules ſentirent. Siquidē duo cōſules tunc in Hiſpania erant, quos ille fefellit: Carthaginienſis & conſules una ſyllaba ſcriptum erat, ut in plurimis uerbis fit. Porrò illud inemendatum reliquiſtis, atq; edocuiſſet, quod eſt ita emendandum, atq; edidiciſſet, uel atq; edoctus fuiſſet: uidelicet quomodo ille ad quem uenerat tractare bellum uellet. His anxij curis ad Iberū conuertunt copias, & tranſito amne cum diu cōſultaſſent utrum caſtra caſtris conferrent, ſi ſatis haberent ſocijs Carthaginienſium oppugnandis, morari ab itinere propoſito hoſtem: urbem à propinquo flumine Iberam appellatam opulentiſſimam ea tempeſtate regionis eius, oppugnare parant.) Vos ſic emendatis. Vtrum caſtra caſtris conferrent, an tum haberent quæ ſententia non habet exitum, Ego ſic. An ſatis haberent. Abſumptis enim frugum alimentis carniſq; omnis generis quadrupedúmq; ſuetémq; poſtremo corijs hærbiſq; & radicibus & corticibus teneris strictiſq; rubris.) Ego opinor legendum * ſcutorúmq; pro ſuetémq;: quæ uerba uos quia emendare neſciuiſtis, eraſiſtis. Senatus decreuit ut T. Sempronius conſul deſignatus cum Ibono iuiſſet, ad populum ferret, ut Fabium ſiue

*alias ſutrineq;

dium uirũ esse iuberent ædis ædicandę causa,& M. Aemilio Lepido quibus con sul augurq; fuerat filatres l m, quę audisse funebres per triduũ & gladiatorũ paria duo & uiginti per triduũ in foro ædiles curules C. Lectorius & T. Sempronius Graccus cõsules designati: qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerant: qui per triduũ instaurati sunt. Circumacto tertio anno punici belli T. Sempronius cõsul designatus, idib. Martijs magistratũ inijt.) Vos hic nihil emendastis, nisi cum lbono inisset sic: cum primũ magistratum inisset: quod falsum esse ex posterioribus coarguitur: quia ante fuerũt editi ludi, quàm Sempronius inisset magistratũ: ut ipsa quę posui uerba indicant. Postea mutastis filatres in simul imperatores, hoc est, tres imperatores: quę nulla sententia est. Ego sic arbitror emendandum: Senatus decreuit, ut T. Sempronius consul designatus cum bono omine ad populum ferret. Ideo autẽ præfati sunt cum bono omine, quia post motũ bellum nunquam fecerant ludos: alijs super aliàs cladibus nunciatis. Perago cætera. Vt duumuiros esse iuberẽt ædis dedicandę causa. * C. Aemilij Lepidi, qui bis consul augurq; fuerat, filij tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & uiginti per triduũ in foro dederũt. Aediles curules C. Lectorinus & T. Sempronius Graccus consul designatus, qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerunt & reliqua. Consules exercitus inter se diuiserunt. Fabio exercitus cui M. Iunius dictator præfuerat, euenit: Semp. uolonum, quod fuerat & sociorum 30.) Lego Sempronio uolones, qui fuerunt & sociorum 25. milia. Sunt autẽ Volones serui quibus pro rep. arma tradebantur, sic appellati, quod ultro uellent militare pro dominis. Subductę naues dũ refiguntur aliquantulũ temporis triuere.) Sic legitur per uos in regio codice, emendatũ cum emendare debuissetis, reficiuntur. Nam refigere est quod fixũ est educere. Cãpanis omnibus statutũ sacrificiũ ad Hamas.) Legendũ est statũ, de quo fuit inter nos apud regem cõtrouersia: quódq; ego multis rationibus atq; exẽplis probaui. Iam campani eo frequentes ex cõposito cõuenerant, nec procul inde in occulto Marius Alpius edixit uti cui summus magistratus erat campanis, cum 14. maiorũ habebat castra.) Vos sic emendatis. Martius Alpius & ipse uti cui summus magistratus erat campanis, cum 14. iuniorum uel militum habebat castra. Ego sic. Mediastuticus uel medistuticus qui summus magistratus erat Campanis, cum 14. militum habebat castra. Est autem mediatuticus nomen magistratus, ut alijs in locis apud Liuium lib. 2. bel. pu. 6. patet. Si quis tollendum relatiuum putat, ut sit medistuticus summus magistratus erat, tollat licet. Ipse ad Hamas uacua hostibus castra ne quicquam præter recentis uestigia cædis stratáq; passim corpora sociorum inuenit.) Legendum est, nec quicquam (cum dico legendum) dico uos emendare debuisse. Aduersus ligneam ingentem turrim admotam urbi, aliã ex ipso muro excitauit Consul Romanus aliquanto altiorem: quia muros satis per se altos subiectis ualidis supplicatis ꝑ solo usus erat.) Vos tamen in margine ex purpureo colore fecistis pro supplicatis aliter sublicis. Opinor Antoni non nihil reminiscebaris correctionis meæ apud regem, quòd si prorsus reminiscebaris, quomodo hunc locũ emendarim, nec me autorem in emendando regio codice habere uoluisti nihil est te pertinacius: sin oblitus es, nihil te obliuiosius atq; hebetius. Ego sic emendandum esse librũ te admonui, rege approbãte, & ut reor etiam nunc memoria tenente. Quia muro satis per se alto subiectis ualidis sublicis pro solo usus erat. Est enim sublica genus trabis, unde dictus est pons sublicius, quòd non ex lapidibus esset, sed ex sublicis structus non solum Romę, & in Tyberi, sed in alijs etiam fluminibus. Ad mille 400. Carthag. cæsi & inde 60. uiui capti. Opinor legendum & unde sexagin

diũs Et M.

ronymũ ac regni potentẽ, deponendámq; tutelam ipsi quę cõmunis cum pluribus erat, in se unũ omniũ uires conuertit.) Legendum opinor: deponendáq; tutela, id est, deponendo tutelã quę ipsis cum pluribus cõmunis erat in se unum omniũ uires cõuertit. Hunc tam superbũ apparatum habitúmq; cõuenientes sequebantur * cõntemptus omnium hominũ, superbię aures, cõtumeliosa dicta, aditus non modo alienis sed * tutoribus * libidines nouę, inhumana crudelitas.) Ego emendo cõuenientes in conuenientia, & addo etiã ut quidã addunt, difficiles, ut sit: difficiles aditus. Clamore & tumultu audito in indegminẽ tam haud dubie obstantẽ tela cõijciunt.) Vos emẽdatis tam in tamen: Ego pro iam puto legendũ ut bis iam dixi. Inde Romam comitiorũ causa ueniens, in eum quem primũ diem comitialem habuit, comitio edixit atq; edixit inire præter urbem in campũ descendit.) Vos sic emendatis, cõmitialem habuit eo die cõmitia dixit: atq; edixit inire. Ego sic. Comitia edixit: atq; ex itinere præter urbem in campũ descendit. Quod probatur ex illo non longe post loco. Et quia urbem non inierat, protinus in campũ ex itinere profectus. Comitialem à comitijs dixi quę sunt actus creandorũ magistratuum: non à Comitio, quod ut ait Pędianus, est locus prope senatum, quo ire equitibus & pop. Rom. licebat. Itaq; aliud singulare aliud plurale significat. Ob eandem causam (ut multis annis post fuisse non negauerim) cum M. Valerio nõ diffideretur aduersus similiter prouocantem arma capienti Gallũ ad certamen.) Hic ego reor mutandũ, ut in haud: commutandáq; aliorũ uerborum loca, sic: ob eandẽ causam haud multis annis post fuisse nõ negauerim, cum M. Valerio nõ diffideretur arma capienti aduersus similiter prouocantem ad certamen Gallum. Fontẽ sub terra tanta in aquã fluxisse.) Opinor legendũ, tanta ut aquarũ &c. Tactum de cœlo atriũ publicũ & in Capitolio, ædem in campo uulcani, uocẽ in Sabinis publicámq; uiam, murum ac portã Gauisiam.) Vos mutatis uocẽ in arcem: ego in Nucem. Inchoata nostra gloria nondũ perfecta est periculúmq; ingens manet, nisi faciẽ concordię cõsulitis ne libera efferatur res.) Vos sic emendatis, nisi facie cõcordię consulitis. Ego sic: nisi ciuiũ uel publicę, uel cõmuni concordię, uel nisi paci & concordię consulitis. Esse aliquid etiã mouenti ad consiliũ.) Opinor legendum momenti. Ipsi cũ paucis equitibus Herbesum proficiscũtur spe, territis omnibus, per proditionẽ urbis potiũdę.) Vos sic emẽdatis: spe fretis omnibus, quod longe abest à uero. Nam ideo proficiscebantur cũ paucis equitibus Herbesum, quod erat eis spes urbis potiundę per proditionẽ, omnibus qui Herbesi erant iã territis. Nescitis distinguere hanc clausulam, ergo nec sensum eius percipere. Prima forte signa sexcentorũ Cretensium erãt * qui apud Hieronymũ meruerant.) Vobis quidẽ uenit in mentẽ emẽdare prauia frõte. Inter hoc collo qui signa cõstiterant, tenebaturq; agmẽ: necdũ quę morę causa foret peruenerat ad duces. Postquã Hippocratẽ & Epicidẽ peruaserat rumor.) Hic quoq; uos additis aduenire quasi nõ subintelligatur uerbũ substantiuũ sic, Hippocratẽ et Epicidẽ esse. Velut interceptas literas quas ipse cõposuerat recitat. Prætores Syracusanos Marcello suo salutẽ: ut assolet scriptũ erat. Recte eũ atq; ordine fecisse.) Opinor scribendũ: Syracusani, est enim principiũ epistolę Prætores Syracusani. Hoc tamẽ esse principiũ epistolę tenes ne memoria Antoni te nõ peruidisse cũ legeres: puidisse regẽ atq; cæteros qui aderãt cũ te emẽdassem, secundũ pro post accipi? Multáq; eñ exẽpla protulissem, nisi uidissem assensos. Ita opinor memõria tenes, qui nihil æque memoria tenes atq; iniurias, quas putas tibi factas etiã si nullæ sunt. Nam quas ipse facis, earũ nõ minus cito te capit obliuio, quàm beneficiorũ officiorũ'ue ab alijs acceptorũ. Sed ne hunc quidem locũ, qui sequitur intellexisti. Murum ab imo ad summũ crebris cubitalibus ferè caueis aperuit

*aliàs more* *aliàs etiam* *aliàs difficiles* *aliàs quod*

per quę caua pars sagittis: pars scorpionibus ex occulto petebat hostē.) Legendū est cauis: cuius nominatiuus est Caua, id est foramina, ut apud Plautū in Menæchmis: Etiā nunc cōcede audacter ab leonino cauo. Et apud Corneliū Celsum in 7. Deinde totū id cauū, sicut in fistulis dixi, usq; ad os excidendū. Quanquam apud Columellam (si tamen uera scriptura est) reperitur in genere masculino. Deinde cauū quem feceris, surculo obturato. Sed postquam ab Hippocrate occupatę Syracusæ erant, profectus Carthaginem aditusq; ibi & à legatis Hippocratis.) Vos mutatis aditus in accitus, quasi non sit multo satius illum fuisse aditum à legatis quàm accitum. Quod ubi Aennensium principes iam pacti cū Himilcone de proditione præsidij animaduerterūt: nulli occasioni fraudis Romanum patere placuerat agendū. Vrbem arcemq; suę potestatis aiūt debere esse, si liberi in societatē, non serui in custodiam traditi essent Romanis. Itaque claues portarum reddi sibi æquum censent.) Opinor mutandum unum uerbum placuerat in duo palàm rati. Sequiturq;. Ad ea Romanus se in præsidio impositum esse dicere ab imperatore suo, claues portarū & custodiam arcis ab eo accepisse, quę nec suo nec Aennensium arbitrio haberet, sed eius qui commisisset: præsidium decedere apud Romanos capitale esse, & nec liberum etiam suorum eam parentes sanxisset. Marcellum haud procul esse.) Hæc uos emendare non estis ausi, ne Petrarcha quidem: Ego sic opinor emendandum, pręsidium in præsidio, sic, Præsidio decedere apud Romanos capitale esse, et hoc (siue quod) liberum pro liberorum etiam suorum cruore parens sanxisset, uel liberorum etiā sanguine parentem sanxisse. Videlicet de Torquato, qui ob hoc filium occiderit loquitur. Vtinam reliquum tempus nec patienda infanda in faciendo traduci potest. Nec occulta fraude cautio est quam si adhuc sumus. Cui quoniā procedit aperte & propalam claues portarum reposcunt.) Opinor sic legendum: Nec patiendo infanda, nec faciēdo traduci possit, ab occulta fraude cautio est, qua ui, siue, qua usi adhuc sumus. Vel sed occulta fraude. Petiti ab Aennensibus sumus. Itaq; crastino die aut uestro aut Aennensiū sanguine Aenna inundabitur: nec occupatis peculium, nec occupantes periculi quicquam habetis.) Opinor legendum, nec præoccupati spem ullam, uel nec occupati præsidij siue subsidij, neq; occupantes periculi quicquam habebitis. Postero die alij alijs ad obsidendas itineribus claudendósq; obsiti exitus pars maxima super theatrum circa quę assueti & ante spectaculū concionem consistunt.) Opinor sic legendum: ad obsidenda itinera, claudendósq; oppositi exitus, uel claudendos obsessis exitus, Pars maxima super theatrum circáq; assuetum, aut spectaculum super theatrum ad assuetum ante spectaculum concionem circunsistunt.

Nihilo remissiore militum ira, quòd iure turbam inermem cedebant, quàm si periculum par & ardor certaminis eos irritaret.) Vos tollitis iure, quod aut non tollendum, aut sic mutandū: militū iræ quamuis turbā inermem. Legati eo ab Apollonia uenerunt, nunciantes in obsidione sese, quòd deficere ab Romanis nollent, esse: neq; sustinere ultra uim Macedonū posse, nisi præsidiū mittatur Romanum, facturos sed quæ uellent pollicitos. Cō. delectorum militum nauibus longis mittit ad ostiū fluminis cum præfecto sociū. Q. Næuio Crispo uiro impigro, & perito militiæ: ijs expositis in terram militibus nauibúsq; Oricum, unde uenerat, ad cæteram classem remissis &c.) Ego sic emendo. Romanus facturum se quæ uellent pollicitus 60. electorum militum naues longas mittit uel 10. milia electorum militum nauibus longis mittit: præterea is nominatiui casus est: refertur enim ad præfectum non ad naues, scribendumq; una, i. Sed gens nata instaurandis reparandisq; bellis, Magone fratre ad conquisitionem militum misso breui repleuit exercitum animósq; ad tentandū de integro

certamen fecit. Alij pleriq; milites, si quę pro parte toties intra paucos dies uicta ijsdē animis quibus Po.Ro.orta, eodēq; euentu pugnauere: plus octo milia hominū cæsa: & nō multo minus quàm mille capta: & signa militaria 58. & spolia plurima gallica fuere: aurei torques, armillæq; magnus numerus: duo etiam insignes reguli Gallorū (Mœnia cœpta et Ciuis Maro nomina erāt) eo prælio ceciderunt.) Opinor sic emēdandū, Galli pleriq; milites, ijq; pro parte toties intra paucos dies uicta ijsdē animis quibus priores, eodēq; euentu pugnauerūt. Hoc quoque Antoni potes dicere te nō reminisci à me in illo cœtu correctum? Etenim si quis dies unquā tibi acerbus illuxit, haud dubie is fuit, quo bis uno in loco fuisti condēnatus: semel in eo quod emendaui cū mihi pertinacissime obsisteres, iterūque dū mœnia cœpta pro mœnia capta exponebas: & nescio quē Maronē ciuē dici uolebas, Quumq; ego subridens dixissem, esse duo regulorū nomina Mœnicœptus & Ciuismaro, ac se delectari mea expositione, cū quadā admiratione significasset, etiam magis quàm in superiore fecerat. Tace Antoni Egnigus, inquit, nihil uerius quàm & Galli pleriq; milites scribendum, & hæc esse nomina Gallorū regulorū. Non exequar quid ille etsi amicus tuus, tā ingenuæ libertatis uir, in laudē mei adiecerit, rege cōfirmante: tantū dico non modo bis te peccasse, sed accedēte pertinacia etiā bis terq; reprehēsum. Nūc, quod grauissimū est, quare to reprehendi putas quòd in pertinacia perseueras, ne à me doctus uidereris: sed ô demens, nō est ut magnopere doleas tarditatē ingenij: nā ne Petrarcha quidē ueritatē scripturæ deprehēdit: sed ut loco obscuro & * inexplorato sua notā apposuit. Quis tamē tantus te furor tenuit, ut in animū induxeris codicem regium emendatione fraudare, imò regē ipsum prodere, si modo proditio tua celari poterat? Reminiscetur ille, reminiscetur emendationis meę, quando codicē suū leget.

*alibi deplorat*

Fabius pater filio legatus ad Suessulā in castra uenit: quum obuiam filius progrederetur, lictoresq; uerecundia maiestatis eius anteirent, taciti nō submouentes patrē, præter undecim fasces equo prauectus senex, ut consul animaduerteret, proximū lictorē iussit, ut is descenderet ex equo inclamauit.) Vos sic emēdatis, Vt consul animaduertit ire proximū lictorē iussit. Ego sic: equo prouectū senem, ut cōsul animaduertit, stare proximū lictorē iussit. Tum demum desiliēs: experiri, inquit, uolui ô fili satin' scires cōsulem te esse. In ea castra Cassius Altinus Arpinas clam nocte cū tribus seruis uenit, promittens si sibi præmio foret, se Arpos proditurū esse. Eam rem quum ad consiliū retulisset Fabius, Altinus pro transfuga uerberandus necandusq; uideri, ancipitis animi, cōmunis hostis: qui post Cannensem cladē tanq; cū fortuna fidē stare oporteret, ad Annibalē discessisset, traxissetq; ad defectionē Arpos: tū quia res cōtra spem uotaq; eius uelut resurgeret, turpius uideatur nouā referre proditionē: ut proditis pro septēuirali iudicio esset, semperq; aliunde sentiret, infidus socius, uanus hostis. Ad Faleriorū Pyrrhiq; proditionē tertium transfugis documentū esse. Contra ea consulis pater Fabius, tēporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquā in pace libera, de quoq; arbitria agere aiebat, quū illud potius agendū atq; eis cogitandū sit, si quo modo fieri posset, ne qui socij à Pop.Ro. desciscant: & non uocitent documentū aut dicant statui oportere, si quis resipiscat, & antiquam societatem respiciat.) Opinor sic emendandū: Nunc quia res Rom. contra spem uotaq; eius uelut resurgeret rursus, uel resurgere rursus uideatur, uel turpius audeat nouam referre proditionem: ut proditis pro septemuirali iudicio esset, semperq; aliunde sentiat. Vel proditi spoliū proinde in tali iudicio esse statuēdum, ut se sentiat, uel pollicentē mobili iudicio, uel pollutū uirum leuemq;, & semper alium se sentiat: infidus socius, uanus hostis: ad Faleriorum, Pyrrhiq; proditionem tertiū trāsfugis documentum esse. Cōtra ea consulis pater Fabius, temporū oblitos homines,

ties,in medio arbore belli tanquā in pace libera de quoq; arbitria agere aiebat: quū illud potius agendum atq; eis cogitandum sit (si quomodo fieri possit)ne qui socij à Po.Ro.desciscant,uel qui desciuerunt etiam nouo metu dubitent,uel nouo metu redire dubitent.Documentū haud dicant statui oportere siquis resipiscat &c.Ne quis tamen miretur quòd multis modis eundem locum emendamus,cum uerus nisi unus esse non possit.Nam facimus more illius apud Plautū serui:qui cōplures ex præda seruos coēmit,unius certi postea in ijs reperiēdi gratia. Legati quoniā Siphax se Romanis iunxisset,ut potentior societate eorum aduersus reges populosq; Aphricæ esset,donec melius fore Galę quoq; Carthaginiensibus iungi quàm primū,antequam Siphax in Hispaniam:aut Romani in Aphricam transeant,opprimi Siphacem nihil dum prętér nomen ex fœdere Romano habentem posse.)Opinor legendum: docent melius fore.

*In libro quinto emendata.*

INcusati grauiter à senatu ædiles triumq; uiri rei capitales, qui non prohiberēt cōmoueri eam multitudinem è foro,ac deijcere apparatus sacrorum conati essent,haud procul abfuit quin uiolarentur.)Vos,quum in regio codice foret,cū emoueri,sustulistis eam:ego sic emendo:cum mouere siue cum emouere eā multitudinem. Gnæus Fuluius Apuliam,Claudius Nero Suessulam,M.Iunius Syllanus creatus consul.)Opinor legendū Syllanus Etruriā. Cestibus datis tribuni populum summouerunt:si te illicq; lata est ut sortirentur ubi latini suffragium ferrent.)Vos sic emēdatis scitoq; lex lata est,quasi lex sit lata per plebiscitū. Ego sic,testibus datis tribunum populi summouerūt:sitellaq; lata est,ut sortirētur ubi latini suffragium ferrēt. Quę sententia talis est,sitellam allatam in qua suffragia populus de approbanda lege poneret.Solitā autem afferri sitellā quandā cū lex ferenda esset,probat Cic.de nat.deorum lib.1.Vt igitur Titum Graccum uidere concionantē in Capitolio:uidere de M.Octauio deferentē sitellā.Fit aūt sitella à situla.Nā apud Plautum in Casina dicitur coniectio sortiū in situlam fieri. Nisi uolumus alio uocabulo emendare,quo utitur idem Cic.ubi ait:cum L. Saturnius legem frumentariā de semissibus & trientibus laturus esset,Q.Cepio qui per id temporis Quæstor urbanus erat,docuit senatū ęrariū pati non posse largitionem tantam.Senatus decreuit,nisi eā legem ad populū ferat, aduersus remp.cū uideri facere.Saturninus legē ferre cœpit,collegæ intercedere: ille nihilominus cistulā detulit.Cepio,ut illū contra,intercedentibus collegis aduersus remp.uidit ferre,cū uiris bonis impetū facit,pōtes disturbat,cistas deijcit.Quare dubium est,an Cistella scribi possit,quòd sit à Cista.Sed quō cistula una dicitur,ita & cistulæ multæ,si eędē significant res. Verū ne hic agamus pluribus,cistulā nūc legendū puto:si quis uolet cistellā legat,me nō repugnaturo. Cū in eo parū pra si drj esset turbandæ rei causa,publicani per uacuū ui summo loco irruperunt:iurgātes simul cum populo tribunisq;.)Opinor sic emendandum. Publicani per uacuū ui summoto eo uel ui summoto inde cūcto irruperūt. Posthumius uadibus datis nō affuit:tribuni plebis uocauerūt,plebesq; sciuit.)Opinor legendū tribuni plebē uocauerūt. Ea comitia nouus pōtifex M. Cornelius Cethegus habuit. res ingēti certamine petiuerūt M Ful. Flaccus qui ante & bis cōsul et censor fuerat:et T.Mālius Torquatus et ipse duobus cōsulatibus,& cēsura insignis:& Licinius Crassus,qui ædilitatē curulē petiturus erat.)Manifestus est error pręcedēti litera t.nā tres legendū est,non res,quod miror à nemine animaduersum. Nihil unq; dicā de imperatore eo cui prębertim sciā gratias à senatu actas,quòd non desperauerat de rep.qui post fugā actam niti per omnes annos prorogatum imperium.)Vos sic emendatis.Cui post fugam actā sit:Ego sic,quòd nō desperauerit de rep.cōsul post fugā actā uel,ꝓfligata acie. Tamē tantū abfuit ab eo,ut illa ignominia

ignominia tribus exercitibus quęreretur, ut ea urbs Roma per eum exercitum qui ab Allia in Veios transfugerat recuperaretur.) Opinor legendũ, ut ulla ignominia tribus exercitibus inureretur, ut etiã urbs Roma &c. Fuerunt aũt tres exercitus qui remp. ante hoc bellũ afflixerũt, duo ad Furculas Caudinas: tertius ad Alliã. Vel sic, ut ulla ignominia ijs exercitibus quęreretur, ut etiã urbs Roma. &c.

Ne'ue dono militari uirtutis ergo donaretur.) Tu Antoni qui te *docere regẽ factas, sic eũ docebas, ut mutares ergo, in gratia: nesciẽs ergo ultima acuta esse legendum: quod significat causam, ut apud Vergiliũ: Illius ergó Venimus. Tũ duo milia Gallorũ Pœnus in tres diuisa partes per urbẽ dimittit Tarentinos & infra quàm maxime frequẽtia.) Emendo Tarẽtinos & Afros quàm maxime frequentia occupare iubet. Si quis in hospitio ciuis Romani (uacuas aũt tenebat, domos) nomẽ inscripsisset, eũ se pro hoste habiturũ.) Opinor legendũ sciebat uel petebat, uel uolebat domos. Ex huius Marci duobus carminibus, alterius postea est * acta didici curato autoritas euentu alteri quoq; cuius nondum tẽpus uenerat afferebat fidẽ.) Opinor legendũ alterius, post rẽ actã edici cum rato autoritas euentu. Flauius Lucanus fuit caput eius partis Lucanorum, cuius pars ad Annibalẽ defecisset, qui cũ Romanis stabat & iam Hanno in magistratu erat ab ipsis illis creatus quęror.) Opinor hic perturbatũ uerborũ ordinẽ, ideoq; sic restituẽdũ: Flauius Lucanus fuit eius partis Lucanorũ, qui cũ Romanis stabãt, cuius pars uel cũ pars ad Annibalem defecisset. Anno aũt superfluã habet aspirationẽ, quod nõ proprium nomen est, sed ablatiuus, Fideq; ab eo accepta, si Romanũ ijs imperatorem tradidisset, liberos cũ suis legibus uẽturos in amicitiã Lucanos, dedit Pœnus in locũ pacis Graccũ adducturus. Magonẽ ibi pedites equitesq; armare & capere eas latebras ubi ingentẽ numerum occulere iubet, loco satis inspecto, atq; undiq; explorato, dies cõposita rei gerendæ est.) Vos sic emendatis in amicitiam Lucanos, hunc deducere Pœnũ in loco quo sic Graccum adducimus. Ego sic: in amicitiã Lucanos dedit ipse se illo cũ paucis Graccum adducturus, illò aduerbialiter pro eo quod est in illum locũ. Pugnatũ tamen ut in nulla parte, duabus amplius horis cõcitata & donec dux stetisset Romanã aciem.) Opinor legendũ, etiam donec dux stetisset Romana acie. Et Annibal quidem haudquaq; simili sua, neq; simili exercitu.) Legendũ est opinor simili uia. Inuastæ magnitudinis urbe partium sensu non satis pertinente in omnia.) Opinor * pertingẽte in oĩa. Marcellus Euryalo recepto præsidioq; addito uda cura erat libera, nequa abs tergo uis hostiũ in arcem accepta inclusos imperitosq; mœnibus suos turbaret.) Opinor una cura erat liber: uel una cura tenebaт, uel turbabatur. Accessit & ad pestilentiã cõmune malũ q̃d facile utrorũq; animos auerteret à bellorũ consilijs.) Opinor legendũ, accessit ad hęc pestilẽtia. Itaq; nõ ducibus facilius, quàm multitudini, persuasum est: similis ne metus quidem ab Romanis ducibus erat: quippe tam paucis sibi * retinuerunt. Puto legendum quòd per tã paucos ibi tetinerentur. Vel quippe tam paucis ibi retineri.

alias actia dedici ratu

alias pertinente

alias retinerentur

*Emendationes sexti libri.*

INde naues in flumine Vulturno cõprehensas duci gladio, quod iã ante præsidij causa fecerat castellũ iussit.) Puto sic emendandũ, duci ad id quod iam ante &c. Auditaq; uox Annibalis fertur, potiundũ sibi urbis Romæ modo mentem nõ dari, modo fortunam minuere. Etiam per melius & aliæ paruæq; res. Magna illa quòd cũ ipse ad mœnia urbis Romę armatus sederet, milites sub uexillis in supplementũ Hispanię profectos audiuit. Parua aũt, q̃ per eos dies eũ forte agrũ in quo ipse hęreret castra uenisse.) Regius codex habet etiam per me diuos & alię magnę paruęq; res. Ego non infinitum minuere penultima correpta accipio, sed producta præteritũ indicatiui: nec finẽ superioris, sed initium sequentis

tis sententiæ: ideoq́ sic emendandũ reor. Minuere etiã spem eius uel illius, & aliæ magnę paruęq́ res: Nanq́ ex Lucanis in Bruttiũ agrum: ad fretũ uero regium se occursu cõtendit, ut prope repentino aduentu incautos oppresserit.) Opinor legendũ tanto cursu cõtendit. Diem posterum Hasdrubal colloquio petijt, ut Romani leges cõscriberentur de trahendis arcibus urbiũ.) Lego de tradendis arcibus urbiũ. Silentiũ subito ortũ est & tacita cogitatio quidnã egissent. Noui fauor plus ualuisse q́ ratio ętatis maxime pœnitebat.) Opinor legẽdũ quidnã egissent noui, uel quid legissent noui: nã quod fauor plus ualuisset etc. Hac circũfusus multitudine similis siculis obuiã egressis: siculisq́ Romã prębuit clarissimarũ urbiũ excidio à celeberrimis uiris bello uictos accusatores in urbẽ adducẽtes. Hũc ego locũ duobus hinc annis ab Iacobo Curlo rogatus ęgre duobus diebus emẽdare potui: emendatũq́ homini tradidi cũ pridie eidẽ petenti alterũ, sed facilius emendassem: quòd cur regiũ codicem ex mea sententia non emendant, nullã aliam reperio causam, nisi ab Antonio ne me recte correxisse fateref impeditũ. Ex quo datur intelligi acriorẽ esse odij quàm amoris affectum. Citius me destructum uellet Antonius, quàm Alfonsum, Cęsarẽ. Sic aũt emendaui hunc locum. Nunc circũfusus multitudini simul & Siculis obuiã egressis potestatẽ Romã adeundi fecit, & nonnullis uel æmulis querimoniã præbuit, clarissimarũ urbiũ excidio à celeberrimis uiris uictos bello accusatores in urbẽ adducens. Affirmantes nõ modo suã quisq́ patriam, sed totã Siciliam relicturos.) Opinor legendum suam quenq́ patriã. Pondo relinquat argenti. Qui curuli sella sederẽt, equi ornamenta & libræ pondo, ut lignũ patellamq́ deorũ causa habere possent.) Nescio an legendũ sit salinũ patellamq́. Est autẽ salinum salis uas: ut Acerra thuris. Inde diminutiuum eius salillum: quod ego Antonium docui, qui pro minuto accipiebat sale. Ipse ut ei nuntiatum est ęstũ decedere quòd per piscatores Tarraconenses nunc leuibus cymbis, nũc ubi ea siderent uadis peruagatos per stagnũ, cõpertum habebat, facilẽ pedibus ad murũ transitum dari. armatos duxit.) Opinor scribendũ. Nunc ubi eæ sederent, id est, ubi cymbę fundũ maris nactę essent, uadis peruagatos, hoc est per ea ipsa loca ubi sedebant cymbæ per quę uadere pedibus homines poterant. Hic est alter locus quem Iacobo Curlo correxi.

HActenus Antonio legenti, etsi nõ assidue, affui, quotiesq́ mihi uidebatur dissentiendũ, uelut in senatu quodã sententiã dixi, nõ quoties potui. Ideoq́ pauciora dixi quàm scribo, rẽ haud dubie utilem ijs qui sua Liuij exemplaria hac in parte emendare cupiant. Cõtraxistis frontẽ, quia superbe loquuto irascentes, & de mea ipsius causa iudicanti. Emendabũt illi per me exẽplaria sua multo fidelius, quàm uos regis nostri proditores regiũ codicem. Nec erubescent studiosi et liberaliter eruditi Laurentiũ habere autorẽ. Audeo enim audeo de mea causa iudicare. Quid enim de eo, quod luce est clarius, pronunciare dubitẽ? An cuiquam dubiũ sit uos plurima quæ conati estis emẽdare nescisse? Multa à me edoctos, tamen per importunitatẽ mentis emendare noluisse: &, quantũ in uobis est, Liuiũ uulnerasse, lacerasse, trucidasse? Illud tamen dubito, an aliquid aut uos recte aut ego non recte emendauerim, id quoq́ quo magis irascimini ac doleatis, accipite ex fiducia sui dictũ, non longẽ à Liuio abesse, qui uerba illius uelut in tabula colores ac liniamenta ob uetustatẽ alio'ue quo casu abolita sic reponit, ut ueritatem reprę sentet. Vtrobi igitur arrogantia est spurcissimi delatores, penes me, qui ut necesse sit uere glorior, an penes uos, qui & falso & cum alterius uos offensione iactatis? Aperui causam cur Antonius qui accusatoriam uitam uiuit ad me accusandum Fatuum subornauit. Nam unde hic nisi ab Antonio didicit, quid Papiæ? quid Florentiæ? quid Caietæ egerim: ubi ego & Antonius fuimus? Fac.

Et enim librum de summo bono te scripsisse gloriaris: qui quidem à patruo tuo

Valla libri de summo bono.

tuo docto homine, ut accepi, cōditus fuit: quem tanquā fucus labores apum deuorans in aluearia tua, mutatis quibusdā uerbis, furtim coniecisti: quanquā in furto deprehensus es, cū forte Antonij Lusci qui in eo opere à patruo tuo inducebatur, nomen forte delere oblitus es. Lau. Habeo gratiā quocūq; tu istud animo facis, quòd in eis libris (sunt enim tres & quidē duplo maiores quàm totidem tui de felicitate) nihil reprehendis, reprehensurus, si meū opus esse confitereris. Sed hoc nō tam gratū est, quàm illud molestū, quod me impium facis, qui auunculū (nam patruū nunquā habui) gloria sua fraudauerim. At quomodo istud probas? Nempe quia nomen Lusci delere oblitus sum. O me nō luscum, sed cęcū, si istud nō uidi: sed tu qui me nō uidisse uis, nisi probes, ipse luscus fuisti & cæcus. Videamus igitur ex hoc codice quàm iuste deprehendar. An non potuit à me Antonius Luscus induci, qui multos annos nō modo post auunculū meum fato functū, sed etiam post hoc opus à me editū decessit? Quanquā quid necesse est de nō deleto nomine agere, proba ab auūculo cōpositum, uel manu sua, uel aliquo teste, qui uiderit aut certe audierit, & omnia probasti. Quid ais, si ille cuius nomen ne quidē nosti, hos libros condidit, edidit necne? si non edidit, unde scire potuisti ab eo conditos? Si edidit, cur nō exhibētur, aut ubi uisi sunt indicantur? si modo credibile est editos alterius libros quenq; uelle suos facere. Adde quòd nō misissem eos ex urbe Papia Romam, ubi ille & plurimos propinquos reliquisset, & notissimus fuisset: qui nō ut nunc fuerant inscripti de uero bono, sed de uoluptate: ac dimidio quàm modo sunt breuiores. Mētior nisi titulus, qui ex duobus lineis cōstat, cum litera initiali cunq; principij parte maiusculis literis, scriptus est manu Antonij Panhormitæ: in quibus ut codex ipse testis est, alios colloquutores induxerā, quos postea perfidia Panhormitæ mutaui. Sic enim incipit illa narratio. Nam cū uenissent aliquando in curiā, quam apostolicā uocant, quatuor in secretariatu collegę, Antonius Luscus, Cactius, Poggius, Melcior Scribarius, auunculus meus, quos honoris causa nomino: recepit se eò Leonardus Aretinus, tum pro legato à Florentinis ad summū pontificem missus, statimq; post Antonius Panhormitanus, qui se mauult appellari Panhormitam. Itaq; non intelligo, nec cur uidear oblitus delere nomē Antonij Lusci, quod & in illa prima editione toties: & in posteriore nunquā legitur: nec quomodo potuerim obliuisci. Nā si de scriptura mea nō deleui, ergo nō alterius id fuit quod remāsit, sed meū: Si de aliena, ergo nihil meū de opere illo remansit, alioqui ipsum opus pro testimonio, & quidē lōge locupletiore afferres: nūc nō opus illud erit, sed litura, quod quis nisi insanus dixerit? Et quatenus nolentē me & inuitū facis impiū, ueritatē aperiam. Auunculus meus in moribus quidē patre suo dignus, in literis aūt is fuit qui magis officio suo satis fecit, q̄ ut cōdendis operibus uires sibi suppeterent: qui me sibi, ut ego ipsum mihi, semper anteponebat: & quo uiuēte, cōparationem Ciceronis & Quintiliani Florentiā ad Carolū misi, rē profecto quā ille nunq; fuisset ausurus. Itaque persuade istud Poggio, si potes, qui solus ex eius collegis superest: persuade alijs, qui hominē nouerūt: persuade ijs qui Laurentianū stilū characteremq; discernunt. Cōuicta calumnia nostra, nunc ostendā, etsi satis ostendi, amborū imperitiam ea ipsa in re, in qua magnum uos creditis specimen prębere peritię. Nā quæ apes quis'ue fucus tam stolide loquatur, si sermone (quemadmodum in fabulis traditur) uteretur, fucos labores apium in aluearia sua conijceres? Aluearia'ne sua fuci habent? Saltē uespæ me * scabroni'ue similē fecissetis: qui ceras imitāt & mella: quis tantā uerborū inscitiā satis digna, p̄sequatur insectatiōe? fucū & hūc unū habere fauos, habere alueū, habere alueariū, quod ex pluribus alueis cōstat, habere aluearia? Singuli apiū reges singulis tantū alueis præsunt: hic fucus, qui fauos facere nescit, non unā aluū, nec unū alueariū fecisse sibi cōtentus, (* alias crabroni)

si modo aut cera deuorari potest, sine qua non sunt aluei? aut mel, quod deuoratur ab ape uel fuco, alueis reddi solet. Verũ me non fucũ esse sed apem: uel ex hoc intelligere debetis, quòd aculeũ seu spiculũ habeo, quo uos uere fucos, & nullo aut obtuso aculeo præditos, figo ac trucido. Pergamus ad reliqua. Fac. Quod idẽ de Homeri tralatione effecisti: cũ enim opus illud Latinũ factum scisses Florẽtię esse, ubi iã supra centesimum annum est, & in Nicolai bibliotheca uisum, paucis quibusdã permutatis (permutatis'ne dicã an peruersis?) tuũ efficere uoluisti. Sed tibi parũ est creditũ, præsertim cũ sint, qui intelligant quàm minimũ literarũ Græcarũ teneas. Crede mihi, crede inquã Laurenti, sunt iudices qui tuã insolentiam nõ ferent. Lau. Idẽ hoc, quod superius stultitiæ genus, quàm credibile est sperare tale furtũ iri celatum? Ego uero nuper audiui Mediolani esse tralationem Homeri ad uerbũ, eam'que barbarã: Florẽtiæ quoque esse uideor audiuisse: sed apud Nicolaũ fuisse, modo primum ex te audio. Si quis tamen probare potest me aut hanc, aut illam, aut aliam ullã uidisse, nõ recuso quin pro te mendacissimus uidear. Sed O meri, non Homeri cultor, fac me scisse illam Florentię esse, fac in bibliotheca Nicolai uidisse, licet tu non dicas à me uisam sed scisse uisam: nũ protinus in Campania habui? acceptam'ne cõmodato cũ huc ueni? an per literas impetratã? quorũ neutrũ factũ esse credibile est. Vt sese refellit omne mẽdacium? Saltẽ dixisses me illinc transcripsisse: quod licet plus quàm temerarius es, dicere nõ es ausus. Illud tamen audes, pauca quædam à me immutata: Qui scis ebrie me immutasse, qui utrunque nõ contulisti? Nec illam ad uerbum tralationem inspexisti, & ais: Sed tibi parũ est creditũ. Quinã sunt, qui mihi non credunt? Cur non ij furta mea palam faciunt? Addis'que: Crede mihi, crede inquam mihi Laurenti, sunt iudices qui tuam insolentiã non ferent. Ergo clandestini isti sunt iudices, & in lucem prodire nõ audent, coram'que damnant insolentiã meam. Nam si propalam hoc faciunt & me præsentẽ reum peragunt, quid ita quasi ego nesciam, ais: Crede mihi &c. Hoc ad illos dici solet qui nõ credunt. At nemo est qui nõ se credat accusari cũ sciat. Fac. Cũ in aliquo cœtu es, ubi nullus sit Græcarũ literarũ doctus, continuo, cõtinuo græcissas: ubi Græcus quisquã superuenerit, latinissas: ita fit ut inter Græcos Latinus sis, inter Latinos Græcus: inter utrosque neuter. Pereã nisi malim penitus ignorare literas Gręcas, quàm illarũ tam paruã, quàm te scientiam attigisse: quibus ne aspersus quidẽ es, ut si quis à te petat quomodo τύπτω uerbũ declinetur, ignores. Lau. Bene facis, ut ordinẽ retroagã, quòd istud uocabulũ potissimũ protulisti, quod significat uerbero. Nã tu uerbero es, & ego te libris his uerbero. Fa. Cuius si memini declinationis primũ pręteritũ est ἐτυπτον hoc est uerberaui te in primo libro, alterũ τέτυφα, hoc est uerberaui te in secundo, tertiũ ἐτετύφειν hoc est uerberaui te in tertio. Cętera nõ recordor. Futurũ τύψω, id est uerberabo te in reliquo. Lau. Iam uero quo te deuoues? Nam cum aut plus scias literarum Græcarum, quàm ego, aut minus, certe plus scire dicere, non potes. Nõ enim optares, si scires, & alioqui, ut uerũ est, ita & ubique significas te Gręcum non esse: si minus, cur negas te tantum scire uelle, quum ob istud tuũ quod minus est, mihi gloriaris? Gloriari enim in Græca lingua, est ignorationẽ Gręci uerbi alteri obijcere. Quod cum ita sit, quod restat aliud, nisi ut tua ex lege pereas, uir pluribus mendacijs, quàm pilis coopertus: qui me ais Gręcũ inter Latinos esse, inter græcos Latinum, inter utroque neutrum? Cur non potius inter utrosque utrunque? nimirum tunc mutus sum, nihil Græce fari, nihil Latine hiscere audeo. Vides ut falsa, ut contraria, ut incredibilia loquaris? Eodem quoque modo in cæteris. Etenim si inter Latinos Græcisso, non ausus loqui de lingua latina, quid ita proximum dicebas? Fac. Si quis autem in conuentu aliquo sermo habetur, continuo sermonem ad laudem tuam refers, & opera tua extollens,
aliena

aliena deprimēs: tua solum legenda iactans, elegantiarū, inquis librum cōposui, in quo (utar enim ipsis uerbis tuis) sunt duo milia rerū, quæ nō erant nota nostris, nisi ego fuissem. Lau. Hæc ego quomodo dico in conuentu aliquo? Nū in aliquo cœtu latinorū dico, an Græcorum? certe latinorū, quorum tu unus es, qui si tibi credimus ista audisti, ut postea inquis, sæpe audisti: & cœtui Græcorū, in hac prouincia interesse non potui. Tametsi, si quis interueniat Græcus, tu me uis obmutescere solito. Vel tu ipse iudica, an tibi in istis uerbis constes, si modo constare sibi mēdax potest, qui ais inter Latinos, inter quos semper sum, etiā siquis græcus interueniat, & iactare me, ut de lingua latina bene meritum, nec audere, nisi de Græcis literis loqui. Age uero quo pacto græcisso? quo pacto paruā literarū Græcarum scientiā attigi, si nec aspersus illis sum, nec primū uerbum declinare scio? Certe qui hoc declinare nescit, illisq́ literis aspersus nō est, huius nō parua scientia eius linguæ, sed nulla dicēda est: quomodo tu insane ais, eadē & negas, & per inuidiam maliuolentiāq́ contraria te loqui non sentis? contraria quidē, & tamen ex utraq́ parte mendacia. Nā neq́ ignoro Græcas literas, neq́ illarū tam parum peritus sum, quod probant, cū aliæ translationes meæ, tū duo libri de collatione noui testamenti. Rursus neq́ inter Græcos (ut tuo uocabulo utar) latinisso, quū hic nulli Græci sunt, nisi unus et alter, neq́ inter Latinos me ostento, ut testes sunt libri mei, in quibus sane modestus, sicut in omni uita: cum nusquam me alijs, ne inferioribus quidē præponā, nihil cuiquam aduersus: interdum in colloquijs aduersus inuidos, atq́ obtrectatores, quales uos estis, plusculū mihi uendico. Nam si dixi duo milia rerum cognitione dignarū, siue (ut tu calumniaris) cæteris ignotarū, non tamen scripsi, quod fecit etiā sine reprehensione Plinius, Viginti milia rerū cura dignarum, in ipso opere scribens se collegisse, quæ mihi cura in rebus tenuioribus nō fuit: pauperis est domini dinumerare pecus, qualis tua fuit enumerātis aliena peccata. Nā & dixisti regi, & in libris notasti numerū erratorum meorū, quod ego in te, nec feci, nec uelim facere. Est enim persona mea indignum, nec possum: quia tua sunt innumerabilia peccata. Nec tamen inficias eo, ut uere, sic fortiter dixisse me, nonnulla esse ibi cæteris ignota. Quid enim cōtra uos facerē malignos, & qui me ab alijs laudari non sinitis, quemq́ non uultis ulla in parte æquari magnis nostræ ætatis hominibus, quasi ego minus sim illis de genere giganteo? Nam inquis. Fac. Vt neminē putes præter te doctū esse? Guarinum atq́ Aretinū duo lumina & ornamenta Italiæ, num te inferiores duces? Audiui te sæpe dicentem, quū eorum autoritatem afferrē. Quē tu mihi Guarinum? quē Leonardum cōmemoras? Nam utrūuis eorū mihi præferri indignor, ac moleste fero. Et ego quoq́ literas Græcas, ac Latinas scio, & cū utroq́ sæpe de grauissimis rebus disputaui, atq́ cōtendi: qua in re illi mihi nonnunquam cessere. Lau. Vt ita sit pessime delatorū, qui omnia in maius extollis, cur nō cernis te ubique mendacē deprehendi, dū repugnantia loqueris? Nā ut taceā non esse uerisimile me dicere, quem tu mihi Guarinum &c. quasi illos ignorem, & fateri me cum eiusdem sæpenumero disputasse. An si me faciam non minus doctum Guarino, Leonardo ue continuo dicam me unum doctum? cæteros indoctos? quæ ista consequentia est tam scita, Scytha nequissime? Primum non soleo me illis præponere, opera uero nō uerba probationē faciunt: sed interdum eos mihi, imò rationi præponi non fero, aduersus quos tantum mihi tribuo, quantum postulat asserendæ patrocinium ueritatis. Nolo in disputādo quū ego ueteres pro me affero tu uel stimulante liuore, uel in tui uelamentum erroris opponas. Hoc non sentit Guarinus. Hoccine non animaduertisset Leonardus quanq́ semper à me his uiris honor est habitus, tū loquēdo, tū scribendo, sicut ipsi uicissim me semper nō mediocri laude affecerūt, atq́ (ut fatear) amplissimis uerbis ornauerunt.

Ex

Ex quo uerisimilius est, me hoc beneficium tueri uoluisse quàm perdere. Nã te mentiri, dixisse me sæpe disputasse cum illis, & reliqua, uel hinc coargui potest, quòd cum Guarino nunquam, nisi semel contuli, eo biduo quo Ferrariæ fui, cũ illac contrahendæ cum homine doctissimo amicitiæ gratia transissem. Sed nimirum de his mentionem habere uoluisti, ut tibi ad Antonium Panhormitam nominandum faceres gradum, ut ipse potius sub tua persona suam tragœdiam decantaret, inquiens. Fac. Antonium Panhormitam singularẽ poetam, & quo magis uituperandus es, optime de te meritum, à rege, atque adeo ab hominibus præstantissimum iudicatum, & in magno honore habitum, irrides ac despicis. Lau. Ego uero non tam irrideo atq; despicio, quàm detestor atque abominor, qui quotidie nequitia profecit. Nam quòd ais de me optime esse meritum, nullo alio poteris argumento probare, quàm quòd quũ amici essemus, solebat prædicare, se quidem cæteros omnes docuisse, à me autem esse doctum: quodq; quũ publice conductus rhetoricam legerem, amicitiæ potius, quàm discendi gratia (sic enim interpretor) annum, & eo amplius quoad fuimus amici, meus fuit auditor, licet me plus 19. annis sit natu grandior. Verum hæc omnia saua in me beneficia noua proditione fœdauit, perstrictus fulgore famæ, qua ob opus de uero bono per hominum ora celebrabar: quam iniuriam aliis postea cumulauit, & cumulat. Etiam de te querimoniã affers, inquiens. Fac. Me uero, ut etiam de me aliquid dicã, qui nullã tibi iniuriam fecerã, quod sciã, conuiciis insectaris minutissimũ appellãs inter minutissimos. Fateor me quidã corpore minutũ esse, te uerò ingenio animoq; & cerebro diminuto. Vt de me etiã (inquis) aliquid dicã. Lau. O uere cerebro diminuto, totam hanc quatuor inuectiuarũ, quasi totidem uentorũ procellam, propter hanc uerborum contumeliã excitasti, quam contumeliã, tu conuicia uocas: ego probaui leuissimam propulsationem esse atrocissimæ iniuriæ. Vt etiam aliquid de me dicam uelis nolis, nullam tibi factam esse, nisi hanc, licet tua perfidia expressam confiteris, iniuriam. Nam cur cæteras non exequeris? Cur omittis, ne saltem uidearis, iniuste mihi tãtopere irasci? Vt etiam aliquid de me dicam, hoc aliquid nihil est, ut ille apud Terentium inquit: nec aliud, quàm indicium te pro aliis, non pro te defendendo in aciem descendisse. Vt etiã aliquid de me dicam. Nimirum hoc grauissimũ esse debet, de quo solo tacere nequisti. Atqui id ita leue est, ut te homine leuissimo, prope sit leuius. Quare cum tres sint in iure ciuili capitis diminutiones, quartam, si per iurisconsultos licet, addamus, quæ sit plus quàm maxima, appellemusq; cerebrosam capitis diminutionẽ, propter Barptolomæum Fatuum, qui ut Calphurnia improbissima fœmina causam dedit. Fac. Repastinationem dialecticæ & philosophiæ edidit, quæ Laurentiana appellatur, quæ anteponenda est omnium dialecticorum & philosophorũ scriptis. Lau. Si istuc ego scripsi, quin locum profers? dixisse autem quo me teste conuinces? Idem de ceteris locis, ubi nullo testimonio niteris, dictum sit. Fac. Sed dic quęso? Vnde istas disciplinas didicisti? Num ab his quos damnas? an à te ipso? Si ab his quos uituperas, at tibi turpe est eos cõtaminare, à quibus didiceris. Si nõ, sed à te ipso, & sine pręceptore (ut ipse prędicas) sciẽtia tua ista nulla est.

Lau. Merito tu, merito me, ut parum dialecticum insectaris, qui ipse tam dialectice colligis. O patronum dialecticorum philosophorumq; singularẽ: Quis sutor piscator'ue, unquam ita ruditer interrogauit, an quis disciplinam, quam tradit ab eo quem uituperat ac damnat acceperit, aut à quo pręceptore didicerit is, quem prędicare ait se non habuisse pręceptorem? Quis item piscator sutor'ue diceret, meas disciplinas esse laudandas, quippe quas didicerim ex iis quos contẽnere turpe sit: & mox disciplinas ipsas nullas esse? Iam uero quę consequentia, quicquid scientię ab aliis non accepi, id protinus falsum ac nihil esse? Ergo qui

ex seipsis tot scientiarũ pręcepta pepererunt, ij omnes, aut nihil, aut falsa pręceperũt: nisi illos uis fuisse homines, me simiam esse. Quę irẽ cõsequentia, quia neque ex ijs quos damno neq; ex meipso didici nõ esse aliud, unde potuerim discere, hoc est nihil esse tertiũ. Certè maximã partem rerũ quę illic à me tradũtur, ex ijs scriptoribus didici, qui multo sanè plures sunt, quos probo & laudo. Sequit. Fac. Librũ de summo bono cõscripsi: quo nihil est scriptũ hac nostra tempestate illustrius, alia insuper multa effeci, quę summo sint usui semper, nõ solum mediocribus, sed etiã doctis hominibus. O elegantissimũ elegantiarum scriptorẽ? qui cum ipse, nec dicere, nec scribere eleganter scias, tamen de elegantia tradere praecepta audeas. Repastinationem logicę & philosophię cõdidisti, nomẽ me hercules operi cõueniens: tu enim, quum arator magis quàm orator sis, logicã itidem, ut uitẽ repastinari putasti. In qua quidem tot peccata abs te cõmissa audio, ut plura, propè errata insint quàm uerba, quanquã si qua sunt quę laude digna uideãtur, aliena sunt omnia. Librum de summo bono te scripsisse gloriaris. Vel hic locus documẽto est, quàm discerpta sit, quàm dissipata, quàm delira oratio. Repetens eadem & inculcans interiecto spatio, & quę texuit, retexens: ut eam quemadmodum est apud Persium, Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Lau. At aratorẽ me uocatis: hic iocus est Antonij Panhormitę, qui scripsit in Antoniũ Raudensem, Non erit orator Rhodus, arator erit, mutuatus ex meo quodam carmine, sicut ego Ciceronis dictum, quod carmen neminem uero nomine perstringit, argutię tantum causa compositum:

Non est cur doleas, quòd quae uis Aeole habere
    Cuncta nequis: cuncta nam quis habere potest?
Non potes esse bonus pictor, potes Aeole pistor.
    Non eris orator magnus, arator eris.
Ciuili uel pontificum, non Aeole iuri
    Sufficis: at iuri sufficies patinę.

Et insequentes deinde uersus. Ergo logicam quasi uineam repastinari dixi, uos quid pastinare sit ignoratis. Certe hoc loco, haud probe mentionem uitis fecistis. Cum bobus enim & aruis rationem habet arator, non cum uinetis ac arbustis: Cereremq; magis, quàm Librum uestrum colit. Taceo (quod superius docui) aratoris non oratoris esse, identidem pro itidem ponere. Sed ut ad tua Bartolomeae obiecta respõdeam, illas de me praedicationes inuidia tua te cogit dicere, ex meo non aliorum ore solere prodire. Verum ex quo audis in illis de dialectica libris, tot errata inesse, quis est qui me uel in uno glorietur à se conuictũ? Fac. En gloriaris inquis, & ne accusatus quidem isto uitio temperare potes. Lau. Ita sanè, sic alibi soleo uestro iudicio ex iactantia laborare. Tua peruersitas tuiq; similium imponit mihi, me, ut Eschines & caeteri inuidi Demosthenem se laudandi, necessitatem. Neq; uerò ita effuse me laudo, ut tu criminaris: attamẽ si rumparis, attingam unũ laudis meae testimoniũ, quale Tito Liuio cõtigit: ad quem ob admirationem ingenij uisendum, nobiles quidam ex ultimis Galliarũ & Hispaniarũ finibus (si Hieronymo credimus) se cõtulerunt. Nam Plinius filius in ea epistola, unde nõnulla in suã uidetur transtulisse Hieronymus, Gadytanũ quendam fuisse dicit. Siquidem ex urbe Ferraria perdoctus quidã Neapolim (res est minime obscura) non regionis ex omni orbe terrarum amoenissimę, nõ urbis celeberrime, nõ regis illustrissimi, sed uidendi & alloquendi Laurentij gratia uenit: quum propter alia opera, tum uerò propter hos ipsos dialecticę & philosophię libros. Fac. Et quanquã ita sit, tanta est in te pudoris inopia, ut Grecorum ueterũ more, de quacunq; materia & scientia te in publico disputare uelle aliàs proposueris. Lau. An hoc idẽ est & illud: in quo se iactat Panhor-

mita, nullum genus esse libidinis, quod ignoret. Cæterum ea quę tu ex tua consuetudine, tu á natura mentiris fuisse tam multa, non iactantię, sed retundendæ inimicorū meorum impudentię proposuisse me, testis est libellus meus ad summum pontificem scriptus, qui à plurimis transcribitur. Etiam facetus esse uoluisti Iuuenalis uersibus. crede, quid illum
Esse putes? quemuis hominem secum attulit ad nos,
Grammaticus, rhetor, geometra, pictor, alyptes,
Augur Schenobates, medicus, magus, omnia nouit.
His uersibus cōtra pluriū artium peritos, in suę imperitię uelamentū Antonius uti solet. Hoc solum de se ausus dicere, poëta sum, qui qualis poëta sit, hinc datur intelligi, qui uersum poëtę male recitat in uerbo geometra spondæo in trochæum mutato: sequitur. Fac. Quid illa tua in disputādo pertinacissima contentio? quę tanta est, ut nullis unquam rationibus te uinci sinas, nusquam alicui cedas, omnes mortales te uno uirtute & sapientia inferiores ducens. Lau. Crederent tibi fortassis aliqui me in disputando pertinacem esse, nisi te hac ipsa in re, aduersus me probasses fatuū esse. Pertinax in disputando ego sum? si aduersus te me talem uis esse, nō est pertinacia aduersus fatuos, sed fatuorum: qui cum rationis sint inopes, nō possunt à susceptis persuasionibus, ulla ratione uocari: sin aduersus alios, ipsi nihil tale subijciūt. Certe rex eisdem illis diebus (testor Ioannem Vlcinam, primū secretariorum, qui mihi pro læto quodā nuncio retulit) apud multos hanc mihi laudem dedit, me nō minus leniter, placide, moderate, quàm docte ornateq; disputare: quod ut passim glorier, nō magis à maioribus habeo, q̃ à natura, ut ex ipsa mea, & oris, & sermonis uerecundia (quod secus in uobis est) apparet. Quid enim uultu & sermone Panhormitę impudentius? quid tuo durius? Sic ex ipsa quoq; uoce, Nam quantum tua est absona & amara, Panhormitę ingrata & sordida, tantū mea (ut alij mihi narrant) dulcis, mansueta, uocalis: tu ut semper es contentiosus & pertinax, talem te ostendisti. Tu cerebrosus, inops rationis, & mentis. An tu compos mentis es? qui de pertinacia loquutus, tanquam diuersam rem subiungis? Fac. Quinetiam si intelligis alienā sententiam meliorē esse quàm tuā, tamen ea est pertinacia tua, ut malis in opinione tua impudentissime persistere, quàm errorem tuū, atq; inscitiam cōfiteri. Lau. Facis ut amicus quidam tuus solet, qui in iurgio statim ea crimina, quorū sibi conscius est, alteri obijcit, ne postea sibi ab illo obiecta credibilia uideantur. At quàm belle subdis uerba Ciceronis? Quod quidem à sapientia dissidet plurimum. Quia quis possit in hoc propter similitudinem decipi, quòd Cicero de uitio dixit imitante uirtutem Fatue: qui eo usq; uesanię progrederis, ut ne alienissimis quidem obijciendis temperes, inquiens, Fac. In æde sacra libellum Gręce scriptum legis spectante populo, ut uulgo gręce doctus esse uidearis. Lau. Ita opinor, ritu sacerdotis in omni cōspectu lego. Vide quàm spectāte populo, cū ne tu quidē inspexeris. Nam latine quoq; scriptus est, quod nō facit idem in eodē in templo cōmunis amicus Michaël Palma pręceptor Panhormitanus, quod nō eadem insula uir nobilis Lodouicus Sicanus in eodem libro. Est aūt psalteriū quod nemo latinus sine mediocri saltē gręcarum literarū peritia intelligat, quę causa mihi est, ut dum oro sciam quid loquor. Atq; utinā hebraicam linguā planè noscerem, ut secundum hebraicā & ueritatem, & uocē psalmos edicerem, & quidē in ędibus sacris: Nam ubi cōmodius? num Panhormita melius? qui nunquā ad eucharistiā mouere precationibus labia à diligentibus notatus est: raròq; caput adaperire, quanquā si fas est, in hoc accipiēda excusatio, ne caluitiū puellis, quarū se amatorem facit, ostendat: quarumq; si quid apud se orat, hoc solum deos deasq;, & pręcipue Venerē orat, ut lepidissimam

quanq; & (ut eius uerbo utar) maxime molicellã conuertat in pusionẽ: quod apud poëtas Teletusa de filia nuptiarũ die dicitur impetrasse. Quid ni credã hoc eum orare, qui ait hoc posse cõtingere? Multas enim puellas in mares esse mutatas, qualis nuper Caietę illa incuria eius, quam & ipse noui, quæ post 12. annum, quàm nupserat, redijt in marẽ. Talem uxorẽ, si qua fides iuranti est, longe habere mallet, quàm quamlibet aliã. Atq; post multa redis ad imprudentiã inquiens, Fac. Quanta uerò impudẽtia sis, quãuis ex superioribus satis declaratum sit, atq; omnibus notũ, tamen hoc unũ abunde testatur, quòd quãuis sæpius apud regẽ, & alios plerosq; clarissimos uiros tuorũ puerilium, circa latinitatẽ errorũ conuictus fueris, tamen non erubescis quotidie, eodẽ reuerti, & de his quæ legũtur disputare, cum magno astantiũ risu, quorũ alius te ut imprudentẽ, alius ut impudentẽ, alius ut temerariũ, & insanum increpat, fœminę impudicę persimilis, quę amissa semel pudicitia, ore (uti dici solet) pro clypeo utitur. Nec mirũ: Nam quis peccãdi finem posuit? siquãdo incœpit Eiectũ semel attrita fronte pudorem, ut ait Satyrus noster. Lau. Hæc tibi dictauit Panhormita, nam tu uix quater illi auditorio affuisti. Nec tu Calliopius in publico recensens, quæ domi poëta cõposuit: Sed quis conuictus sit imperitię, et quantũ mihi rex cum cęteris tribuat, hoc tẽpus indicio est, quũ nullus sit dies, quo nõ rex spectante procerũ cœtu, dictante me scribat in libro illo de uocabulis, quod cõprehensorum dicũt, aliquã uerbi significationẽ: interdũ deleat aliquem ab alio male descriptã, uel emendet, uel illustret, quod illi adeo iucundũ est, ut nolit ab alio, quàm à se scribi quum doceo. Et cum hæc ita sint, tamen omnem pectoris tui nauseam in me nausearis, & uomis, facisq; me impudicę fœminę simillimũ, qui utinã minus quàm sum uerecundus essem: etiã usq; ad gestum corporis me insectaris inquiens. Fac. Sed desinam hoc loco plura de uitijs tuis dicere, quę quidem ipse corporis motus clare indicat, arrecta ceruix, lingua loquax, gesticulatrix manus, gressus concitatior. Lau. Nunquid erectã habere ceruicem motus est corporis? aut linguam, loqui? Quando unquam sapere disces Fatue? ideóq; ut à fatuo obiecta refellere supersedeo. Et si credo, ita & manus, & gressus, & totius corporis mei motum habere, ut præ me feram uirilem dignitatem, ut tu quandã ex omni parte præfers libertinitatem: Satis est, quòd obijcere nõ potes, illos Panhormitę gestus (si gestus uocari debent) motũ quendam linguæ, qui impuritatẽ mentis indicat, etiam scorto pudendum, aut lenoni: aut insanationem, ut deformissimã ita creberrimam, qua nescio quod fastidium, apud eos quibuscum loquitur parit, ut semper intra nares, quòd eas intersepiat, aliquid sordis habere uideatur. Ex alijs quoq; conflare mihi conaris inuidiã inquiens. Fac. Priscianum grammaticę autorem nescisse grãmaticam arguis. Itaq; in cæteris facis, ubi nactus es aliquam reprehensionis ansam, totũ ibi uas cecidisse existimas. Lau. Id quoq; falsò quæreris. Nam quia fateor illum aliquando errasse, interpretaris à me dictum, eum grammaticã ignorasse. At quomodo probas? Fac. Cuius plusquã ducentos errores gloriaris. Lau. Si istud uis me scripsisse, palàm mentiris: sin dixisse, mentiris quidem, sed minus. Verum esto ut dicis, etsi ego nõ numeraui eius errores. Num (siquando hoc uel apud amicos familiariter, uel apud inimicos irate dixi) pro ita magno crimine habendum est? cum in illorũ scriptis eum reprehenderim? An uerear uictorię meæ facere mentionẽ, si toties ita robustũ, itàq; exercitatũ athletam generose inuadere ausus sim, tam strennue fortiterq; prostrauerim? Itaq; nõ quòd glorier, sed quòd falsò (si falsò glorior) criminarer. Et tamen ô uacuũ caput, quanto aliud est, dicere multis in locis à me reprehensum, quàm grammaticã ignorasse? non est meũ tam inconsiderate, tam furiose loqui: sed tuũ, qui mihi ob pauca quę putas in me peccata, istud obijcis, inquiẽs.

Fac. Cum tu ipse(ut paulo ante ostendi) grammaticā ignores. Lau. Non pudet te fera bestia qui barbarior fores, nisi legisses elegātias meas, ignarū me grāmaticę appellare,& hoc aduersus elegātias,quod sequitur aduersus opus nondum editum primę nostræ controuersię seminarum. Fac. Et Ciceronē è cuius cerebro eloquētia nata dici potest,ut è Iouis cerebro Mineruam illā aiunt,in traditione pręceptorū artis multos errores cōmisisse prædicas,qui etiam in eum impudēter ausus es inuehi. Lau. Voluisti imitari uerba quæ de Platone & Aristotele uelut parente philosophię dicuntur,feruntur quidē è singularium uirorum capitibus,sic natę esse scientiæ,ut Minerua autor artium nata ex capite Iouis. Et ut fertur uulgò,Bacchus ad femur Iouis aliquandiu alligatus coaluisse:sic aiunt Bacchum tuum ad Panhormitę femur aliquandiu coaluisse: scis quid loquor. Verū ut tibi respondeā, ubinam Ciceroni detraxi? An quod in libello, quē tibi ostendi, nondum edito ubi parcius de loco quodā rhetoricę disputaui? Sed tu ubiq; non modo in maius extollis omnia, sed etiam mentiris. Ego in eo opere uolui probare Ciceronem,nōdum senem in prooemio quarti libri ad Herenniū, quo ab omnibus Græcis rhetoribus dixisset,Isocrate, Aristotele, Theophrasto cæterisq;, à se quoq; sene dissidere, qui in reliquis artis rhetoricę libris, nec facit idem,nec pręcipit. Præterea à Latinis uniuersis,& qui ante ipsum, & qui postea fuerunt, in quo modestiā meam, licet uideas uir immodestissime, quod nō mea persona,sed illorū ipsorum,quorū causa loquutus sum. Alterū libellum, quem per eosdem dies ostendi differs,ut es incompositus Græcos interponis ad dialecticāq; reuolueris:inquis enim. Fac. Aristotelem quoq; petulantissimis uerbis lædis, quē dialecticę nesciū fuisse dicis: quam quidem scientiā ante omnes quas tenuit,& de quibus tradidit, sciuisse dicitur. Lau. Cur non igitur ô onager aliquid ab eo dialecticę degustasti? quomodo ille scientiā tenuit,quam nō didicit? (ea enim tenere dicimur quę sumus edocti: Aristoteles autē scientiam hanc edocuit,nō didicit)& tu putas eū abs te laudari:licet nō ignoro quis te ista uerba docuit:et me insimulas,tanquā Aristotelē dixerim huius artis ignarū,ut quē ei pręponā. Vbi ego istuc aut scripsi,aut dixi? quod sicubi ab eo dissentio,quāq̃ à Latinis magis dissentio,cū nostra à Gręcis plurimū distent,id protinus perinde erit, ac si dixissem eū scientiæ huius ignarū? An aliquid mihi post illum scribere nō liceat? Cur tot libri,uel nunc ab eruditissimis scriptitarentur,uel à ueteribus eruditissime scripti sunt,pręcipue Gręcis,inter quos Chrysippus,quem Stoicorū porticum fulcire dicebant? Nam nunc non extat, tam enucleate conscripsit, ut pleriq; negent,si Iupiter cæteriq; dij in cœlo dialectice loquerentur,eos aliter quàm ex Chrysippea dialectica loquuturos: Redis ad Latinos,et ad eum quem modo dixi libellum. Fac. Nec Liuio quoque pepercisti,eum nescio quam historiam de Tarquinijs,non satis scisse deblaterans. Lau. O rabiosam caniculam,nusquam an uerum loquaris consideras, sed id demum quòd ardua aggrediar criminaris,& (quod turpius est)conaris bonas(ut significas causas)nō rationibus, sed cōuicijs defendere. An uidetur tibi fieri nō posse,ut in historia Liuius lapsus sit? Tacebo de reliquis, Audi quid in Aureliani uita scribat Flauius Vopiscus. Neminem scriptorum,quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum. Proderem in quo Liuius,in quo Sallustius,in quo Cornelius,in quo deniq; Trogus manifestis testibus conuincerentur. At forte mentiri uoluerunt, id ego non puto:ibi certe mentiri Liuius noluit,ubi notatur à Seruio dicente: Nā quod Liuius dicit de Albano rege Tyberino Tyberim dictum nō procedit, ideo quia etiam ante Albam cōditam Tyberis dictus inuenitur. Cur nō idem mihi, quod Seruio licet? Non debes igitur, uir deterrime quòd mendacium in Liuio deprehendi, audaciam carpere, sed ingenium admirari. Ego quem debui honorem

habens,

habens, ut graui, ut eloquenti, ut prudenti historico, colligo non habere exitum eius supputationem, ut superbus Tarquinius, Prisci filius fuerit, ac præter inexpugnabilia quę illic attuli argumenta, hoc testimonium, cuius mihi illa scribēdi non uenit in mentem, adijcio, quod & illic adijciam, Lucium Florum, qui Titi Liuij abbreuiator putatur, simpliciter tradidisse Superbum Prisci nepotem, quæ multorum ante Liuium fuit opinio. Fac. Boëthium quoq; eruditissimum uirum mordere ausus es: illum de prædestinatione malè sensisse arguens. Lau. Laudes meas mutas in crimina. Non est mordere contraria scribere, sed inuectiuas, ut tu facis. Quisquis enim post alios scribit, necesse est aliquo in loco dissideat ab illis. Alioqui non esset causa, cur scriberet. Itaq; nihil interest, an contraria Boëthio disseruerim, sed an ueriora: quod si per teipsum dignoscere non potes, ab ijs querito, qui libellum meum, etsi diffidatis, literis aureis scribendum prædicant. Nec auribus meis blandiuntur, quippe quum sint ex eis, qui me nec colloquio, nec epistolis, nec aspectu notum habent. Cogis improbe calumniator me de ipso prędicare, ut Aeschines Demosthenem, nulla alioqui de laudibus suis, uerba facturum. Fac. Nec iurisconsultis abstinuisti. Lau. Elegantię meæ testimonio sunt, eos quantopere laudarim. In cuius operis calce, cum uiderem, inter hos quibusdam uerbis finiendis nō conuenire, aut eorum aliquem ab alio autore discrepare, quid de hoc sentirem sententiam tuli. Magnorū enim uirorum est, qui plurima uiderunt, & acriter examinarunt de sui similibus, atque adeo maioribus pronunciare: ut nihil apud eos plus polleat, quàm ueritas & officium. Fac. Bartolum uirū sapientissimum existimatum incesseris, ius ciuile male ab eo interpretatū asserens, in quem cum inuectiuam quandam Papię edidisses &c. Lau. Inuectiuam appellas? quis ferè nisi aduersus uiuos inimicos inuehitur? Nulla inuectiua moribus parcit, quid ego in mores Bartoli dixi? aut quod illius mihi odium, cuius studiosissimum scirem fuisse parentem meum, utriusq; iuris antistitem, et consistorij apostolici aduocatum? Non est inuehi, si nō patior eum cum contumelia aliorum nimis effuse laudari, quale quiddam nunc abs te fit, qui tanquam Socratem, aut Censorium Catonem uocas, omnium iudicio sapientissimum. Etenim illi (de quorum reprehensione scripsi) Ciceroni ut loquaci, & uerborum non rerum amatori Bartolum præponebant, eumq; miris laudibus ferebant, quos ut confutarem, libello ad amicissimum, ac facundissimum iurisconsultum Catonem Sancium scripto, probaui Bartolum longe abesse à facultate ueterū iurisconsultorum: quòd nequaquā ijs doctrinis, quę humanitatē informarent, ut illi, fuisset excultus. Quem libellum cum Ferrariam ad Guarinū misissem, ut ille mihi uerbis quorum superius memini rescripsit. Laurenti Laurea, & Valla Vallari corona ornandus es, ut uersu Vergiliano: Manibusq; meis Mezentius hic est. Et tibi meo Bartolo non Bartholomæo murū uidendo in Bartolum attingere audeam, qui iuris conditores, si tibi credam inuadam. Quid enim criminis est? si quid tale dicam, nec Bartolum, nec Accursium cæterosq; iurisperitos intelligere, uel uerbum aliquod, utputa Quodlibet, quod ipsi accipiunt, pro unum quodq;, cum sit unū quoduis, ut in illo loco institutionum: Si illud & illud factū, omnibus parendum est: si uerò separatim, uelut si illud aut illud, factū erit, cuilibet obtēperare satis est, Vel totā sententiā, licet & hoc uerborū ignoratione contingat, ut edictū illud prætoris: Glandem quæ ex illius agro in tuum cadit, quo minus illi tertio quoq; die legere, aut ferre liceat uim fieri ueto. Glandis nomine omnes fructus continentur &c. Hoc est, ut duæ partes sint illius in cuius agrū * Glandis cadit, tertia illius ex cuius pendet agro *alias Glan
Est enim Quoque nomen, non coniunctio ut in elegantijs latius. Ecquum speraras me damnatum iri, quòd Bartolum impugnassem? En plura addidi mea

sponte eius generis crimina. Hæc apud recta iudicia laudem merentur, non uituperationem: quo magis stultum est, quod ais, Fac. Ab ijs qui legibus operã dabant, discerptus fuisses, nisi te templo quodam elapsum, & mori uelle clamitantem, Antonius Panhormita eius intercursu ex illorum manibus eripuisset. Lau. Antoni miles gloriose, qui tam impudenter te iactas assidue. Ego hoc feci? Ego illud dixi? An non mihi & Catoni tunc inimicus eras, & ad nostrum usq; discessum fuisti, quòd si istud uerũ esset redissemus in gratiam: an tu maioris, quàm ego autoritatis? imò ullius? An non illa certatio fuit rectori iuris studentiũ, cum rectore philosophantiũ, quòd ægre ferret illum, cum omni caterua philosophorũ cõplectentẽ me, quasi posthac suarũ partium futurum, quàm diuersam factionẽ scripsissem, & ipsis insultantẽ. Nam tu quid ibi facere poteras, nisi dolere tanti me fieri, ut quod hostem philosophorum me appellarũt, hi iam nulla de me accepta satisfactione, quòd à se transissem triumpharent, alteri sic ægre ferrent. Nebulo, sedata illa rixa, quid amplius sequutũ est, nisi alterius partis tacita indignatio, alterius aperta lætitia? At quàm uenuste, cum hoc dicas, cohæret oratio? Nam quisquis lapsus è loco est, is eripi qui potest? aut quomodo in rerum naturam cadit, quenquam clamare se mori uelle? Tu, tú ne moreris clamasti, cum propinquus tuus stricto te mucrone sequeretur in spurcissimo & impijssimo scelere deprehensum, prout in carmine in te composito narratur? Fac. Augustinum siue Hieronymum, quibus nihil habet religio nostra præstantius, carpis: nec uerbis modo, sed etiam scriptis, erratum à se dictitans. Lau. Satis planè fateris accusare te, quæ ignoras, dum ais, Augustinum siue Hieronymũ: nimirũ eodem errore eademq; stultitia, qua pro Augustino, apud me Hieronymum Africanum aiebas & barbarum. Ignoras utrum carpserim, & quo audes ore carptum à me affirmare, & cum alterutrum carptum significes, tanquam in utroq; id fecerim accusas, in meq; refundis quod tuũ est, sicut ostẽdi? Fac. Aurum geris omni uerecundia abiecta, cur? an quia eques? dic à quo principe, aut à quo rege in equestrem ordinem relatus sis? An quia iuris ciuilis, aut pontificij, aut physicę doctor? ede ubi doctoratus insignia acceperis? à quo collegio? quo tempore? quibus præsentibus? Lau. O impudentiam Panhormita tuam singularem, qui tuam culpam transfundis in alios. Ais te iuris ciuilis doctorem, & ita in literis scribis, qui nihil ex iure ciuili nosti. Sed à quo collegio adoptatus es doctor? An à Senensi? at ibi cõposuisti Hermaphroditi librum, non ius ciuile didicisti. An à Bononiensi? At illic cõposuisti alterum, posteaq; cum magna põpa, per imaginem tuam concrematus es. An à Romano? at ibi te nisi pro puerorum mangone non norunt. An à Papiensi? aderam, cum longe ab ista spe doctoratus, quo tempore à Guarnerio Castellono, quem dignitatis gratia nomino, quũ se pro legato ducali Parmam ad Sigismundum imperatorem conferret, impetrasti, ut te secum duceret, & rescriptum obtineres, quomodo poëta declarareris, quasi sic poëtæ fieri possint, quasi ulla iuuentus poëta prærogatiua: quasi sic iuris doctor sis, effeceris generiosius. Marianus Senensis circulator, qui ab eodem Sigismundo, non clanculum, non per rescripta (ut uestris uerbis utar) in equestrem ordinem relatus est. Cur ergo tu Panhormita aurum gestas? cur non postquam istam dignitatem, si qua erat, amisisti, utpote bis publicè cõcrematus: & ab rege ob crimen peculatus à collegio summariorũ summotus, aurum non deponis? nisi quia ius gestandi non amisisti, quod nullum habes: & postea à me queris, cur ipse gestem? cui si cætera deessent, certa collata sunt ab rege modo omnium artium liberalium, ac utriusq; iuris ornamenta, literis ac aureo sigillo munitis, etsi scio gestandi auri usum nulla autoritate introductum. Fac. An uerò quia olim Caietę in conuiuio cum insitatę molis peregrino ariete clypeo pu-

gnans

gnans certasti? honesta profecto ratio, cur auri usum tibi licenter assumere debueris. Est enim facinus uiro graui, & erudito dignum: hoc idem sæpe factitauit Hercules. Lau. Non pudet te ineptiarum leuissime Panhormita: quis hoc nouit? quis audiuit Caietæ? quod quia obscurum est referam, & licet res minima sit, & quam ridens præterire possem, tamen deus me nullius uoti compotem, semperq́ calumniantibus obnoxium reddat, nisi rem gestam recenseam. Ante octo ab hinc annos constitueramus aliquot uiri in hortis Caietæ suburbanis, propter anni tempus, septimóq; die, qui Dominicus erat, in orbem conuiuium struere. Nicolaus tūc principalis illius oræ præses, qui Siciliæ quatuordecim annos pro rege præfuerat, Iacobus Amigo quæstor, seu thesaurarius regius, Antonius Moncada, comitis Caletenoscecę Frater, Petrus Marinus qui nuper Strategus Salernitanus fuisset, Petrus Castello iuris pontificij consultus, & Nardensis archidiaconus, Moyses Iudæus ex urbe Messena regius Medicus: Ego et Antonius Panhormita primo conuiuio, eodemq́ ultimo (nam aduentus infantis Petri rem interrupit) secundum cœnā cum famuli ludere cœpissent cum Ariete, qui præsidis erat, quiq; eum passim comitabatur, præses ipse, ut grauis, & ætate iam affecta, ita comis, & post oppiparam cœnam hilarior, cœpit hortari conuictores nunc uniuersos, nunc singulos, ut incurrentē & ipsi Arietem scuto exciperent, & eum uehemētius ut ignauos obiurgaret, sicut erant uinolenti, cum risu à primo scutum capitur. Aries ut prætendi scutum cernit, retrogradiens, ut moris est, quo ualidior incurset, sese recipit. Hactenus illis sufficiebat audacia, irruentemq́ Arietem relicto scuto deuitabant: & quum à præside reprehenderentur, & pleriq; animarent, aut conuicium facerent, omniáq; cachinnis ac uocibus streperent, scutum resumebant. Sed semper sui similes erant, solus Antonius & Moyses duo Iudæi non propter ignauiam, sed ne infames (ut reor ex iure ciuili) uocarentur, si ad bestias pugnarent, scutum non attigerunt, tametsi non deerat qui cauillans hos duos Moysen et Aaron fratres appellaret. Hic quid me facere conuenit, qui præter unum Antonium Moncadam essem omnium natu minimus. An hortante præside, & se iureiurando ab eo ludicro cessaturum negante, si per ætatem liceret, alijsq; incitantibus certamen detrectarem, & tertius numerarer Hebræus? Sumpsi igitur scutū citius, uolens quantumuis incursum ac casum, quàm illam cōtumeliam pati. Excepi itaq; impetum beluæ, quandoquidem ab hoc cogebar, ita strennue, ut me aries loco nō mouerit. Iterum iubentibus, atq; hortantibus omnibus, ita excepi cornua, ut subducto ad uehementiā ictus sinistro crure protinus in Arietē procubuerim, ac surgēs præ pudore, nam tibias meas quas ceruice tenus intrauerat, hærentē per aduersa terga sustulerim, resupinatū proiecerim magisquam deposuerim, Ideóq; Antonius alludens Terentij uerbis inquit: idem factitauit Hercules: quia sic ego arietem, ut ille aprum Erimantium sustulissem. Hoc est certamen meū quo ad bestias pugnaui, quod minus turpe est mihi subisse, quàm aut cæteris deseruisse, quàm aut accusatore meo refugisse, & certè præter reliquos conuictores laudauit me sapiens ille uir, & generositatis & felicitatis. Habes nunc Fatue fabulam planius à me ueriusq; expositam, quàm à Panhormita audisti, quam in quatuor uerbis perstrinxeras. Fac. Quem Grammatici contemnunt. Lau. Ita prorsus, ut Guarinus & Aurispa testantur. Elegantięq; meæ, quæ per omnes prouincias circunferuntur. Fac. Oratores irrident. Lau. Et ideo ijdem quos nominaui Leonardusq; ac cæteri omnes per irrisionē tantopere me laudarunt. Fac. Laudare philosophi flocci faciunt. Lau. Hoc si probas quod in me latras, ut canes in nocturnū lupū. Nam ipsorū oues, qua nō opinantur aggredior, etsi eorum optimi quiq; nō lupum, sed inertium canum exterminatorem me uocāt, sentiensq́, si modo lupus

ſum, & non leo: & tu ais me ab illis floccifieri, quaſi canes lupū leonē'ue floccifaciāt. An in te nō leo eſſe uideor, quē in latratorē magis, q̄ robuſtū canē, quòd in ſaltu me inſequutus es lacero, ne dicā deuoro? Caninā enim carnē leo faſtidit ac floccifacit. Fac. Theologi damnāt. Lau Ego in quouis theologorū cœtu, ut parciſſimè dicā, è numero uideor illorū, quū uterq; ueſtrū aſtet, quaſi Onocrotalus inter Cygnos. Fa. Imò uerò igni ſubijciendū iudicaſſent, in epiſcopali templo, cum de te, ut de hæretico & de fide Chriſtiana male ſentiente exiſtimarent. Lau. Audes exemplar infamiæ Panhormita de igne mentionem facere, bis iam ipſe combuſtus, propè in orbis terrarū celeberrimis theatris? Iudicaſſent inquiſte uerò iudicarūt, tibiq; ignem ſubieciſſent, niſi ſupplex, monentibus quibuſdā miſericordia cōmotis, errorum tuorū ueniam à iudicibus petere feſtinaſſes. Niſi libellus ille ad ſummum pontificem miſſus ſatis reſponderet calumniæ ueſtræ, plura dicerem: ſed nolo, ne nimis de laudibus meis loqui uelle uidear. Fac. Recognoſce igitur aliquando teipſum, ut te ipſo cognito, alios non negligas. Lau. Video, quia intellectum te uis, hoc dicis. Fac. At tandem temeritate, inſolentia, maledicētia, & impudētia depoſita, modeſtus & temperatus eſſe diſce. Lau. Tandem finē facis maledicendi duntaxat in prima inuectiua. Cuius conuicia ſic digeſſi à te diſſipate dicta, ut grauiſſimum quodq;, poſtremum eſſet. Admones, ut diſcam modeſtus eſſe, & temperatus, nimirum ſperas, talem fieri poſſe. At ſuperius deſperabas inquiens. Fac. Diſce, diſce igitur ex alijs modeſtius eſſe, & linguæ frenum adhibe. Sed hoc certe, nunquam mihi concedes, propter innatam arrogantiam tuam. Lau. An potes Fatue negare te fatuum? Sed in quem unquā extiti, uel ſcriptis, uel lingua maledicus? qui etſi nullius ſceleris mihi conſcius ſum, nec alicuius in notata familia probri, ſordis, uilitatis: nec imperitiam, nec humilitatem, nec mores inſectatus ſum, niſi Panhormitæ, atrociſſimis ab eo laceſſitus iniurijs? Cuius conſuetudinem, ut uides, omnes uiri boni aſpernantur, atq; ut inſanum effugiunt. Ergo non rex, cui tot menſes lego, uir bonus eſt, nec ſummus pontifex, quem ſuperioribus diebus adij. Nec Cardinales qui ad me ſcriptitant, ut ſileam cæteros, de uobis duobus pudor me prohibet uiciſſim, quæ poſſum dicere. Fac. Hæc ego abs te laceſſitus Laurenti, licet inuitus ac præter naturam & conſuetudinem meam, ſcribere ſtatui, ut ſi quam, mihi detrahendo, uoluptatem imbibiſti, hanc coram male de te legendo euomas. Lau. Teneo te ubiq; ſtolidiſſime, & mendacij malignitatiſq; conuinco. Hæc omnia in me perperam effudiſti, hæc mortifera tela contorſiſti: his quantum putas detonuiſti fulminibus, quòd tibi detraxerim. Quæ porrò iſta detractio fuit? Nempe quòd te quia contra libros meos hiſtoriarū inimiciſſimè ſcriberes, idq; apud regem mihi inimicus obijceret, minutorum minutiſſimum appellaui. Dic nunc præter naturam, & conſuetudinem tuam in me fuiſſe inuectum. Quis unquam urſus, aut quæ leena, tigris'ue ereptis ſibi catulis rabidior fuit, quàm tu in me? quia te abs te uerberatus conſpui. Et ſanè immanis immitiſq; naturæ eſt, ne in eo quidem loco, ubi quis ſe manſuetum mitemq; probare uult, ab acerbitate uerborum poſſe temperare. Fac. Ego de meo ſenſu iudico, non niſi in ipſo ardore probris reſpōdendi uterer his uerbis. Hanc totam male de te legendo euomas, quod non facit in illa breui, ſed incenſa inuectiua & iuſtiores cauſas haberi te, Salluſtius, ut ſi quàm male dicendo uoluptatem cepiſti, eam male audiendo amittas. Lau. Audete dicere inuitū ad hoc deſcēdiſſe, & nō potius cū tua natura ſæua & importuna, inuidiæq; et auaritiæ plena, quā cum plurimo uſu roboraſti, tū uerò rogatu atq; impulſu Antonij Pāhormitæ.

# LAVRENTIVS VALLA CLARISSIMO ET ELOQVENTISSIMO VIRO, Candido Decembri, S. D.

NOnne indignum eſt Candide, & ægre nobis ferẽdum, quòd tot ineruditiſſimi libri, & ineptiſſime ſcripti, non modo non inijciuntur flammis in publico poſitis, more maiorum, ſed & multos ita amatores, laudatoresq́ꝫ habent, ut magnis eos autoribus, nõ dico comparare, ſed præferre non erubeſcant? idq́ꝫ ferè in omnibus liberalibus artibus & diſciplinis, ſed de cæteris quidem aliâs. Nunc autem de ſcriptoribus in iure ciuili tecum loqui parũper inſtitui. Quem mihi in hac cauſa deligendum ideo putaui, quòd (dicam quod ſentio) neminem ſcio, uel in iudicãdo magis religioſum, uel in doctrina magis aut uberem, aut expolitum. Horum quos dico iuriſperitorum, nemo ferè eſt, qui non contemnendus planè ac ridiculus uideatur: ea eſt ineruditio in illis omnium doctrinarum, quæ ſunt libero homine dignæ, & præſertim eloquentiæ, cui omnes Iuriſconſulti diligentiſſime ſtuduerunt, & ſine qua ipſorum libri intelligi nõ poſſunt: ea hebetudo ingenij, ea mentis leuitas atqꝫ ſtultitia, ut ipſius iuris ciuilis doleam uicem, quod penè interpretibus caret, aut quod his, quos nunc habet, potius non caret. Satius eſt non ſcribere, quàm beſtias habere lectores: qui, quod tu ſapienter excogitaſti, aut nõ intelligant, beſtię enim ſunt, aut inſipienter alijs exponant. Quare non poſſum me continere, quin male precer illi qui in culpa eſt. Dij itaque tibi male faciant Iuſtiniane iniuſtiſſime, qui potentia Romani imperij in Romanorum perniciem, bonorum'que & clarorum ciuium abuſus es. Nam quid te uel iniuſtius, ſi per inuidiam ornatiſſimos illos Iuriſconſultos abolendos curaſti, cupiens ut Conſtantinopolim, quò noſtri imperij domicilium cõmigrauerat, ne librorum quidem copia & ſcriptorum autoritate uinceremus: uel imprudentius, ſi poſteriora ſecula à commentarijs temperatura ſperauiſti? Itaque uide quid feceris, & ubicunque es, fateare te male inconſideratéque feciſſe: niſi forte gaudes noſtro malo, in locum Sulpitij, Sceuolæ, Pauli, Vlpiani, aliorum'que, ut leuiter loquar, cygnorum, quos tua aquila ſæuiſſime interemit, ſucceſſerunt anſeres Bartolus, Baldus, Accurſius, Dinus, cæteriq́ꝫ id genus hominum, qui non Romana lingua loquantur, ſed barbara: non urbanam quandam morum ciuilitatẽ, ſed agreſtem ruſticanamq́ꝫ immanitatem præ ſe ferant: denique non olores, ſed anſeres: Non qui palatium Capitoliumq́ꝫ, ut antiquitus fiebat, à nocturnis furibus cuſtodirent, ſed qui in uijs ac plateis ad uniuſcuiuſque prætereuntis aſpectum obſtrepant, ac uociferentur, & totas ciuitates atque uillas inquietent: exiſtimantes ſe (ô nephas) uocem cantumq́ꝫ habere cygnorum. Quàm acerbum quęſo eſt, nobis præſertim, qui cygneam uocem non ignoramus, his paſſim raucorum anſerum clamoribus obſurdeſcere. Quis crederet? Anſeres etiam mordere audent, collo'que porrecto, & neſcio quid cornicanti uoce cõminantes, crura tranſeuntium ferituri inſequuntur. Non igitur hæ ſtolidæ aues repercutiendæ ſunt? non manu, ſed pede. Item ut deinceps ad oſtendendos homines prodire non audeant, uellem etiam ut ad tacendum quoqꝫ compelli poſſent: hoc eſt, ut occiderentur, quæ ſuauius comedũtur q̃ꝫ audiũtur. Verũ hoc nõ poſſumus, ſunt qui prohibeãt: id certe quod poſſumus faciamus, ne noſtra crura oratorum dico, appetere amplius tentẽt. Num te Laurẽti, inquiet aliquis, aliquãdo anſeres momorderũt? ut ita in illas beſtias iraſcerere. An uero bonus uir priuata ſolũ cauſa, & non pu-

blica commouetur? alios offendunt, me quoque offendunt: omnibus enim ciuibus iniuriam facit, qui ciuem aliquem uiolat, & omnes boni iniuriam accipiunt quæ fit unicuilibet bono. Cæterum si causa priuata magis quàm publica uis me excitari, accipe cur etiam mea causa debeam commoueri. Hesterno die quidam inter iurisperitos magnus, si quid magnum potest esse in parua scientia, nomen tacebo, ne mihi succenseat, nisi prius de se uoluerit confiteri, audebat mihi Bartolum Ciceroni in doctrina anteponere: tum multa alia inconsiderate dicens, tum illud furiose affirmans, nullum ex operibus Mar. Tullij cum uel breuissimo Bartoli libello, qualis erat ille de insignijs & armis, comparādum. Ego qui nossem hominē non parue alioqui existimationis, & autoritatis, quasi colapho percussus, incensus sum. Sed me repressi, iram'que cohibui, ut alio tempore uehementius ulciscerer, & quale non putarem uulnus infligerem, & ridens inquam: Ostēde quæso istum ipsum quem nominasti libellum, ut adorabilem doctrinam possim perdiscere, aut quid sentiam respondere. Nam quædam istius Bartoli uidi, sed nequaquam multa. Tum ille, Vbiuis hunc librum tanquam solem uidere poteris. Cōmodabis, inquam, tu, si quod exemplū apud te est. Nō est apud me, inquit ille, sed à Catone Satio, quem tu propter eloquētiam, & multarum rerum peritiam amas, & ego propter admirabilem & singularem Iuris ciuilis scientiam obseruo, commodato accipere soleo. Mirum profecto narras, inquam, quod iste Bartolinus sol, quē ubique uideri dicis, nisi raro, domi tuæ non cernitur. Longiorem noctem in tua domo habes, quàm ij qui dicuntur, nescio in qua parte orbis terrarum, in unam noctem atque in unum diem, totum annum habere diuisum. Ibo igitur ad Catonem, ubi solem istum dicis esse: sed tu commodius faceres, ac diceres uerius, si Catonem, non Bartolum, solem appellares, qui sciētiam istam eloquentia quasi quibusdam radijs illustrat. Verum dic rogo iterum, quis titulus libri, ne forte errem, non planè intellexi. De insignijs, inquit, ille, & armis. Noua & non peruagata, inquam, debet esse materia, quæ nouum titulū habet. Et uere, inquit ille, noua materia est, & à Bartolo inuēta, & accuratissime tractata, sed non est obscurus & nouus titulus. Quid ni, inquam, ego qui non penitus abhorreo ab intelligentia uerborum, quid hoc est, de insignijs, non intelligo, de armis intelligo. Atqui, inquit, si nosti quid significent armæ, multo magis quid insignia. Hem quid ais, inquam, incertior sum, quàm dudū. Quum uis declarare unum uerbum, nec ipsum declaras, & alterum obscuras. Arma & insignia quid sint scio, armæ & insignijs quid sint nescio: uereor ne me illudas, qui librum Sibyllinum, nō Bartoli mihi obtuleris, quem ego idiota non queam intelligere. Nam si nec titulum quidem sine interprete facile intelligo, quid tandem in illis locis futurum putem, ubi se in altas quæstiones autor profundasq; demersit? Qui de mēsura cœli loquuntur, & de astrorum cursu scribunt, difficilimis'que atque abditis rebus, tamen ita suos libros inscribunt, ut quænam materia tractetur, intelligatur. Itaque magis me territat iste tuus de quo dicis libellus, quàm omnes de astrologia libri. Quod si ideo Bartolum Ciceroni anteponis, quod obscurius loquitur, mihi tecum pugna non est, & isti libro libenter etiam palmam tribuo. Nam quid magis Cicero laborauit, quàm ut ab alijs orationis obscuritate uinceretur, quam ipse, quasi syrtim quādam charybdim'q; uitabat? Dicit enim quodam loco: Satius est mutum esse, quàm quod nemo intelligat, dicere. Tu tamen quid Bartolus loquitur, non ignoras, quod equidem admiror, quum tu non sis ita multum me literis doctior, nisi quòd balbi balbos melius intelligunt. Iocaris, inquit ille, & me potius illudis. Non est nobis cura de uerbis, sed de sentētijs: non de frondibus arborū, sed de pomis & fructibus: quemadmodum uobis oratoribus, qui uerba aucupamini, uim atque utilitatem

sententiarum

sententiarum omittitis, & semper in ridiculis & rebus inanibus occupati estis: ut nunc tu facis, qui quum non ignores quid significant insignia, tamen à me quęris: & quum nihil habeas quod opponas solidũ & uirile, ad ineptias te conuertis, quasi nihil sit tibi aliud quod agas: mihi necesse est maioribus uacare, q̃ his inutilibus contentionibus, atq; abiјt. Ego uero remanens, penè mutaui propositum, dubitauiq; an librũ petendum putarem. Qualem enim sperarem illum fore in medio mari gubernatorem, qui statim dum portum aggreditur impingit? & qui in primis uerbis nescit quid loquatur, quid tandem in cursu & calore dicendi eum putes esse facturum? itaq; pudendum esse arbitrabar, si contra barbarum de literis, contra imperitũ de sapientia, cõtra iacentem & inermem stans armatusq; pugnarem. Sed ne barbari, imperiti, nudi, inermesq; nos lacessere uideantur, & quod grauius est, fugere, & ne mihi ille iurisperitus impune insultauerit, postremo ne anseres se olores sibi esse persuadeant, legendum mihi Bartolinum librum putaui, & errores quos multos esse non dubitabam, non clamore, sed stilo, qui perpetuò durare, & per orbem terrarum uolitare potest, demõstrandos. Ne autem multis Candide morer, & ad rem ueniam: Vesperi ac Catonem misi, qui mihi Bartolianum libellum commodaret, quem licet perpusillum, uix potui perlegere. In quo, dij immortales, quàm omnia sine grauitate, q̃ omnia sine pondere, quàm omnia fatue, asinum loqui, non hominem putes. Itaq; tantum abest, ut de Bartolo egregie sentiam, & Ciceroni comparem, ut iurare ausim, Tironem Mar. Tullij libertum, si Bartolum seruum habuisset, nunquam dignum libertate duxisse. Atque ut eius imperitiã stultitiamq; ostẽdere incipiam, primum libet eum breuiter summatimq; reprehendere. Nam præter illud quod in communi quadam intelligentia est situm, eges meminerunt, quod signa non fiant ad aliorum iniuriam, cætera omnia in libello illo superuacua sunt, & odiosæ ac peruersæ diligentiæ plenissima: qualia ferè sunt omnia nostrorum iurisperitorum uolumina, non à uiris, ita enim grandia sunt & uasta, sed ab asinis portanda. Dicamus igitur de his rebus, quæ proprie insignia uocari possunt. Quodcunque animal, ait, designatur in uexillis, facies eius debet inspicere hastã, cum de natura faciei sit, antecedere. Nunquam in quempiam sic cadere uidi illud Terentianum: Faciunt nę intelligendo, ut nihil intelligant. id est, quum plus sapere uideri uolunt, minus sapere uidẽtur. Hoc loco abs te Bartole quęro, utrum'ne uis ab altera parte pingi, an ab utraque? non enim te planè intelligo. Credo respondebis, ab altera: ita enim uerba tua interpretor. Hoc quàm indecens sit, postea uidero: nũc utram partem pingi mauis? dextram inquis: probe tu quidẽ, sed quæ nam sit dextra ignoras, & pro ea sumis sinistram: nam eam partem quæ uergit ad læuam illius qui signa fert, pro dextra accipis, licet omnia obscuritate sermonis inuoluas, quasi nõ illi qui ad eam partem sunt, in sinistro cornu esse dicãtur: & ita illa pars signorum, quæ ad illud cornu respicit, sinistra debeat dici. Sed hoc non dandum est uitio, quippe qui non de lateribus, sed de fronte signorum loquitur. Esto, demus ueniam, & hominem qui pro alijs dormientibus se excubitorem profitetur, stertentem, non increpatione, sed submissa & molli uoce excitemus. Ad hastam, inquit, facies rerum conuertantur, ut quo hasta fertur, eòdem ille meare uideantur. Ita'ne ais Bartole? hæc potissima ratio? hoc naturale putas? hasta præcedat. Dic quæso, an signa hastæ, an signis hasta subseruit? hęc illius, an illa horum causa reperta est? Nauigasti unquam, aut nauigantes è littore uidisti? eorum signa pręcedunt hastam, an sequantur? imò uero pręcedunt. & quò uela aut nauis uehitur, ipsa quoq; diriguntur. Ergo ad legem tuam, si ideo aspectus ad hastã respicere debent, quia illa, ut ais, præcedit, non debebunt respicere, ubi, uelut in mari fit, illa non præcesserit. An tibi parum

uidetur,

uidetur, quod in uniuerso mari lex tua uel dānanda est, uel repudianda? an plura uexilla feruntur in terra quàm in mari? tacebo de cæteris aquis. Age porrò in terra quid dignius ac præstantius, quàm signa pontificum nostrorum ac sacerdotum, hoc est, dei contra diabolum? Nonne ita geruntur illa, ut hasta non modo nō præcedat, sed etiā lateat? Hæc tamen nō cogitasti Bartole, sed solum ad signa militaria respexisti, quasi nunquam castra uideris. Quid quòd in illis hasta sæpius ferri solet, & mea sententia decentius, paululum inclinata in anteriorē partem, multoq; melius quàm in posteriorem, atque ita pendentibus uelis, siue ad palatia, siue ad templa suffigitur? Itaque tunc facies animalium ad hastam respicient quidem, sed terga hostibus ostendent, cōtra legem tuam. Quid quòd principium ac fons signorum ab hasta incipit, & quasi fluit in extrema? cur non igitur animalia quæ pinguntur, ab hasta descendere debent, & in extrema procedere? presertim ne in hastam ferantur, quò ire non possunt, spacio deficiēte. Quid quòd signa siue stant, siue eunt, nunquam, ut tu uis, retrorsum, nisi uento mota, ferri & expandi queunt? Quasi naues onerariæ sint, quæ sine uento ire non possunt. Atqui, sicut modo dicebam, paululum in anteriora inclinentur, ope uentorum non indigent. Quid quod absurdum est optima geri signa aduerso uento retrorsum uolitantia? quo modo pessime imus in pugnam. Non enim adeò sol aduersus, quàm uentus timeri uitariq; solet: nam sol quidem nobis duntaxat nocet, uentus autem etiam hostes adiuuat. Quid quòd dum retro signa uento in morem uelorum impelluntur, in contrarium ab hasta ferūtur? Ex quò fit, ut animalia picta, non quò hasta ducitur, utique pergere debeant, sed quò signa ipsa, quibus animalia continentur, uento pansa portantur. Omnia hæc eò spectant, ut appareat nihil necesse esse animalia ad hastam quasi ad anteriorem partē respicere. Nunc illud addimus, etiam si hasta præcedat, indecoros nonnunquā esse gestus, qui ad illam dirigantur. Nam quid ais Bartole? attolle paulisper oculos, & uigila: consuluit te tuus rex Boēmiæ, & Cęsar. Legitur paulo ante apud Vergilium, quod in regis Turni clypeo erat, Cęlata fundēs amnem pater Inacus urna. Vult hanc ipse effigiem Inaci, nō in clypeo, non enim clypeo utitur, sed in uexillo gerere. Doce tu et tantus Iuriscōsultus & cōsiliarius Cęsaris, quonam modo illa pingenda sit. Cui uix attollens tu lumina Bartole, dices: Ius ciuile, ô Cæsar, & Geometria, & Arimethica, & Philosophia iubet, ut omnes gestus ad hastam dirigātur, nec fas est hanc legem præuaricari. Collocabis igitur deū in ima atq; pendenti parte uexilli, & quasi supinum, qui uersus hastam, id est, in altum aquas inclinata urna effundat. Nonne si hęc rex audiat, tibi dicat, Dormis Bartole? an parum es sobrius? Cur ita potius, quàm deum constituere in parte uexilli digniore & superiore, & in pronum ac procliue aquas dimittentem, ut postea longo tractu flumen serpere, & labi in mare uideatur? Quid porrò si solē gerere pro signo uelim, quo quidem usi sunt potentissimi reges? nonne à superiore faciam in inferiora radiantem, & quasi terras despicientem? Hic tu titubans, nutansq;, & quasi per somnum & crapulam loquens, dices: Quid necesse est, optime rex, externa exquirere? tua enim signa magnifica sunt, & non mutanda. Habet Boēmiæ rex pro Inaco leonem, pro sole Cæsar aquilam, quæ duo animalia debent eò esse conuersa, quò feruntur. Tum ille inquiet: In leone & aquila tantum tua lex locum habet. At ego non de his animalibus quæro. Sed quoniam de aquila fecisti mentionē, nam de leone dicam postea, uenit in mentem de meo populo Romano, à quo aquilam accepi. Is nunc gerit pro signo quatuor literas, S. P. Q. R. unde tu uis illas literas incipere? an ita ut tendant in hastā? Sed istud est Hebraice scribere, non Latine: eas nemo intelligat præter te, qui scis è contrario legere, aut præposterus erit ille ordo literarum, R. Q. P. S.

Imò

Imò ab hasta, inquies, incipiendum est. At hoc contra legem tuam est: Non inquies: nam literæ excipiuntur. Ideo cognosces te stulte dicere, quum ad exceptiones confugis: cur non etiam excipis solem? cur non Inacum? cur nō multa alia? quia inquies, de animalibus loquor, ut de leone & aquila. Cur ergo ab ista regula excipis literas? an literæ animalia sunt? Et quoniam tibi tantopere animalia placent, ut deum & solem præ leone & aquila fastidias, de ipsis duobus aliquid dicamus. Si leonem purpureis filis contextum, in pectore gestarem, insurgētem in anteriora, & quasi in hostes meos ex aduerso uenientes erectū, & hoc non improbares: cur improbares alterum leonem à tergo in eodem habitu, nō in humeros meos conuersum, ne me laniare uideretur, sed ea parte auersum, in quam fertur? An quod in regia ueste non dedecet, id in uexillo dedecebit? quanquam si recte existimemus, non cōuersus in hostem iste tuus leo mihi uidetur, sed quasi timeat sese sub trunco abscondere et occultare: ut aut nō cernatur ab hostibus, aut aliò ire quàm ad hostes, non frontem, sed latus ostendens, penè fugere putetur. Nam aquilam ne ipsam quidem dixerit quisquam ad legem tuā esse formatam: siquidem præter id quod & ipsa sub hasta latet, nō in pectus fertur, sed in latus, quasi aues in transuersum queant uolandi impetum sumere. Præterea quum mihi interdicis Bartole, ne facies animalium aspiciant in dextrum aut in sinistrū: quod mihi interdum magnificentius fieri uidetur, ut leo sedens, & in latus alterum faciem uertēs, & illud: Tereti ceruice reflexam Procubuisse lupum. Quæ si recumbit, quomodo potest uideri ire, quum quiescat? tamen facies eius conuertatur illuc quò fertur. At ipsa multo melius conuersa est ad pueros, quos mulcetur alternos. Pectus, inquies, certe teneat ad anteriora conuersum: si non attinet de uultu, minus pectore. Sed ita, ut dixi, inquies: melius est, in lupa hoc mihi exigis, quum Veneti, quem populum tu nosti quantus sit, auersa ora teneāt, ab ea parte, in quam lembulis cimbulisq; uehuntur. Et Græci quidem in signaculis librorum, ut nuper uidere potuisti, quum legati Cōstantinopolitani ad me uenerunt. Hebræi autem in ductu literarum contra ac nostra consuetudo postulat, faciunt: & omnia penè apud omnes gentes uaria sunt, quod diiudicare uelle, uide ne tam uere dicere quàm immodeste facere uideare. Postremo, ut scias quid tuæ rationes ualeant, afferam exemplum, quod ubiq; plurimum facit. Romani olim Consules & Imperatores, ut ex simulacris marmorum insculptorū Romanas pugnas continentium licet uidere, non ita ut nunc uolitantia, & quasi retro fugientia signa, & aura semper uentulanda gestabant, sed patentia, & sese, ut aspici timeriq; possent, ostentantia, & uere infesta, & ad quancunque partem uolumus cōuertenda, nec uento obnoxia: Qualia nunc in solennitatibus nostri sacerdotes antiquum morem retinentes gerūt. Nūc autem, ut ad te reuertar Bartole, regemq; missum faciamus, ne nimis grauem personam introduxisse uideamur: responde mihi ad illud, quod me promiseram dicturū. Indecens esse & incōmodum, ut ab altera tantum parte pictura cernatur. Etenim cum uexilla signātur in medium, ut ab his qui sunt dextra & læua, agnosci, & milites longius progressi, ad Cēturionem suum reuerti possunt, tu dimidiam exercitus partem sua portione fraudabis, & aliis facies iniuriam, quum aliis non facias honorem aut utilitatem. At unus leo, aut una aquila ab utraque uexilli parte cerni potest: hoc est, non ab uno, sed ab utroq; latere figuras fieri debere. Sed ô legum doctorem circumspectum & consideratum, quid si literæ quædam sint, ut erat apud ueteres frequētissimum, quis ex inuerso literas leget? quid si in laneo uexillo, quas ex altera parte cognoscere ne lincei quidem oculi sufficiant? Tu tamen hos meos laqueos effugies, & in me excandesces, clamabisq;, non te dixisse ab una demum parte figuras esse faciendas, quinimò non negare utrinq; etiam fieri tantū uelle, ut aspectus

ut aspectus animalium ad hastam tendant. Quid respondebo ad hæc tibi Bartole Mathematicorum ritu loquēti, ut an affirmes an neges, intelligere nesciamus, & omnia dixisse & nihil dixisse uidearis? si cōsultò, & de industria, perplexe obscureq́ꝫ loqueris, ut Mathematici faciūt, odio dignus es: si per imprudentiam & imperitiam, uenia danda est, modo librum corrigas, non sic legendum omnibus efferas. Demus tamē puero ueniā, licet pertinaci. Vis igitur ab utroq́ꝫ latere esse figurata, dum aspectus, ut dixi, in hastam tendat. In quo te satis abunde cōpressimus, dum de uno latere pingendo disputauimus: hæc tamen in hūc locum reseruata sunt, quę te bis peccasse coarguant & de utroque latere male sensisse. Fuit mihi auunculus Melchior, uir cum in cęteris laudandus, tum uero in hoc quòd quum aliquot annis iuri ciuili studuisset, ad artem oratoriam postea totū se conuertit, secretariusq́ꝫ Martini quinti peste in uia correptus, nuper est mortuus: qui mori minime debuit, iuuenis adhuc & uiridis, & ornamentū ac delitiæ curiæ Romanę: cuius de sepulchro ornando nunc consultamus, signaq́ꝫ ad leuandum luctum suorum, & ut moris est, supra sepulchrum tam clari uiri affigere destinauimus. Commonefacias nos Bartole, quo nam hęc figuranda sint. Est autem manus dextra cum lacerto scribens, unde Scribana progenies nuncupatur. Sed postulas utiq́ꝫ, ut aspectus scribentis in hastam dirigatur: uideo uel dextram in altero latere mutandam esse in sinistram, cuius non est naturale scribere, uel exteriorem manus partem pro interiori ostendam. Tu, credo, quæ tua est æquitas atque prudentia, suadebis utcunque se res habet, ad hastam actum manus esse dirigendum: nisi forte mutādam esse rationem putas, quod signa magis ad terram respicere debēt, ubi quis sepultus est, quàm ad hastam, quæ sursum respicere uidetur, sicut ais faciendum esse in tuba. Quanquam etiam hoc modo in eadem controuersia sumus, quum necesse etiam sit dextrum signum à sinistro discrepare, quod tu nō debere fieri penè mordicus tueris, & reluctaris, &, ut aiūt, de genu pugnas. Quid si addere uelim huic signo annulū in pollice? iure enim meo hoc possum, an hic annulus cerni poterit, exteriore tantum manus parte apparente? Minime, ergo idcirco geritur annulus, ut non cernatur. Hæc nūc Scribana manus, quam peruertere uolebas, te prosternit, hæc te confodit, hæc ipsum illum quem tenet calamum ac pēnam transuersam ducit in tuo libello, & omnes tuas ineptias delet. Idem dici potest de dextera gladium tenente, qua quidam utuntur, & huic addamus etiam annulos. Idem si eadem manus saluatoris nostri in habitu benedictionis cruci affixa cernatur. Idem si pelicanus sedem cordis rostro referās pingeretur. Idem in plurimis alĳs. Adeò frequentius latus à latere differt, præsertim ubi pinguntur animalia, de quibus solis Bartolum fecisse mentionem summopere demiror, & de alĳs communibus quæ multa proposuerat, non dixisse ut de ense nudato, de eodē in uagina recondito, de flore, de annulo, de eo quem dixi flumine, quæ omnia omisisse, & magnæ secordiæ est ac supinitatis utique, quum te promiseris dicturum, quæ & suam certam rationem postulant, nec in pręscripto Bartoli ac formula continentur. Sed satis contra signorum positionem diximus, in quibus quantopere Bartolus deliret atque desipiat, si modo unquam sapuit, accipite sequentia. Si leo est, inquit, pro signo, mordeat: si equus, currat: si taurus, cornu minetur: nimirum si asinus est, se uolutet in puluere. Siquidem omnia ut naturalia sunt postulas: quod quum dicis, simul eos qui post hac signa facturi sunt, ad istam tuam legē uocas. Quis adeò sui negligens est, ut nō malit cū toto orbe peccare, quàm cū uno Bartolo bene sentire? Sin, ut magis sentis, signa quę facta sunt, reprehendere ac reformare conaris, ô excordē hominem, & uesanū caput, ô cerebrū elleboro purgādum. Tu'ne aliter Triptolemus pinguia frumenta hominibus attulisti, rudi prius glande uescentibus? tu'ne cor-

rigere

rigere audes uetustissimorum regum signa, quæ ipsa uetustate quandam exhibent religionem? Increpa stultitiæ tuũ Boëmię regem, qui leonem gerit rubeum bicaudem, duobus pedibus stantem. Id esse stultissimum fateare, qui te non naturali signo ab illo donatum esse gloriaris, illudq; cõtra legem tuam portas. Argue regem Gallorum, qui lilia: regem Angliæ, qui pardos aureos habet. Reprehende ducem Mediolani, cuius uidemus tot in locis anguem, nõ more draconis cristatũ, sed coronatum, non uentre, sed extrema cauda, licet pharia non sit, incedentẽ, tãetsi nec ipsius hominis quẽ deuorat, color sit proprius, nec est quod dicas illum non incedere, sed insurgere, & in ipso impetu hominem corripere. Ita opinor, ad cœlũ ille Seraphin ferebatur. quem à pedibus potius q̃ à capite exiliens anguis arriperet. Hæc si corrigi possent, insolentissimum putarẽ si quis ipsa corrigere tentaret. Credo de finibus agitur, aut de rebus repetendis, aut de hereditatibus, aut de homicidijs ubi nõ liceat ad arbitriũ suũ hominibus aliquid liberius ac licentius facere. Mihi uero illa ipsa quę magis à naturali recedunt, nescio quid uidẽtur prę se ferre tum gratius tum significantius, q̃d maioribus quoq; nostris uideo placuisse: ut cẽtaurus, chimera, sphinx, minotaurus, & ille apud Plautum sol cũ quadrigis oriens, & in priscis numismatibus atq; marmoribus homines alati. Quòd si placet omnia tam acriter & censorie excutere, cur nõ usum loquendi reformas, uestes corrigis, literas mutas? quippe multa reperies in illis, si curiosius rimeris, quæ in meliora cõmutes. Nõ possum, inquies, quid? signa potes? Vide si quilibet unus in omnibus terris tuæ isti legi obtemperauit, uicissis quanquam dij boni quid non erit ad legem Bartoli uitiosum? qui ait, caput arietis & tauri semper in cœlum debere suspicere, quasi signa cœlestia, quæ idem nomen habent: recogniturum leonem semper rutilum, semper fremere, semper insurgere, scindere, nec dat ei bestiam in quam poscit irasci, saltem in cœlum aspicientem faceret, ut contra Nemæum leonem irasci putaremus: Equum semper currere, nec meminit apponere sessorem, qui equum currere compellat: pedem dextrum caballi præcedere, quasi bruta dignitatem quandam habeant in dextro pede, sicut homines manu. Nónne hæc sunt plena ineptiarum, postremeq; dementiæ? Et quum ipse in pronunciando gestum non obseruet, & utra prior manus mouenda sit nesciat, in equis gestum exigit oratorum. Quid equos arguis asine? An non asinorum uerba sunt banderiæ, quartariæ, istæ armæ Clodi, cropæ? cur etiam non addebas bastones, quibus cropam tuam atque adeò totum corpus ad necem usque cæderemus? & postea Hebraicas literas discere uoluisti, quasi latinas uel primis labris attigisses. En ô tempora, ô mores, en qui nobis pro Seruio Sulpitio substitutus est? Ille habebat mirabilem quandam & incredibilem & penè diuinam in legibus interpretandis ęquitatẽ, explicandi scientiam, hic incredibilem iniquitatem & iniustitiam. Ille malebat controuersias tollere quàm constituere, hic nodum in scirpo quærit. Ille quę proficiscebantur à legibus & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat: hic contrà, ad asperitatem omnia iniquitatemq; refert. Ille non tam iuris consultus quàm iustitiæ fuit: hic non iustitiæ, sed iuris, hoc est, ut Bartolinis uocabulis utar, brodij consultus est. Et quid, ô noster non Sulpiti, ita'ne suppis te & brodio refersisti, ut oculos præ sopore graues, attollere & aperire non possis? nec uideas dextrum semper pedem non posse pręcedere, quippe quum sæpe necesse sit, ut ab altero latere dexter præcedat, ab altero sinister, ut in aquila tua, & leone. Intueamur nunc rationes tuas de coloribus, in quibus quasi in triarijs omnem spem profligatæ causæ reposuisti. Audite Iurisconsultum mira quædam philosophantem, nouam quandam & inauditã affert disciplinã, quæ uniuersum orbem reuocet ab errore: & si minus reuocare potest, iandiu propter consuetudinẽ induratã,

certe

certe commonefaciat, ita fuisse faciendũ. Color aureus est, inquit, nobilissimus colorum, quod per eum figuratur lux. Si quis enim uellet figurare radios solis, quod est corpus maxime luminosum, non posset cõmodius facere quàm per radios aureos, constat autem luce nihil esse nobilius. Anim aduertite stuporem hominis, stoliditatemq́ pecudis. Si aureum colorem accipit eum solum, qui ab auro figuratur, sol quidem non est aureus. Si aureum pro fuluo, rutilo, croceo, quis unquam ita cæcus atq; ebrius fuit, nisi similis ac par Bartolo, qui solem croceum dixerit? Sustolle paulisper oculos asine: solent enim aliquando asini, præsertim quum dentes nudant, ora attollere. Tu quoq; quũ loqueris, faciem subleua, nec te nimia auri cupiditas cęcet, quod in terra non in cœlo inuenitur: & uide, an sol est aureus uel argenteus. Vnde inter lapillos candidos heliotropium à sole nomẽ accepit. Et noscandẽtes tedas, cãdentes rogos: & excãdescere dicimus, si quis ira aut indignatione cõmotus est, & uelut inflãmatus: flamma enim, quæ nihil habet humoris & terrei, candida est, & soli comparanda. Quid postea, quẽ proximo loco colorem ponit? quem putas eum qui nõ est, ut sit semper sibiipsi similis, ut nõ modo dicat quicquid in buccam uenit, sed tãquam studeat nihil dicere, quod uerum sit, aut rectum? Sapphireus, inquit, est proximus, quem ipse, ut est barbarus, & quasi cum fœminis, & non cum uiris loquatur, azurum uocat: per hunc colorem, ait significatur aër. Non'ne tibi hic aliquid dicere uidetur, qui ordinẽ sequitur elementorum? certe. Sed nescio quare lunam pretermisit, nisi quia tunc in cœlo non erat aut eclipsi laborabat: quum solem primum feceris, lunam debueras facere secundam, quæ & altior aëre est, & magis suum quendam colorem habet quàm aër, & quum illum dixeris aureum, hanc oportebat argenteam nominare & proximam à sole facere, ut argentum secundum est ab auro: nisi forte lunam quoq; auream putes aureo uino madidus & distentus, aut eam hinc odio habes, quia sis ipse lunaticus. Sin uolueris sororem fratri Phœben Phœbo proximum ponere, profecto res ipsa & ordo postulabat, post aurum sequens locus esset argento, qui est color candidus: eo quidem magis quòd postea hunc ipsum colorem, nescio quomodo, siue primum siue secũdum facis, quod uidelicet luci maxime propinquus sit: homo tibiipsi contrarius, & ubiq; ueluti per somnũ loquẽs. Sapphireum igitur secundo numeras loco, delectatus, ut dixi, ordine elementorum: à metallis enim, à lapidibus preciosis, ab herbis & floribus, non putasti tibi exempla sumenda: quæ si propria magis & accommodata erant, tum humilia tibi & abiecta duxisti, tu qui ex sole tantum es factus & aëre. Nam quum seriẽ elementorum prosequeris, de duobus dicis, de duobus alteris obmutescis, & nobis expectantibus tam altum uenerandumq́; processum, quodam modo illudis. Si primus color est igneus, sequens aërius, tertius aquaticus erit: quartus terreus. Aut non adeunda tibi erat ista Bartole uia, aut prorsus obeunda. Pergamus ad cætera. Paulò post ait album esse nobilissimum colorum, nigrum abiectissimum alios uero ita quenquam optimum, ut est albo coniunctissimus, rursum ita quenquam deterrimum: ut est nigredini proximus. Horum quid primum reprehendam? an quod aurei coloris non meminit, quasi meam increpationem timuisset? an quod album omnibus prætulit? an quod nigro infimũ locum dedit? an, quod stultissimum est, quod de alijs coloribus incertius loquutus est quàm Apollo cõsueuit? ut nesciamus quod maxime explicari oportebat, præter album & nigrũ, quorum alterum, ut dixi, optimum, alterũ deterrimũ putat, nescio qua ratione, nisi oculos quoq; ut iudiciũ deprauatos, & corruptos habebat. Quis enim unquã rosas deteriore colore existimauit, quàm eos flores, qui uulgo albe rosæ uocantur? quis Carbunculi colori, quis Smaragdi, Sapphiri, Topazij, multorumq́; aliorum anteponat margaritas, Crystallum, & eum qui dicitur. * Aut cur serica fila munice

la murice tingerentur, lanæ candidæ rubricarentur, nisi rubeus color albo putaretur esse uenustior? Nam si candor est simplicissimus & purissimus, non continuo est præstantissimus. Siquidem argento & simplici & puro & candido antecellit electrum, quod cõpositum est, tum uenustate, tum dignitate. De nigro autem quid dicam? quem cum albo comparatum inuenio, nec minoris præstantię putatum, unde coruus & cygnus propter hanc ipsam causam dicuntur Apollini consecrati: & Horatius spectandum ait, qui sit nigris oculis, nigroq́ capillo. Tu uero Bartole oculos tuos, qui, ut opinor, erant simillimi asininis, pulchriores putas nigris Horatij oculis? aut pilum asini, pilo equi nigri: qualem ob decorem, præcipue Vergilius descripsit, Quem Thracius albis Portat equus bicolor maculis. Et mea sententia Aethiopes Indis pulchriores, eo ipso quod nigriores sunt. Quid ergo autoritatem hominũ affero, quos ille æthereus paruifacit? peccauit ille rerum parẽs atq; opifex, ne longius exempla repetam, qui nigrũ in medio oculi posuit, & in extremis non rubeum aut croceum aut sapphircum, sed album collocauit: & quod te palàm coarguit, isti colori, quẽ tenebris, nõ illi quem luci comparasti, totius corporis tribuit lumen, propter quod oculi, & proprie, & usitate lumina appellantur. Et quid afferri ad hanc rem potest decentius ac ualidius, quàm quod oculus, qui unus est colorum arbiter, non alibi aut alterius, sed nigri coloris, aut nigro proximi, de pupilla loquor, quæ plerunque nigra est, ab ipso deo rerum conditore formatus est? Atq; ut de alijs rebus loquar, quid enumerem, quod in rerum natura reperiuntur nigri coloris, quæ summã tamen exhibent dignitatem? ut Vergilius, Et nigræ uiolæ sunt, & uacinia nigra: Alba ligustra cadunt, uacinia nigra leguntur. Et in horto meo nascuntur uiolæ albæ, quæ cum nigris minime sunt comparandę, & mora, si fabulis credimus, ex albis nigra fiunt, & meliora & pulchriora. Quod si rerum conditor nullam in operibus suis putauit colorum differentiam, quid nos homunculi faciemus? an uolemus plus deo sapere? aut eum imitari & sequi erubescemus? O bone & sancte Iesu. si non cogitauit de lapidibus & herbis, de floribus & multis alijs Bartolus quum de uestibus & operimentis hominum loqueretur, poterat'ne obliuisci de auium, propè dixerim, uestibus, ut galli, pauonis, pici, picæ, phasiani, & aliorum complurium? Et quo de ipsis hominum uestibus dicamus, ex quo stultitia Bartoli insciti aq; tenetur, uestes Aaron, quibus nihil cogitari queat perfectius, an illum Bartolinum colorum ordinem obseruant? Transeo, quod cœlestis Hierusalem duodecim generibus lapidum constructa describitur. Quod si Bartolus legisset, profecto alio modo quàm est loquutus fuisset. Eamus nũc & hominem audiamus, à diuinis atque humanis rebus dissentiẽtem: & puellis Ticinensibus, uer enim aduentat, legem imponamus, ne serta, nisi quomodo Bartolus præscribit, texere audeant, neque ad suum cuiusque iudicium atque uoluntatem facere permittamus. Nam, ut inquit Satyricus, Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno. ut in illo qui nobis hanc libertatem eripere tentat, non secus ac si in seruitutem nos uellet asserere, sit cõflagrandum. Sed de hoc etiam superius questi sumus. Nunc illud dixisse satis est. Stolidissimũ esse aliquem de dignitate colorũ legem introducere. Persequamur cætera. Transit Bartolus ad lacernas ac uestes militares, quas ipse super uestas appellat, ut hic quoque est sui similimus, semper iniustus, semper imprudens, semper ebrius. Modo respiciendum ait ad latus dextrum illius qui indutus est uestem coloribus distinctã, modo ad oculos intuentium. Si respici uis ad latus dextrum gerentis, illud autem cum de toto humero intelligitur, quo pacto poterimus etiam oculorum à tergo intuẽtis ordinem scire? quum pars quæ à facie cernentibus erat dextra, eadem à tergo spectãtibus fiat sinistra, & tamen dexter humerus nunquam sinisterq; mutetur. Sileo quod

iniquum sit & indignum, ad hanc nos legem alligare, ut lucernam ferre nequea-mus, in duas diuisam partes, sed in quaterna frustra concissam. Sed obtemperan dum est Bartolo, & si non propter autoritatem, quę in eo nulla est, attamen propter rationes, quibus tam grauiter argutéq; probat, ut nemo contra hiscere audeat, ac dicere alio modo esse faciendũ. Recitat fabulam de Iudæo uicto, & quibus rationibus illum uicerit nos docet: profecto quibus putem Iudæũ licet pertinacem, ut illud hominũ genus est, acquieuisse, nec quid opponeret habuisse. Ratiocinatur Bartolus cum Iudęo non legum suarũ præsidijs, quæ aliquid pondus habuissent, sed meritorijs philosophiæ subsidijs, quasi Iudęi multum nostris philosophis tribuant, colorem in oculos agere, ipsos uero oculos pati. Nolo agere cum Bartolo iure summo, nolo diligẽtius inquirere, nolo disputare, quod etiam Lactantius oculos agere dicit, non pati. Esto, sicut ipse uult, colores agant in uisum. Quid tamẽ causæ est, ut colores aut prius in unum oculum agant, postea in alterũ potius quàm in utrunq; simul, aut in sinistrum priusquàm in dextrũ? An hærbe, flores, arbores, imò uero colores, ipsum habẽt dextrum & sinistrũ latus: unde, ut ais, fiat principiũ motus? quasi sit in eis cor, epar, cęteraq; uitalia. Nihil interest colorũ unde cernantur, quę ne corpora quidẽ sunt. An uero non intelligis ô caudex, ô plumbee, & ut ait Cicero, ex luto & argilla ficte, non intelligis aliud esse, uidere literas, atramentũ, aliud formã ipsam cõsiderare literarũ, quod legere dicitur. Quum literę in oculos agunt, color ipse atramenti agit: quum lego, intellectu nõ oculis utor. Itaq; ipsas uel asini tui cernere possunt, quia uim uidendi habent: legere non possunt, quòd ingenio carent. Quũ ergo de ratione legendi loquimur, & describẽdi ordine, nihil interest qui in oculos nõ in animum agunt, facere mentionem. Multi quoq; de nocte in obscuro scribunt, multi in ceris, quarũ color niger est, ut ipse literæ: multi etiam humore quodam utuntur, cuius color uel nullus est, uel non existit, id est, non agit uisum. Ex quo constat in legendo oculos, id est, animũ & intellectum agere, non pati, posseq; nos ab utracunq; parte incipere lectionem pariter & scriptionem, quod quum ita sit, à parte quidem dextri oculi legere, dextræ autẽ manus scribere inchoẽmus. Neq; uero hoc dico, ut Bartolo detrahendi studio ducar & mẽtiar: quid enim negotij est, idiotã homuntionemq; reuincere? nisi his præstigijs utar, & in Latinã linguã & Græcam, quarũ studiosus sum, uidear cõtumeliosus. Quinimò ipse Bartolus, ut in cæteris iniustum & fatuũ, ita hoc loco sceleratum se & impium declarauit: qui eum ordinem literarum damnauerit, quo solo ipse dei filius non solum legẽdo, uerumetiam scribendo, & quidem digito suo usus est. Tales sunt nostrorum pleriq; Iurisperitorum, de rebus & humanis & diuinis pessime meriti, sed hæc aliàs. Nunc illud sciamus, totam illam Bartoli de dextro & sinistro ratiocinationẽ infirmam & debilem, imò mortuã esse. Id quod reliquũ est, breuiter uideamus. Ait quod in posterioribus dignior color debet esse in humero sinistro, quæ est pars dextra, intuentibus. Idem error, in eodem luto hæsitas: sed uidete, quod nam argumentum ad subsidiũ affert. Finge, inquit, eundem hominem habere alterã retro faciem, proculdubio illud latus quod antea erat sinistrum, ex parte posteriori erit dextrũ. Quis tam tam solers, quis tam acutus ut Bartolus? uult hominẽ habere uultũ, qui non sit in homine: non enim intelligit ut sit in occipitio altera facies, ut Ianus fingitur, sed ita ut humeros suos, quasi alius quidam ex aduerso positus aspiciat: quod quemadmodũ fieri possit, ipse qui ænigma excogitauit aperiat. Quod si uoluisset colorem uestiũ ex oculis ferentiũ uestes, potius quàm aliorum intuentiũ cõsiderari illa altera in occipitio facies aliquid probabile habuisset, ut erat etiam faciendũ. Nam quid absurdius, quàm uestimenta ita disponere, ut non meis oculis, qui illa fero, seruiant, sed alienis? Quod autẽ de scutis & cly-

pei

peis & operimentis equorum ait, eadem ratio est quæ superiorum. Nam sine figuræ quædam pingendæ, stultissimũm puto, ut quisquam sua signa corrumpat: siue colores quidã uariandi sunt, ut formulam Bartoli sibi custodiendam existimet. Quid igitur si animalia quædã in ornatu equorũ figurãda sunt, nónne quò equus fertur, ipsa ferri debent? uel te quoq; teste, hoc nego. Siquidẽ facis in fronte, in clunibus ex trãsuerso cernẽda animalia posse figurari. Atqui aliud est posse transuersum ferri, ut ego dico, inquies, aliud retrorsum. Quid interest? utrunq; contra naturam est, & nescio utro magis peccatur. Et ego superius ostendi, leonem in tergo regis intextũ non indecenter retrorsum incedere, recte eundem in uexillo in alterum latus ora uertere, lupam caput ab hasta auersum tenere. Age uerò, quid in arcubus triumphalibus, qui formã hemicycli habent, quid in clarorum uirorum feretris agendum? in quibus multa figurantur, an & hæc sub lege tua cõprehenduntur? Nónne alio quodam modo administranda sunt, ut nonnihil demus rerum dignitati, nonnihil tempori, nõnihil uenustati historię, quę exprimitur, nonnihil uoluntati: quemadmodum in ædificãda domo non una regula est unumq; præscriptum, sed multa diuersitas, & multa iudicia, alioqui omnes essent formæ eiusdem. Itaq; faciamus ut uolumus, dum scite & prudenter fecisse uideamur: illud procul eximatur, signa nostra ne nimium quidem esse mutãda. Fateamurq; Bartolũ de multis paucissima attigisse, & ea ipsa inepte insipiẽterq; tractasse, & in omnes homines, quos docendos, castigandosq; putauit, iniuriosum fuisse. Habes meam Candide lucubrationẽ: nam superiore nocte, quod ad te scripturus erã, cogitatione comprehenderam, hoc uerò stilo prosequutus sum quod cogitaram, sed iam penè defessus sum, & bona pars noctis effluxit. Habeamus quoq; rationem ualetudinis, præsertim ne unã totam noctem in expugnando tam fragili castello laborasse uideamur, cui possum mille alia obijcere, ubi male accipiat leges ignarus linguæ Latinæ, ubi leges interpretandi peruersitate corrumpat, ubi illas inscienter afferat: ut in hoc, quia in non certis locus est cõiecturis, l. continuus. §. quam ita. ff. de uerb. oblig. quasi in ratione pingendorũ colorum locus sit coniecturis. Sed quid ago? iterum'ne ad Bartoli confutationem redeo? nec ad requiescendum dormiendumq; me confero? Vale igitur mi Candide, & dum ego ad lucem dormio, tu hanc nostram Epistolam lege. Iterum Vale, & me ama, cras te uidebo. Vale.

## LAVRENTII VALLAE ROMANI IN LIBROS suos dialecticos Præfatio.

PYthagoras ille Samius, à quo & præstãtissimis moribus, & optimis disciplinis instituta est, ea Italiæ ora, quæ olim græcia dicebatur: interrogatus quemnam se esse profiteretur: non sapientem se, ut superiores fecerãt, sed sapientię respondit esse amatorem. Neq; id quia existimaret cum his se non posse cõparari, qui sapiẽtes dicti essent (probe enim se nouit ipsa uirtus: & cæteros omnes qui sapientię studuissent, ingenij gloria Pythagoras sine controuersia anteibat) sed quia neq; illos, neq; se, neq; hominum quempiam censeret, ad sapientiam non magis, quàm ad felicitatem, beatitudinem'ue posse peruenire: Philosophus (inquit) sum. Magnam mirãmq; modestię laudem ex unius uerbi temperantia, plus nominis atque gloriæ assequutus est, quàm ex omni uita, admirabilibusq; inuentis. Quippe à quo philosophorũ natio in plurimas licet diuisa familias, uno tamen uocabulo nominatur. Neq; uero quod ab eo nomẽ accepissent, ideo deterriti sunt quo minus à suo uelut genulitatis auctore, quibusdã in locis dissentirent. Et sanè non quia Pytha

goras philosophũ se uocasset: sed quia recte uocasset, se & ipsi philosophos nocauerunt. Itaq; & nemo post Pythagoram appellatus est sophos: & libertas semper philosophis fuit fortiter dicendi quæ sentirent: nec solũ cõtra principes aliarum sectarum, sed etiam contra principem suæ: quanto magis his qui nulli sectę se addixerũt? Quo minus ferendi sunt recentes peripatetici, qui nullius sectæ homini, interdicunt libertate ab Aristotele dissentiendi: quasi sophos hic non philosophus, & quasi nemo hoc antea fecerit. Ignari peripatetica hæresi inuenta, non modo priores uiguisse, ut Pythagoreã, Democriticamq;: sed alias quoque subortas fuisse, ut Stoicam Epicureamq;: de quibus tanquam florentibus in domicilio philosophiæ Athenis, meminit Lucas in actis apostolorum: nec ante Peripateticam nominatos fuisse Platonicos. & qui ab eodem fonte manarũt, Academicos. Quid alios loquar? nónne Theophrastus Aristotelis successor à præceptore suo dissentire non timide solet? Hęc de Græcis (ut taceam quòd Homerum, Platonem, Demosthenẽ magis quàm Aristotelem semper sunt admirati.) Quid Latini? nũquid Aristotelem sophon putauerunt? imò nec summum philosophum. An Varro Aristotelicus fuit? minime: sed iter suum tenuit, si Lactantio credimus, duobus Platoni & Aristoteli par. Cicero Academicus ac Platonis æmulus, qui semper primas in philosophia partes Platoni tribuit: ut fere omnes fecerunt. Plancus partim stoicus partim Epicureus. Brutus ac Seneca stoici: quã sectã Hieronymus simillimam censet christianæ religioni: cuius pręcepta tradentes Panętium atque Ciceronem, Ambrosius æmulatus est: quasi & ipse stoicaretur. Augustinus in publica opinione est, Platonem philosophorum esse principem. Apuleius platonicum se & esse & dici uoluit. Nam & Macrobius multo plus defert Platoni. Nec aliter sentit eruditorum ultimus Boëtius: magis (ut mihi uidetur) Platonicus quàm Aristotelicus (quos autores parum inter se distare doctuũ se quodam loco promisit) Porphyriũ (ut arbitror) sequutus, qui unam uult eandemq; esse Platonis & Aristotelis hæresim. At cæteri Latini, cęteros philosophos pro asophis habent: unum Aristotelem amplectentes. Quid ni? cum eum solum cognitũ habeant: si modo cognoscere est, non in propria, sed in aliena lingua lectitare, ne dicam non sincera. Non solum quia plerịq; eius libri corruptè translati sunt: sed etiam quia multa bellè dicũtur græcè, quæ nõ bellè dicuntur latinè. Quæ res in plurimos maximosq; errores egregia quoque ingenia induxit. Adde huc ignorationem nostræ. Quotus enim quisq; post Boëtium fuit, qui latinus dici mereatur & nõ Barbarus. Nam Auicẽna & Auerrois plane barbari fuerunt: nostræ linguæ prorsus ignari, & græca uix tincti. Quorum etiamsi magni uiri fuerint, ubi de ui uerborum agitur, quæ plurimæ sunt in philosophia quæstiones: quãtula debet esse autoritas? certe non maior, quàm hominum in mediterraneis natorum: qui nunquam nec mare uiderint, nec nauigium intrauerint, disserentium de ratione nauigandi. Hos ego homines uerear? hos ego audiam? uetantes, ne quid in Aristotelem dicam. Hos sibi tantum sumere patiar? quod non ipsis Athenis, quod non omnibus philosophis, quod nõ cũctis seculis cõcederetur. Neq; uero mihi uidetur tanti ingenij Aristoteles, ut quasi Achilles, Hercules'ue inter Heroẽs, aut Luna inter sidera, nedũ Sol sit æstimãdus. Nõ enim in his rebus operam dedit, unde præstantes uiri maxime dignoscuntur: aut consilijs publicis, aut administrandis prouincijs, aut exercitui ductando, aut causis agendis, aut medicinæ factitandę, aut iuri dicundo, aut responsis cõsultorum, aut scribundis historijs, aut poẽmatibus componendis. Quæ & magnopere occupant homines, & patefaciũt. In quorum plerisq; quidam elaborauerunt: non deniq; alienę linguę discendę, ac ne suę quidem ita multum. quippe cum lingua gręca, tum esset una pene atq; eadem, uulgi & literatorum. Quas duas linguas,

latinam atq; græcam nobis difficilius est, quàm aliquod liberalium artium perdiscere. Cuius rei documēto sunt illi, quos dixi, qui quum per illas artes ueluti per stagna quædam facile nauigent: tum in lingua quidem Græca, quasi in freto assidue æstu ipso retrahātur: In latina uero, tanquam in lato mari longius à terra recedere nō audeāt. At enim cōposuit plura quàm cęteri Aristoteles. Num protinus & pręstantiora? ego nescio an pręstantius sit, quod Hippocrates, quod Euclides, quod alij quidā fecere, firma atq; indubitata alicuius artis tradidisse principia. Composuit plura quàm cęteri: sed & plura compilauit. In quo improbitatem eius licet cognoscas, quod quę cōpilat, nō illis refert accepta à quibus sumpsit: sed sibi uendicat: & eosdem ubicunq; peccasse opinatur, citius ardentē flammam ore continere posset, quàm non nominare. Composuit plura quàm cęteris esto, num cuncta quàm cæteri melius? num ita ut nihil alij queant dicere? num ut pro deo habendus sit? Pudet referre apud quosdam esse morem initiandi discipulos, & iureiurādo adigendi, nunquā se Aristoteli repugnaturos: genus hominum superstitiosum atque uecors, & de seipso male meritum: cum se facultate fraudent indagādæ ueritatis: quos si reprehendere iure optimo possumus, quod hanc sibi legem imposuerūt: qua tādem insectatione castigare debemus, si hanc legē in alios transferūt? Quare illis contemptis ac spretis si qua sunt quę quàm in Aristotele melius dici possunt, ea tētabo ipse melius pro mea uirili dicere: non hominis (quod absit) insimulandi gratia, sed honorandę ueritatis: idq; potissimū in dialectica: repetitis necessario altius huius rei primordijs quæ liber primus habet. Nam secundus uerborū interpretationem. Tertius argumentandi rationem continebit.

# LAVRENTII VALLAE DIALECTICARVM DISPVTAtionum Liber primus.

*Quot & quæ cum prædicamenta, tum transcendentia.* Caput I.

IA quæ dixi primordia, uideo fieri duplicia: una quę categoriæ appellantur: quo nomine quidam Latini utūtur, tanquam ei nullum latinum respōdeat (quorum est is, cuius opus falsò inscribitur Aurelio Augustino cū fuerit aliquanto uetustior) Id Boëtius nisi quis alius prior fuit tranfert prædicamēta nec usitato uocabulo, nec (ut arbitror) satis proprio. Quod ego, ne cui uidear in uerbis esse curiosior, hic duntaxat ubi nihil pericli est, tanquam proprium & usitatū usurpabo. Prædicamenta igitur decem esse dicūtur, affectato magis quàm necessario numero, si eidem Boëtio credere uolumus: dicenti in Arithmeticis, inde etiam in Aristotelica, atque Archytæ prius decem prędicamētorum descriptione, Pythagoricum denarium numerum manifestum est inueniri: quādoquidem & Plato studiosissimus Pythagoræ, secūdum eam disputationem diuidit: & Archytas Pythagoreus ante Aristotelem (licet quibusdam sit ambiguum) decem hæc prædicamenta constituit. Et ex his Boëtij uerbis, Archytam amore Pythagorei numeri potius, quàm rei ratione decem prædicamenta constituisse: uerum non fuisse horum inuentorem Archytam, sed Aristotelem, pluribus refellerem: nisi refelleret sese ipse Boëtius, super librum prædicamentorum inquiens: Vnde posteriorum quidam, non esse Aristotolem huius diuisionis inuentorem, suspicati sunt: quod Pythagoricus Archytas eadem conscripsisset. In qua sententia Iamblicus philosophus est

non ignobilis: cui non consentit Themistius, neque concedit eum fuisse Archytam, qui Pythagoreus Tarentinusq; esset, quiq; cum Platone aliquantulum uixisset, sed Peripateticum aliquem Archytam: qui nouo operi, autoritatem uetustate nominis conderet. Quare non Archytam, sed Aristotelem prædicamentorum esse inuentorem confitendum est. In quorum translatione, quem potius q; Quintilianum sequar? Is ita ait: Ac primum Aristoteles elementa decem cõstituit: circa quę uersari uideatur omnis quæstio, οὐσίαν, quam * Flauius essentiã uocat: neq; sane aliud est nomen eius latinum: sed ea quæritur an sit: qualitatem, cuius apertus est intellectus: quãtitatem, quæ dupliciter à posterioribus diuisa est, quàm magnum & quàm multum: ad aliquid, unde ductæ, translatio & comparatio: post hęc ubi, & quãdo: deinde facere, pati, habere: quod est quasi armatum esse, uestitum esse. Nouissime συγκεῖσθαι, quod est compositum esse quodãmodo, ut calere, iacere, stare, irasci. Sed ex his omnibus prima quatuor ad status pertinere: cætera ad quosdam locos argumentorum uidentur. Hæc Quintilianus: qui ideo uocauit elemẽta, quod sensus cęterorũ uocabulorum ad ista tanquam ad elementa & principia referantur: ob eamq; rem dicuntur genera, quòd ex his cętera significata gignuntur: quorum nullum est alio superius aut alteri genus: sed ipsa sunt genera principalia, & si sic dicere licet, principalissima: sed non ut ipsi uocant generalissima: quemadmodũ & species specialissimas improprio nimirũ uerbo, quia nõ dicitur genus generale: et species specialis, sicut nec substantia substantialis: nec materia materialis: nec forma formalis: et itẽ in cæteris. Quę uerba si in positiuo absurda sunt: profecto erunt in superlatiuo absurdissima. Altera primordia atque principia, quæ isti transcendentia appellant: quod transcendant illa summa genera (quia ipsa non sint genera, sed supra omnium generum sunt dignitatẽ potestatemq;) quod an uerũ sit, posterius uidebimus: ea numero sex esse dicuntur: ens, aliquid, res, unum, uerum, bonum. Quæ, quoniam sunt altiora principia, & uelut principum principes, & quasi (ut istis uidetur) quidã imperatores ac reges: quia singula prædicamẽta sunt ens, sunt aliquid, sunt res, sunt unum, sunt uerum, sunt bonum: de his prius ordine ipso dicendum est.

*Sex quæ uocantur transcendentia, quam uim habeant, ex quibus res principatum probatur obtinere. Cætera non esse transcendentia.* Cap. II.

IAm primum, non plures esse debere Imperatores ac reges, sed unum: uel sua sponte manifestum est: ut apud Homerum Vlysses:

*οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω:*
*εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.*

Ergo, quod ex his uocabulum, siue quę uocabuli significatio, sit omnium Imperator & rex, id est, omniũ capacissima (quam nobis deus dedit) inquiramus. Peripatetici, si detur eis optio, opinor hanc * dignationem tribuerent illi uocabulo, quod primo loco nuncupaui: hoc enim semper in ore habent, hoc uelut talo (qui multa latera habet) utuntur & ludunt. Apud me autem ex his sex, quæ nũc quasi de regno cõtendunt, non aliter, res erit rex, quàm Darius Hystaspis filius, futurus rex erat ex illis sex Persis, qui regnũ sorti permisere. Interq; cætera ens, ut maximam ad obtinendum regnum præ se speciem fert, ita clam maximo uitio laborat, de quo ut dicam pluribus, dicã breuissime: quia nihil habet dubitationis quæstio de alijs. An nõ aliquid alia res significat? unũ, una res, uerũ, uera res, aut ueritas, quæ etiam res est? bonũ, bona res, siue bonitas uel probitas, quæ & ipsa res est? Ita ens ea res quæ est: quod ut apertius probem enucleate exacteq; disputabo. Ens suapte natura participium est, omnisq; generis: quod cum transit in nomen, est tantum neutrum. Apud græcos uero tribus uocibus per totidem ge-

nera

nera uariatur ὤν, οὖσα, ὄν, quæ neutralis uox cum transit in nomen, sumit articulum τὸ quo à participio non accommodatur: & hoc est de quo loquitur Aristoteles. Sed eius significatio è suo participio elucebit. Omne participium uim obtinet relatiui & uerbi, ut homo ambulans, legens, currens, id est, qui ambulat, qui legit, qui currit. Ita homo ens diues, hoc est qui est diues. Quanquam hoc participio ut frequentissime Græci omnes utũtur, ita uix ullus latinorum aut usus est aut utitur. Quod etiã Priscianus testatur, inquiens: Græci autem participio utuntur substãtiui, quo nos quoq; secundũ analogiã possumus uti, nisi usus deficeret participij frequẽs. Quãuis Cęsar nõ incõgrue protulit ens à uerbo sum es: quomodo à uerbo possum potes potens: hoc participio usum esse ipsum Priscianũ non ausim dicere: cum paulo ante in eodem duodeuigesimo libro ait. Est autem quando per ellipsin uel uerbi uel participij substantiui huiuscemodi casuum, id est, nominatiui cum obliquis constructio soleat proferri: ut, filius Pelei Achilles multos interfecit Troianos: subauditur enim participium uerbi substantiui ens, quod in usu nobis non est. Nuncupauit potius hoc participium Priscianus quam usurpauit. Imperiti pro hoc solent uti existens: quid hoc uerbum significet nescientes. Cæterum his, qui cum in alijs libris, tum in Aristotele conferendo usurpant hoc, de quo agimus participium (quo nemo prudens est usus) non do ueniã: do, cum transferunt iam nomen de participio effectum: quod quid significabit? nempe antecedens cum relatiuo & uerbo, sicut cætera quocũque in genere, ut amans uxoris, amans mariti, ut contingens, accidens, cõsequens, antecedens, hoc est, ille uir, ea mulier, qui & quę amat: id quod contingit: id quod accidit, id quod cõsequitur: id quod antecedit. Ita id quod est: quod pronomen, & si nõ ponatur, tamẽ subaudiri necesse est: ut cerno quod tu, uidelicet id quod tu. Porrò pronomen hoc, non tãtum uirium obtinebit cum adiectiuum est substantiuum: ritu suorum (ut sit dicam) germanorum. Cum * enim dico cerne hoc marmor, istud lignum, illud pratum, id mare, perinde est ac si dicam, cerne pulchrum marmor, grande lignum, iucundum pratum, turbidum mare. At cum dico, cerne hoc uel istud, uel illud, certe significatur hæc res, illa res, ea res, idem, eadam res. Qualia sunt cætera similia. Aliquid nanque (ut superius dixi) est aliqua res: aliud alia res, idem eadem res, nihil nulla res. Igitur si ens resoluitur id quod est: & id resoluitur ea res, profectò ens ita resoluitur ea res quæ est. Quo palàm est omnem uim non naturalem habere: sed ut sic dicam, precariã ac mutuo sumptam. Nunc illud addo, non decere istud uocabulum precariam uestem, ut non decuit (quemadmodum est apud Horatium) pauonis cauda corniculam. Nam ens quasi præpeditum uocabulum est, & præ nimio onere ambulare nõ ualens. Quid enim sibi uult, uerbi causa: lapis est ens, id est, ea res quæ est, quid faciunt illę uoces? ea quæ est, cum sit & apertius, & expeditius, & satius, lapis est res. Nolo argentum plus scorię habens, nolo triticum quod uix extat in acere: cum præsertim absurda uideatur oratio, lapis est ea res quæ est: siue lapis est ea res quæ est: quasi nihil sit proprie nisi solus lapis, aut quicquid erit illud de quo dicemus ipsum esse rem quę est: quæ oratio de solo deo propria est. Vnde genere masculino dicitur in Genesi ὁ ὤν scilicet, is qui est, misit me: quia deus tantum proprie est, cui cætera comparata propriè & uere non sunt. Etiam in neutro genere propriè deo diceretur deus est ens, id est, id uel ea res quæ est. Nam deum esse rem etiam omnes theologi confitentur: meritóque à Græcis dicitur ὄντως quasi uere & utique, & τῷ ὄντι quasi re uera hoc est re ipsa. Itaque quum de alia re, quàm de deo dicitur, quod sit ens, inepte dicitur: ut non sine causa neque ab re, summi latinorum hoc uocabulum repudiauerint. Quod Aristoteles adiectione facit ineptius, dicens: τὸ ὂν ᾗ ὄν ens quatenus ens: quasi id quod est, possit non esse. Est enim hoc secundum ens participiũ, quo etiam à quibusdam peccari so-

sit ab uno ad centum. Aristoteles negat unum esse numerum, sed principium numeri. Quasi principia rerum, non sint ipsarum rerum partes, & ex consequenti ipse res: qui legit principiũ libri, librum legit: qui tangit caput hominis, hominẽ tangit: qui uidet initium stagni, stagnũ uidet: qui audit exordiũ orationis, orationẽ audit. Quę talia non sunt ad calumniam sophistarũ referenda: sed ad hominũ usum, qui uerborũ est autor. Omnes dicunt numerum singularem & pluralem, & unũ numero, & plura numero, quem in modum non semel ipse locutus est Aristoteles. Duæ mulieres, quę duodecim gallinas cum gallo pro indiuiso habebant, pepigerunt inter se: ut oua, quę pari numero quotidie nascerentur, essent huius: quę impari, essent illius: nascuntur aliquando singula. dic, oua hęc cuius erũt? an neutrius? minime: sed eius, cui imparis numeri oua debentur: ergo unum ouũ numerum facit. Itaq; melius de intellectu uerborũ mulierculæ nonnunquam sentiunt, quàm summi philosophi. Illę * enim uerba ad usum trahũt: isti ad lusum. Cuiusmodi est, quod ait Aristoteles numerũ numerari, seu numerabilem esse. Hoc ego cum mulierculis nego intelligere: numero quod numeratur, non ipse numerus: sic nec mensura metitur, seu mensibilis est: nec pondus appenditur, seu appensibile est: sed ipsa mensura, & ipso pondere, alia metimur atq; appendimus. Verum siue ueritas est proprie scientia, siue noticia cuiuscunq; rei, et quasi lux animi, quę ad sensus quoq; se porrigit: hanc lucẽ esse uolo ipsius animi: quasi oculorũ uim uidendi & uisum: nõ exteriorem quandam ueluti solarem. Quanquam ut sol oculis colores corporũ, ita deus menti rerũ qualitates ostendit & exhibet. Hoc nõnihil diuersę protulit Plato in libris de republica, cum ait ueritatẽ esse ueluti solem: scientiã noticiamq; ueluti sincerũ aspectum. Sed cũ in nobis falsitas sit, cur nõ sit & ueritas? Certe cum quid falsum uerumq; esse affirmamus, id ad animũ loquentis refertur: quod in eo ueritas sit aut falsitas. Nam falsus panis, & falsum uinũ, & falsus propheta, nequaquã est panis, uinũ, propheta: ut nos opinamur: & uerus panis, uerũ uinũ, uerus propheta, nõ aliud est, quàm panis, uinũ, propheta. Itaq; in nobis, id est, in animo nostro est ueritas & falsitas. Nonnunquã hęc nõ in animo notantur: sed in ore. Ideóq; oratio potest esse falsa, animo nõ errante: cũ quis aliter loquitur ac sentit: & itẽ uera, errante animo: cũ quis non aliũ uti superiorẽ sed seipsum fallit. Transferuntur interdum nomina ad gestũ quoq;: uere ne ille dormit, an simulate? falsò ne gemit, an uere? & uerũ quidem loqui ac uere, quid apud eruditos differat nõ inuenio. Bonũ autem facio (ut ad tertiũ nomen ueniã) & benefacere: quo pacto dicã differre? nisi quod bonũ facere in usu nõ est. Ac isti uolunt, agi posse bonũ non bene: quod ualde absurdum est. Nam si egeno instanti odiosius, stipẽ dedero cum iurgio, nõ sum dicendus bonũ non bene fecisse. Quis enim negauerit bene fecisse me, quod stipẽ egeno porrexi? at nõ bene feci quòd egenũ obiurgaui. Certe nec bonum feci: ergo duplicem actionem fecisse dicendum: unam bonam, alterã non bonã: in danda stipe, & bene feci, & bonũ: in obiurgando, nec bene nec bonũ: ita & iuste agere & iustũ idem sunt: si modo talis sermo reperitur. Quũ loquamur potius, aut per aduerbiũ, pie, sancte, iuste, bene facito: nõ pium, sanctũ, iustum, bonũ facito: aut per numerum pluralem, pia, sancta, iusta, bona facito: ut apud Aristotelem in politicis. Impossibile est iusta agere non iusta agentibus: quanquam ridicula (ut inquit Quintil.) sit oratio: cuius hæc sunt uerba. His illud adijcere ridiculum putarẽ, nisi eo Cicero uteretur: qui rem iustã faciunt, iuste facere. Quod certe non eget probatione: quod compascuũ est compascere licere. Dicimus tamen iustum peto, pro rem iustam peto.

*Nihil esse quæ concreta dicuntur, nisi certis paucisq; in locis.* Cap. III.

QVoniam de adiectiuis (ut aiunt) substantiuatis aliqua attigimus: res ipsa postulat, ut de concretis & abstractis (nam huiusmodi adiectiua in sub

stantiuum conuersa dicuntur concreta) disputemus: materia (ut isti appellant) methaphysica. In qua, uelut in arbustiua uindemia, cum scalis, calathis, falcibus, strenue occupantur: quod uidelicet hinc demum græca uina, aliunde uerò, * quàm è uineis * Latijs proueniant. Sed mihi uidentur eorum uina lora etiam peiora. Album, nigrum, rutilum, & similia (quę uocant concreta) aiunt significare rem albam: hoc est duo, rem & corpus, si nomen hoc ad corpus refertur: & præterea illam qualitatẽ (quæ per se dicitur abstractum) albedinẽ, nigredinem, rutilitatem, & item cætera. Ego de hac re non possum in uniuersum pronunciare: & istos uno statim uerbo damnare: cum putem utiq; condemnandos. Pedetentim pergam, ne quo in loco nimis festinabundus offendam. Ante omnia, album oui cum dicimus & album oculi, & album prætoris, album iudicum, album decurionum: & si res cum albedine significatur, non tamen ampliuagè & uniuersaliter: & quancunq; rem talem (ut isti accipiunt) prædicat: sed certam sicut apud quosdam nigrum, & rubrum, pro nigra scriptura & rubra. Talia sunt sacrum pro templo, ut si quis rem sacram de sacro furetur: & pingue pro adipe, & caducum pro bonis quę non legata testamento ad fiscum recidunt: & Tusculanum, Cumanum, Pompeianũ meum uel tuum: pro prædio meo uel tuo quod est in agro Tusculano, Cumano, Pompeiano. Item mutuum, depositum, creditum, debitum, hęc & quęcunque sunt talia, rem unam certamq; prędicant, ut dici concreta non possint: alioqui meram qualitatem ut apud Vergilium:

*alias quasi* / *alias Latina* (margin)

Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.

Id est, albedine siue albore. Et alibi. Visa sub obscurum noctis: uidelicet sub obscuritatem. Et apud Plinium, uentos qui fugant serenum, nempe serenitatem. Et apud Ciceronem: Canorum illud nescio quo pacto splendescit, etiam in senectute. Quale est illud Pauli, quę sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum, id est, profunditas: qualia sunt quæ quotidie lectitamus. Nihil in hoc uiro stulti est. ut Plautus, plus ægri ex abitu uiri, quàm ex aduentu uoluptatis capio, id est, ægritudinis. Cuius rei hoc sit pro ratione, quod hæc nomina fere iuncta reperies cum uerbis qualitati seruiẽtibus. Album exhilarat oculos: nigrum contristat. Frigidum delectat æstuantes. At, ego tango frigidum, proijcio calidum, album currit, nigrum uolat, rutilum canit, nunquam audiui: nec aliquis (ut opinor) unquam nisi barbarus dixit. Cur ita? quia hæc uerba seruiunt corporalibus rebus: ut tango niuem, proijcio ferrum, equus currit, coruus uolat, gallus canit. Quę profecto reperirentur applicata illis, de quibus agimus: si concrete significarent duntaxat in singulari. Dicam rem miram, & pene nulla ratione fultam: sed usu probatissimam. Hæc ipsa quę nego prędicare concrete, fateor (quod tamen istis inauditum est) in plurali prædicare concrete tam apud gręcos quàm apud nos, ut alba sunt iucundiora nigris, id est, res albę omnes, omnibus nigris. Item pinguia libentius emo quàm macra, publica semper chariora sunt, turpia uilius uenduntur, uilia nemo furatur, sed preciosa, Ouidius:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Adde huic maiorem probationis speciem, & ipsam admirandam. Adeo singularis, talium nominum refugit concretitatem, ut ob hanc rem adiectiua rerum corporalium substantiuata non patiantur numerũ singularem, ut lapidea, marmorea, plumbea, ferrea, bombicina, serica & alia infinita ut prisci habuerunt in usu uitrea, stagnea, lignea: nos habemus argentea, aurea, crystallina, gemmea: non autem uitreum, stagneum, ligneum, argenteum, aureum, crystallinum, gemmeum. Quod unde fieri dicamus, nisi quod numerum singularis adiectiui in substantiuum neutri conuersi, solam qualitatem prædicat: quæ in adiectiuis rerum corporalium esse non potest: & penè in cæteris omnibus, qualia

sunt

sunt laudanda, pudenda, iucunda, amabilia, suauia, dulcia, lęta, molesta: non autem laudādum, pudendum, iucundum, amabile, suaue, dulce, lętum, molestum. Ideo dixi penè, quod pauca quędā uidentur facere exceptionem: ut pronomina illa: meum, tuū, suum, quibus affine est alienum: ut dedi de meo, nō dedi de tuo, de suo nunquam dat sed de alieno. Sallustius: Alieni appetens, sui profusus. Illa quoq; uidentur facere exceptionem, sed diuersa ratione: quoniam substantiuū hoc non cōgruit cum supposito suo in genere: ut illud quod dixi Homericum, non est bonum plurium principatus: & apud Vergilium:

Triste lupus stabulis maturis frugibus hymbres:
Arboribus uenti nobis Amaryllidis irę.
Dulce satis humor depulsis arbutus hœdis:
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.

Et alibi, Varium & mutabile semper Fœmina: Et apud Ciceronem: Malū mihi uidetur esse mors: & iterum malum'ne quia miserum? Item quando suppositum est cum infinito, ut apud Iuuenalem:

Miserum est alienę incumbere famę.

Quanquam hoc posset uideri magis adiectiuum. Nam illud, festiuitas quędam sermonis excusat, sacrum de sacro furari, id rem sacram, quod si mutes, de sacro in aliud nomen, aut tollas: iam non audebis sacrum dicere: sic, sacrum de templo furari, siue furari sacrū. Vides ut licentiam festiuitas excusat: ut in illo: Vim ui repellere licet, quasi idē significet uim & ui, cum nō ita sit: quia uim significat uiolentiam, ui autē uiribus: sed toleratur sermo propter uocis festiuitatē geminatę. Quod si secus uspiā fortasse reperiatur, id erit affectatius: q̃ usitatius dictū. At philosophia ac dialectica nō solent, ac ne debent quidē recedere ab usitatissima loquendi consuetudine, & quasi à uia uulgo trita & silicibus strata. Iam uerò illa potius qualitatē aut actionē prædicant, in apertum descendi, in planum ueni, ex pacto, ex conuento, ex locato, ex cōducto: hæ certe qualitates sunt, lubricum linguę, incertum ætatis, ambiguū mentis, id est, lubricitas, incertitudo, ambiguitas. Et ut ad ea ueniā, propter quę ad hanc disputationē citius iusto descēdimus: iustū, pium, sanctū, uerū, bonum, & similia cū substātiua sunt nil aliud significāt quàm qualitatē. Verg. Iustumq; memoremq; precatur, id est, nō rem iustam, remq; memorē: sed iustitiā atq; memoriā. Item & mēs sibi conscia recti, id est rectitudinis. Et numina conscia ueri, id est ueritatis: falsum idem quod falsitas, bonum quod bonitas, nisi quod bonū duo significat, iustitiam seuerā & mitem, quam mitē uocamus bonitatem: ut cum aliquid dicimus iudicari ex æquo & bono: ipsum etiam æquum idem quod æquitas: honestū idem est quod honestas: ut quot sunt partes honesti? id est quot sunt partes honestatis. Aeternū idem est quod æternitas: quæ sunt exempla cōplurima, ut opera multorum durant in æternum, & opera scribuntur ab omnibus ad æternitatem. Malum idem quod nequitia (ut dixi) siue uiciositas, utile quod utilitas, cōmodum quod commoditas, proprium quod proprietas, contrarium quod contrarietas & cætera huiusmodi. Quare tota ratio concretorum inanis & cassa est. Mallem dixissent in genere masculino fœmininóque quàm neutro: nam substantiuantur adiectiua in masculinum genus & fœmininum, significantqúe rem cum illa qualitate, sed res ipsæ non sunt nisi uir & mulier: ut fuscus est calidior natura à candido, alba est uenustior fusca & atra, multi sunt ægroti, rarę sunt pudicę: de nullo alio animali quàm de homine intelligas: ac de nulla quidem alia re. Iratus non habet consilium, auarus nisi cum moritur nil recte facit. obnoxia sed marito uix unquam uerberatur: non de leone, cane, aquila, columba sentitur: de uiro & muliere. Item aliquis aliqua, quidam quędam, si quis, si qua, alius alia,

nullus nullá, hic hæc, ille illa, usque adeo ut nihil intersit an addatur uir seu mulier, an non: ut nullus uir adest, nulla mulier tacet, & nullus adest, nulla tacet: etiam in illo generali interrogandi nomine, quid seu quod, ut: quis adest, & quæ mortua est, nempe uir & mulier: errant igitur hi græci quos Priscianus sequutus est: inquiens: quis inuenit literas? homo: quis utilis est aratro? bos: quis natat in mari? piscis. Nam cum quęritur, quis inuenit literas? perinde est ac si diceretur, quis homo? ut imperitum sit te, mihi quærēti, quis me expectat? respondere canis. Si canis expectaret, & non uir, respondendum erat, nemo te expectat, sed canis: certum est enim me de homine quærere. Nam alioqui non (quis) dixissem: sed quid me expectat: quod fit in cæteris: non enim quærendū est quis utilis sit aratro, quis natat in mari, sed quid. Nam interroganti quis utilis sit aratro? sic responderem, bubulcus, arator. Quis natat in mari? nemo quod uideam, aut ille: quis inuenit literas græcas? Cadmus: ut aiunt latinas Carmenta: hebræas Esdra: Quis (ut dixi) ad uirum solummodo refertur: quæ ad fœminam. Quod autem nunquam concrescit, sed semper est adiectiuum: ut quod animal utile est aratro? quod brutum natat in mari? sicut, quis homo inuenit literas, uel quis equus est ad cursum idoneus? quę bellua est utilis aratro, uel natat in mari? Ideo dixi adiectiuū, quia tres habet uoces substantiuis indigentes, quis, quæ, quod. Nam quid semper est substantiuum. Addam exempla in obliquis, audio quendam uel quandam, nullum nullam'ue audio, inuenias aliquem aliquam'ue, quem sentio, quam audio uideo currentem, audio comedentem, sentio dormientem, recte de homine dicas: non recte de equo, lupo, boue. Nam uideo currens, audio comedens, sentio dormiens, nunquam nec legi: nec dicentē audiui: legi tamen frigidam, gelidam, calidam, pro tali aqua. Quod si participia non substantiuantur in neutrum genus duntaxat, ut concrete significent, ut currens significet rem currentem: comedens rem quę comedit, dormiens rem quæ dormit: profecto neq; ens substantiuabitur neutraliter: ut significet rem quę est. Nam illa dissimilia (quę tamen paucissima sunt) contingens, accidens, consequens, antecedens, quę certam rem, non autem omnem quę contingit, quę accidit, quæ consequitur, quę antecedit, significant.

*Nulla nomina in itas descendere à substantiuis, sed ab adiectiuis, nec his omnibus.* *Cap.* IIII.

QVid quod ab isto ens, faciunt entitas (ut de hac quoq; materia nunc disputem) qualia multa alia ut à quid quiditas, ab idem identitas, à per se perseitas, ab ecce ecceitas. &c. è barbarię quodam gurgustio prolata. Nam primū hæc ab Aristotele non traduntur: deinde à substantiuis formari nequeunt.

Ens autem & quid. & idem substantiua sunt. Postremo, nec ab omnibus adiectiuis, nisi ab his, quæ exeunt in us, quę sunt secundę declinationis: quanquā nec ista omnia, & quę in er eiusdem declinationis: & quę in is tertię, & in quasdam alias literas non omnes tamen. Secundę ut à sanus, bonus, probus, sanctus, beatus, diuinus, humanus, sanctitas, probitas, sanitas, beatitas (ut Cicero ait) siue beatitudo, diuinitas, humanitas. Item à dexter dexteritas. Tertię ut à leuis, grauis, facilis, mediocris, tenuis, exilis: leuitas, grauitas, facilitas, mediocritas, tenuitas, exilitas. Item à celer, à pauper, à felix: celeritas, paupertas, felicitas. A currens autē aut à comedens, à clemens, à stans, à sedēs, à legens, nullū in itas exire deriuatiuū audiui: ergo nec ab ens potest deriuari entitas. Ita prępterquàm quod nulla hoc nitit autoritate, duabus de causis uetamur formare entitas: quod hęc in n. et s. exeūtia non admittūt huiuscemodi substātiua in itas: et substantiua nulla (quale est ens) gignūt ex se in itas: substantiuū prępter unū quod uix substā-

tiuũ est: ciuis simile illis (diues, pauper) unde fit ciuitas. Ideóq; nõ significat quã litatem ciuitas, quia nec ciuis: ut illa significãt sanitas & sanus, probitas & probus, suauitas & suauis, pauper & paupertas. Quare sciãt se errare qui dicũt deitas: ut apud græcos θεότης. quod nemo neq; latinus neq; gręcus dũtaxat eorum, quos priscos uocamus dixit. Deus autem siue θεὸς non qualitatem significat. Dixerunt igitur nostri à diuinis diuinitas: græci à θεὸς θειότης. Et alioqui superuacuũ erat, alterum nomen eiusdem significationis asciscere: ratione repugnante, quæ iubet ab adiectiuis demum, neq; his omnibus huiusmodi nomina formari. De qua re ita Boëtius in libros περὶ ἑρμηνείας loquitur: nam si nomen fingere liceret, illam singularem qualitatem & incommutabilem alicui alij substantię suo ficto nomine nuncuparem: ut clarior fieret forma propositi. Eo enim modo, qualitatem hanc Platonitatem, ficto uocabulo nuncupare possemus: quomodo hominis qualitatem dicimus humanitatem: hęc ergo Platonitas solius unius est hominis, & hæc non cuiuslibet, sed solius Platonis: humanitas uerò & Platonis & cæterorum quicunq; hoc uocabulo continentur. Vnde fit, ut quoniam Platonitas in unum conuenit Platonem, audientis animus Platonis uocabulum ad unã personam unamq; particularem substantiam referat: cum autem audit hominẽ, ad plures quoq; intellectum referat: quoscunq; humanitatem continere nouit. Boëtius recte ille quidem, quod negauit hoc uocabulum platonitas fingi licere: sed parũ sincere, quod ita locutus est, ac si humanitas formetur ab homo. Nam si humanitas sit ab homo certe cur non & platonitas sit à Plato. Quod si non licet dicere humanitas ab homo: certe nec Platonitas à Plato: Humanitas enim ab adiectiuo humanus uenit: humanus autem ab homo. Ita à Plato fit Platonicus siue platonius: siue platonianus: unde fieret platonicitas: platonijtas: platoanitas: quæ qualitas est. At platonitas quod nomen ab adiectiuo qualitatis non proficiscitur: qui recte queat qualitatem significare, non uideo. Item humanitas, deitas, & quę superius attigi, quiditas, identitas: id est quę reitas, eadem reitas, perseitas, ecceitas. Nam et alia huiusmodi sunt relatu pudenda. At legimus apud Ciceronem, ullam appietatẽ: aut lentulitatẽ ualere apud me plus, q̃ ornamenta uirtutis existimas. Hæc duo (nam plura non reperi) plane ab adiectiuis ducta sunt: quoniam & domus appia & genus appiũ: unde uia appia & lex appia: & malum appium: & lentulus ita diminutiuum est à lentus: ut crassulus & barbatulus à crassus & barbatus: quod nomen quasi adiectiuum derisit. P. Oppius quod assidue minores parentibus filij essent in nascendo lentuli: quasi essent lentiores: neque hoc tantum in opere, sed in epistola Cicero haud planè serio scripsit: quasi illudens nobilitatis superbiã. Ego uerò ne ab adiectiuis quidem, in eus exeuntibus materiam significantibus, inueni substantiua à ligneus ligneitas, à marmoreus marmoreitas: à ferreus ferreitas. puto, quia hæc adiectiua non sunt qualitatis. Quod si hæc nomina in itas quę Boëtio quoq; teste qualitatẽ significãt: nec ab adiectiuis omnibus nascunt: quanto minus à substãtiuis.

*Inter essentiam & ipsum esse nihil interesse: & item in cæteris, ut inter uoluntatem & ipsum uelle. Cap. V.*

VEnio nunc ad prædicamenta: quorum primum (ut ostendi) Quintilianus ait recte transferri essentiã. De quo nomine alio in loco ita inquit: Multa noua ex gręco formata, ac plurima à Sergio Flauio dura: quẽadmodũ uidenĩ, utique ens & essentia: quę cur tantopere aspernemur, nihil uideo, nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus: ideóq; paupertate sermõis laboramus. Seneca in quadã epistola negat τὸ ὄν, & τὴν οὐσίαν latine exprimi posse. Boëtius maluit οὐσίαν nõ uerbũ de uerbo, transferre substantiã: quę dicitur græce ὑπόστασις unde factũ est: ut, cũ nomen substãtia, nõ suo græco, sed alteri detur: necessario quidã

græca

græca uoce pro latina utantur hypostasis. Neq; uerò hoc fecit Boëtius, quia nomē essentia reformidarit, ut durū: Nam eo uti solet, sed in alium sensum: quę fuit causa cur permulti latinorum errauerint: de quo prius paucis disputandum habemus: ut liberiore campo postea de ea (quam inchoaueram) quæstione disseramus. Ait Boëtius, si ipse tamen est prædicamentorum Aristotelis interpres. Videtur tamen quidam, prçter eos qui dicti sunt, alius prioris esse modus. Eorum enim quæ conuertuntur secundum essentię cōsequentiam: quod alterius quomodolibet causa est essentię, prius digne natura dicitur. Quia sunt quadam homini eiusmodi, palàm est. Esse nanque hominem, conuertitur secundum essentię consequentiam, ad ueram de se orationem: & paulopost. Quęcunque autem conuertuntur quidam secundum essendi consequentiam. In his Aristotelis uerbis, neq; essendi grçce legi potest, cum gerundio græci careant: neq; essentia legitur: sed tantū infinitiuū cum articulo: sed quum eundē sensum Boëtius scribat: aliud pro alio posuit. Certe ipse Boëtius declarauit lib. 5. in librum περὶ ἑρμηνείας inquiens, illud necesse est non esse, id est, nullam essentiam habere: quod de esse & essentia, idem de cæteris similibus dico: nihil enim significatione differūt infinita: quum nominaliter accipiuntur, à suis uerbalibus. Quod & græci pręcipiunt: ideóq; illi infinitis articulum applicant, tanquam nominibus: & prępositionem, affirmantes ea iam nō uerba esse sed plane nomina: & nos quoq; adiectiua eisdem, tanquam nominibus accōmodamus: sed raro nisi in nominatiuo & accusatiuo. quę fuit causa, cur Boëtius in genitiuo infinitū reformidauit, & si non semper hoc seruat. Persius. Et nostrum istud uiuire triste Aspexi. Et iterum: Scire tuū nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: Et iterum: Velle suū cuiq; est. Martial. Velle tuū nolo Dyndime nolle uolo. Ergo ipsum uiuere, nihil aliud est quàm uita: & ipsum currere, quàm cursus: & ipsum saltare, legere, audire, uidere: quàm saltatio, lectio, auditio, uisio: ipsum amare, quàm amatio seu amor: ipsum uelle quàm uoluntas: ipsum scire quàm sciētia: ipsum posse, quàm potentia siue uires: unde apud ineleganter loquentes dicitur pro meo posse, id est, pro mea potentia siue pro meis uiribus. Melius hic quàm superius Priscianus sensit inquiens: Significat autem infinitū, ipsam rem quam continet uerbum: currere enim est cursus & scribere scriptura: & legere lectio. Itaq; frequenter & nominibus adiungitur, & alijs casualibus more nominum: ut Persius:

Sed pulchrum est digito mōstrari & dicier hic est. Terentius in Adelphis: Quapropter teipsum purgare, ipsis coram placabilius est. Idem in Eunucho. Certe extrema linea amare nonnihil est: & bonum est legere: utile est currere: aptum est scribere: optimum est philosophari. Bona quidem Prisciani exempla sunt: ego tamen aptiora posui: quippe qui adiectiua cum ipsis infinitis tanquam cum substantiuis copulaui: quod ille non facit. Dixi me aptiora posuisse exempla, quia Quintilianum secutus sum dicentem: Et in satyra, & nostrum istud uiuere triste Aspexi: quum infinito uerbo sit usus pro appellatione: nostrā enim uitam uult intelligi. Et quoniā ecclesiastici de hac re disputare possent: accipiant è multis uel unū exemplum ex Lucę euangelio: & cęcis multis donauit uisum: quod græce dicitur per infinitum & articulum: quod ut in latinum transferatur utcunq; ad uerbum dicetur: & cęcis multis donauit uidere τὸ βλέπειν, quod ab idiotis dicitur, Io uedere.

*De distinguendo horum uerborū essentiæ, & substātiæ usu, ne ambagibus sermo implicetur.* Cap. VI.

QVod si nō reformidauit hoc nomē (sicut dixi) tāq̄ durū essentia, Boëti9 sed ubi durū uideri poterat, usurpauit: qd causę fuit, cur in eo loco ubi ꝓpriū erat, refugerit? præsertim cū auferat suū illi ὑπόστασις ut in latinū referri nō ualeat.

An

An quod οὐσία eſt transferri ſubſtantia ſolet? ut apud Lucam de filio luxurioſo, qui diſſipauit omnem ſubſtantiam, οὐσίαν quo græco nomine uſus eſt Vlpianus inquiens. Quia corpus oſtenſum eſt: & ſi in materia ſit erratum: ego quidē in uno conſentio: quia eadem proprie uſia eſt. Alter iuriſconſultus de ſimili re loquens, latino uerbo utitur. Vſus fructus eſt ius alienis rebus utendi, ſalua rerum ſubſtantia. Sed poteſt uideri eſſe alterius prædicationis hoc apud iuriſconſultos & illud Lucę, cum quo congruit Sceuola etiam iuriſconſultus cum inquit: eidem Titio reddi & ſolui uolo de ſubſtantia mea, centum quinquaginta. Significat enim nunc ſubſtantia cenſum uel facultates uel patrimonium, quod apud græcos nunquam dicitur hypoſtaſis: ſed ſemper uſia: unde putatur diues dictus πλούσιος quod ſit πολλῆς οὐσίας id eſt, multę ſubſtantię: ſed de hoc ſenſu nunc non agitur. An quod hoc nomine pro eſſentia magni ſunt autores uſi? ut Cicero in partitionibus: In his autem cauſis ubi aliquid recte factum defenditur, cum eſt facti ſubſtantia, ratio. Et Quintilianus: Prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipſa rhetoricę ſubſtantia quęruntur tractabimus. Et iterum: Illa autem de qua loquimur rhetorica, talis eſt qualis eloquentia: nos ipſam uolumus ſignificare ſubſtantiā. Nam ne ipſe quidem Quintilianus uidetur audere eſſentia uti: & grammatici, cum dicunt nomen ſignificare ſubſtantiam & qualitatē. An quod quidam indifferenter utuntur? Vnde Priſcianus quamuis rarius utatur eſſentia, ſæpius ſubſtantia. Eodem quo ſupra dixi libro inquit: quæ ſubſtantiam uel eſſentiam rei comprobat. Auguſtinus quoq; cum aliquando ſic loquatur eſſentia ſiue ſubſtantia, ait eſſentiam in deo proprie dici: ſubſtantiam abuſiue: An quod græci nonnunquam pro eodem accipiunt οὐσίαν & ὑπόστασιν addo etiam ὕπαρξιν ut apud Damaſcenum libro primo iſagoges hypoſtaſeos nomen, duo ſignificat: aliquando quidem ſignificat ſimpliciter hyparxin per ſe & idioſyſtaſin ſecundum quam ſignificationem indiuiduum numero differens demonſtrat. Idem tamen ſuperius dixerat: Eſſentia, & natura, & forma apud ſanctos patres idem ſunt: & rurſus ſubſtantia & perſona indiuiduum idem ſunt: ſed in rebus diuinis de hac differentia diſputare periculoſum eſt: unde Hieronymus ad Damaſum ſcribens ait, ſub his uerbis ὑπόστασις & οὐσία uenenum latere, & propter ancipitem ambiguumq; horum nominum ſenſum, & quoſdam in hæreſim incidiſſe: & ſe à nonnullis hæreticum appellari. Ideoq; Romanum pontificem conſulit: quid ſibi agendum ſit. Quare nos omiſſo hoc (ubi naufragiū timendum eſt) ſcopulo: ad Ariſtotelis uerba, ubi nihil periclitetur religio, reuertamur. Is multis modis οὐσίαν interpretatur. In ſexto philoſophię libro inquit: Dicitur autem οὐσία multipliciter: ſed maxime quadrupliciter. Nam & quid erat eſſe cuiuſque, & uniuerſale, & genus uſia uidetur eſſe cuiuſque, & quartum, horum ſuppoſitum. Suppoſitum autem eſt: ſecundum quod alia dicuntur. Illud uerò ipſum nunquam ſecundum aliud. Quapropter primū huius diſtinguendum: præcipue enim uidetur uſia eſſe ſuppoſitum primum: Talem autem in modum quendam, uſiam cōſtat eſſe materiam: alium in modum, formā: tertium in modum, id quod ex his. Idem loquitur in ſecundo libro de anima inquiens. Cum enim tripliciter dicatur uſia, quemadmodum diximus: quorum unus quidem modus, ſpecies: alter uerò, materia: tertius autem quod eſt ex ambobus: horum quidem materia potentia: ſpecies autem entelechia. Et in primo, ſi autem hoc eſt uſia animę: ſeipſam mouere. Et iterum: Neq; enim animū uſia cauſa, ut circumferatur. Quid monſtri eſt hoc Ariſtoteles? quid prodigij Græcia? cum nihil ſit, quod nō aut motus ſui actio: aut materia, ſiue potētia: aut forma, ſiue ſpecies, ſiue entelechia ſit: aut quod ex his conſtat: hæc tam diuerſa, quibus cunctæ res et cuncta prædicamenta diſtinguunt: uno nomine appellare,

imò

imò confundere. Quo fit ut Macrobius hoc ipsum nomen proprie transferens: dum de ipsa anima agit confusam quandam faciat significationem essentię: ubi inquit, Plato dixit animam esse essentiā se mouentem. Xenocrates numerum se mouentem. Aristoteles ἐντελέχειαν. Pythagoras & Philolaus harmoniam. Posidonius ideam. Asclepiades quinque sensuū exercitium sibi consonum. Hippocrates spiritū tenuem per corpus omne dispersum. Heraclitus Ponticus lucem. Heraclitus Physicus scintillam stellaris essentię. Zeno * concretū corpori spiritum. Democritus spiritum insertum atomis, hac * facultate motū, ut corpus omne sit illi peruium. Critolaus peripateticus constare eam ex quinta essentia. Et iterū dum loquitur de Aristotele Platonem impugnante, de motu animę his uerbis: Si animæ essentia motus esset: non quiesceret à motu. Nihil est enim quod recipiat essentię suæ contrarietatem. Nam ignis nunquam frigidus erit: nec nix sponte unquam calescet. Anima autem nonnunquam à motu cessat, nō enim semper corpus uidemus agitari: non igitur animæ essentia motus est: cuius contrarietatem receptat. Paulóque post, ubi Aristotelem ex multorum philosophorum argumentis refellit: Platonem tuens. Quibus autem idem est & esse & moueri, nunquam à motu cessant: quia sine essentia sua esse nō possunt. Et mox ita: Et cum animam per se moueri dicimus: non gemina sequitur consideratio mouentis & moti, sed in ipso motu essentiam eius agnoscimus. Et alibi: Anima descendens à tereti quæ sola forma diuina est: in conum defluendo producitur, sicut à puncto nascitur linea, & in longum ex indiuiduo procedit: ibique à puncto suo quod est monas uenit ad dyadem quę est prima protractio: & hæc est essentia quam indiuiduam eandemque & diuiduam Plato in Thimæo cum de mundanę animæ fabrica loqueretur expressit. Et iterum: si ergo arbores fatebimur moueri quidem sed apto sibi motu: cur hoc animæ negemus ut motu essentiæ suę conueniente moueatur? En quot uerbis agimus, ut sciamus utro uerbo sit utendum substantia an essentia, quorundam hominum peruersitate. Quid igitur agemus? si malumus substantia, uidemur magis à græca ueritate discedere: * simulque essentia tanquam cassum, & inutile nomen (quod absit) exterminare: sin essentia, ab usu iam recepto (cui aliquid dandum est) recedemus. Et tamen utrocunque modo, in eas quas ostendi, sermonis ambages incidemus. Ergo ut ueritati & consuetudini suam cuique partem tribuamus, et distinctius atque lucidius loquamur, ita nobis reor esse faciendum: ut cum de re loquimur quę constat ex duobus illis (ut dicebat Aristoteles) substantiam dicamus: cum de illo, quod uocat materiam, id uocemus essentiam: si quando græcus aliquis afferendus erit, græcam uocē sicut fecimus usurpaturi: formam uerò qualitatem esse sentiamus: de quibus est nobis in sequentibus disputandum. Quod cum ita sit, primum prædicamentum disputandum (ut Boëtio libuit) uocetur substantia: nam corpus, è materia constat & forma: siue ex essentia & qualitate: & item animam constare confitendum est: & si de hoc quoque nōnihil dicemus.

*alias contractum*
*alias facilitate*
*alias etiā alioqui*

*Substantiæ distributio contra Porphyrium & alios.* Cap. VII.

ETenim substantiam Porphyrius uir (si Boëtio credimus) magnę autoritatis, atque doctissimus: ut plerique fecere, distribuit in corporeā & incorporeā. Substantia summum genus ponitur utpote, prædicamentum. corporea & incorporea, differentiæ dicuntur: quæ semper binę constituuntur. Quæ cum redigun tur in subalternum, faciunt speciem: ut ex corporea fiat corpus: uerum incorporea non est suum substantiuum sortita apud hos: ad meam autem legem erit spiritus siue anima. Nihil autem corpus est quàm substantia corporea: & spiritus siue anima quam substantia incorporea. Corpus, quę est species substantię, cum distribuitur in differentias siue in species, fit genus harū specierum: & item

spiritus

spiritus siue anima, quam distributam non reperio. Corpus distribuit Porphyrius in animatum & inanimatum siue inanime: huius generis species non habent nomen suum: sed dicuntur corpus animatum: & corpus inanimatum. Species corpus animatum, fit & ipsa genus, distribuiturque in differentias sensibile, & insensibile: prior species, corpus animatum sensibile, habet suum nomen quod est animal: altera species non habet. Rursus animal fit genus, cum distribuitur in differentias: rationale & irrationale: neque eius species habent sua nomina, sed dicuntur animal rationale, & animal irrationale. Ipsa quoque species, animal rationale distribuit̃ in ultimas differentias: fiuntque hinc aliæ species, animal rationale mortale, quę habet suũ nomẽ homo: & animal irrationale mortale, quę dicit̃ bestia: nec est ultima species: sed ulterius distribui genus & esse potest. Homo ultima species est: quia non est homo unquã genus, nisi cũ in alias qualitates egredimur: ut homo alius bonus alius non bonus: uel, alius masculus, alius fœmina: & ita deinceps. Species homo diuiditur in indiuidua: ut in Socratem & Platonem. Sicut ultima species nunquam est genus, ita summum genus nunquam est species. Media uero & genera sunt, cum inferius respiciunt: & species, cum superius. Porro differentia generi adiecta, facit speciem: ut corporea, adiecta substantiæ, facit corpus. Sed adiectio hæc uocis, detrahit de sensu: plus enim significat substantia, quàm substantia corporea: atque nihil aliud est, species & genus, quàm pars & totũ. Nam substantia corporea siue corpus, pars est substantiæ: tanquam totius: siquidem ut corpus hominis diuiditur in caput & truncum quæ sunt totius partes: rursus caput fit totum ad suas partes relatum, & itẽ truncus. Ita genus summum est totum, ad proximas species: & illę rursus tota fiunt ad sequentes deinceps. Non affero autem exempla de alijs generibus & speciebus, quia hæc Porphyriana distributio uix ex parte sincera est. Nam ut taceam quod summum genus est res, quod generale uerbum Vlpianus appellauit: quod distribuitur in substantialem & non substantialem. Quo pacto fieri potest, ut cum anima sit substãtiæ incorporeę, reperiam eam substantiæ corporeę? quasi reperiam frigus, in contubernio caloris: & lucem, cum tenebris habitantem. Corpus animatum constat ex corporea & incorporea substantia: quod iã non unius speciei est sed contrariarum. Hoc istos non latuit: sed putauerunt animam non esse substantiam: ideoque & arbores & herbas animam habere dixeret de quo paulo post disputabitur. Stulte etiam separantes tanquam diuersa, animatum corpus & anima. Iam ne animal quidem ullum, immortale dicendũ, non enim quia in cœlo sunt, aut in inferna sede angeli, sunt animalia: quia nec corpora creata: cum nullo sint prædita corpore: ergo substantia incorporea, id est, spiritus diuiditur in creantem & creatum: creatus in angelicum & non angelicum. Angelicus (si placet) in cœlestem & infernum. indiuidua, Michael, Gabriel, Sathan, Leuiatan. Non angelicus, in eum qui factus est ad imaginem dei, qui dicitur humanus: cuius indiuidua meus spiritus, & tuus: & in eum qui non factus est ad imaginem dei, qui forte & in species diuidi posset: eorum indiuidua, spiritus huius bruti & illius. Substantia corporea, id est, corpus diuiditur in uegetabile, & non uegetabile. Corpus uegetabile in suas forsan & ipsum species diuidi potest: eius indiuidua, hæc laurus, hæc oliua. Corpus non uegatabile, in aureum & non aureum, & fortasse etiam longius. Indiuidua hic aureus, hic argenteus annulus. Animal ad neutrum genus refertur: neque ad spiritum siue animam, neq; ad corpus: & si ex utroque constat. Itaque id per se distribuamus in humanum & non humanum. Christum excipio ab animali: qui non homo tantum sed & deus est. Indiuidua humani iam posui. Socrates, Plato: Non humanũ, id est, bestia (sicut ostendi) multas in species, si liberet, diuidi posset: Ergo quoni-

ani primum predicamentum est substantia: & ea diuiditur in spiritum siue anima, & corpus: de utroque quid Aristoteles sentiat uideamus.

*De spiritu. Cap. VIII.*

SPiritus (ut dicebam) alius creator est, alius creatus: Creatorem cum fatear esse substantiam, non tamen dixerim ex materia & forma: sed unam essentiam dei esse: & tres proprietates: quae an dici qualitates possint, suo loco uidero: Nam materiam nullam tali in re proprie dici puto. Quis enim dixerit materiam solis, nisi philosophus? usum consuetudinemque loquendi pro nihilo habens. Materiam sermo communis accipit, ut in archa lignum: ut in domo lapides: ut in causa rem gestam. Essentia igitur melius, ut in sole & in caeteris: ita & in deo, ut facit Augustinus qui ait unam essentiam dei: tres personas: quas graeci tum πρόσωπα tum ὑποστάσεις id est personas uel substantias, prisci tres naturas dicebant: nullo horum nominum satis ad rem ipsam indicandam suppetente: ut etiam idem testatur: quemadmodum dicimus deo: tu solus sanctus: tu solus dominus: nunquid solus homo est sanctus & dominus? quasi deus homo sit: an tu deus solus es sanctus? quasi sint alij dij. Et apud Mosen: Is qui est misit me: & apud Ioannem tres sunt qui testimonium dant in coelo: pater, uerbum, & spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Non'ne dicitur is homo, & hi tres quasi hi tres homines? quia tres hi dici nequeunt: ergo cum in rebus diuinis deficiant apta uerba, accommodamus ea quae * possumus: & deum cōparamus rebus ab illo creatis: dicente Paulo: Inuisibilia dei, à creatura mundi, per ea quae uisibilia sunt intellecta conspiciuntur: quo fit ut deo solem similem dicamus, non solem similem animae, quae ad imaginem & similitudinē dei facta est. In sole inest, siue proprietas, siue qualitas dicēda est, uibratus potentia: & ut sic dicam uita ipsa: soli inest lux, quae in uibratu gignitur, & quasi paritur: inest ardor, qui illinc emanat & spirat: idem dico de omni igne. Itaque non dicam uibratum illum & uitam solis, similem patri esse, lucem similem filio, ardorem similem spiritui sancto: siue patrem esse diuinam potentiam, filium diuinam sapientiam, spiritum sanctum diuinam charitatem: sed adiungam essentiam comparaboque patri quidem, ut iterum dicam non potentiam uitamque solis, sed solem potentem uiuumque: filio autem non lucem solarem, sed solem lucidum: Spiritui uero sancto non solis ardorem, sed solem ardentem eritque pater deus, potens & uiuus: erit filius deus, sapiens: erit spiritus sanctus deus, amans. Vnde constat quod pater sit unus deus, cum dicatur ter deus: Et quomodo deus genuit deum quasi alterum apud praua iudicia deum? Nam & si pater aeterne generat lucem, non tamen generat essentiam, quae una est ipsi cum filio & spiritui sancto communis: Et hinc est, cur Graeci dixerunt (ni fallor) tres ὑποστάσεις quia intelligebant ultra illas tres, si ita dicendum est, proprietates patris & filij & spiritus sancti, subesse quiddam substantiale: quod ego appello essentiam, si modo ita est appellanda. Et aliquid est in rebus essentia, quam isti uocant materiam: quam si quis negarit subesse, equidem huic probare non possim (quod si ita est) ut non sit id aliud, quam potētia, lux ardor: Ita & deus pater, erit potentia quae generat deum lucem, spirans deum charitatem, qui est spiritus sanctus: haec hactenus. Quae ideo attigi, ne cui facultas cauillandi in his uocabulis: substantia, essentia, materia praeberetur, praesertim cum de deo loquimur. Nam caetera posterius exequemur. Nunc quid ipse de deo sentiat Aristoteles audiamus, in undecimo philosophiae dicit: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν ζῶον εἶναι ἀΐδιον ἄριστον. quod congruit cum illo Porphyriano: Genus animal continet deum & hominem. Animal autem est corpus animatum: quod aūt corpus dei? nempe coelum: quod iste unum uult esse. Cum astronomi iam repererint aliud illo Aristotelico deo maius, quàm nonam sphaeram uocant: uerba eius in eodem libro

*alias possimus*

libro hæc sunt: ὅτι εἷς οὐρανὸς, φανερόν. Et iterũ εἷς ἄρα οὐρανὸς μόνος. Et ne socia quasi uxore deus careret, inquit, deus & natura nihil frustra faciunt: quem sequutus Ouidius inquit:

Hanc deus & melior litem natura diremit.

Quid sibi uult ista natura quasi & ipsa dea: quanquam dicat nonnunquam non omnia posse naturam efficere quæ uult: ergo nec deũ, quod dicere, piaculũ est. Credo, appellabant naturam uim ipsam & proprietatem & qualitatẽ mundani corporis: eoq; ueteres mundum ipsum dicebant rerũ esse naturam. Mundũ Pythagoras ab ornatu primus appellauit κόσμον quem ab istis putari animal, hinc constat: quod hominem μικρὸν κόσμον: sicut illũ μακρὸν κόσμον appellant: & quem admodũ homo, ita & cœlum siue deus, sit animal: & ne quis me minus belle intelligere uerba Aristotelis causetur, audiat Plutarchum qui ita in libris quos inscripsit de placitis philosophorũ inquit: Ἀριστοτέλης τὸν μὲν ἀνωτάτω θεόν, εἶδος χωριστὸν ἐπιβεβηκότα τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντὸς, ἥτις ἐστὶν αἰθέριον σῶμα, τὸ πέμπτον ὑπ' αὐτοῦ καλούμενον, διῃρημένου δὲ τοῦ εἰς σφαίρας, τῇ μὲν φύσει συναφεῖς, τῷ λόγῳ δὲ κεχαρισμένας: ἑκάστην τῶν σφαιρῶν ζῷον εἶναι σύνθετον ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς ὧν τὸ μὲν σῶμά ἐστιν αἰθέριον, κινούμενον κυκλοφορικῶς. ἡ ψυχὴ δὲ λόγος ἀκίνητος, αἴτιος τῆς κινήσεως κατ' ἐνέργειαν. Monstrum hoc non deus est: qui cum sit unũ animal, tamen ex multis quoq; minoribus animalibus constet, id est, ex septem sphæris: imo spyris. Nam serpens, ille mihi uidetur, quam hydram uocabant: quæ cum esset animal unum, tamen septem in se capita: quæ totidem animæ & totidem animalia erant, habebat. Verum hic deus si mundum nõ fecit, quia mundus semper cum ipso fuit: quid tandem fecit? si mundus semper fuit, ergo & homines, & bruta: & arbores, & herbæ initio carent: & ipsa cum deo æterna sunt: quæ si initium suum deo non debent, profecto nec continuationẽ. Quanquã quod ex semine & aliunde nascitur subinde qua ratione potest carere principio? taceo quod bestias & lapides & puluerem, dei partẽ fatetur: cum sint ista pars mundi. At ego nõ modo hæc primordium habuisse intelligo, sed etiã ipsum mundũ: uel ob hoc quod homines nõ ita multis seculis extisse constat ex artibus, pene intra duo aut tria milia annorum inuentis: si infinitis seculis homines fuere, cur nulla tot artium uestigia extant? tribus ante Homerum annorum milibus: si homines non fuerunt, quid ni? non dico bestiæ & arbores, sed mundus ipse nõ fuit? Quis enim tam cæcus animi, tam inops mentis, ut non intelligat propter nos illum fuisse generatum? Quid sibi uellet illa cœli sphærarumq; rotatio? (si spheræ ullæ dicendæ sunt) sileo poëtarũ testimonia, quæ de chao, de generatione hominis, de diluuio, de alijs plurimis quasi per manus tradita illi memoriæ mandauere: certe Pythagoras & Stoici mundum à deo factum uolunt: & propter homines factum. Ergo non animatum, ergo non insertas sphæris mentes quas Græci νοῦς dicunt, quas latini recentes ab intelligendo ἀπὸ τοῦ νοῦν intelligentias transferunt: à quibus globos ipsos citari uolunt: scilicet totidem angelis illis à deo assidere iussis: quasi Aristoteles sentiat ullos spiritus, aut ullas animas esse sine corpore, qui deos facit corpora animata: siue illos quos dixi: siue alios: nam Iouem, Apollinem, Mercurium, Herculem, Iunonem, Mineruam, Venerem: ac cæteros quos uulgus colebat apud Aristotelem reperio deos esse: ut mille apparet in locis: quorum unus est in magnis moralibus. Amoris qui est erga deum non admittitur redamatio neq; omnino amare. Indecens enim fuerit si quis dicat amare Iouem. Transeo quod deos à dæmonibus dæmonis'ue non separat. Quod & Homerus fecit & alij poëtæ: ut in quarto ethicorum: Veluti circa deos quæ dedicantur & apparatus & sacrificia, itemq; circa omne dæmonium ut in octauo. Vnde cum dæmon bene tribuerit: quid opus est amicis? In politicis quoque non semel pro dijs dæmonia accipit:

certe non alijs quàm quos ego modo nuncupaui: & his cum demat actionem, tamen tribuit contemplationem: quasi contemplari non sit agere & contemplatio actio: ignarus idem esse contemplari quod considerare & inquirere: quod in homines cadit non in deum. Id fecit, ut studijs suis contemplationis compararet autoritatem: ita dum homines similes dijs efficere uult, deos fecit similes hominibus. Quid ille magnus deus? nil aliud nisi contemplatur? nihil neq; habet ipse negotij, neq; alteri exhibet? nihil nobis neq; prodest: neq; obest: non modo uiuentibus, sed etiam uita defunctis? Quæ ergo pietas? quæ religio? quæ sanctitas? quæ post hanc uitam aut uirtutum remuneratio? aut uitiorum pœna? nihil hæc ad Aristotelicum deum: sed neq; apud Aristotelem ullæ sunt post obitũ corporis animæ: melius igitur Thales & Pythagoras, & Plato & Stoici qui animas post exitum uoluerunt. Sed à deo nos ad animam descendamus: de qua nunc (his paucis de deo sufficientibus) differendum est.

*De anima. Cap. IX.*

QVum omnium opiniones confutat Aristoteles ut ineptas, ipse omnium pene sensit ineptissime: uel ob hoc quod animam dat arboribus, & herbis: in quo uerecundius poëtæ, quibus summa loquendi licentia est, facere uidentur: quod arboribus & plantis (quas uiuere dicunt) inesse spiritus uolunt & esse arborum deas quæ uocentur Hamadryades: quòd una cum arboribus & oriantur & pereant. Quid enim attinet separare animalia & corpora animata, quod nemo sophistarum unquam fecit. Animal siue animans uocatur quia animam habet: * inanimatũ uero, quod non est animal siue animans: hæc autem nihil aliud sunt quàm animatum & inanimatum & ea nihil aliud quã hæc. Nam eruditi omnes latini contraria constituunt animalia, & inanima. Inanima an inanimata dicantur, nihil putant interesse. Quid quod plane animalia plantas appellauit: ut in libris de generatione animalium? an quia à uincẽdo ζῶον à τὸ ζῆν dicitur, non ab anima? ideo potest uideri non sine aliqua ratione potuisse dare uitam illis quæ quodammodo uiuere uiderentur & mori? minime. Primũ quia nemo quod sciam ante eum uocauit plantas animalia: deinde non quia uidentur quodammodo uiuere fuerunt appellandę animalia: sed è contrario, quia animalia non sunt, ideo nec uiuere erant dicendæ. Postremo, quod hæc eius animalia nihil animi habent. Verius Epicurei & Stoici qui animata & ἔμψυχα esse negauerunt: quia nihil appetitus, nihil animi, nihil rationis obtinerent. Animum appello θυμὸν non illum quem Iuuenalis solis hominibus dat. Nam Cicero plerunq; animum pro anima ponit: & cum tria appellat bona animi, corporis, & externa, animi dixit pro animæ. sic enim græce ψυχῆς. Quanquam nõ miror Aristotelem dedisse animam herbis, quæ cum ipsa illarum uita extinguatur: cum talem faciat ex parte animam hominis. Nam eam ex duobus tanquam frustis conglutinat, irrationali & rationali: & illam quidem gigni & interire, hanc uero nunquam nec genitam nec corruptibilem: illam è potentia seminis creari, hanc diuinam esse. Quod si compacta ex partibus est, & (ut dixi) ex frustis tanquam ex testa & ære, simile profecto erit quiddam statuæ, quæ Nabuchodonozor in primis oblata est: uerba eius hæc sunt in libris de repub. diuiduntur autem duæ partes animæ quarum una habet rationem per se: altera uero nõ habet quidem per se: sed rationi obedire potest. Et iterum. Quoniam ex disparibus ciuitas, sicut animal ex anima & corpore: & anima ex ratione, & appetitus domusq; ex uiro & uxore: & possessio ex domino & seruo: hoc quoq; Boetius testatur in Musica inquiens. Quid est autem aliud quod ipsius inter se partes animæ iungat, quæ (ut Aristoteli placet) & rationabili & irrationabili coniun-

*aliâs inanimum

cta est: & ne putares hoc esse duas animæ proprietates, facit alterum altero prius: ut in eisdem de repub. libris: quemadmodum anima & corpus duo sunt, sic et animæ uidemus duas partes, alteram irrationalem, alteram rationalem habentem: & habitus eorum duos numero, quorum hic quidem est appetitus, ille uero mens. Vt autem prius est corpus generatione anima, ita quod non habet rationem, eo quod habet: quod manifestũ est in pueris in quibus ira, id est θυμὸς & uoluntas, nec non concupiscentia statim creatis inest: ratio uero id est λογισμὸς & mens proficientibus ætate, naturaliter ingeneratur ἐγγίνεσθαι πέφυκεν. Ideoq; alteram perire uult: alteram non perire. Siquidem ita inquit in libris de anima. Quod anima quidem non est separabilis à corpore, aut aliquæ eius partes. Si separabilis suapte natura est, non est dubium. Et mox sensum & imaginationem & appetitum. Vbicunq; enim sensus, & molestia, & uoluptas: ubi autem hæc, ex necessitate concupiscentia. De mente autem & contemplatiua potentia, nondum liquet: sed uidetur animæ alterum genus esse, & hoc contingit separari, quẽadmodum sempiternum à corruptibili. Cæteras uero partes animæ, palàm est ex his non esse separabiles (quemadmodum quidam aiunt) ratione autem diuersas esse manifestum est. Et quid ni faceret partem illam, quam ait animæ partem, & ut corruptibilem à sempiterna separari? quam gigni è corpore ipso uult in libris de generatione animalium inquiens: Est autem corpus quidem ex fœmina: anima uero ex masculo. Nam anima corporis, alicuius usia est. Et iterum: Si igitur masculus est huiusmodi animæ effectiuus. Et in libris de anima. Cum autem tribus modis dicatur usia, sicut diximus: quorum unum quidem species: alter materia: tertius autem, ex ambobus: horum materia quidem, potentia: species autem entelechia: quoniam quod ex his, id animatum. Nam est corpus entelechia animæ, sed ipsa, corporis alicuius: & propterea bene opinantur, quibus uidetur neq; sine corpore esse, neq; corpus aliquod, anima. Nam corpus quidem non est, sed aliquid corporis. Et alibi. Dicimus autem genus unum entium οὐσίαν: huius porro hoc quidem, ut materiam: quod secundum se, non est hoc aliquid: illud uero formam & speciem, secũdum quam iam dicimus hoc aliquid: & tertium quod ex his. Est autẽ materia potentia: species autem, entelechia: & hoc bifariam. Alterum quidem ut peritia: alterum uero, ut contemplari. Verum usiæ potissimum uidentur esse corpora: & ex his naturalia. Hæc enim aliorum principia. Naturalium autem, quædam habent uitam, quædam non habent: uitam autem dicimus per se nutricationem & incrementum & corruptionem: Itaq; omne corpus naturale particeps uitæ, οὐσία sit: οὐσία autem sic ut composita. Quoniam aũt est & corpus huiusmodi (uita enim hominis, corpus uero erit anima. Nam non secundum subiectum est corpus sed potius ut subiectum & materia) necessarium est animã usiam esse, ut speciem corporis naturalis potentia uitam habentis. Et paupost: Propter quod non oportet quærere: an unum anima & corpus? sicut neq; ceram & figuram: neq; omnino materiam cuiusq; & id cuius est materia. Quis nõ uidet præter has uerborũ sensuumq; ambages, Aristotelem stultissime sentire de anima: quem animæ defunctorum (quæ nonnullis uel aspectu, uel uoce se exhibuerunt) admonere poterant, nec interire, nec gigni ex corpore, nec carere affectibus, aut ex duabus partibus atq; naturis compactam esse animam. Nam illa pars rationalis: an sit pars dei, an uiuat defuncto corpore, quid dicat non intelligo. Si enim omne genitum interit siue corrumpitur ut ipse ait: ergo ut interit anima, aut genita non est, quorum utrunq; est falsum: Plutarchus inquit Aristotelem & Dicæarchum, immortalem quidem esse animam, non sentire: sed tamen diuinitatis cuiusdam participem. An diuinum illud, ait rationem, qua dicimus à bestijs differre, de quo etiam disputemus: esto

diuinum hoc sit, id tamen cum bestijs Aristoteles facit esse commune: inquiens in libris de animalibus. Non enim habet aliquid diuinum sicuti genus apium: atque id diuinum esse rationem aperit in libris de membris animalium: ubi uult apem & quædam alia habere prudentiam & esse alijs quibusdam prudentiora quin etiam fortitudinem siue ut uerbum è uerbo transferam uirilitatem, id est, ἀνδρείαν. Alijs tamen plurimis in locis negat bestias præditas esse ratione, eo'que omnes dicunt hominem esse animal rationale mortale: bestiam animal irrationale mortale. Sed quid de hoc disputauerunt, nullam solidam attulere rationem. Si memoriam & uoluntatem bruta habent: cur non & rationem: quæ media illarum est? Memoria prima uis animæ est, seu prima potentia quæ à retinendo appellata, cum eadem sit quæ capiat ut manus quæ capit quippiam, eadem tenet, & pene in capiendo tenet. Neque enim alia uis animæ est in tenendo, quam in capiendo. Vnde Quintilianus: Ingenij signum in pueris præcipue memoria est: eius duplex uirtus, facile percipere & fideliter cõtinere. Et multa sunt tam græca quam latina exempla ubi tene significat accipe. Proxima uis animæ, est ratio: cuius munus est, res memoria perceptas & retentas examinare, & quasi de his ferre sententiam. Tertia uis, quæ nisi memoria teneat & ratio iudicauerit, officio suo uacat: hæc dicitur uoluntas quasi semper uelit, quæ aliquando etiam non uult, eius officium est amare uel odisse: ergo non potest in brutis sequi uoluntas, nisi antecesserit iudicatio. Verum isti ad uocabulorum refugiunt uersutias, aiuntque non rationem hoc esse, sed instinctum: quasi non etiam negent bestias reminisci & uelle. Instinctus in hominibus quoque est & ex sede illa tertia emanat. Itaque cum instinctum dant, uoluntatis impetum dant non rationem auferunt. Nam ridiculum est quod Aristoteles dicit inanimata bruta, & pueros carere electione, quod uidelicet ratione careant: quasi idem sit inanimatum quod brutum & puer: an si puer nondum perfectam rationem, cõtinuo & nullam habet? & si non semper eligere bene scit, protinus nihil bene eligit? certe pueros quosdam uidemus, diuinitate quadam mentis ita præditos, ut in quibusdam multorum uirorum iudicia transcendant: de quibus ita ait Quintilianus: Modo nulla uideatur ætas tam infirma, quæ non protinus, quid rectum prauumque sit, discat. Idem cum Chrysippo uult & ante triennium illos optimis imbui moribus. At Aristoteles ne adulescentes quidem, uult percipiendis moribus esse idoneos. Quid de pueris, si habent electionem? cum & in uenando & in itinere faciendo, nonnunquam etiam canis & equus melius iter ingreditur, quam uenator & sessor. Et adultæ omnes bestiæ uix unquam nisi è sua re & è suo usu eligunt, quæ si bene eligunt, profecto id non sine ratione faciunt: habent itaque bestiæ, sicut nos memoriam, rationem, & uoluntatem, quia & animam habent, & ut nos animalia sunt unde legimus deum fecisse & hominẽ & bestiam in animam uiuentem. Alia nos re differimus ab illis quod deus inspirauit in nos spiraculum uitæ, id est, æternitatem. Et ut corpus Adam suis (ut sic dicam manibus) formauit: ita ore suo inspirauit animam: ex quo cœlum, animo & corpore erecti & sublimes intuemur, quo nobis tendendum est: non solum anima: sed etiam corpore: quod deus ipse peculiarius, quam brutorum corpora fabricatus est: & sicut hi terreni ignes simillimi sunt illis cœlestibus, ita brutorum animæ nostris: quia illæ, ut lumina candelarum extinguuntur: nostræ ut sydera perpetuo uigẽt. Quamobrem? quia ad æternitatem nati sumus: ideo æterna atque cœlestia intelligimus. Ideo pluriũ capaces sumus, plura & maiora optamus. Plura concupiscimus, plura timemus, pluribus gaudemus dolemusque. Neque enim Aristoteles solus aliquando brutis rationem tribuit, sed etiam alij quorum sunt (ut græcos omittam) Cicero Quintilianusque. Nam ille in libris de natura deorum inquit:

Nihil

Nihil inquis est modò melius in rerum natura, ne in terris quidem urbe nostra. Num igitur in urbe esse cogitationẽ, rationem, mentẽ putas? aut quoniam non sit, num idcirco existimas formicã esse anteponendam huic pulcherrimæ urbi, quod in urbe sit sensus nullus: in formica nõ modo sensus, sed etiã mens, ratio, memoria? Hic in secundo sic ait: Sermonem magis deesse cæteris animalibus, q̃ intellectum. Et cogitationem quandã uidemus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus & excludere, quin etiã reponere in hyemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarũ & mellis efficere, nõ nullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone, quæ id faciunt, muta atq; irrationabilia uocantur, græci uno uocabulo dicunt ἄλογα quia uno nomine dicunt orationem & rationem λόγον. Qua de re libet mihi suspicari, bruta fuisse uocata ab initio ἄλογα quia carerent oratione: postea propter ambiguitatem uerbi, à captiosis philosophis adiectũ etiam ἄλογα dici, quia carerent ratione: Nam & λόγος prius orationẽ siue sermonem significauit quã rationem: quod nisi nollem esse prolixus, plurimis testimonijs cõfirmarem: Hæ igitur tres potestates animæ siue humanæ siue beluinæ, in corpore (cui agglutinata est anima) suã imaginem transfundunt: Si quidem ex prima potestate siue ui, corpus animatũ habet uires, unde & motum: ex altera solertem illam humorum ac cęterorum distributionẽ: à tertia calorem. Ideoq; cor, ubi est animæ sedes, magis quàm cætera mouetur. Et ab eo, omnis in corpore effectus proficiscitur, & magis calet: Imò cætera membra & mouet & calefacit, ut sol in sua sede manens ac uibrans, uniuersum mundum fulgore suo & calore perfundit. Neq; uero quia cor mouetur, ideo dixerim moueri animã: neq; tamen ut Capitolinum Terminum quem deum fuisse dicebant immobilem ac torpidũ esse. Anima enim quid sit nisi per speculum in ænigmate (ut ait Paulus) cũ non intelligamus: quis dicat illam moueri aut quiescere? quod est rerum quæ sub sensus corporis ueniunt. Sed nõ idcirco negauerim eam irasci: quod negat Aristoteles, inquiens: Si quis dicat animã irasci, perinde est ac si dicat illã texere, aut struere. Ineptissima cõparatio: quasi irasci fiat corpore, ut texere aut struere. Eædẽ animę potẽtiæ in sensibus ipsis oẽs cognoscuntur: nam in uisu, auditu, gustu, adoratu, tactu, prima uis est obiecta capiendi: secunda de his iudicandi: tertia ex eisdem uel uoluptatẽ, uel molestiam capiendi. Nullus enim est, quẽ uocant cõmunem sensum. Essent alia quædã de his etiã dicenda: sed ea in materiã qualitas aut actionis reijcimus. Pergamus dicere de eisdẽ animæ potentijs: ut aliqua de uirtute & moribus disputemus: etsi hæc in libris de uero bono tractauimus, nõ tamen hic otiosa erunt. In membris quidẽ hę potentiæ quasi eminus aspiciunt, in sensibus autem cominus, in hac uero de qua loquimur materia sapientiæ & uirtutis quasi in semetipsum intuetur.

## De uirtutibus. Cap. X.

IGitur in prioribus animæ potentijs memoria & ratione, insunt disciplinæ atque artes omnes: siue illa noticia siue opinione nitantur: Nam omnes uersantur in uero falsoq; dignoscendo: In his omnis deliberatio, de futurisq; consilium: in his omnis inuentio, in his ea quæ una numeratur & eadẽ prima, quatuor uirtutum, ideo dicta prudentia: quod unusquisq; in aliquo excellens artificio dicebatur prudens atq; etiam sapiens: Ideoq; sapiẽtia dicta est filia usus & memorię: & qui multi experti erant & eorum memores, uocabantur sapientes: quales iurisconsulti qui dicti sunt prudentes & septem illi cum alijs multis qui cognominabantur sapientes. In ultima potentia animæ sunt affectus cupiditasq;, timor de futuro, de præsenti uoluptas, & molestia: tametsi in cupiditate nõnihil est uoluptatis, & in timore multum molestiæ: Etiam in præteritis inest & delectatio, &

molestia, cum illorum recordamur: spes ad futurum pertinet, estq; affectus iucundus, sed ratione admixta: sicut desperatio è diuerso. Itaque ex illis (quas dixi) quatuor uirtutibus quas Plato uidetur à Persis præceptoribus accepisse: tres reliquæ, in ultima animæ potentia sunt nihil aliud quam affectus. Si enim affectus ducem rationem sequuntur, uirtutes sunt: si minus, uitia. ex quo nihil bene fieri, aut male dicendum est, nisi affectum: nihilq; aliud aut laudem meretur aut uituperationem quam affectus. Non enim scientia iuris uirtus est, sed iustitia. Neque cognitionem diuinarum rerum & humanarum quidē sibi philosophia uindicat: sed ex præceptis sapientiæ uiuere: neq; scire bonum laus est, sed uelle: nec malum scire sed nolle: neq; rursus dedecus scire bonum aut scire malum: sed id nolle hoc uelle: nisi forte noluisti scire, aut ira, aut odio, aut solicitudine, aut ignauia impeditus atq; corruptus. Talia nanq; aciem mentis obtundunt, & hebetant. Eaq; propter dicitur amor cæcus, ira, auaritia, spes inuidia cæca: quod uidelicet cæcant intellectum: nec animus quæ proprie est uoluntas, male affectus: sed etiam corpus male affectum perturbat ingenium. Nam dolor capitis lassitudo membrorum, ebrietas, sopor: officiunt intellectui. Et idcirco errant qui intellectum uoluntatis dominum imperatoremq; constituunt. Ausim dicere nec doctorem quidem illum esse uoluntatis: non docetur uoluntas, sed ingenium seipsum labore suo docet adiutrice memoria: ita ipsum uoluntas ducem habet: una eademq; anima tum capit & tenet, tum inquirit & iudicat, tum amat aut odit: nec sibi ipsamet imperat, neque una in parte domina est, in alia ancilla. Quod si posset imperare ratio uoluntati, nūquam profecto uoluntas peccaret: ergo quod peccat ipsius culpa est, quod sibi non imperauit ut meliora uellet: quæ sola (ut dicebam) uirtus est: nam prudentia quæ in intellectu est uirtus non erit. Quod Cicero confitetur in officijs inquiens. Prudentia sine iustitia nil ualet ad faciendam fidem. Quo enim uersutior quis & callidior, hoc inuisior & suspectior detracta opinione probitatis. Quasi diceret prudentiam sine iustitia malitiam esse: quanquam malitia significat scientiam admixta iniustitia uti ipsa uox indicat: quo nomine summi quique autores sunt usi etiam pro mala uoluntate, Plautus, Sallustius, Liuius, Cicero, Seneca, Quintilianus & alij plurimi: ut duæ res sunt scientia & mala uoluntas: quarum una quæ est iniustitia, uituperanda est. Altera quæ cum prudentia communis in meditullio posita est, quàm licet uocemus solertiam, per se nec bona, nec mala est: ut dolus qui cum alibi, tum in iure ciuili dicitur bonus & malus: ut etiam in medicina pharmacum seu uenenum, malum & bonum: hinc est quod serpens narratur fuisse prudentior cunctis animalibus, cum de calliditate & uersutia eius ageretur: & uillicus iniquitatis prudenter fecisse memoratur cum malitiose fecisset: & prudentiores esse filijs lucis, filij tenebrarum in generatione sua. Eam apud Hieremiam & Paulum, Sapientes sunt ut faciant mala. Et apud Iuuenalem:

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti faciem deformis amici.

Dixi in uoluntate uirtutē, potius quàm uel in actione: quia actionē ob uoluntatem aut laudamus aut uituperamus: & uoluntas citra actionē laudabilis uituperabilisq; est: Vel in habitu quia prudentia doctrinæq;, & artes ex habitu constant: quæ ut lente diuq; percipiuntur, ita difficile ex habitu quasi è domo & possessione pelluntur: Virtus quæ affectu constat, celeriter acquiritur: celeriter q; amittitur: quemadmodū & uitiū. Nec mediocris tantū, sed etiā maxima. Siquidē Polemon audito Xenocrate, unā intra horam omnem incontinentiam exuit: effectusq; est continentissimus: & latro in cruce pendens uno horæ momento factus est optimus. Infinita sunt huiusmodi exempla. Nā procul à uero est, quod ait super Aristotelis prædicamenta Boetius: qui semel iuste fecit eum non esse iu-

stū,

ctũ, neq; qui semel adulteriũ fecit eum esse adulterũ: sed cum ista uoluntas cogitatioq; permanserit. Cur nõ addebat si qua uirgo fuit unũ diem in lupanari, eã nõ desinere uirginẽ esse, si nõ perseuerauerit in prostando: an qui cædẽ fecit nõ erit homicida? Vel si centum uno die homines occiderit si non perseuerauerit deinceps in cæde perpetranda nec cædis accusari poterit? O præclarum legum conditorem, ô reipublicæ atq; priuatæ elegantẽ morum institutorem: quæ ciuitas hanc ferret absurditatem? non esse adulterũ qui semel adulterauit. Scires tu siue Boeti siue Aristoteles si domi tuæ adulteriũ admitteretur. Turpius est hoc quàm quod alibi tibi placet Aristoteles ut robusti nascantur filij, ne'ue sint parentibus pene fratres: ne ducamus uxores nisi sex & triginta annos nati. Quæ barbara natio hominem: qui uirum occiderit, si non perseueret occidere alios, habeat pro innocente? qui syluestres ac agrestes & syluatici homines putarent uirginem adhuc esse: quæ uno demũ die sit tacta à uiris & fortassis impleta? ergo hac ratione & mater & meretrix poterit esse uirgo. Qualem facit Pasiphaen Vergilius inquiens. Ah uirgo infelix: quod si est absurdissimũ dictu: fateamur ex uno actu summũ uitium, & ex uno actu summã uirtutem esse posse: ergo nõ opus est perseueratione. Neq; uero inficias eo, confirmari roborariq; usu uirtutẽ ac uitium. Nam & scientiæ & artes confirmantur usu roboranturq;: sicut aliud est acquiri scientiã, aliud confirmari, sic aliud est acquiri uirtutẽ aliud cõfirmari. Neq; enim uno die si sum indoctus possum fieri doctissimus, ut possum uno die ex tenacissimo fieri largissimus: etenim doctrinæ per gradus certos paulatim acquiruntur, & uelut ascendunt: uirtutes etiam sine gradibus impetu quodam & ut sic dicam uolatu adiri non possunt. Commodiusq; per gradus loquimur, quàm quod Aristoteles fecit per dispositionem & habitum: cum uix discerni hæc duo inter se possint, & inter dispositionem primam & ultimam. Itemque inter primum habitum scientiæ & ultimum, si quis ultimus est dicendus multi & pene infiniti sint gradus: & prima dispositio sit aliquis habitus, & ipse quantuscunque habitus ad ulteriores dispositio: ita omnia confusa erunt. Commodius igitur (ut dixi) est agere per gradus: per quos retro ad ignorantiam descendimus: uirtutibus etiam non gradatim in imum corruere possumus: quia non ita infestatur scientia ab inscitia, ut uirtus à uitio. Quomodo uirtus austera est, uitium plerunq; blandum. Continentiam etiam oppugnat libido: largitatem tenacitas, abstinentiam auaritia, fortitudinem ignauia, patientiam ulciscendi auiditas. Cur non oppono plura singulis uirtutibus uitia, ut fecit Aristoteles qui largitatem à duobus uoluit oppugnari tenacitate siue auaritia, & prodigalitate: fortitudinem ab ignauia & temeritate: quæ sunt bina extrema & singulorum mediorum quæ appellat parum & nimium. Ego ut de hoc iam disputem: animaduerto dolosa esse ista tria nomina, nimium, parum, medium: etenim nimium nomen est uitij extremitatis: cur non dicebas plurimum uel summum? parum nunc quoque uitium significat: nam cum significat paulum, uitio caret: Vt affer parum aquæ. Et idcirco idem ualent parumper & paulisper, ut per modicum tempus: at cum dico parum attulisti aquæ: ut dixit ille apud Quintilianum pyrata, Parum attulisti senex, uitium significat. Quod Aristoteles fatetur cum hæc appellat excessum & defectum. Medium uero inter duo extrema, non unum, nec simplex quiddam est, ut inter unum & centum. Ita non duo extrema, singulis medijs opponentur, sed plurimis: & sane plurima sunt media. Et de extremo ad extremum, hoc est de imo ad summum, plus spatij est quam quod occupant ipsa extrema. Nec uideo cur potius media seu medium laudabile sit, quàm extrema aut aliquid extremorum. An non est paruum uitium, & medium & summum, cur non & uirtus sit & parua & summa sicut & media.

Vides ut medio posui uicium: ut etiam deus posuit inquiens: utinam aut calidus aut frigidus esses: sed quia tepidus es incipiam te eijcere de ore meo. Mihi certe uidentur pulchriores Germani, qui sunt candidissimi, & Aethiopes qui sunt nigerrimi, quam Aegyptij qui sunt atri seu fusci: quasi ex utrisq; mixti. Quid? nõne summe formosus atq; omnium formosissimus, summe doctus, summa uirtute præditus, præponendus mediocriter formoso, mediocriter docto, mediocri uirtute prædito? At non est istud excessus inquiens: quid ergo mediocritas? quo modo mediocritas erit, id quod nullus excessus transcendere queat, non modo in formositate (quàm ut nimiam, accusare dementis sit) sed etiam in scientia atq; uirtute. Omittam nunc de scientia loqui: dicam de uirtute. An potest liberalitatem transcendere prodigalitas? scilicet non tantum donare potero iusta causa, quantum iniusta? aut fides, spes, charitas excessum habẽt, & mediocres plus laudis merentur, quàm extremæ & summæ? aut si paruæ sint, pœna potius quàm aliqua mercede sunt dignæ. Corruperunt igitur illi apud Terentium colloquutores sapientis ueteris sententiam, cum dixerunt: Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli: ut animum ad aliquod studium adiungant: aut equos alere: aut canes ad uenandum: aut ire ad philosophos: horum ille nihil egregie præter cætera studebat. & tamen hæc omnia mediocriter. Gaudebam, non iniuria: nam id arbitror in uita utile, ut nequid nimis. An egregium esse in philosophia id uero nimis est? aut illud erit laudabilius esse mediocrem in canibus equisq; alendis? certe Aristoteles ipse noluit in philosophia mediocris esse sed summus. At hoc nõ fuit inques uitium. Quod ergo (ut dixi) mediocre & idem summum? quo pacto fieri potest, ut quod summum est, idem medium sit? mediocre sit? calumniæ sunt & inuolucra ista uerborũ. Totum hoc intellectu perpenditur ac bona uoluntate, non rei magnitudine, paruitate, mediocritate. Nã obolum largiri prudenter ac bona mente laus est largitatis: mala uero mente laus est prodigalitatis: item, unum, duo tria, quatuor, decẽ, centum, mille, mille siue paulum, multũ, per multum, plurimũ, quamplurimum: & (quod nihil est ultra) etiam totum tam bene largiri quàm male possumus: neque uero cum duo uitia sint in parum & nimiũ donando, una erit uirtus in mediocriter dando. Nam ista ratione tres faciam uirtutes: unam in mediocriter: alteram in paulum: tertiam in multũ donando. Sed hæc (ut dixi) non paruitate, magnitudine, mediocritate pendentur: ista enim res distantiã inter opera uitij, & inter opera uirtutis facit: non ipsam uirtutẽ ipsumq; uitium. Iam uero sicut non eiusdem uitij est parum dare & nimium, ita nec eiusdem uirtutis est, non dare, siue non plus dare & satis: Quæ Aristoteles nescio qua prauitate confundit: qui cum passim rerum sectatur argutias mihi minime uidetur argutus: qui uoluit largitatem in non largiendo, atq; ut accederet impudentiæ cumulus esse eam etiam in capiendo & ita in similibus. Quis ita procul abest à cõmuni intellectu, quin intelligat ita demum uocari me largum cũ largior? uocatur autem largus in uirtute: quod si male largior sum prodigus: si non largior nempe ob tenacitatem seu dicere uolumus auaritiam: quid ni tenax seu auarus sim? tolle tenacitatem auaritiam'ue nunquid non possum non dare cum uirtute quæ uocatur parcitas, siue parsimonia, siue alio nomine appellanda est? uelut cum mimis: aut circulatoribus: aut tubicinibus nolo largiri: ergo & in dando & in non dando est uitium & uirtus. Quod nec uulgus ignorat cum contenditur an sumptum facere in ludos, sit largitas, an prodigalitas: & nolle ludos facere, sit modesti an miseri animi? Sunt enim ut ueteres testantur omnes proxima uirtutibus uitia, & ita hæc illas mentiuntur, ut stagnum mentitur argentum: & orichalcum mentitur aurum: sic liberalitatem prodigalitas, sic parcitatem tenacitas, sic fortitudinem temeritas, sic cautionem ignauia.

uia. Neque enim (ut de hoc quoque aliquid loquar) tantum est fortis qui opponitur duobus temerario & ignauo: nã cautus proprie ignauo opponitur: quod si dicatur utrique uitio uirtus fortitudo opponi, repercutiam & ipse istos eodem telo. Quippe temeritas opposita est fortitudini & cautioni, & item ignauia. Neque nos mouet quod cautio species uidetur esse prudentię, quia & in omni uirtute dux est prudentia: & in cautione bona uoluntas agnoscitur. Quinetiam illa Aristotelica parum & nimium & medium, magis ad prudentiam spectant, quàm ad bonam uoluntatem. Et cautionem non modo ad intellectum pertinere, sed etiam ad uoluntatem, illud probat, quod etiam contrarium est temeritati. Quæ cum uirtus sit, si ponenda in medio erit, confutabit Aristotelis orationem, qui uult maius uitium esse ignauiam temeritate: & auaritiam prodigalitate: quia magis distent à medio: ut pollex magis ab indice distat quam medius digitus. Nunc non magis distabit, ergo nec maius uitium erit. Cum eo quod in parcitate prodigalitas erit defectus, & auaritia excessus. Et in cautione temeritas, defectus, ignauia, excessus: siue in prodigalitate & temeritate peccabit parum, in auaritia & ignauia peccabit nimium. Et tamen non uideo (ut de alijs taceam) cur sit maius uitium tenacitas, quàm prodigalitas uel propter hoc, quod ideo tenaces sumus, ut prodigi esse possumus, id est ut partis abutamur diuitijs, ad quem abusum auaritia tendit. Quanquam Aristoteles ut semper sit sui similis, prodigalitatem quam etiam in non dando esse statuit tenacitatem siue auaritiam facit, mares fœminasque omnes, ut fons ille Salmacianus Androgynos reddens. Ita nõ bina quod ipse uult, sed singula uitia erunt. Sed hæc satis ne in rebus inanibus reprehendẽdis sim iusto longior: Pergamus ad reliqua. E quatuor (quæ fiebant) uirtutibus, unã exclusit prudentiã: quę est intelligẽtia boni & mali. Virtus (ut dicebam) est uoluntas siue amor boni, odium mali, hoc cum ita sit, sola charitas est uirtus. Nam fides est, credere deum omnipotentem, omni sapientem, omnia bona uolentem: & spes eum in te fore talem credere, intellectus est. At charitas quæ est deum amare, & ob deum amare hominem, id affectus est. Hæc autem cum in certamen uocatur dicitur fortitudo quæ sola est uirtus: quæque proprio nomine tam græce ἀρετὴ quàm latine uirtus appellatur: & propriæ illa quæ dicitur pax dei: quæ si nihil aliud est quàm charitas, an est aliud fortitudo quàm amor? aut cęteræ, quæ uirtutes appellantur, aliud quàm charitas? An non modo martyrum dei, quales apostoli, qui accepto spiritu sancto (qui est charitas patris & filij) facti sunt ex ignauis fortissimi, sed quorumcunque qui fortes existimantur fuisse, fortitudo aliud fuit, quàm amor uel suorum, uel gloriæ, uel imperij, uel opum. Tolle hanc uoluntatem uehementem, qui dicitur amor, quis in laboribus periculisque perstabit, ne dicam in uulneribus, tormẽtis, morte: quis hæc subire auderet? adeo mites ac timide feræ pro fœtibus suis feroces efficiuntur, ut prope supra naturam fortes. Fortitudinem appello tam non emolliri prosperis, quàm non frangi aduersis quod natura consequens est. Qui enim dura fert is profecto mollia respuit: & non minus est fortis animi, in blandientem, quàm in minantem fortunam, agere uirum: nec huic nec illi succumbere. Quod Cicero (quam constanter, ipse uiderit) cum alibi, tum ibi fatetur: ubi inquit, uita, mors, diuitiæ, paupertas, omnes homines uehementissime permouent: quæ qui in utranque partem excelso animo magnoque despiciunt, fortes appellantur. De quo genere iustitia est, quæ uidetur esse ob id diuersa à fortitudine, quod hęc ad nosmetipsos referatur, iustitia ad alios: ut aliud sit ferre nos iniuriam, aliud iniuriam facere alijs: sed cur alijs iniuriam inferimus? aut illatam non propulsamus? Nempe nulla alia causa, nisi quod aut frangimur duris ueluti laboribus, periculis, sumptibus, metu: aut iucundis emollimur, ut donis,

Prudentia q. d.
Virtus q. d.
Fides q. d.
Charitas q. d.
ἀρετὴ
Fortitudo
Cicero carpitur.

doniis, ut promissis, ut spe, & quæ sunt id genus: quorum si nihil est inscitia imprudentiaq; est. Idem autor hoc & in eodem loco confitetur inquiens: nemo enim iustus esse potest: qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet: aut ea quæ sunt his contraria, æquitati anteponit. Et iterum, Iam illud non sunt admonendi: est enim in promptu ut animaduertant cum iuuare alios uelint, ne quos offendant: sæpe enim aut eos lædunt quos nō debent: aut eos quos non expedit. Si imprudentes, negligentiæ est: si scientes, temeritatis. Hæc dixi breuiter, quia nihil mihi uidetur esse euidentius: & ideo ex infinitis sanctorum librorum exemplis uno de numero contentus. Dixit Deus ad Cain: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? non'ne si bene egeris recipies, sin autem male, statim in foribus peccatū aderit? sed sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius. Et iniuste egerat Cain, & iuste agere nolebat, ut qui inuidebat Abeli fratri tanquam magis apud deum gratioso, abiecto & fracto animo erat: & id ignorantia boni: cum deus doceret unam esse uirtutem, ostendens non debere frangi animo: sed dominari, non seruire appetitui. Ergo dominari quodammodo sibimet, ea demū uirtus est: Ad quod agendum quanquam amore inducimur, tamen ipsa potentia seu passio molesta est: ut nihil aliud sit fortitudo, quàm labor animo amante susceptus ob rem sibi iucundam ac delectabilem. Quis enim ob nullam causam nullumq; finem sibi laborandum ducat. Stoici, Peripateticiq; & si qui sunt alij, uiderint, qui uirtutem, nullum sibi præponere præmium uolunt. Amor qui nos ad tolerantiam impellit: non habet ille quidem finem ad quem tendat: sed causam unde procedat. Et idcirco non placet mihi cum dicitur deum amandū propter se, quasi quis aliquid amet ob finem. Amandus est deus ob efficientem causam, non finalem. Quia creator, quia bonus & cætera huiusmodi: non autem ob remunerationem. Et non affectamur proceres ac principes ob fructum, amamus autem ob aliquam, quæ in eis est uirtutem: si modo amamus utiq; quos affectamur. Neq; aliud est amor quàm delectatio: ut amo uinum, amo ludos, amo scientiam, amo mulieres: hoc idem est quod delectari uino, ludis, scientia, mulieribus. Delectatio autem ultima rerum est omnium: neque quis ob aliquem finem delectatur, sed ipsa delectatio est finis: de qua mox etiam dicemus. Verum si amor est finis, cur amantes laboramus? non'ne labor ille tendit ad finem atq; ad præmium? id fit aut eius conseruandi boni (unde gaudemus) gratia: aut eius potiundi quod non absolute possidemus: qualis est nūc amor in deum, timore aut cupiditate admixta. Nam quatenus nunc deum intelligimus, eatenus eum amamus. Sed cum sciamus plura esse quæ in deo sunt nobis ignota: ea cupimus, ea amare, siue illis oblectari uellemus: ob quæ ærumnas fortiter ferimus. At cum defuncti uita, deum cognoscemus reuelata facie, ut ipsi cogniti sumus: tunc perfecta charitas erit: qualis illa angelorum præcipueq; eorum qui supremi sunt: & ultimum finem attigerunt qui dicuntur Seraphini quorum delectatio, quorum beatitudo, felicitas est consumata charitas: non quia non sit deus & finis beatitudo nostra, sed potius tanquam fons unde emanat causa diligendi: tanquam sedes ubi acquiescit & habitat ipsa delectatio: eadem ratione de reliquis rebus quæ amantur & è diuerso de rebus quæ odio habentur: Nam odiū molestia est, cōtraria delectationi: Ideoq; ueteres etiā odiū pro molestia corporis accipiebāt ut illud: nunquam me hodie odio tuo uinces. Et odiosum est mihi hoc, id est, molestum: Molestiam itaque omnes fugiunt, sicuti appetunt delectationem: sed illam ferunt propter hanc, si modo illa minor fuerit: hæc maior. Alioquin non uocatur illa uirtus, si tali intelligentia careat: ut plus boni peteret tolerantia minoris mali. Delectatio pro actu quoque alterum delectandi accipitur, siue à delecto actiuo, siue à delector deponendi

uenit, eaq́ de re consuetius est nomen fortasse uoluptas, sic dictū quia uoluptatem sola petit uoluntas, eam Græci ἡδονὴν ut Cicero ait appellant. Nescio an melius respondeat illi superiori (delectationem dico) τερπνότης quā nostri etiam uoluptatem transferunt: ut in illo: ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ, ut uideā uoluptatem domini τοῦ θεωρεῖν με τὴν τερπνότητα κυρίου. ut ἀπόλαυσιν. Hanc quidā recentiorum appellant fruitionem: qui est actus percipiendæ uoluptatis, ideoq́ (quantum sentio) semper indigens genitiuo: ut fruitio rerum malarum, fruitio rerum bonarum: qua de causa rarissime, ac pene nunquam sunt usi hoc uocabulo clarissimi autores. Plura attulimus huius rei in libris de uero bono exempla. Nunc unum attulisse suffecerit ex Augustino, in trigesima octoginta quæstionum. Fruimur illa re de qua capimus uoluptatem: nec differre fruitionem ab amore, probat idem alibi, dicēs: Frui est alicui rei amore inhærere propter se: adhærere autem amore & amare idem est propter se, ex consuetudine philosophorum dixit, non ex rei natura ut testatus sum. Quare delectatio, siue uoluptas, siue fruitio, siue amor, siue aliud simile nomen in idem recidunt. Quæ cum summa & consummata sunt, uocatur beatitudo siue felicitas: ad quam bene agendo, hoc est, bene uolendo peruenitur, non ipsa est bona actio ut Aristoteles ait, nōnihil deceptus loquendi cōsuetudine quæ apud latinos melior est: dicimus enim bene mecum agitur: male cum illo actum est: quod uidelicet ego & res meæ bene se habent: & ille uel illius res male. Vnde actum est de me, actum de imperio, actum de rebus humanis. Non quod ego, aut ille, aut imperium, aut res humanæ agant, sed quod deus uel fortuna (ut more ueterum loquar) agat de me, de illo, de imperio, de rebus humanis: quod apud nos passiue, id apud Græcos dicitur actiuè εὐπραγεῖν & εὐπραγία siue εὐπραξις hoc est, bene agere, & bona actio, bonus actus: ut apud idiotas bene ago res meas: bene facis negotia tua, id est, prospere. Quare non uidetur id quod loquit̄ intellexisse Aristoteles in Politicis inquiens καὶ τὴν εὐπραγίαν τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι τ' αὐτόν. Nam hoc bene agere non est uirtutis: neque in nostra manu situm, uerum in fortunæ & dei, cum possim bene agendo tamen male habere: & ut latinius loquar, potest mecum bene agente male agi: & tecū male agente bene agi: aut etiam cum nihil agente uel bene agi, & præclare uel male. Nam bene & male nunc accipitur fortunate & infortunate, siue commode & incommode ut apud Ciceronem Lælius loquens de amico Scipione interfecto inquit: Cum illo uero quis neget actum esse præclarè? idem est enim præclare quod bene, seu optime. & aliquando post. Quamobrem cum illo quidem (ut supra dixi) actum optime est, mecum incommodius: quem fuit æquius ut prius introieram in uitam: sic prius exire de uita. Quid nunc aut Scipio interfectus, aut Lælius relictus egit? profecto nihil. Non recte ergo Aristoteles inquit, ἀδύνατον γὰρ τὸν μηδὲν πράττοντα εὖ πράττειν: nam & cum Scipione bene, & cū Lælio male actum est, utroq́ non agente. Eadem pene ratione dicunt græci bene pati εὖ πάσχειν pro bene accipere siue bene habere, qua dicunt bene agere. ut in psalmo & bene patientes erunt καὶ εὐπαθοῦντες ἔσονται quod ego dixissem & bene cū eis agetur quæ loquendi consuetudo nihil debuit habere momenti apud Aristotelem cū de actione honesta: quæ in nostra potestate est disputaret. Quid illud q̄d præter cōsuetudinē est: ut enim bonā actionem fecit felicitatem, sic felicitatē fecit actionem dicens ἡ γὰρ εὐδαιμονία πρᾶξίς ἐστιν. Non enim bona actio est felicitas siue uoluptas, sed per bonam actionem ad illam peruenitur: & ante omnia per doctrinas scientiasq́ quarum una est prudentia cui subiecta ex parte est, illa quarta, quàm decorum appellant. Etenim sicut ianua domus, & gradus scalarum non eum præstant usum, in quem domus ipsa inuenta est: ita uir-

tus

culus ferreus Arsinoes in conditorio magnetico pendeat in medio. Extinguitur frigus & calor, non de loco in locum expellitur: neq; in ima terrarum demergitur ut multi disputant: quorum est noster Macrobius, qui in Saturnalibus ait, Frigus in terrarum ima demergitur, & aquas inficit, quarum in imo est scaturigo: & contra cum aer hiemem perfert calor in ima demergens aquis in imo nascentibus dat uaporem: non aduenit calor aquis, sed ex aquis gignitur: nec frigus in terram descendit: sed terræ ingenitus est: neq; caloris excessus est ignis, neq; excessus frigoris est glacies, ut ait Aristoteles, cũ glacies & ignis sint corpora, illa non sint, & si per semet ignis (de nostro loquor non de sidereo) subsistere non potest: quin etiam rem cui adhæret absumat. Nec mihi uidetur occupare locum in illa ipsa re quam amplectitur, ut in fumo, in pruna, in metallo ignito: præterea in nihilum conuerti, quia de nihilo factus est: per quod deus suam patefecit potentiam: ut sciremus è nihilo aliquid posse creari, & ex aliquo nihil. Si enim aqua in aerem conuerteretur: & aer in ignem (ut isti aiunt) decuplũ ignis fieri ex aere: & decuplum aeris ex aqua: & decuplum aquæ è terra: cur nunquam uidemus nec incẽdi aerem, nec mare imminui aut crescere: nec terram. At qui cognationem quandam elementis assignant, ignem quidem calidum esse & siccum: mallem dixissent, lucidum quam siccum: ut mox ostendam. Ego illum elementalem ignem nec calidum nec lucidum intelligo. Aerem uero calidum & humidum eum ipse negaui calidum: imo probaui frigidum: qui si talis est: nullum est elementum igneum quia cognatio caloris intercidit. Nam si ignis est calidus & siccus, cum aëre cohærere non potest: quem & ego frigidum probaui & isti humidum aiunt. Addam nunc non esse humidum quod uel sua sponte apparet. Quo enim fœdere potest humiditas iungi cum calida siccitate: quasi dimidium aëris superius sit siccum, alterum dimidium inferius sit humidum, quod ridiculum dictu est: quod siccum & calidum est: id non aër sed ignis erit. ergo siccus dicendus est aër. Iam uero quicquid humidum id & graue est. Atqui in aëre nihil est ponderis, neq; utres inflati grauiores sunt quam remissi: neq; naues aut cistæ, quam ipsa materia ex qua compositæ sunt. Adeo autem omnia humida sunt grauia, ut etiam non nisi è duobus diuersis corporibus constent: humidum quid dicitur, quia humorem in se habet: humor autem non qualitas est ut calor, sed corpus: & sub quo tanquam genere aqua continetur: ut apud Ouidium de mari loquentem: circumfluus humor: Vltima possedit mediumq; cohercuit orbem. Quid opus exemplis in re quam siquis nesciat nihil omnino sciat: humorem esse uinum, acetum, omnem succum, lachrymam, pituitam, aquã qua uel uestis uel humus madefacta aut perfusa dicitur humida: ut duo sunt corpora coniuncta, terra, & aqua: fiatq; tunc grauior illa uel uestis, uel humus, quã prius fuerat. Quo fit ut cum aërem dicunt humidum fateantur, eum habere pondus nec simplicem esse. At mihi ne humidus quidem fieri posse, id quod in humore cernimus uidetur. Cur enim bullæ illæ quæ inter fontanas aquas micant, non humectant? cur non in humore immorantur? cur illum aërem humor expellit, quasi suum hostem. Quippe non tam sua leuitate illinc aer ascendit atq; emergit: alioqui cum in fastigium aquæ bulla euasit, nunquam illic immoraretur: sed potius è sua tunica erumperet. Quales sunt etiam globi illi è lixiuo facti tandiu uolitantes, quàm compressu aquæ excluditur suopte pondere ac suapte lubricitate ab illo descendentis: qui dum est in aqua aut in terra ueluti in utre (ut dixi) tantundem loci occupat, quantum occupat tantũdem aquæ & terræ: ut si ipsum utrem uel aqua impleas uel harenis: quem inflatum aere, quis calor, quod frigus, quæ alia uis constringet, eumq; densabit aerem? Nam isti, aiunt, aerem densari mutariq; in aquam, & aquam rarescere in aerem (ut dixi). Quod si fieret, cũ

non

nō minus loci occupet aer, quàm aqua uel terra. Vnde id loci haberemus? Quoties parum aquæ uel terræ tantum efficit aeris? necesse foret cœlum laxari, & rursus cum multum aeris in paulum terræ aquæ'ue mutaretur contrahi. Cum dixi de aere dixi etiam de aqua, quam negaui esse humidam, sed ipsum humorem: sicut enim calor non dicitur calidus, ita etiam neq; humor humidus. Inscitéq; traditur à physicis esse in corporibus nostris quatuor humores, duos quidem humidos totidem uero siccos: cum neq; humidi sint humores neque sicci. Contraria est enim humiditati siccitas: nec aliud quàm absentiam humoris indicat: etiam ignem & terram dici siccam habere qualitatem eiusdem inscitiæ est: cum non sit qualitatis propriæ siccum esse, sed carere admixtione alterius corporis qui humor dicitur. Dixi propriæ qualitatis: quia terram esse udam, madidam, limosam, & breuiter humidam: & è diuerso aridam, torridam, siccam, sic qualitatem significat: ut hominem esse crinitum, barbatum, pilosum, succiplenum, lacertosum, corpulentum, pinguem, & è diuerso caluum, imberbem, leuem, exanguem, effœtum, macilentum: cum tamen crines, barba, pili, succus, lacerti, corpus pro carne, pinguedo siue adeps & aruina, non qualitates sint sed res corporeæ. Vapor quoq; siccus & humidus cur dicatur non uideo. Nam si uapor humor est, siccus esse non potest: sin afflatus caloris calidus, nec humor erit, nec corpus: qua ergo ratione creare, ut uult Aristoteles nubes & cætera poterit? similis est uapori, & pene idem exhalatio, quam ille ἀναθυμίασιν: eiusq; copiam uult esse uentum, non aũt aerem motum, quasi nō uentus sit aer flabello, aut follibus motus. Si uentus non est aer, certe nec corpus: ergo uter uento inflatus (& si cessat uocari uentus aer, cum stat) non erit plenus corpore sed nulla re. Omnia portentosis uerbis miscet: ait ita contrarium esse aera terræ, ut ignē aquæ quasi sic se mutuo perimant aer & terra, ut ignis & aqua. Solo pondere distant aer & terra, & si quæ sunt aliæ qualitates non calore & humiditate cum ambo sint frigida: nec humorem, suum esse agnoscunt: quem etiam detrahi uult posse aquæ Aristoteles: efficitq; terram, quod nec pisces si loqui possent dixissent: an potest corpus suum detrahi aeri, aquæ, terræ? minime. Ita nec aquę humor, quia ipsa aqua, aut ipsum aqueum corpus humor est. Quod cum ita sit nec terra uicissim conuertetur in aquam: & item de cæteris elementis si qua sunt cætera nisi aer. Hæc etiā elementa uult esse in suis regionibus pura: quasi purior alibi terra & aqua quàm ea quæ nobis nota est: Ex eis quoq; omnibus constare nostra corpora cæterorumq; animalium: itemq; arbores & omnia germinantia. Terram & humorem in me ac in cæteris (quæ dixi) agnosco: ignem nō agnosco: nisi forte talem ignē uolunt esse, qualem super aerem fingunt, qui nec uideatur, nec sentiatur. Neq; enim animal quia calidum est, ideo ignitum putabo, ac ne aer quidem pars est corporis nostri: neq; quippiam ex aere sicut neque ex igne compositū est. Meat aer & remeat per os animalis alius & alius. Quod etiam diuino comprobatur testimonio: quod scimus deum formasse hominem ex limo, quæ est humus humore macerata, in quæ duo cadauer resoluitur: quod testatur Homerus: apud quem Menelaus his qui cum Hectore dimicare formidabant, sic imprecatur:

*ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.*

*De materia forma & composito.* Cap. XII.

HAec hactenus (ne in infinitum excurrat oratio) de substantia, quam esse ex materia & forma magis obsequutus sum, quàm assensus: primum quia nō sicut una materia unius corporis est, ita una forma: ueluti in hoc pomo est color, figura, pondus, odor, leuitas, & alia nonnulla. Deinde quod substantiam hanc, qua ex materia constat & forma, imò & formis, appellant compositum: cum nihil possit esse simplicius: sublata enim alterutra parte altera perit. Neque id in

corpore modo, uerumetiam in spiritu usqueadeo ut essentiam & qualitates in deo ponamus, dicente deo Iesu de ipso deo apud Ioannem, neq; uocem eius audistis: neq; speciem eius uidistis: species autẽ & uox qualitates sunt. Tum quod materiam quandam faciunt ab omni forma seiunctam: quam uocant materiam primam: hoc peræque stultum est atq; formam qualitatem'ue facere citra materiam ne dicam stultius. Quoniam si quis aliquam neget esse materiam ei quemadmodum superius dixi probare non possim, nec defendere: non magis quàm quare hæc sunt idonea nomina materia & forma. Materia enim uocatur qualis in statua marmor, in scamno lignum, in latere lutum: ut superius sum testatus. Forma autẽ quid aliud quàm figura significat? O deprauatrix naturalium significationum peripatetica natio. Postremo quod priorem uolunt esse materiam forma, quæ quo modo potest esse prior: quæ non extitit prius? & eam iubet nos imaginari quæ imagine caret. Accipe rationem propositione sua dignam: ut imaginamur formam sine materia: ita possumus imaginari materiam sine forma. Imaginamur quod imaginem habet: non quod non habet. Et tamen in illo quod mentiuntur: nihil enim imaginamur nisi tanquam corpus: tertiam quasi sororem faciunt priuationem, sed quasi notham & duarum inimicam: quæ cum aut qualitas, aut nihil sit, in tractatu qualitatis disputanda est: cuius nũc ordo est.

### *De accidente, quodq; nouem prædicamenta ad duo referuntur, qualitatem & actionem.* Cap. XIII.

CAetera nouem prædicamenta Aristoteles uno complexus est nominè συμβεβηκός quod transferunt accidens: mihi duo tantum placet esse: & in hæc recidere cætera, qualitatem & actionem. Accidens esse aiunt quod potest adesse & abesse, citra subiecti corruptionem. Quid? calor in igne potest citra ignis corruptionem abesse? forma, inquiunt, usialis, calor in igne. Quid? non huiusmodi forma & ipsa usia est? Vsialis (aiũt) respectu compositi: ut dicatur forma substantialis, à qua differt forma accidentalis ut calor in ferro. Ego distinxi substantiam ab usia quo magis res intelligeretur. Ita nunc cõsuetis quàm captiosis uerbis agere malo, & qualitate uti quã forma, ut alia sit qualitas naturalis alia non naturalis. Naturalis est qualitas: quæ ab essentia nequit abesse, ut in sole uibratus, lux, ardor, ut in anima potentia cupiendi, uolendi: ut in deo æternitas, sapientia, bonitas, ad cuius imaginem & similitudinem conditi sumus: imago autem & similitudo nihil aliud sunt quam qualitas: Nam ecclesia dicit qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Et usitatius, multoq; accommodatius est uocabulum qualitas quàm forma: sicut essentia quàm materia. Nõ naturalis, ut ille ipse calor in ferro. Calor autem & figura & tactus, & pondus, uerius est ut naturales qualitates dicantur: quas abesse posse (qui aiunt) falsum est: quod dicunt: ueluti in pomo (de quo paulo ante dixi) uirorem & asperitatem, & rotunditatẽ, & pondus auferri. Mutatur enim color & forma: & tactus & pondus, non auferuntur: non in aliam qualitatem, sed in seipsam: hic color in illum, hæc figura in illã, hic tactus in illum, hoc pondus in illud: fortassis omnẽ odorem possis auferre, atq; etiam saporem, & si quid est tale: cætera non possis nisi aliquid eiusdem generis substituas. Vbi nihil substituitur solent isti appellare priuationem. Quæ si nihil est quid attinet eam cõstituere cum forma & materia, quasi ipsa aliquid sit. Nam eam quasi nihil & tamen nonnihil uolunt esse, ut in oculo uidendi defectum: qualis est uel in eo qui amisit uisum: uel in eo qui nondum adeptus est: quales infantes nondum editi: & catuli ferarum statim editi, quibus nullus dum uisus sit: & tamen in oculo naturalis potentia uidendi: uidelicet quod oculus sit

natura aptus ad uidendum. Cum & uisu orbatus, & uisum nondum adeptus nihil cernet, uisio nulla erit: priuatioq; ipsa nihil erit. Potentia autem uidendi est in oculo bene affecto, non autem in extincto, aut nondum soluto, ut neuter possit uocari oculus, quemadmodum nec homo qui uel iam defunctus est, uel in utero matris nondum animam habet. Cæterum in oculo orbato inest quædam qualitas quæ & à cernentibus agnoscitur, & tactu sentitur: & in oculo nondum perfecto inest potentia non uidendi sed perueniendi ad uisionem: idem dico de loco tenebroso, idem de reliquis sensibus uel amissis, uel nondum perceptis, uel male affectis: sed reparabilibus. Sed his ineptijs omissis redeam eo unde egressus sum: species in qualitate non sunt perpetuæ omnes: sed genera nisi forsan in paucis. Itaque ut in eodem quo cœpi uerser exemplo, potest abesse à pomo uiror uel rubor, sed non color: potest rotunditas uel oblongitas & quæ libet alia figura, sed non omnis figura: potest pristini pondus, sed non omne poudus: potest hic odor aut ille, nescio an omnis odor: potest aut asperitas aut lenitas, sed non utraq;: potest aut calor, aut frigus, aut tepor, sed non omnia hæc. Quare perpetuæ qualitates hæ dicendæ erunt, quæ generales sunt: in quibusdam (ut dixi de sole) etiam speciales. Sunt autem generales quæ aut sensibus obijciuntur aut sensis. Sensa uocabant ueteres ueluti animi sensus. Igitur de sensibus qui sunt ad intelligendum faciliores prius dicamus.

### *De qualitatibus quæ sensu cognoscuntur.* Cap. XIIII.

SEnsus (ut superius dixi) sunt potentiæ quædam sentiendi in corpore animato. Hi quinque sunt ab omnibus facti: uisus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Obiectorum suorum singuli habent generalia nomina, præter ultimum. Nam obiectum uisus est color, auditus sonus, gustus sapor, odoratus odor, tactus nullum. Sed quod pauci animaduerterunt, abutimur pro nomine sensus, nomine obiecti, ut superius ego feci: dicimus factum durum, mollem, asperum, leuem, cum non sit sensus qui percipit, sed rei perceptæ, esse talem sicut non est uisus esse album, aut uiridem, sed coloris siue corporis: nec auditus esse acutum aut grauem, sed soni. Species huius obiecti (ut de hoc primum agam) sunt mollities, durities, asperitas, lenitas, caliditas, frigiditas: & si qua sunt huiusmodi. An ad hunc sensum pertineat sentire quid graue, quid leue, quid robustum, quid imbecillum, & si quid est tale, dubito an potius ad robur siue ad uires. Huic sensui subijcit Aristoteles gustum, & haud dubie gustus per tactum fit, tamen alius hic est sensus: alius ille. Neq; enim palatum ita cibi asperitate offenditur, ut amarore: quoniam in amarore offenditur gustus, hoc est uis illa gustandi, in asperitate, corpus ipsum: ut offenditur manus, pes, oculus, auris. Quippe per uniuersum corpus diffusa est uis tactus, nec exterius modo, uerum etiam interius: & idcirco tactus uehementer læsus, præcipua causa mortis est. Habere & Venus aliquid sensibile proprium non est dicenda, quia ad tactum pertinet ut suauitas somni, ut delectatio, quemadmodum dixit Socrates, confricando membra prurientia: & si quid aliud huiusmodi est: Semper enim est eadem. At saporis multæ sunt species & plures quàm quę Aristoteli placent, septem, & si non denominatæ: ille enim omnes uult fieri ex dulci & amaro: sicut ex albo & nigro omnem colorem quod confutare non magis possum quàm ipse facit, qui quod ait non probat. Dicam potius de Aulo Gellio qui reprehendit eos qui uersum Vergilianum emendando deprauant. Et sapor indicium faciet manifestus, Et orta tristia tentantum sensum torquebit amaror. Ita Vergilium scriptum reliquisse, & male à quibusdam emendari amaro: quod absurde dicatur, sapor sensu amaro torquet. Aulus Gellius non sentit, nunc sensum esse corporis, saporem, sed

sensio

sensionem: ut dicimus, Tu non habes sensum doloris: Ait saporem esse ipsum sensum: Non alium enim se habere sensum, non habet alium sensum? At habebit adiecta differentia speciem: sapor enim adiecto amarus, fit amaritudo siue amaror: ergo quo sensu torquebit amaror ora, nempe amaroris, quoniam sensus sapor est. Ita res in idem recidet. Neq; erit absurdum: ut dicatur sapor torquebit ora suo amarore: non magis quàm amaror torquebit ora sensu seu sapore suo: quia amaror sapor & sensus est. Si modo scienter dicitur sapor esse sensus. Nam odor pro corporis ipso sensu nonnunquam inuenitur, sicut è contrario tactus qui est sensus pro suo obiecto ut ostendit Quintilianus: nam uisus damnũ sarciunt reliquæ uoluptates: odor, gustus, tactus, auditus: odor pro odoratus dixit: aliquando & gustus ita accipitur ut amaro gustu cibus est. Odoris species non habent nisi paucissima nomina, ut fragrantia & fœtor. Ideoq; otiosum sit hoc loco illas enumerare: uisus obiectum (ut dixi) est color, & ex consequenti figura, quantitas, motus, quies, quarum figura est qualitas: de reliquis postea disseremus: eadē quatuor etiam tactus sentit: duo posteriora, nonnihil auditus. Quid splendor? est ne color? an alia quædam qualitas? Aristoteles uult eum esse, non dico candorē, sed candidũ: si candidus: quæ nam erit eius substantia? quem cũ faciat candidũ, miror cur dicat solē & ignes rutilos: unde enim suũ candorē splendor habeat, nisi à sole, quē Homerus candidũ facit, aut ab igne, aut si quid simile est. Nusquā etiā splendor est, nisi in his aut ab his, nec uideo quare ignis aut sol si rutilus esset, nō posset habere splendorē rutilũ: ergo splendor seu fulgor, est uigor ille, illa uiuacitas ignei coloris. Nam qualitas in qualitate est, & aliquādo in actiōe: ut pulchritudo formæ corporis, suauitas coloris, dulcedo uocis, tarditas ambulationis. Quo fit ut omnē, quem nanciscitur colorem splēdor & fulgor illustret, uehementioremq; reddat: in aëre uero qui colore uacat, nullum repræsentat colorem: etsi Aristoteles aëri dat colorem album quasi si colorem haberet, non cerneremus, uti solem quem album proprie & argentum nōnunquam alia de causa aureum cernimus. Ego qui diceret se uidisse aërem præter Aristotelem inueni neminem. Nam nisi uidisset nunquam album esse dixisset. Obiectum auditus dixi sonum, quem Aristoteles uocat ψόφον eumq; differre uult à uoce, id est, φωνὴ quod ille sit animalis ore prolata, & ut Platoni placuit propria hominis. hic uero magis cōmunis & illius genus: uox non nisi, ut sic dicam, dearticulata. Et tamen terræ motus & ψόφον & φωνὴν dixit. Apud nostros raro est diuersitas: cum dicant, literarum alias uocales, alias consonantes non ut Græci alias uocales, alias conuocales, ut dicimus semiuocales ἡμίφωνα, σύμφωνα, φωνήεντα. Vnde nonnunquam dicimus sonus uocis quasi qualitas uocis. Quidam præcipue qui de arte grammatica scripserunt, Diomedes, Donatus, Seruius, hæc duo nomina non uidentur distinguere, quorum primus ita ait: Quid? quod ueteres omnes sonos uoces dixerunt, ut fractasq; ad littora uoces. Tum quidam aërem esse dixerunt sed ictum, siue percussum, ut Stoici. Plato etiam spiritum, quidam uentum, quidam percussionem, siue aëris motum è quibus est Aristoteles, qui in libris de anima ait: Sonus est duorum corporum solidorum uehemens conflictio: Et iterum: Sonus est motus eius quod moueri potest, hunc in modum ad hanc Aristotelis uehemetiam, quæ superuacanea fuit, addunt Diomedes & Donatus dicentes: Sonus est corporalis collisio repentinum auribus inferens fragorem: sed neq; aër ictus, siue percussus est sonus, neq; uentus, aut spiritus, quia uentus & spiritus aër sunt, & aer corpus: At sonus quia obiectum auditus, qualitas est. Neq; percussio aeris, aut conflictio, aut motus: quia ista sunt actio, uerum ex percussione siue ex conflictione (ut dixi) qualitas: sicut ex percussione liuor & dolor. Quod testatur Quintilianus inquiens: si quis dicat sonus est duorum cor-

portium conflictio, errat, ut opinor. Non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. Priscianus tametsi ambiguum ponit dicens: uocem esse tenuissimum aërem ictum, uel suum sensibile aurium, tamen paulo post corpus aëreum sentit esse: quia & aurem tangat, quod falsum est: cum aurem non magis tangat quàm color oculum: neq; si tangeret continuo foret corpus, non magis quàm splendor: & per tres dimensiones cætera corpora dignoscatur. Nam non aliter sonus mensuram recipit, quàm splendor in aëre & color in patiete: Quia comparaui sonum splendori, non protinus cõprobauerim illam Aristotelis comparationem dicentis: quemadmodum sine lumine non sunt uisibiles colores, ita neq; sine sono acutum & graue. Nam acutum & graue species sunt siue differentiæ soni. Vnde sonus acutus appellatus, & sonus grauis: colores non sunt luminis species: neque dicitur lumen uiride & lumen uenetum: Color ipse est genus: diciturq; color uiridis: & color uenetus. Democritum atq; Epicurum transeo qui ex indiuiduis corporibus uocem constare dixerunt. Quorum assertor Lucretius libro quarto ait: Corpoream quoque enim uocem constare fatendum est, Et sonitum quando possunt impellere sensus: Præterea radit uox fauces sæpe, facitq; Asperiora foras gradiens arteria clamor: & in plurimos deinceps uersus. Verũ radere fauces non est uocis, sed aëris uiolenti: hanc quæstionem Aulus Gellius cum proposuisset pene ab ipsa conterritus, dissoluere formidauit, tanquam nimis arduam argutamq;. Ideoq; Enniano uersu elusit, Philosophandum paucis nam omnino haud placere: similiq; modo Lactantius qui cum non nihil contra alios de hac ipsa re disputasset intulit. Non igitur cõprehendendum quomodo fiat: aut quid sit. Atqui aperte sane Quintilianus ostenderat, quomodo fit. Et cũ sit obiectum auditus, in promptu erat qualitatem esse intelligere: nisi forte non dubitat hoc Lactantius, sed unde esset & ubi: ego opinor sicut splendor è luce prodit & in luce est: ita uocem à duro corpore prodire in aërem: & in ipso duro corpore, uel terra uel aqua esse: quæ ideo non permanet, quia ipsa actio unde facta est uox, non perseuerat: ut actio lucis. Vnde fit ut hęc qualitas possit adesse & abesse citra subiecti corruptionem: : qualis est odor nonnunquam & sapor: si tamen in totum extingui potest. Nimiũ sonũ Aristoteles audiri posse negat, sicut nimiam lucem cerni. Ego sentio non nimium sonum, sed minimum audiri non posse: nimium uero etiam nimium audiri, & nimiam lucem nimium cerni. Aliter nec exanimarentur animalia ex tonitruo, nec oculi ex nimia luce caligarent. Nolo nunc disputare uter sit præstantior sensus, auditus'ne, an uisus: nam multa dici possent, & an hominis sensus, præstent sensibus aliorum animalium an non. Tractemus quæ sunt huius loci potius. Vox humana naturalis illa quidem est, sed eius significatio ab institutione descendit: homines enim rebus cognitis, uoces quas adaptarent inuenerũt. Quorum primus fuit Adam deo autore: easq; cum suis significationibus posteros docuerunt. Vt soni quidem sint à natura, uoces autem & significationes ab artifice: quorum sonos auris, significationes animus, uoces ambo percipiunt. Postremo inuentæ sunt literæ quasi mutæ uoces, siue uocũ imagines: ut ipse uoces sunt quasi imagines significationũ quæ iam proprie dicũtur uocabula. Atq; hoc est quicquid loquimur: etiã ipsum substantia, qualitas, actio: atq; adeo ipsum res. Nam sicuti ligno nomen lignum est, & lapidi lapis, & ferro ferrum. Item rerum incorporalium ut scientiæ est nomen scientia: uirtuti uirtus, generi genus, speciei species, ita substãtiæ substantia, ita qualitati qualitas, ita actioni actio: deniq; ita rei res, itaque res significat rem: hoc significatur, illud huius est signum: illud non uox, hoc uox est: ideoq; definitur, Res est uox, siue uocabulum omnium uocabulorum significatu suo complectens, ergo uocabulum inquies est supra res, quia res uocabulum est etiam,

sed

sed significatum rei supra significatum uocabuli est: & ideo uocabulum res est: & una res duntaxat. Illa autem uox omnes res significat: quemadmodum hæc uox deus, infra multas alias est: nam illam transcendit spiritus, trãscendit substantia, transcendit essentia, transcendit aliquid & res, significationis autem dignitate cũcta alia transcendit, cum sit ipse cæterarum rerum autor. Quapropter nihil interest utrum dicamus, quid est lignum, quid est lapis, quid ferrũ, quid homo, an quid significat lignum, lapis, ferrum, homo, quorum nihil de res dici potest: quid est res, & quid res significat, quoniam quid, soluitur in quæ res. At si interrogauero quæ uox est res, recte respondebis: est uox significans omniũ aliarum uocum intellectum siue sensum: sed quæ idem pene nũc quod qualis significat.

*De qualitatibus quæ sensis percipiuntur.* Cap. XV.

QValitates quæ sensis cognoscuntur, & si nonnihil paulò ante attigi, primum ea quę in anima sunt: ut uirtus, uitiũ, scientia, gaudium, dolor, spes, metus, deinde quæ toti animali assunt: ut gloria honor, imperium, dignitas, uis, prefectura, consulatus, magisterium, sacerdotium, coniugium, celibatus, uirginitas, paternitas, propinquitas, familiaritas: Quanquã multa horum possunt adesse spiritibus. Nam & throni & potestates & principatus & uirtutes in angelis sunt: Et in deo paternitas & (ut hoc uerbo utar) filialitas. Etiam simile quiddam aliis rebus adest: ut loco esse sacrum, esse prophanum, esse religiosum, esse purum, esse publicum, esse priuatum, esse celebrem, esse proprium, esse alienũ, esse honestum, esse infamen & incestum, & similia. Tum quæ rebus omnibus adesse possunt, numerus, ordo series, differẽtia, similitudo. Item fortuna, necessitas, causa. Postremo uocum significatio, & significationum superioritas, inferioritas, paritas: in quibus sunt (ut supra dixi) genus & species, totum & pars: Nam cum dico homo est species, animal est genus: quid aliud dico quàm hæc substantia homo habet hanc qualitatem inferioritatis: aut hæc substantia animal habet qualitatem superioritatis uocis: siue quod significatio huius capacior & latior, huius restrictior & angustior: Item manus est pars ad brachium: & brachium totum ad manum uidelicet habet maioritatis minoritatisq; proportionẽ, seu differentem qualitatem. Probabo hoc per ea quæ possunt aliquibus uideri mirabiliora: Si dicam pater meus uenit. Frater uocat, Rex imperat, Pontifex orat, maritus minatur, prætor ius dicit, collega prohibet, filius studet, & alia infinita substantiam significãt. At hic est pater meus, ille frater, iste Potifex, Socrates est maritus Xantippes, Cassius est prætor, tu collega meus es, illa soror est: ista omnia qualitatem solam significant. Nam substantia in suppositis est uidelicet hic uir, illa mulier, ille homo, Socrates homo, Cassius homo: quo etiam nũc probatur esse has qualitates quod possunt citra subiecti quoque corruptionem abesse: quod hic homo qui est pater meus posset fieri non pater: ut si ego & cæteri filij eius decedamus, & item in cęteris: & qui hodie non est pater, & non frater, non rex, non pontifex, non maritus, non prętor & plura alia: cras possent fieri hęc omnia aut pleraque: & hęc qui hodie sit, perendie horum forte nihil erit. Quinetiam cum dico unus illorum ad me uenit hominẽ: nam subauditur homo, significato. Aut hic est unus illorum non hominem (nam illud hic hominem innuit) sed qualitatem consortij noto. Porrò in huiusmodi hominibus licet reperire gradus generum ac specierum. Vtar nostræ religionis exemplo: Clericus est genus, eius species diaconus, huius sacerdos, huius quoque episcopus, dehinc si uolumus hoc addere, Archiepiscopus & ad extremum papa: ita enim nũc gręco nomine uocatur summus pontifex siue Romanus episcopus: ut si papa est, archiepiscopus sit: si archiepiscopus, episcopus sit: si episcopus sacerdos sit, si sacerdos dia-

conus sit: si diaconus, aut si addendum est, subdiaconus clericus sit. Idem de similibus dictum sit.

*De actione & uerbo substantiuo.* XVI.

SVperest actio: quā nescio an belle appellem accidens, cum non accidat, sed emanat è spiritu, è corpore ex animali, è qualitate. etenim scriptio quę actio est digitorum meorum non accidit digitis meis sed è digitis proficiscitur. Sed sui uocabuli Aristoteles rationem uiderit: nos eo uti nihil necesse est. Actio autē & actus idem ut cultio & cultus, usio & usus, uocatio & uocatus, egressio & egressus, aggressio & aggressus, hortatio & hortatus, impulsio & impulsus, cōceptio & conceptus, uenatio & uenatus, suasio & suasus, nisi aliquid differētiæ usus receperit: ueluti in hoc ipso. Nam actionem oratores qui dicuntur actores, pronunciationem uocant, & item orationem habitam, & cum alij tum iurisconsulti actum pro iure uel iumentū uel uehiculum agēdi: etiam actionem pro iure agendi in iudicio. Sed nunc non de hoc sensu loquimur, sed de illo generaliore quæ est opera siue operatio, pro qua nō minus frequēter accipitur actus quàm actio: ut apud eosdem iurisconsultos: actus quidem uerbum generale est, siue uerbis siue re, quid agitur, ut in stipulatione, uel nouatione, nec refert an actum, an actionem, an operam, an ut ille nescio quis Augustinus cathegoriarū explicator fuerit operationē Aristotelis uerbum transferas ἐνέργειαν, quod alibi significat efficatiam, isti semper transferūt actū, quasi aliter nō possit: eodē uocabulo transferūt ἐντελέχειαν, apud eundē quod Plutarchus sentit accipiendū pro enargia: et si hoc à perfecte habendo, illud ab operādo dicatur: cui quasi collega est δύναμις quod transfert Quintilianus uis, dicens à nonnullis transferri potestatem, à nonnullis potentiam, ut recentes faciunt, horum trium nominum duo uetusta sunt: ideoq; transferri potuerunt actus & potentia. Tertium ab Aristotele fictum, ideo uerbum de uerbo transferre non possumus. Quorū omnium apud Aristotelem (ut aperte loquar) inscita quædam scientia est. Ait enim hoc lignum uel hic arboris truncus est arca, non actu sed potentia. Fac Aristoteles ut ex hoc ligno fiat arca, dicemus hoc lignum est arca actu? quis unquam ita loquutus est? quis non ita loquentē rideret? cuius enim iste actus est? ligni ne? at lignū nihil egit? an fabri? at faber facit arcā, non agit: ideoq; non uocatur actor ullus artifex, sed autor. Quid attinebit addere actu? Nempe inquis quia aliud est lignum arcam esse potentia. Quis etiam isto unquam modo loquutus est? quod ne dici quidem ratio permittit: aliud est enim lignum fieri arcam, aliud est esse arcam potentia: cum dicimus fieri arcam posse, iam negamus esse arcam: quia quod est, fieri rursus nō potest, cum iam factum sit: quanto satius erit sequi communem loquendi consuetudinem, hoc lignum potest effici arca, scilicet quod forma figuraq; huius ligni mutabilis est in formam figuramq; arcæ. Nam talia nomina in bilis exeuntia nōnunquam significant istam tuam potentiam, sed malumus dicere possibilitatem: ut ipsum possibilis, ut frangibilis, extinguibilis, sensibilis, penetrabilis, domabilis, potabilis, & alia infinita: quę possibilitas, est natura ipsa rei siue ut quidam aiunt aptitudo, unde dicere solent natura aptum. At natura nihil est aliud, q; innata rei qualitas: quod etiam græca uox indicat φύσις. licet eam in deum quoq; transferamus qui nihil habet in se nati. Itaque dicendum erat, hic truncus est conuertibilis in arcam, non autem est arca potentia: uide quo patefacta sibi hęc ieiuna euasit hominis impudentia, ut diceret quod frigidum est, calidum esse: quod calidū, frigidum: quod leue, graue: quod graue, leue: quod bonum, malum: quod malum, bonum: quod paruum magnum: quod magnum, paruum. Item aër est aqua & ignis. Itemq; aër est aqua & terra. Terra quoq; est aqua & ignis. Ignisq; terra & aër: & quod omnium maxime falsum est, humor est siccitas, & siccitas humor,

non

non actu, sed potentia. Nanque qualitatem mutari in qualitatem, & corpus in corpus mutari posse dicere: & si non dicit Aristoteles posse, sed esse aliam qualitatem, uel aliud corpus, non tam absurdum est quàm humorem, quod est corpus, mutari in siccitatem, quæ corpus non est. Quid tertiũ uocabulum ἐντελέχεια si idem quod actus significat, quid opus inuentũ? quid sibi uult? quid in possessione iam occupata quærit? quid optat? eam Aristoteles nõ modo animæ & animatis attribuit: sed etiã trunco & lapidi: Quid potest esse in lapide, nisi qualitas uel naturalis, uel accersita? Valeãt igitur hæc superstitiosa & calumniosa Aristotelis uocabula, in quibus cum uult uideri argutus, mihi uidetur potius arguendus. Nam eo uesaniæ uentum est, ut quidam deum esse actum affirment: ἐνέργεια ne erit deus, an ἐντελέχεια: aut actio? prodigium mihi uidetur hoc esse non uerbum. Agamus igitur nos simplicius & ad naturalem sensum usumq́ communem accommodatius: Etenim aliud est sic dicere quędam uerba & penè omnia esse, quæ cum actionem significant, tamen qualitatem aliquando indicant, ut hic bene scribit, bene pingit, egregie luctatur cum ab opere cessant, intelligitur quod bonus scriptor est bonus pictor: egregius luctator, hic homo non uidet, id est, cæcus est, omnis homo mortalis est, non autem quod animam agit, id est expirat. Itidem in uoce passiua, ut ego non moueor minis, tu autem ad omnem nuntium turbaris, scilicet quod nõ sum mobilis propter minas: & tu ad omnem nuntium es pusillanimus. Quædam etiam uerba semper qualitatem significant, ut caleo, frigeo, tepeo, palleo, rubeo, quæ nihil aliud significãt quam calidus, frigidus, tepidus, pallidus, rubeus sum. Item gaudeo, doleo, timeo, spero, opto, amo, odi, uerius est ut qualitatẽ significent. Nomina quoq; uerbalia quæ suapte natura significant actionem, in qualitatem etiam transeunt, ut ipsum actio: quæ (ut dixi) interdum orationem actam significat. Oratio quoque cum agitur actio est: cũ legitur qualitas. Item turbatio maris molesta est stomacho: cõmotio ciuitatis grauis est bonis uiris, hoc est status uel maris, uel ciuitatis quasi passio quædam: ut occupatio quod scilicet occupatus sum, non quòd occupo alium: quale est cum significat præoccupatio. Sed & hoc passiue accipi possit, ut præoccupatio loci, & alia huiusmodi infinita: ut accusatio quæ cũ accusatoris dicitur, actio est: cum rei, qualitas passioq́. Item alia quoque nomina: ut labor aliquando est ipsa laboratio, aliquando lassitudo: Vita actio est unde uita bona & mala dicitur, quando quis bene agit uel male: & tamen qualitas cum quis dicitur habere uitam, aut carere: sicuti mors quæ in mortuis qualitas est, ut apud Vergilium:

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Par Heleno.

In morientibus actio: ut apud Ouidium:

Ad nomen Thysbes oculos in morte grauatos
Pyramus erexit.

Ideoq́ illud uocatur expirare & animam agere, quanquam posset uocari qualitas conditio illa moriẽtis. Qualia sunt illa uerba sto, iaceo, sedeo, quiesco, cesso, quæ quod habitũ quędam corporis & si in animã hoc cadat habitũ quendã animæ indicant ad illum modũ formati formatæúe qualitatem significant. Quod autem est actio aliqua stantis, iacentis, sedentis, quiescentis, cessantis quid nisi actionem ex quo interrogati quid agitur respondere solemus, statur, iacetur, sedetur, quiescitur, cessatur. Nam & si dicat Cicero hoc ipsum nihil agere & planè cessare delectat. non tamen nihil prorsus agimus etiam cessantes cum etiam dormire aliqua sit actio dicenda. Et etiam ignis nunquam ab actu suo discedit, ita nec anima flammei (ut Quintilianus ait) uigoris, ita nec corpus animarum:

ita nec aqua, nec terra, nec aër unquam cessat agere quod suæ naturæ est. Itaque re uera nulla est in rebus cessatio & quies: id autem quod cessationem ac quietem uocamus, quia actio nō est, qualitas erit: quod probat compositum eius requies: quę ab omnibus tanquam iucunda qualitas amatur. De motu quid sit satis dixi: cū nihil differre à motione dixi: & item quid generatio, quid corruptio, quid diminutio, cui oppositum est augmentum, siue incrementum, quid alteratio, quid loci mutatio. Quanquam motus proprie est loci mutatio: neque enim si quid aut odore aut sapore mutatum est, dicemus factum esse motum, sed mutationem, quæ proprie dicatur alteratio. Quo fit ut nō sint hæ tot species motus quod Aristoteles facit. Nam corruptio sub alteratione est, generatio uero sub incremento, & diminutio sub corruptione & alteratione & loci mutatione, utique in rebus quę uegetantur. Nam in his quę non uegetantur potest solum locum habere loci mutatio, quæ & ipsa potest uideri alteratio. Neque enim uideo cur dicat Aristoteles quędam crescere quæ non alterantur, ut quadrangulus, qui circūiecto gnomone creuit quidē, sed alteratus non est. An uero hoc ipso quod creuit alteratus non est, mihi uero uidetur non modo alteratus sed omnino alter factus esse. Et de cæteris quidem uerbis diximus: de substantiuo autem quid dicemus? Nimirū tale est inter cætera uerba, quale res inter cætera nomina. Nam ut aliorum nominum significata redeunt ad res: ita aliorum uerborū ad substantiuum, nō enim caleo, frigeo, & alia uerba dicimus res, sed ipsum calere & ipsum frigere: quę nomina sunt, & si rem significant cum uerbo substantiuo, quod in se habēt: & in quod resoluuntur: ut caleo, frigeo, uiuo, sum calidus, frigidus, uiuus: Item amo, curro, cerno, sum in amore, in cursu, in cernēdo. Quod declaratur ex uerbo possum: quod ex uerbo substantiuo positum est, & pos: unde composita sunt impos, & compos: possum enim nihil aliud quàm sum pos: tu potes, tu es pos: siue potis: Nam pos à potis dicitur esse apocopatum: ille potest, ille potis est: ita scio, sum scius: nescio, sum nescius: cupio, sum cupidus, & ita in cæteris. Quare cum nullam rem significat uerbum substantiuū, non est quærēdum quid significet, pręsertim cum sit genus, & origo, & (ut sic dicam) substātia uerborum aliorum: nisi dicimus significare uitam quandam, ut cum dicimus, dominus est, ego sum, lapis est. Non solum deus est, hoc est, uiuit, & item homo, sed etiam lapis hoc ipso quod est, uitam quandam habet. Et quemadmodum argentum uiuum est materia & genus omnium metallorum, & in quod illa resoluuntur: ita uerbum substantiuum aliorum uerborum ut hoc separatum à metallis reliquis, si ipsum dicendum est metallum, uiuere dicetur: ita uerbum substātiuum à cęteris seiunctum quodammodo uitam significare dicendum est.

### *Cætera prædicamenta, aut ad substantiam, aut ad qualitatem, aut ad actionem recidere.* Cap. XVII.

EX his quæ dixi ut doceam decem Aristotelis prædicamenta in nostra tria recidere. Constat illud quod uocat situm, seu positum esse: ut iacere, sedere, cubare, aut actionem esse, quia semper agimus, aut qualitatem, quia ad illum modum formata sunt membra & corpora. Et illud quod uocat habere, ut armatum, uestitum, calceatum esse, & ipsum cadere in speciem qualitatis quę est figura, non minus quàm sua contraria, ut inermem, siue exarmatum esse, nudū, exutum, discalceatum esse. Nam & si arma, uestis, calcei sunt res corporales, tamen qualitatem homini inducunt: ut cum sit omnium sermo, non talem prodire in aciem armatum, qualem inermem: & non tam uideri indutum, qualem exutum. Quid

Quid mirũ de his quæ extrinsecus ueniũt, cum ea quę sunt ipsius corporis pars, faciãt qualitatẽ ut qualis ille homo est, respondetur corpulentus, pinguis, succiplenus, crinitus: aut contra macer exilis, siccus, caluus, etiam extra homines: columna solida, panis densus, dolium uino plenum, marsupium pecunia refertũ: & contra columna concaua, panis rarus, dolium uino uacuum, & marsupium pecunia exinanitum. Item uestis humida, solum udum, crines rore madidi. Quinetiam illud quod uocant relationem. Nam superius ostendi quempiã esse patrem, esse filium, esse præceptorem, esse discipulum nil aliud esse quam qualitatem. Quintilianus de accidentibus personæ, inquit, conditionis etiam distantia est. Nam clarus an obscurus, magistratus an priuatus, pater an filius, ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an cælebs, parens liberorum an orbus sit. En conditioni personę subiecit tanquam similia, esse clarum obscurumq́ꝫ, magistratum priuatumq́ꝫ, ciuem peregrinumq́ꝫ, liberum seruumq́ꝫ, quæ utiqꝫ qualitates sunt: & patrem filiumq́ꝫ esse, quæ etsi relatiua sunt, tamen qualitati subiecta sunt, sicut illa quæ qualitatis sunt & ipsa relatiua. Quanquam quod adiectiuum non est relatiuum? ut bonum & malum, pulchrum & turpe, sanum & infirmum, magnum & paruum, multum & modicum, longum & breue, & item cætera. Nihil enim sunt relatiua substantię, naturæ, relatio inter me patrem, & te filium, non in substantia est (quod homo sim ego tuq́ꝫ) sed in accidenti, quod ego homo sum tibi pater, tu mihi filius, quę sunt qualitates. Natura relatiua quantitatis ut de quantitate nunc agam, qualia quæ modo dixi magnum & paruum, multum & modicum, longum & breue, sunt illa quidem quantitatis, sed tamen & qualitatis, cui maximi quiqꝫ autores, ut relationem: ita quotitatem, & quantitatem subiecerunt. Quorum sunt Cicero, Quintilianusq́ꝫ, qui tres generales causarum status faciunt: coniecturalem, definitiuum, qualitatis. Quorum posterior ita inquit: Est autem qualitas, alia de summo genere, atqꝫ ea quidem non simplex: nam & qualis sit cuiusquam rei natura, & quæ forma quæritur, an immortalis anima? an humana specie deus? Et de magnitudine ac numero, quantus sol? an & unus mundus? quę omnia quidem coniectura colliguntur: quęstionem tamen habent in eo, qualia sunt, si quid ipsa loquendi consuetudo confirmat: Quippe interroganti qualem agrum emisti? respondeas oblongum ab initio, deinde latiorem, duorum iugerum longitudinis, incertę latitudinis. Item qualem equum mercari debeo? dicas erectum, sublimen, lato pectore, breui aluo, paruo capite, grandibus oculis, procera ceruice, prolixa ac subdensa cauda, quinquennem sexennem'ue, aut nõ plurium annorum octo. Vides ut quantitas omni ex parte continetur, in qualitate, adde etiam quotitatem: quod nomen Aristoteles non usurpat, tanquam græcum nullum sit, sed pro quotus ait quanti, quod nos nonnunquam in singulari facimus: ut quantum nummorum, pro quot nummi. At græci, quanti nummi, quantæ literę, pro quot, & tanti pro tot. Vt nostrorum quidam etiam magni fecerunt: Pro quotitate Aristoteles ponit quantitatem discretam, quasi quotitas sit sub quantitate. Alteram uero speciem quantitatis appellat continuam, de quibus illa arithmeticus, ac geometer tractat, illiqꝫ priores partes Nicomachus tribuit, nec consentit arithmeticam subiectam esse geometriæ. Siue igitur quotitas sit genus quantitatis, siue quantitas quotitatis: quid mirum? Si aliud adhuc possit esse altius genus, quàm ego, imo maximi autores aiunt esse qualitatem, & ipsa loquendi consuetudo optima testis affirmat, nec ratio refragatur. Nam cum alibi, tum in iure ciuili dicitur de his, quæ constant numero, pondere & mensura: ponitur antem mensura pro quantitate: certe põdus sub quantitate non est. At qui dicimus leue, graue, ut in

hæc in transuersum: ex quibus duabus aiunt constare superficiem: & si addas profunditatem constare corpus: Nullum enim corpus constare nisi ex dimensionibus tribus, & ob id subijciunt corpus quantitati: quod longe stultissimum mihi uidetur. Neq; enim corpus est quantitas, aut è dimensionibus cõstat: quia aliud est quantitatem in se habere, siue dimensiones, aliud esse quantitatem uel è quantitatibus constare: Quemadmodum neq; ex qualitatibus consiat corpus quas habet, quoniã sine essentia nequit esse, ut dicendum fuerit corpus constat ex essentia, & cum alijs nonnullis qualitatibus, tum uero longitudine recta, obliqua, profunda. Nec negandũ, superficiẽ (in qua sunt duæ dimensiones longitudo, et latitudo) esse corpus quia qui superficiẽ tangit, corpus tangit. Neq; hoc sine illa, neq; illa sine hoc, aliquid est: Quanquã superficies corporis, quoniã plures sunt, non sunt tantum longę & latę, sed etiam profundę. Superficies enim uelutí in corpore cubico, illę quatuor laterales, profunditatẽ siue altitudinem indicant, ut illæ duę planæ summa ac ima longitudinem ac latitudinem: quæ & si duę: tamen quaternarium numerum adæquant: quia in earum utraq; est longitudo et latitudo, ut fiant duę longitudines ac totidem latitudines, in earum quatuor singulis nihil inest, nisi altitudo siue profunditas. Itaq; sicut nulla superficies est longa, nisi lata, nec lata nisi longa, ita neq; talis nisi profunda siue alta. Quare si superficies non est longitudo & latitudo sine altitudine: sed extrema pars corporis, hinc longitudine & latitudine, illinc altitudine siue profunditate, non uera est eius definitio ac ne lineæ quidem, ut sit linea lõgitudo sine latitudine. Nam superuacuum est sine latitudine. Quæ si superuacua non foret, recte addidisset Varro, et sine altitudine: Quid enim attinet addere de latitudine, cum nominauit longitudinem: sed quia nominata est linea, putauit addendum illud (sine latitudine) quia uera linea, uel è lino uel è ligno uel ex atramento, alió ue quod oculis subijcitur, facta utique aliquid lati habet: quasi ipsa de uera linea loqueretur, quod nomen quia non proprium est, sed aliunde sumptum, sic fuit definiendũ. Linea est certi spacij longitudo euidentię gratia in speciem uerę lineæ descripta. Quo magis miror istorum uanitatem, qui cum addãt illud, sine latitudine. aiunt lineam additam lineę, non facere illam latiorem, seu latam: & mille lineas posse esse in quantuló uis interuallo, cum linea quantũ ad latitudinem nihil sit: perinde ac si diceretur millies, nihil additum ad nihil, non faciet illud magis uel maius uel aliquid. Lineæ partem negant esse punctum: quia non solum eius nulla pars sit, sed ipsum nulla pars: Et tamen aiunt terram instar cæli, rationem obtinere puncti, ubiq; cauillantes & imprimis naturam ipsam uerborum deprauantes. Superficiem uocant quantitatem, cum apud cæteros aliud significet, ut in iure ciuili, ubi de superficiebus agitur. Lineam uocant longitudinem sine latitudine: cum cæteri, & priores, no talem sentiant. Punctum uocant cuius nulla sit quantitas. Quod cæteri aliud sentiunt: ut cum dicimus, puncta in brachijs fabrorum, & in frontibus seruorum, ut in scribendo ratiocinandóque facimus puncta: unde dispungere dicitur. Quod si nulla quantitas punctum sit, ita ut aliud additum alij, nihil plus faciat: non intelligo cur punctum aliquid sit, sed cur non aliquid sit quantitatis, illud quo duo globi ænei se contingunt: quod fatetur esse punctum, & non plus sint duo talia puncta quàm unum. At qui istos mouet, quod si quantum illud dicant esse, necesse habent fateri rotundum quale pingitur. In rotundo autem, & anterior, & posterior, & aliæ multæ partes insunt, quasi no minima quæ'que sint maxime rotunda, ut licet uidere in puluere, in rore, in scintilla. Velim eos interrogare an esse uelint aliquod corpus tam minutum, ut diuidi non possit in partes, an uero non. Si uelint esse, id non nisi rotundum est, erit'que punctum indiuisibilis quantitas, & aliud additum

alij

alij faciet quantitatem diuisibilem. Si nolint quæ ipsorum insania erit, qui tum conentur aliquid nosse aut imaginari minutius quàm id quod deus fecit & quàm natura rerum fert: cum præsertim ita sit punctum, imago minimę, ut linea longæ quantitatis: Tum constituant punctum in medio circulo: quod ut nullum à deo est positum: ita nullum à nobis poni potest, duntaxat ad istorum legem. Iam uero duo illa punctà lineæ aut sunt in linea, aut alibi: si in linea: partem quid ni lineæ occupent? sin alibi, & ibi locum occupabunt: at quicquid locum occupat, id aliqua pars est. Aristoteles tamen negat esse in loco, sed lineæ terminos esse puncta: id ego ausim iurare eum non intelligere qui dicit: An ulli termini sine loco esse possunt? Sed eos fallit quod terminos in lateralibus superficiebus constituunt, ut in hac mensa, longitudinis eius termini ac capita sunt in dextra ac sinistra superficie altitudinis tabulę. Itaq; illic puncta in alijs lineis partem obtinebunt. Quam rem ideo isti non animaduertunt, quod calamo lineam pingunt: quę nihil habere uidetur altitudinis & cum ea frangitur in duas, fieri aiunt duo puncta: cum nihil sit additum longitudini lineæ. Et cum rursus coëunt lineæ, perire puncta: cum nihil deperient longitudini: quasi puncta illa quę cohæserunt fuerint in superficie longitudinis & non profunditatis: ueluti si duas tabulas committas, atque compingas non duæ superficies planę profundæ se contingent: quorum puncta sunt in planis superficiebus: sicuti plana sunt in profundis. Itaque manent illa puncta, non pereunt: & partem lateralium linearum occupant. Sed ad hoc dicendum, istos induxit: quia cum sentiant lineam esse longitudinem, credunt nunquam esse posse non longam: ergo non posse redigi ad puncta, ita nec puncta quantumlibet multiplicata facere posse lineam. Verum quis neget illam longitudinem posse redigi ad breuitatem assidue diducendo. Sicut enim punctum ullum imaginare non possumus, quod pars nulla sit lineæ: ita nec lineam quæ non ad puncta redigatur. Quæ duo an fieri possint, deo cognitum est: quemadmodum an duo simul corpora in una superficie sint, ut neutrum sit altero superius, nec alterum sine altero tangi queat, ueluti in ligno & pruna: cui nescio an illud de contiguo, & continuo simile sit, ueluti in duabus tabulis (ut dixi) commissis, hoc est inter se contiguis: licet enim corpus contiguũ non sit. nam duo sunt corpora non unũ, tamen (ut sentio) linea plana, continea est, nihil intercapedinis in se habens. Hęc de quantitate. Quid dicemus de illo quod appellant ubi? an aliud erit quàm aut substantia, aut qualitas, aut actio? Certe Aristoteles cum ait ueluti in foro, & lycæo, quod Athenis est gymnasium, satis significauit, ubi esse idem, quod in loco corporeo. At enim negant locum esse corpus quia sit superficies. O ineptias hominum, id si ita est: ergo non in uase ligneo est uinum, nec in testaceo aqua, neque fictili oleum, neq; in uimineo panis: aut hæc quæ dixi dolium, hydria, fidelia, canistrum non sunt corpora. Quis unquam dixit locum uasis, plenum uacuumq; esse, non ipsum uas? cum ipsum uacuum uasis, aut spacium soleamus appellare locum: ut non est locus in dolio, aut in cubiculo, aut in scamno, & nihil loci uacat, multum loci uacat in hac domo, id est, nihil spacij uacui est. Sed quid loquor: qui uacuum uasis dixi, & spatium esse uacuũ? cum negant isti dari uacuum in natura. Quid agam? quam loquendi formulam sequar? quod iter tenebo? tritũ ne & uulgare, an hoc philosophantium? Superbũ non tenere consuetũ: flagitiosum à recto aberrare. Sed uideamus uter melius populus an philosophus loquatur. Populus ait se appellare uacuũ dolium, quando humore caret: uacuã piscinam, quando uacat aqua uel piscibus: uacuũ horreum, quando uacat frumento, uel legumine: uacuũ forum, quando absunt illinc homines: etiã fornacem uacuã, aut furnum uacuũ, cum inde ignis amotus, aut extinctus est, seu lateres & panes absunt. Philosophus

losophus uult hæc uacua esse non posse, quia sunt plena aëre, quo abeunte aliud corpus ingreditur: & hoc egrediente ille succedit. Ita nunquam illa sunt uacua. Respondeat populus penes se esse arbitrium, & normam loquendi: Nec se talia appellare plena, ubi nihil est præter aërem, nisi quando aër ipse alicuius momenti est, ut uela nauium plena, & pila lusoria, siue follis lusorius, & uter aduentante uindemia plenus uẽto dicitur: Nam si craterem sine humore ob id plenũ uocas, quia aër insidet, quid oportebat tanquam in re admirãda & populo ignota gloriari dicentem: nihil datur in natura uacuum, cum id pueri sciãt, hi præsertim qui follem illum aut uesicam flatu implere consueuerunt: Et tamen si nihil est in natura uacuum, profecto nec plenum aliquid erit, sicut nec durũ, nisi fuerit molle: nec leue, nisi graue: aut amarũ, nisi dulce: & ita in cæteris. Nam hoc ipsum quod aiunt, non datur uacuum in natura, perinde est ac si dicerent, non datur aër in natura, quia nihil sit. Melius igitur populus, quàm philosophus loquitur: cum quo summi quiq; autores consentiunt uocantes aërem medium, nunc uacuum, nunc inane, ut Vergilius: Vacuum per inane sequuta. Quintilianus: per inane longũ. De Quando solent itidem cauillari, ut de ubi, quod significat in aliquo tempore: Nam omissis cauillationibus, consideremus quid sit tempus: id mihi uidetur actio, quam animo cognoscimus, & quidam cursus essendi, siue essentiæ illius, inquam Boëtianæ: quæ idem est quod ipsum esse, & quasi quidã cursus uitæ rerum. Res etiã hoc ipso quod sunt (ut superius dixi) quandam quasi uitã habent, & cum desinunt quasi mortem obeunt: ut ignis, ut uentus, ut calor, frigus'ue, ut odor, ut nauigatio, ut cætera huiusmodi, quæ quamdiu sunt, quodammodo uitam agunt: cum cessant, quasi mortẽ obeunt: ut dixi. Neq; uero mensura motus, aut numerus motus, non modo quia in quiete etiam est tempus, sed etiam quia admittit mensura numerum & tempus. Est enim mẽsura (ut superius dixi) quantitas, nec aliud quantitas quàm mensura: & ipsa mensura recipit numerum: dicimusq; longum, & breue tempus: & multos & paucos dies. Nam numerum dicere alium esse, qui numeret, alium qui numeretur Aristotelicæ tantum cõfidentiæ est: per numerũ enim non ipsum, ut iam dixi, sed alium numeramus. Quod uero addunt, secundum prius ac posterius: id superuacuũ est, quia si prius esse uel posterius, qualitas temporis est: tamen per se est tempus prius, & per se tempus posterius, nec unũ sed duo sunt tempora: Quemadmodum per se est tempus præsens. Quod præsens quidam nolunt tamen dici tempus: quia præteritum desijt, & futurum nondum adest: id non obstat quominus & præteritum, & futurum dicatur tempus: quia cum dico fuit tempus, significo quod fuit sua præsentia illi tempori: & cum dico tempus erit, quod sua præsentia futuro tempori erit: Neq; aliud est prius et posterius, quemadmodum nec præsens, nisi in tempore: quoniã prius posterius'ue natura uel ordine uel dignitate, à nemine nisi à captiosis, aut certe ineruditis dictum est. Si enim de alia re quàm de tempore agunt, cur non alijs uocabulis utuntur: Totum est inquiunt prius parte, genus prius specie, species prior indiuiduo: ciuitas prior domo, aut prior singulis hominibus, bonum prius malo. Cur non potius dixerunt, satius, dignius, maius, amplius, superius, excellentius, honoratius, præstantius. Quanquã prius fuit pars (ut sentio) quàm totum, ut in scribendo, ædificando, fingendo. Et prius unus homo, quàm una familia, & una familia, quàm una ciuitas, et Adam, quàm species homo. usq; adeo enim uidentur isti philosophi uerborũ captionibus passim struere rerũ quæstiunculas. Habet autẽ quantitas corporis propria nomina suarũ partiũ, sicut quantitas corporis, & quãtitas ponderis, etiam quantitas numeri: ut etiã in agro aut in itinere metiendo dicimus digitũ, pedẽ, cubitũ, passum, iugerũ, stadiũ, miliarium, & apud Gallos leugã, apud Persas parasangã. Et in põderando, sextulã, unciã,

libram,

libram, siue unciam, sextantem, quadrantem, trientem, quicuncem, semissem, septuncem, bessem dodrantem, dextantem, deuncem, assem: Quæ ratio in omni re partienda habet locum, etiam in numerando: Nam sextans est sexta pars è duodecim numero: quadrans quarta pars: triens tertia pars: quicunx non quinta, sed quintæ partes: & ita deinceps: Sic in tempore metiendo dicimus semihoram, horam, diem, hebdomadam, mensem, annum, & similia. Momentum paruum sed incertum tempus significat: Punctum uero minimum, sed ita (quantum sentio) ut additum puncto faciat plus temporis: quod quidam appellant nunc, quasi plus sit tunc, quàm nunc. Indiuidua temporis sunt, cũ hæc hodie, illo die, tum illa, heri, hodie, cras, nuper, dudum, perendie, quæ aduerbia in nomina resoluuntur, heri, hodie, hesterno, hodierno die: cras, crastino die, sicut illa indiuidua loci hic, illic, alicubi. Dies autem duobus modis dicitur, aut spacium quatuor aut uiginti horarum: ut nauis uenit Alexandria intra decem dies: in quibus diebus intelliguntur & noctes, aut spacium quo sol est super terram, quod distinguitur à nocte, & licet hic dies sit pars illius diei, & item nox, necnon meridies, mane, crepusculum, uesper, conticinium, tamen significant & mundi habitũ: qui uisu cognoscitur, & nonnihil tactu. Inde est serenus dies, serena nox, calidus dies, frigida nox. Huiusmodi sunt uer, æstas, autumnus, hyems: quæ & partẽ anni indicant & mundi habitũ: ut uer aquosum aut nubilum: ęstas sicca calidaq́; autumnus, uẽtosus, hyems niuosa: quorũ nihil ad tempus attinet. Quemadmodum dicitur dies festus, mensis solemnis, annus solicitus, tempus feriatum, improprie atque figurate: Cum sit ciuitas in festo agendo per diem occupata, apparatus per mensem solemnis, homines per animum soliciti, populus feriatus per tempus. Etiam occasio & opportunitas temporis, non sunt proprie temporis qualitates, sed rerum in tempore agendarum commoditas & (ut sic dicam) habilitas atque aptitudo. Restat ultimum è decem Aristotelis prædicamentis, quod est pati: Ego quid aliud sit pati, quàm sentire passionem, non uideo: ut dolere, timere, mœrere. Nam quod dicuntur quædam uerba passiua, ut diligor, timeor, uocor, audior, hoc nullum argumentum est: Quia grammatici sic appellauerunt: non magis quàm quod dicunt casum accusatiuum, ablatiuum, datiuum, quasi hic utique accusationi seruiat, sic ablationi. Et modos imperatiuum quasi utique imperet, & optatiuum quasi semper optet, & subiunctiuum quasi non nisi subiungat: Et gerundia quasi gerant, & supina quasi resupina iaceant. Quid enim patior si diligor, aut timeor, aut audior, aut etiam uocor, nisi audio, in audio iam actio est: est igitur ut dicebam, pati actio: quoniam sentire passionem perinde ut actio est: ut intelligere periculum: Aut erit ipsa passio quæ iam qualitas est, & quidem in animatis: In rebus aũt insensibilibus nulla est passio, quia nihil patiuntur, sed suapte natura agunt: siue enim lignum inflectas, siue lapidem in aërem iactes, siue ignem deponas, aut extinguas, siue quodlibet corpus frangas, nihil patitur hoc ipso, quod nulla passione afficitur, quodq́; à sua nunq̃ natura discedit, nec intermittit agere, quod sibi naturale est: lapis enim grauitatis actum nõ deserit, sed ab aëre deorsum tendit, & ignis sursum, & quo ad uiuit uibrare, lucere, collustrare, calere, calefacere, urere non cessat, & ita in cæteris, quorum natura in eis est causa efficiens, siue causa agendi: Nam finalis nulla est quia propositio animi uacant. Quod autem isti aiunt, sensum pati ab obiecto, uidentur mihi uerbi proprietate abuti. Esto enim ut color ad uisum tendat, & sonus ad auditum. Non sunt dicendi pati sensus ab obiectis, sed recipere obiecta. Nam tunc ab his patiuntur, cum ab his ostenduntur: ueluti cum nimius splendor uisum, aut nimius sonus auditum, aut nimius calor, uel percussio incisioq́; tactum afficit. Nunc à sensibus illa recipiuntur:

tan

tanquam à manibus poma de arbore cadentia: quæ nisi à manibus exciperentur, frustra in manus deciderent. Agunt igitur sensus, dum suis funguntur officijs: non patiuntur, nisi cum dolent. Sed quoniam pauloante id in medio reliqui, quidnam sentiendum obiecta tendere ad sensus suos, an sensus ad sua obiecta? Peripateticis placet colores tendere ad uisum, sonos ad auditum. Macrobio cum multis philosophis, necnon Lactantio uidetur uis ipsa cernendi tendere ad obiectum: Nec sine causa uidetur, aliter non cerneret melius, qui acuto uisu est eminus quàm qui hebeti: cum inter hunc, & illum in rebus cominus cernendis parum intersit: & colores & figuræ feruntur ad uisum, beneficio splendoris: sed ad oculum, uelut ad speculum. Ideo enim imagines illæ cernuntur in oculo, quas in se oculus ipse non cernit, & id quod cernit non in aëre: nam in qua parte aëris, sed in loco suo cernit, neque id sine splendoris auxilio. De sono autem simile quiddam dici potest: cuius mirabilis illa natura est, ut dum uehemētior est, corpus etiam inexanimatum concutiat, ueluti in tonitruo: ut exiguus quoque, aliam rem, unde respondere uox potest, moueat ac pulset, & uelut ad concentum prouocet: ut in neruis uel eiusdem uel diuersæ cytharæ ad harmoniam temperatis deprehenditur: frequenter etiam in cymbalis, ex quo quanquam uideatur sonus ad illa tendere, etiam quæ sensu carent, tamen aliam quādam latentem illuc uim mittit. Sed ne de singulis sensibus disputando longius euagemur, & librum iusto prolixiorem faciamus, simul hæc dixisse contenti.

*An magis & minus cadant in qualitatem, & non in substantiam. Cap. XVIII.*

HAec habui de prædicamentorum numero quæ dicerem: facturus finem, nisi hoc Aristoteles adderet qualitatem ac plæraque alia prædicamenta, recipere magis & minus: substantiam non recipere (ut interpretatione Boetij utar) ut hæc substantia homo, non est magis & minus homo, neque ipse à se, neque alter ab altero: sicut album est alterum, altero magis album, & bonum alterum altero magis bonum, & ipsum à se maius & minus dicitur: ut corpus cum sit album, magis nunc esse album dicitur, quàm prius, & cum calidum est, magis & minus calidum dicitur: substantia uero non dicitur. Nihil enim magis nunc homo quàm prius dicitur, neque aliorum quicquam quæ sunt substantiæ: quapropter non recipit substantia magis & minus. Indigna sane homine erudito oratio, qui pene prima elementa grammatices aut oblitus uidetur, aut non didicisse: magis enim & minus cum nomine substantiuo iungi grammatici negant: sed cum adiectiuo, aut quod uim obtinet adiectiui, cum quo iunctum illud aduerbium magis, instar est nominis comparatiui, quod nunquam substantiuum est: Magis doctus, unde fit doctior: minus doctus, unde forsan dici possit indoctior, ex homine aūt cum non fiat hominior, ineptum fuit dicere, non recipere substantiā magis & minus, sicut recipit qualitas. Hoc unum peccatum: nam tibi hoc loco peccauit Aristoteles: alterum, & quidem multo grauius, quod per æque respuit, magis & minus qualitas atque substantia: & per æquè recipit magis & minus substantia ac qualitas: dico per æque respuere, quoties & ipsa qualitas effertur nomine substantiuo. An color hic magis minusue color, quàm ille, aut sapor, aut sonus? nec id in qualitate solum, sed in octo reliquis eius prædicamentis, An magis quantitas hæc quàm illa? aut relatio, aut tempus, aut situs, aut habitus, aut actio, aut passio, aut locus, nec maiora aut minora alijs dici solent, non magis & minus: nisi & substantia dicatur: dico rursus per æque recipere, quoties & ipsa substantia efficit sua adiectiua: ut lapis lapideus facit, & marmor marmoreus: an non dicetur hæc domus est magis lapidea

dea quàm illa?& illa minus quàm hæc? ut Augusti principatu urbs Roma fuit magis marmorea,& minus lateritia,quàm sub C. Cæsare, & hic sanguis est magis aqueus,aut minus quam ille, & hæc res est magis minus'ue corporea quàm illa. Itaq; aut utrobiq; erat utendum substantiuo,corpus & albedo, homo & calor:aut utrobiq; adiectiuo,album & corporeum, calidum & lapideum, nam hominEum non dicimus: Quæ res Aristotelem fortasse decepit,non animaduertentem se ponere,album & bonum in supposito quidem, substantiua: in apposito autem adiectiua,id quod in corpus & homo non cadit. Nam nisi substantiua essent,quo modo eis responderent apposita?cuius rei signo est quod nihil admodum interest,hæc adiectiua an absint: ut hoc corpus est magis minus'ue album seu calidum illo:& hic homo est magis minus'ue bonus & honestus illo: an assint in supposito:ut hoc corpus album seu calidum:& hic homo bonus & honestus. Tertium peccatum est,quod non modo substantiua,quæ optinent quandā uim adiectiui,recipiūt magis & minus:ut magis sit ciuis qui natus est. quàm qui factus, & adscriptitius est:magis affinis qui meæ uxoris frater, & ego inuicem uxoris eius,quā qui non utrinq; affinis est:magis dominus, cuius solius mancipium est,quàm cuius cum altero cōmune:magis præceptor, quem diutius audistis, & à quo meliora:magis hostis, cum quo de uita, quàm cum quo de libertate contendis,& minus hic hostis quàm ille:magis etiam Quirites, qui ex uetustissimis familijs,quā qui libertinis orti parentibus:magis & frater, qui ex utroque parente(quo tu)quàm qui ex altero tantum genitus est. Vnde Plautus inquit,ô patrue mi patruissime.Sed etiam quæ sunt meræ substantiæ,ut laterculus bene coctus est magis lapis,quàm male coctus:& in excidendis montibus audimus lapicidas frequenter dicentes,hoc est magis creta,quàm saxum,aut magis tophus,quàm marmor,& magis sabulum, quàm glarea: & hoc est ( nos dicimus)magis plumbum,quàm argentum,& magis æs,quàm aurum, & hoc est magis acetum,quàm uinum,& hic hermaphroditus est magis uir, quàm fœmina,& Achilles magis fuit homo quàm Chyron, quale apud Herodotum ἀλλ' ἔτι καὶ μᾶλλον θεὸν ἔλπομαι ὦ λυκόεργε. nisi uolumus dictum esse magis pro potius:quod tamen ita accipere non necesse est, sic nec illa, crocodilus est magis anguis,quàm piscis,& rana minus est piscis q̄ orata, & uespertilio minus est auis quàm columba. Sed quid tot agimus exemplis,cum ipse Aristoteles dicat,hominem magis esse substantiam siue οὐσίαν, quàm id animal:quod superius negauerat,neq; attinet distinguere substantiam seu οὐσίαν primam à secunda, ut indiuidua sint primæ substantiæ,Plato,Socrates, species uero & genera secundæ,ut homo & animal. Nihil mihi uidetur Aristoteles magis elaborare, quàm ut scientiam suam intricet, & innodet. Sicut autem substantiua recipiunt nonnunquam magis & minus,ita nonnunquam adiectiua non recipiunt: non dico

Plau. loquendi usu, quale est Romanus,Italus, Pœnus, & si Plautus dixit: nemo est me pœnus pœnior,si modo adiectiuum est pœnus.Sed etiam natura & rei ueritate ut impari imparius,cubitali cubitalius,triplici triplicius, pleno plenius, rotundo rotundius, quibus ad acutissimam ueritatis legem ac Stoicam loquentes non utemur:&(ut inquit Cicero)nō ad aurificis staterā sed ad popularem quandam trutinam:Quod si in cōparatiuo nō licet minus licebit in superlatiuo.Illud uero ne popularis quidem trutina iam permiserit:quod in Homero & alijs poetis,quod in Herodoto,Thucididéq;.& alijs historicis, quod in Demosthene,& alijs oratoribus, quod in Platone Aristotele'que & alijs philosophis uetustis reperitur, superlatiuum accommodari ad ea quæ non sunt eiusdem generis, aut numeri: ut Achilles fuit fortissimus non dico Troianorum: nam in hoc nemo peccaret, sed fortissimus aliorum cum Achilles non fuerit unus aliorum,

ut fuit unus Grecorum: In hoc omnes quos nominaui non ausim dicere, uitium inciderunt. Quale est apud Macrobiũ eodem quo dixi superius loco, de Saturnalibus libro ultimo. Cur in Aegypto quę regionũ aliarum calidissima est: uinũ & cætera. Aristoteles uerò etiam sine superlatiuo: ut in problematibus λαλεῖ γὰρ οὐθὲν τῶν ἄλλων ζώων ἢ ἄνθρωπος quasi homo sit de genere aliorum animalium, quem à cæteris animalibus excipit. *Inter quæ sit medium. Cap.* XIX.

QVoniam de magis ac minus diximus, dicamus aliquid de medio, cum inter alia, tum uerò inter duo adiectiua contraria: quę mihi duplex uidetur esse quęstio: una an id quod nullam partem duorũ habet, medium sit: altera an id quod ex utroq; constat, utrobiq; reperiatur. Prima an inter albũ & nigrũ colorem sit medius uiridis, sit croceus, sit uenetus, sit uiridaceus, sit rubeus. Ego nõ sentio: Quia inter acutũ sonum & grauẽ non est medius, nec dulcis, nec facilis, nec clarus, nec firmus, ne flexibilis, nec his cõtrarij. Nec inter dulcẽ & amarum saporem, est salsus, acidus, & his cõtrarij. Nec inter calidũ & frigidum tactum, est mollis tactus asperq;, sed potius alij licet pauci sunt nominati, ut fuscus inter albũ & nigrum: & tepidus inter calidũ & frigidum: & inter dormientẽ & uigilantem semisomnus: & inter diem & noctẽ crepusculũ: licet crepusculũ potius noctis sit, sicut inter diem & noctem diluculum uel mane. Altera quæstio est, an aliquod tempus sit inter diurnum nocturnumq; ? aliquis status inter dormientem uigilantemq;. Item inter uiuũ & mortuum, inter sanum & ægrotum, idiotã & literatum, sobriũ & ebrium. Inter quę ad legẽ ueritatis ipsius medium fortasse non erit. Sed ad cõmunem intellectum, non minus inter hæc medium est, quàm inter illa superiora, album, & nigrũ, acutum & graue, calidũ & tepidum, & similia. Ideo autem media dicuntur, quia dimidiatum huius & dimidiatum alterius habent: ut fuscum quod ex dimidio albo, & dimidio nigro constat, ut utrunque est album & nigrum: ita neutrum nec album nec nigrum. Quod illud constat, maiorem contrarietatem esse (quod isti negant) in oppositione, quàm in negatione: ut in nigro & albo, quàm in nigro & non nigro, alboq; & non albo: & item in cæteris, quoniam magis aduersatur, magisq; contrarium est, quod nihil habet societatis, quàm quod habet: album nihil habet nigri, & nigrum habet nihil albi. Non album uerò, siue non nigrum (ut puta) fuscum nonnihil habet. Quemadmodum tenebrę sunt magis aduersę atque contrariæ luci, & lux tenebris, quàm umbra, quę non lux est, nec tenebrę. Quod seruis quoque atq; parasitis ignotum non est: si modo Parmeno & Gnato dicendi sunt, & non Terentius loqui: interrogans à Parmenone Gnato, quid de puellę forma sentiret, quia nec bonam dicere uolebat, ne laudaret hostile donum: nec malum dicere poterat, quia maior erat pulchritudo quàm ut uituperare posset: respondit non mala hercle. Et quamuis ea quę dicitur, non mala, non negetur esse bona, possitq; & bona esse, tamen nec bona esse affirmatur: ut potius sit in negatione diuersitas & contrarietas. Sed destinatus est nobis proximo libro locus de disputatione negationis, quo toto libro de uerborũ interpretatione (ut initio promisi) differetur. Ad quem ueniemus, ubi diffinitionem eiusq; (ut sic dicã) germanam tractauerimus. Omnia enim de quibus locuti sumus, tam prædicamenta, quàm prędicamentis subiecta, ad diffinitionem tanquam ad regiũ censorem & quæstorem ærarium, ut recognoscantur ueniant, ac præsto sint ei necesse est.

*De diffinitione, descriptione, etymologia & proprio.* Cap. XX.

IDcirco autem diffinitionem appellaui regium cẽsorem, quęstorémq; ærariũ: quod nihil aliud cõsyderat q̃ illud regiũ uerbũ, quid, id est, quę res. Quemadmodum eius ministra interrogatio, eodem uerbo utitur: ut quid est homo? quid est animal? quid est corpus? Quapropter Boëtius cum de multis uiris, tum de

 sua lingua

ſua lingua male meritus eſt: cuius proprietatem non animaduertens, ad græciſſandum nos inducit: Qui ita Porphyrium transfert. Diffiniunt autem & eam hoc modo, differentia eſt quę de pluribus, & differentibus ſpecie, in eo quod quale ſit prędicatur: rationale enim et mortale de homine prędicanť in eo quod quid. Quid eſt enim homo interrogatis nobis conueniens eſt dicere animal: Quale autem inquiſiti, quoniam rationale & mortale, conuenienter aſſignabimus. Et ne aliena forſan eum ad uerbum transferendi neceſſitas excuſet, ita inquit, in primo ſuper prædicamenta libro: Dicimus enim quale uocabulum eſt homo? & proprie reſpõdemus homo. Priſcianus quoq; & ipſe, nõ docte grecißans cum alibi, tum in opere de 12. Vergil. uerſibus ait: Arma quę pars orationis? nomen: quale nomen? appellatiuum, & ita in cęteris. Ego more ueterum latinorum interrogaſſem, quod uocabulum & quod nomen? non quale ut græci faciunt: qui non tam aptam ut nos uocem habent. Quanquam & ipſe Porphyrius peccauit, qui interroganti quid eſt homo, putat reſpondendum, eſt animal. Quin potius eſt animal rationale mortale. Cur illam partem (ut putat qualitatis) relinquit? cur dimidiatam reddit reſponſionem? aut ſi nolebat in totum reddere reſponſum: cur non reſpondebat ſubſtantia? Cum rurſus interrogaſſet quę ſubſtantia? reſponſurus corporea: tum quod corpus? reſponſurus animatum: quod autem corpus animatum? ſenſibile, quod dicitur animal: quod autẽ animal? rationale: quod porro animal rationale? mortale. Porphyri cum quis interrogat per quid omnia ſemel interrogat: cui tu male nõ ſemel omnia reſpondes. Quid enim (ut oſtẽdi) & ſubſtantiã & qualitatẽ & actionem cõplectitur, ut quid eſt color, quid eſt uox? quid ſapor, quid oratio, quid ſpecies, quid differentia, id eſt, quę res. Animaduertiſti ut ipſa ſermonis natura nos docet interrogandum, quod animal? nõ quale animal. In quo & græcos excuſaui ſuperius interrogãtes per quale: quia quid, & quod nõ habent, ut nos diſiunctũ: tamen nõ ubiq; admitto excuſationẽ, nec recte puto quęrere Ariſtotelẽ aliosq; cũ quęrunt, qualis eſt ignis? qualis eſt lapis? nam qualis cõparationẽ indicat, & ſuo ſubſtantiuo indiget: quod aut effertur, aut ſubauditur: ut quale eſt templũ urbis tuę, ac qualis fuit Achilles: qualis Helena? qualis Bucephalus? qualis Sicilia? qualis nilus, ſubauditur tanquam notũ, uir, mulier, equus, inſula, fluuius, ſicuti in quantus: fitq; cõparatio ad ea quę ſunt eiuſdẽ generis, eáq; de re habent ſua relatiua, talis & tantus: Vbi uerò deeſt relatio, & ob id ſubaudiri nõ poteſt ſubſtantiuũ, quę tandem ſignificatio erit orationis? ignis qualis? nempe qualis ignis: & aër, qualis aër: & lapis, qualis lapis, quaſi quippiã poſſit ſecũ ipſo cõparari, dicendũ erat, quale corpus? ut cum alijs corporibus poſſet comparari, ut elephas quale animal eſt? ut cum alijs animalibus cõparetur. Sed nũc deſcriptio erit nõ definitio. Quippe deſcriptio eſt qualitatũ omniũ quę alicui rei aſſunt: & eiuſdẽ actionum explicatio. Nam quęrenti quale eſt brutũ elephas? reſpondebo, uaſtũ multóq; grandius bubulo, nigrũ, nullo pene collo, longiſſimo & flexibili naſo, quo tanquã manu ad res capiendas, oriq; prębendas utitur, duobus ſurſum uerſum dentibus, tanquam cornibus eminentibus, & reliqua. Quare nõ eſt illa deſcriptio (ut uult Boëtius) Ariſtotelis: Qualitas eſt ſecundũ quam quales dicimur? Non diſſimulauit Boëtius ineptã illam eſſe definitionẽ, cum dixit notius nomẽ eſſe qualis, quam qualitas, ſicut albus quàm albedo, & grãmaticus quàm grammatica, & idcirco dixit eſſe deſcriptionẽ. Sed falſum eſt prædicamenta deſcribi poſſe, quia deſcriptio nec locum habet niſi de definitione conſtet, nec aliud eſt quàm ultimarum inter ſe ſpecierum indiuiduorumq; differentium qualitatum & actionum enumeratio. Ergo quod uoluit Ariſtoteles definire, non potuit: ignorans per res prædicamenta definire poſſe, etſi nonnunquam ueritate co-

gente,

cogente, nō quidem fatetur sed demōstrat: ut id accidens est quod potest adesse & abesse citra subiecti corruptionem. Nam quod est antecedens: ut in illo: Forma est quę dat esse rei, & distinguit rem à re, & cōseruat eam in esse. Et quale fuit illud superius: Qualitas est secundum quam quales esse dicimur: & illud, differentia est quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit prædicatur. Neq; me capit, hunc modum loquendi apud summos autores esse usitatum, quasi aut nullum sit antecedens relatiui, id est, appositū uerbi aut idem nomen pro apposito repetatur sic. Qualitas est qualitas secundum quam: & forma est forma quæ: & differentia est differeutia quę: & accidens est accidens quod: sed siue suppositum pro apposito repeti, siue nullum esse appositū dicamus res dictu absurdissima erit. Ergo dicamus sic accipiendū, ac si fuisset dictū res: ut sit; Qualitas est res secundū quam quales dicimur, & forma est res, et differentia est res. Verum si putasset Aristoteles in his definitionibus subaudiri res, nō ita opinor loquutus fuisset: præsertim in hac definitione, forma est res, quæ dat esse rei, & distinguit rem à re, & conseruat eam in esse. Nam si ipsa est res, cui rei dat esse? nēpe sibi? præterea quam rem à qua re distinguit? profecto sese à se, siue seipsam ab altera. Quid? ipsum esse, nonne est res? quid ipsa res? sine forma nihil erit, nam aliter cur non habet esse: quid ipsa forma? sine re habet in se esse quod alteri dat. Vides quot errata ex malis perceptis uocabulis consequuntur. Nam ne deprehendere quidem opinor Aristotelem subesse res in illo quid: etiam cū diffinitionem ipsam definit inquiens: Diffinitio est oratio, quid esse significans. Sed hoc quid pro aliquid fortassis accipitur: quæ definitio nihil definit. Nam quid si dicam tu es homo, aut homo est animal, non significabo aliquid quamuis non utar definitione? Quod si intelligebat quid pro quæ res: dicendum erat & definitio est oratio quid significans, id est, aliquid significans, id est, aliquid quid significans. Apertius eum sequutus Cicero inquiens: Diffinitio est oratio, quæ id quod diffinit, explicat quid sit. Alibi non multo expressius, & si pluribus uerbis: Diffinitio est earum rerum quæ sunt eius rei proprie, quàm diffinire uolumus breuis & circunscripta quędam explicatio: Cognatior est descriptioni quàm diffinitioni, ista diffinitio. Optimè Quintilianus: finitio rei propositæ propria, & dilucida, & breuiter comprehensa uerbis enuntiatio: constat maxime genere, specie, differentibus, proprijs. Ideo autem maxime ex illis constare definitionem dixit: quia per etymologiam, cui (ut ipse inquit) in definitionibus assignatur locus, non ita finitur: ut assiduus ab asse dando, locuples à locorum, pecuniosus à pecorum copia. Quod si male ab illis definita est differentia, ipsi eam commodius definiamus. Differentia est qualitas, qua species distinguitur à specie. Omnis enim res, qua distinguuntur aliqua inter se, qualitas est. Genus est id quod de suis speciebus prædicatur: nam superuacuum est addere, in eo quod quid, item in specie. Species est quod prædicatur de suis indiuiduis. Indiuiduum est quod iam de alijs non prædicatur, sed ipsum sub sensus uenit, aut sub sensa: ut Socrates, & Plato, & Bucephalus, & Xanthus. Cum autem dicimus hominem differre ab equo specie, de indiuiduis accipiendum est: ueluti de Socrate de Bucephalo, non de speciebus: Nam species à specie non potest differre specie, cum ipsæ sint species: sed earum indiuidua quæ differre inter se specie nihil aliud est, quàm esse diuersæ speciei. Quid species in quo à specie differt? certe ipsa differentia. Quid indiuiduum ab indiuiduo eiusdem speciei? Isti aiunt numero: quasi non sint ambo eiusdem numeri sed superuacuum est quærere quomodo differant indiuidua: ut superuacuum est, quærere, in quo differāt inter se prædicamenta: quanquam uix ullum indiuiduum est, quod non ab altero altera differat qualitate. Et genus quidem & species & differens (quę eadem

tulli, potius originationẽ uocant: hoc habet aliquãdo usum necessariũ, quoties interpretatione, res de qua quæritur eget: ut cum. M. Cælius se hominem frugi uult probare, nõ quia abstinens sit: nam id ne mentiri quidem poterat, sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta frugalitas. Ideóq; in definitionibus assignatur etymologię locus. Nónne ubicũq; Quintilianum nuncupo, uideor uelut Achillem inter heroas nuncupare? Cuius ego (ô magnã meam arrogantiam) sed temeritati meæ det ipse Achilles ueniam: cuius inquã auriga uelut ille Patroclus, & armis ornatus & curru cõscenso, & phalãge instructus Troianos audeo inuadere, iam græcam classem urere incipientes, & ipsum Hectorem, cui naues incendenti iam nemo resistere poterat: ut cæteris Græcis, ad ultima redactis animum ardoremq; restituam: facturus idem multo apertius in sequentibus libris, & præcipue in priore ad quem ipsum iam transeamus.

# LAVRENTII VALLAE DIALECTICARVM DISPVTATIONVM

## Liber Secundus.

FRequenter mecum soleo dubitare de plerisque scriptoribus artis dialecticæ, ignorationis ne eos, an uanitatis, an malitiæ accusem, an de his omnibus. Nam cum illorum errores, non parum multus considero, quibus non minus seipsos, quàm cæteros uidentur decepisse, uel negligentię, uel infirmitati humanę attribuo. Cum rursus quicquid infinitis libris tradiderunt, id omne paucissimis tradi præceptis potuisse animaduerto, quid aliud causę fuisse putem, nisi inanem arrogantiam: qui dum uites longe lateq; diffundi sarmentis gaudent, uuam in labruscam mutauerunt. At quod indignissimum est cum captiones, cauillationes, calumnias uideo, quas & exercent, & docent, non possum eis non succensere, quasi pyraticam, non naualem rem, siue (ut mollius loquar) palestrę pro militiæ disciplinam tradentibus. Erat enim dialectica, res breuis prorsus & facilis, id quod ex comparatione rhetoricę diiudicari potest. Nam quid aliud est dialectica, quàm species confutationis, hæ ipse sunt partes inuentionis. Inuentio una est ex quinque rhetoricę partibus. Dialectici est syllogismo uti: quid non orator eodem utitur? imò utitur, nec eo solo uerum etiam enthymemate, & epicheremate, adde etiam inductionem. Sed uide quid interest, dialecticus utitur nudo (ut sic loquar) syllogismo, orator autem uestito armatóq;, auro, & purpura, ac gemmis ornato: ut multę sint ei & magnę præceptorum comparandę diuitię, si uideri uolet orator: dialecticum proprie dixerim paupertas docet. Quoniam non tãtum uult docere orator ut dialecticus facit, sed delectare etiã, ac mouere; Quę nonnunquam ad uictoriam plus ualent, quàm ipsa probatio; tametsi non ad solam semper uictoriam tendit, neq; semper uersatur in litibus, sed in suadendis honestis, & ad bene beatéq; uidendum pertinentibus, dissuadendisq; turpibus atq; inutilibus, in laudandis uituperandisq;, quæ laudem mereantur aut uituperationem. Quod opus nescio an sit uel maximum, quod aut laudanda dei opera atq; ipsum opificem nati uidemur, idem quoq; in altera uita facturi. Atq; sicuti nos alio uestitu utimur, cum prodimus in publicum, alio cum agimus intra domum, itaq; alio cum magistratus, alio cum priuati sumus, propterea quod seruiendum est oculis populi: ita dialecticus cuius domesticus & priuatus est sermo, nõ eum captabit dicendi nitorem, eamq; maiestatem quam captabit orator: cui apud uniuersam ciuitatẽ dicendum, & multũ publicis auribus dandum est, cui insuper adesse debet, multa magnarũ rerum peritia, perdifficilis quędã tractandorũ ani-

pellatio, deinde pronomen, deinde mixtum uerbo participium, ipsis uerbis aduerbia. Hæc cum ita sint, dum nomen nuncupo, pronomen quoque & participium significo, quę cum nomine cognationem quandam habent. Indeclinabilia sunt & ipsa nō modo cōmoda, sed etiam necessaria in nostra oratione, tanquam in re domestica famuli ac serui, siue tanquam bruta, ut boues aratorij, ut equi, ut alia iumenta, sine quibus non belle satis uiui potest. Hæc igitur quibus Peripatetici dicunt constare enunciationem, quam nostrorum plærique uocant propositionem, eadem sunt quę ab eisdem uocantur subiectū & prędicatum. Subiectum enim definiunt id de quo aliquid dicitur. Prædicatum uerò id quod de aliquo dicitur. Nisi quod prædicatū in duas diuidunt species: unam, cum est uerbum, ut legit: alteram cum est uerbi appositum? ut Plato est philosophus: ipsum philosophus est nunc prædicatum. Ideo tunc uerbum non prædicatum appellauere, sed copulam, ex quo fit cum prędicatū sit anceps: tamen subiectū non sit nisi suppositum. Atque hāc inquiunt perfectā esse enunciationē, ubi tria hęc assunt: subiectū, copula, prædicatum. Nam uerbum illud sine apposito resolui in uerbum substantiuum & suum participium, ut Plato legit, Plato est legens: sol lucet, sol est lucens. Sed cur magis uerbum in participium suum, cum uerbo substātiuo resoluit, quàm hoc in illud reducatur, sol enim est lucens, & Plato est legens: reducuntur ad illa, sol lucet, & Plato legit. Quædam tamen uerba resolui nequeunt latine duntaxat, ut luna illuminatur: quanquam si omne uerbum resoluitur in suū participium, & uerbum substantiuum: quid ni ipsum uerbum substantiuum resoluatur? ut Plato est philosophus, sic Plato est ens philosophus, qua ratione res in infinitum exibit? Adde quod participium continet in se uerbum, non à uerbo continetur, ideo & in uerbum cum relatiuo resoluitur: ut Plato legens, Plato qui legit. Quod cum ita sit, falsum est, semper oportere nos loqui, per uerbum substantiuum, cum præsertim non semper possit resolui ad istorum legem uerbum suum, ad uerbum substantiuum, ut nescit, quispiam est nesciens diem mortis, male resoluas: quia illud prius est uniuersale, hoc particulare, de quo posterius disputabitur. Aiunt præterea loquendum semper per indicatiuum, neque per id totum, sed per eius præsens tantum. Habent tamen cæteri modi, cęteraque tempora suas uires, ut ipsa res indicabit. Idem ut uerbum copulam, sic nomen appellauerunt terminum, & nunc communem aiunt esse, nunc singularem, quod natura sit aptus, ut de singulis prędicetur, ut Alexander, Bucephalus, Athenę, quod uidentur fecisse ut distinguerent ab illis quę uocant signa, quidam, aliquis, omnis, solus.

*Quid denominatiuum, æquiuocum, uniuocum sit.* Cap. II.

ALia multa tradunt, quę non propria dialecticorū sunt, quid sit παρώνυμον, ὁμώνυμον, συνώνυμον, quę nostrorū quidā transferunt denominatiuū, æquiuocum, uniuocum. παρώνυμον quoties aliud nomen ab illo deriuatur: ut à grammatica, grammaticus, à fortitudine fortis, à sanitate sanus, à sapientia sapiens, licet in hoc aliquantulum dissentiam. Nam grammaticus quidem à grammatica dicitur, sed è contrario cætera, fortitudo à fortis, sanitas à sanus, sapientia à sapiens: hęc enim ab illis deriuantur tametsi neutra alteris extiterunt priora, aut sanitas quàm sanum animal, aut animal sanum quàm sanitas: item à grammatica quàm grammaticus, aut grammaticus quàm grammatica, & ita de cæteris. ὁμώνυμον quoties uocabulum unū, res significat plures, siue diuersæ speciei, ut canis, quadrupedem, piscem: & taurus, marem, sidus, montē, radicem arboris, nomen hominis, siue eiusdē, ut Aiax Telamonins, uel Oilei filius. Itē in uerbis, ut cerno pro uideo, pro eligo, pro farinam cribro. συνώνυμον huic pene contrarium, quoties res multę unū nomen habēt inter se cōmune, et quasi gentile, de qua ma

teria proximo libro disputatum est: ut Plato & Socrates sunt uniuoce homo. Item hi, & Leo, & Aquila, & piscis dicũtur uniuoce animal, & ita in cæteris prædicamentis, uel eorum partibus. συνώνυμον quidã uocant quoties aliud nomen uerbum'ue, habet eandem quod aliud significationem: ut cerno, uideo, aspicio, intueor, specto, conspicio, uerum id latinius transfertur cognominis, ut apud Plautũ in Bachidibus: Quid agunt duę germanę meretrices cognomines. Hęc omnia literarij sunt ludi, & grãmaticorũ magis quàm dialecticorũ, ideóq; quanquam subtilius poterant elimatiusq; tradi, tamen exequi supersedeo. Sunt enim illa quidem scitu necessaria sed quę discipuli cum huc ueniunt, didicisse debent non discere.

*Quot & quæ sint enunciationis species.* Cap. III.

Enunciationum, altera affirmatiua, quę κατάφασις, altera negatiua, quę ἀπόφασις dicitur. Affirmatiua quidem unde abest aduerbium negatiuum, siue simplex non, ne, haud, siue compositum nephas, nullus, nolo, neue. Item unde abest in principio in pro non in compositione imprudens, iniuste, insani, deniq; & quicquid habet negandi uim. Negatiua uero, ubi adest aliqua negatio: ut luna fulget, luna non fulget. Vim negationis habent, aliud, aliter, minus, parum, minime, & si quid est tale: ut simia aliud est quàm homo, hoc significat, simia non est homo: hic est minus bonus, ille parum aptus ad literas, parum multus est noster exercitus, tu es uir minime malus, pene idem sunt quod non bonus, non aptus, non multus, non malus. Etiam quędam uerba idem efficiunt ut dissimulas te audire, negas te intelligere, idem sunt quod simulas te nõ audire, & ais te nõ intelligere. Nam nego, an sit à negatiuo aduerbio cõpositum dubitari potest: item abest pater, deest pecunia, item caue lædere, penè idem est quod noli lędere, uel caue lędas, quod significationis eiusdẽ est: cuius adiecta negatione, caue ne lędas. possunt uideri eiusdẽ naturę, nisi, sine, præter. & quę sũt id genus, & in primis quin: quod unde cõpositũ (si compositũ est) difficile est dictu: Vno modo affirmatiuũ, ut Quin aspera Iuno Consilia in melius referet. Duobus negatiuum, ut: Quin aliquid potius, saltem quorum indiget usus. Viminibus molliq; paras detexere iunco.
Id est, cur non: & pro ut non, ut apud eundem Vergilium.
Hic tibi ne qua morę fuerint dispendia tanti, Quin uatem insanam aspicias. Item enunciatio est, aut uniuersalis, aut particularis. Nam ea quam dicunt singularẽ, & ipsa particularis est, quia omne singulare particulare est, sed non econtrario. Vniuersalitas particularitasq; per ea quę dixi signa declarantur: uniuersalia omnis, nullus: particularia aliquis, quispiam. Inter quę sunt qui numerant quidam: quod singulare est multũ ab alijs diuersum ut posterius ostendã. Huic simillima sunt aliqua pronomina, hic, ille, iste, quę à dialecticis non ponuntur inter signa, sed inter terminos qui faciũt singularẽ enunciationẽ: qualia sunt meus, tuus, & nomina propria, ut Socrates, Plato: adijciũt debere cõiũgi hęc signa cũ termino cõmuni: ut omne animal, omnis homo, aliqs homo: quod quis ignorat? Nemo enim dicat omnis ego, quidã tu, nullus sol, aliqua luna: licet idẽ fieri possit per terminũ singularẽ, siue is sit nomen propriũ, ut omnis Alexander, nullus Alexander, aliquis Alexander: siue appellatiuum, ut: Nullus adhuc mundo prębebat lumina Titan. Nisi dicimus Titan esse nomen propriũ. Sed utcũq; sit, nemo in hac re possit errare. Affirmatiua igitur negatiuáq; uniuersalis enũciatio, omnis equus hinnit, nullus equus hinnit: quę tantundẽ in numero singulari pollet, quantũ in plurali: ut omnes equi hinniũt, nulli equi hinniũt. Particularis affirmatiua, nõnullus equus hinnit quę in plurali plus quiddã pollet, nõnulli equi hinniũt. Itẽ negatiua, nõnullus equus nõ hinnit: nõnulli equi nõ hinniũt. Cur autẽ hoc signo particulari maluerim uti ac debuerim, in sequẽtibus, ubi de

signis

signis agam explicabitur. Huius germana est quam uocant singularem, quia singularis (ut dixi) eadem particularis est affirmatiua: hic equus uel meus equus, uel Bucephalus hinnit. Negatiua, hic equus, uel meus equus, uel Bucephalus non hinnit: & ipsæ plus aliquid pollēt in plurali, ut hi equi, uel mei equi, uel bucephali hinniūt. hi equi uel &c. non hinniūt. Ea quam indefinitā (quia signo caret) appellant, similis est & germana uniuersalis: ut equus hinnit, equus non hinnit. Ideoq; nihilo minus pollet in singulari quàm in plurali more uniuersalis: ut equi hinniunt, equi non hinniūt. Et circa naturalia exempla uinum est in pretio: uina sunt in precio. Item apud quasdā gentes uinū non est in usu, & uina non sunt in usu. Quare indocti mihi uidentur, & in ipso doctrinæ errare uestibulo, qui hanc uolunt particularis nō uniuersalis uim obtinere, cū sit suapte natura uniuersalis: de omni nanq; equo dicitur quod hinniat aut quod nō hinniat, & de uino omni quod sit in pretio uel in usu, non de uno aut altero. Sed meminerimus hos ipsos terminos, quoties bis efferuntur hoc modo, equus equū, homo hominem, ratio rationem superat, nō accipi uniuersaliter, sed particulariter: quod aliquis equus superat aliū quempiam, & nonnullus homo alterū aliquem, & alia ratio aliam: tamē si altius inspiciamus nō proprie dicatur particulariter: quia hac geminatione termini uniuersalitatē amplector: quod omnis uel equus uel homo uel ratio, aut superat aut superatur, nullo excepto: à qua significatione lōge abest illa oratio, aliquis equus superat aliquē equū, siue nōnullus nonnullū, ubi unumquēq; superare aut superari necesse nō est. Quod euidētius probatur, si in locū geminationis ponamus alterū terminū hoc modo, equus superat bouem, homo superat brutū, ratio superat temeritatē. Similiter in negatione. Itaq; facultas illa uniuersalis quę duorū, ut sic loquar fratrū uelut hęreditas erat, intercepto uno tota defertur ad reliquū. Quo magis liquet indefinitā, uniuersalis habere uim non particularis: dum tamen & illud meminerimus nonnunquā accipi particulariter, ut elephas hoc facit nec omni homini. Nonnunquā singulariter ut Cicero de Pōpeio loquens, nosti, inquit, hominis tarditatē ac taciturnitatem, hoc est eius ipsius de quo agimus: aut cum subauditur meus, uel noster, tuus, uel uester, et suus, ut non repperi in stabulo equū, supple meum, uel tuū, uel nostrū, aut aliquid huiusmodi. Nonnunquā nec uniuersaliter, nec particulariter, nec singulariter, sed in solidum & (ut sic dicam) totaliter, ut homo, ut equus est species animalis. Videlicet nō quod uniuscuiusq; animalis, aut unius certi, aut huius. Ad hūc modū accipit quoties est talis oratio: Animal cōtinet hominē, auis cōtinet uespertilionē. Item negatiue corpus nō cōtinet animal, animal nō cōtinetur à corpore, auis nō comprehendit uespertilionē, uespertilio non cōprehenditur ab aue: hoc loquēdi modo excepto ferè maius est & amplius prædicatū quā subiectum in uniuersali, particulari, singulari, indefinita: quocunq; in elemento siue prædicamento (quę tria nos facimus) in substātia, omnis leo, aliquis leo, hic leo: leo est animal. In qualitate omnis leo, aliquis leo, hic leo, leo est rutilus. In actione omnis ignis, aliquis ignis, hic ignis, mouet. Ad plura nanq; spectat animal, rutilūq; esse & moueri, q̄ ad leonē uel ad ignē: nonnunq; par est uis prædicati atq; subiecti: ut leo rugit, equus hinnit, homo ridet, nec ad plura spectat rugire q̄ ad leones, nec hinnire q̄ ad equos, nec ridere quā ad hominē. Cū dico rugit, hinnit, ridet, nō actionē sed qualitatē innuo, quæ adest leoni rugienti, equo hinnienti, homini ridenti. Quod quidā non intelligētes talibus exemplis utuntur: leo est rugiens, equus hinniēs, homo ridens: qui sermo locū non habet, nisi cum aliquid horū animaliū id agit, nam de cunctis dici non potest. Alij aiūt leo est rugibile, equus hinnibile, homo risibile: qui sermo in lingua latina absurdus est, per neutrum genus. Ita loquēdi tolerabilius foret (ut in alio testatus sum libro) si diceretur: rugibilis, hinnibilis,

risibilis, nec desunt aliqua huiusmodi exempla. Virtus est bonum, & bonũ est uirtus, si Stoicos audire uolumus: aut si Epicureos, bonum est uoluptas, & uoluptas est bonum: aut si plura bona dicẽda sunt, sic omne bonum uirtus, & omnis uirtus bonum: uel omnis uoluptas bonum, & omne bonum uoluptas.

*De conuertenda enunciatione.* Cap. IIII.

HIc locus admonet ut aliqua de conuersione dicamus: nam licet maior atq; amplior significatio prædicati ferè sit quàm subiecti, sicut ostendi, non tamen amplius ac latius accipitur prædicatum quàm subiectum. Ideoq; cum illo conuerti potest, ut omnis homo est animal, non utiq; totum genus animal. Sed aliqua pars huius generis. Nam Cicero speciem partem generis uocat. Ergo aliqua pars animalis est in omni homine: itẽ quidam homo est animal, scilicet est, quædam pars animalis: ergo quædam pars animalis est quidam homo. Omnis leo est rutilus, quidam leo est rutilus, hoc est, quod quisq; leo & quidam leo partem aliquam habet siue quandam rutili coloris, non ipsum omnino rutilum colorem: ergo aliqua pars rutili coloris est in singulis leonibus, & quædã in quodam. Idem intelligo de infinito, quod de uniuersali cum uniuersaliter accipitur. Idem quoq; de particulari singulariq;, cũ particulariter singulariterq; significat: nec aliter cum totaliter accipitur: ut homo est species animalis, id est, quædã species animalis: ergo quædam animalis species est homo. In negatione, ratio è diuerso est quando adest signum uniuersale, ut nullus homo est satyrus, id est, nullus homo non est ullus satyrus: ergo nullus satyrus non est ullus homo. Quando non adest ut homo nõ est satyrus, id est, ullus homo, ullus satyrus, ergo ullus satyrus non est ullus homo. Quando per totalitatem loquimur, ut satyrus non est species hominis, id est, ulla species hominis: ergo ulla species hominis nõ est satyrus. Quando adest signum particulare singulareue, ut nonnullus piscis uel hic piscis fœtum enititur, scilicet est aliquis ex illis piscibus qui fœtum enitũtur: ergo aliquis ex piscibus fœtum enitentibus est aliquis, uel est hic. Item ille piscis uel hic piscis non est fœtum enitens, sed oua pariens: uidelicet ex his qui fœtum enitũtur, ergo aliquis piscis ex ijs qui fœtum enituntur, sed oua non pariũt, non est ille, uel non est hic piscis. Thales est unus ex septem sapientibus, id est, aliquis ex septem: ergo aliquis ex septem Thales: Pythagoras non fuit è septem sapiẽtibus, id est, ullus è septem: ergo ullus è septẽ, nõ fuit Pythagoras: hęc quę de conuertendo præcipiuntur, quàm utilia sint, proximo libro cum de Syllogismis disputabitur elucebit: Vt plurima in pręsentiarũ, quę cauillose & insciẽter à quibusdam sunt tradita, refellere supersedeamus.

*Quot sint signa & quomodo differant.* Cap. V.

IAm signa in quibus tantum momenti est, excutiamus: enumerantes omnia si possumus aut ferè omnia. Vniuersalium affirmatiuorũ maxime proprium est quisq; per tria distinctum genera: quod uix dialectici nostri nouere: Gręci frequenter ἕκαστος, & eius compositum unusquisq;: cui simile, si singulare eius in usu esset, singuli: quod etiã cõiungitur cum quisq;, sicut unus, fitq; singuli quiq;: huic dissimile est uniuersus, quod de magno numero dicĩ. Vnde dicitur uniuersi singuliq;. At ipsi simile est cũctus. Vt enim dicĩ uniuersus populus, sic cunctus populus, hoc est cõiunctim omnes: & si aliquãdo addiĩ significatio cõiunctiua, ut apud Vergil. cũcti simul ore fremebãt. pro totus quoq; numerus accipiĩ, ut Cic. pro Archia: Nec nos cũcti huic unquã studio penitus dediti fuimus. Et in eadẽ post: In cæteris Asię partib. cũctaq; Gręcię sic eius aduẽtus celebrabaĩ: Omnis pro his omnib. pollet, his addaĩ quisquis, et quicũq;, quę tacite in se habẽt omiss: ut quisquis siue quicũq; ambulat mouetur: quę tamẽ nõ semper ita accipiuntur:

sed

sed pro qualiscunq;,ut:Quisquis es haud credo inuisus cœlestibus & apud eun-dem Vergiliũ: Egredere ô quicunq; es ait. Nec mirum cum ipsum relatiuũ unde componũtur, huius naturę sit,ut qui ambulat mouetur: tam de uno quàm de omnibus intelligitur. Idem quod hęc in superiore sensu significant quotquot & quotcũq;,ideoq; apertius omnis in se habent. Nihil est enim aliud quotquot & quotcũq; q̃ omnes qui: quibus simile est quotusquisq;, quod interrogatiue fere usurpatur. Negatiua signa per se nulla sunt, at composita ex aduerbio & signo particulari. Aduerbiũ uerbo applicatur,ut nullus currit, quod resoluitur,ullus non currit. Vllus enim signum particulare est,unde componitur nullus. Nequis ex non uel ne,& quis pro aliquis. Quod nunc uetat,ut:

Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti. nunc subiungitur,ut:

Ne quis sit lucus quo se plus iactet Apollo.

Nihilum quod est neutrũ ex eodem aduerbio cõpositum, & hilum quod est aliquid,per apocopenq; dicitur nihil:atq; iterũ per syncopen, siue syncere sim, synalepham'ue nil. Nemo nõ est ex signo compositum, tamen latens signum habet ullus,uidelicet non ullus homo,uel non ulla homo. Nam idem est alius nemo te amat,quàm alius ullus homo te nõ amat:nisi comica licentia,ut Terẽtius in Hecyra, Nemo quisquam illorũ: nempe eadem licentia qua alibi dictum est, nemo homo: hoc composito Gręci carent, ideoq; Latini dialectici nimis græcissantes eo non utuntur. Illa nomen uniuersitatis non implent,ab uter composita,unum affirmatiuum,alterum negatiuum,uterq; neuter:idem dico de ambo. Aduerbia quoque sunt uniuersalia tam affirmatiua quàm negatiua. Affirmatiua quidem omnino,cui simile est prorsus,usq;quaq;, quoties, toties. Item semper eius penè significationis est continue,assidue,sedulo. Item ubiq;,undiq;,& composita per cunq;,quotienscunq;,ubicunq;,undecunq;,quacunq;,quocũq;,quoquo uersus, id est,in omnem partem:& illa geminata ubiubi & similia. Negatiua autem nunquam,nusquam,nuspiam, necubi,nequa,nequo,necũde,nequaquam,& siqua, & similia,quæ omnia utiq; in se habent signũ. Semper enim idem est quod omni tempore,ubiq; quod omni in loco,undique quod omni ex loco. Et item cætera. Negatiua apertius: nunquam enim nusquam, nuspiam idem sunt quod non ullo siue nullo uel tempore,uel loco,et item in cæteris: his addamus utrobiq;,sicut addimus uterq; & neuter,eiusq; cognata utrinq;,utroq;,utrocũq;,neutro, & cætera huiusmodi. Particularia sunt aliquis & pro eodem sensu quis,& ab eo composita quisquã quispiam. Item quo Græci carent ullus, & quod ab eo profluxit nonnullus,quo item illi carent & neutrum nonnihil. Quorũ nullo fere alio dialectici nostri utuntur,nisi uno aliquis,non putantes illud distare à quidam, quia Græci non distinguũt,pro duobus his nostris unũ tantum habentes,imò pro tribus. Nam τις pro his duobus,& pro quis usurpatur, de quorũ duorum differentia mox: prius enim in quo differat hoc particulare à nonnullis alijs dicendum. Quod cõponitur et ipsum à quis postposita, sicut quisquã & quispiã prępositas & ab alius sicut alibi, tãetsi significatio nominis unde cõponitur nõ apparet, sicut in alibi id factum est,ut aliquatenus differret à suo simplici quis, quod simpliciter significat:nec obstãt quod dicere etiã solemus,alius,aliquis, quia quod maius est dicimus alibi nusquã. Sed propositam ad rem ueniamus, & primũ id quo differat ab ullus:quam differentiã Priscianus sanè tum obscuram, tum ineptam tradit: inquiens inter aliquis & ullus & alicubi & usquã & aliquando & unquã hoc interest, quod aliquis & alicubi & aliquando absolute proferuntur: ut aliquis uenit ad me, similiter alicubi fuimus, id est, in aliquo loco, & aliquando contingit, id est, in aliquo tempore. Sin autem dicam ullus, pendet ex infinito omnium numerorum necesse est enim ullus omniũ intelligere, & cũctos posse

numeros

numeros ad hoc referri. Nec incongrue diminutiuum esse unius dicitur, & hoc uidetur ad aliquid esse, quomodo summus & imus, primus & ultimus ad omnia dicuntur, tam locis quàm temporibus, uel ordinibus subiecta, uel supposita. Similiter usque, ad omnia loca refertur, & uspiam, unquam ad tempora. Et sciendum quod composita quoq; eorum abnegatiua sunt, omnium generaliter, quæ per ea possunt significari. Inepta sanè ratio hæc (ut dixi) & obscura, nam ullus nihil habet, quod nō habeat aliquis, habet aliquis, quod non habet ullus. Quippe cum eo uti possumus ut libet: ullus autem non nisi per negationem: ut non est ullus sapiens, aut quod proxime accedit ad negationem, uel interrogando: ut est ne ullus sapiens? uel dubitando, ut dubito, hoc est nescio, siue ambigo an ullus sit sapiens: aut cum conditione, si est ullus sapiens, & donec ullus est sapiens: & uix est ullus sapiens, & sic loqueris quasi ullus sit sapiens. Etiam cum uerbis coniunctum, quę superius attigi, ut dissimulas, siue negas te ullum audire, siue ullum intelligere. Item caue ullum lędas. Cum comparatiuis quoque ut amo te magis, quàm ullum hominem, ut malo Romæ esse quàm usquam: quasi subintelligatur alius ut sit quàm ullum alium hominem, & ullo alio in loco: & nunc potius uolo dicere quàm unquam, id est, quàm ullo alio tēpore. Distat item aliquis à quispiam & quisquam, & quæ sunt tanquam media inter aliquis & ullus, & posterius dum de negatione dicemus, distat etiam à nonnullus quod est tanquam medium inter aliquis & quidam, quorū nunc differentiam tradam. Cum dico quidam uestrum me uocauit, significo certum hominem esse ex uobis qui me modo uocauit: & à me, quod ab eo uocatus sum agnitum, perinde ac si dicerem: Socrates, siue hic, uel iste, aut ille me modo uocauit. Cum dico aliquis uestrum me modo uocauit: significo incertum hominem esse ex uobis, quasi quisquis uestrum sit, quia quisnam uocauerit non deprehendi: ut mihi aliquis, quisquam, quispiam propria uideantur esse particularia illius uniuersalis quisquis: quod & ipsum à quis componitur. Quidam uero non aliter se habere, quàm id quod appellant terminum singularem: ut si mecum loquutus est Socrates, aut ille, uel hic recte dicam, quidam mecum loquutus est, non autem aliquis, quasi uestrum quis loquutus est. Vnde uulgaris est sermo quoties aut nolumus nominare homines, aut eorum nomina nescimus: quidam ad quendam scripsit, non autem aliquis ad aliquem. Neq; uero solum linguæ græcè defectus in causa est, cur à nonnullis in parum intelligenda hac differentia sit erratum. Sed quod aliquādo nihil in ea differunt, aut nihil uidentur differre, quale est si dicas, reperias historicos omnes aliquibus siue quibusdam in locis mentitos. Præterea quod nonnunquam reperiunt, & si rarissime, aliquis pro quidam, sed non tamen quidam pro aliquis. Quorū differētia magis ex negatione apparebit. Sed in hoc periti nonnulli aliquando peccauerunt, in illo solummodo imperiti, quod putant quilibet nō particulare signū esse, sed uniuersale, quod ita particulare est ut quiuis, quorum idem sensus est, quemadmodū uteruis idem significat, quod uterlibet, id est, quem tu uelis, et uter quem tibi capere libeat. Sic altera duo, quēcunq; tibi uis, & quemcunq; tibi capere libeat. Ibi unum de duobus, hic unum de pluribus, exemplo tamen hæc magis confirmanda, quam ratione probanda sunt. Quintilianus: Periculosum & cum cura intuendū genus, quia si in proponēdo unūquodlibet omiserimus, cū risu quoq; tota res soluit: tutius fit interrogare. Si hæc actio non sit, quæ sit, simul enim mouetur omnia, uel cū duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiet. Ecce eodem in loco. Quintilianus utrumlibet & quolibet usus est, alterum pro eo quod est unum de duobus, alterum pro eo quod est unum de pluribus. Afferamus etiam è iure ciuili testimonia, ubi proprietas linguæ tam diligenter quam necessario custoditur.

Cai

Cai (ut creditur) uerba sunt in Iustiniani institutionum libro secundo: Si plures cōditiones institutioni adscriptæ sunt: Siquidē cōiunctim fuerint, utputa si illud & illud fuerit factum omnibus parēdum est, si uero separatim, ueluti si illud, aut illud factum erit, cuilibet obtemperare satis est. Et eisdem penè uerbis Paulus in digestis Iustiniani: Si hęredi plures conditiones coniunctim datæ sunt omnibus parendum est, quia unius loco habētur, si disiunctim cuilibet. Item Modestinus: Si pluribus hæredibus institutis ita scriptum sit: Hæres meus damnatus esto dare aureos quinq;: nō quilibet hęres, sed omnes uidebuntur damnati, ut una quinque dent. Et alibi multis in locis. In Leuitico de leproso ita scribitur: Adducetur ad Aaron, uel ad unumquemlibet filiorū eius. Quid multis? nusquam in omni dialectica ac philosophia ex Aristotele translata, nisi forte apud aliquem nouorum reperitur quilibet, nisi particulariter positū, sicut uterlibet. Quo minus danda uenia est iurisperitis ac theologis recentibus, dialecticisq; ac philosophis nostris, quia uerba scientiæ suę non audiunt, sed in prauè loquendo, nescio quo modo conspirauerunt, & quasi diuersæ ciuitates in suam metropolim coniurarunt. Dixi uterlibet esse particulare, sed ita particulare, ut uterq; uniuersale. Idem intelligo de uteruis, & si uis addere uter & alteruter, cū capitur pro uno è duobus. Aduerbia particularia sunt unquam, usquam, uspiam, aliquando, alicubi, alicunde, quandoque, aliquotiens, interdum, nonnunquam, quod exponitur pro aliquando uel quando, non pro unquam, propter causam quam reddidi de ullus. Nec multum ab his differunt siquando, sicubi, sicunde, ubiuis, utrobi. Nam illa, hic, illic, isthic, & similia, dicuntur singularia. Item, nunc, cras, tunc, et talia, ubi tale est quale hic, illic, sed accipi solet pro ubicunq; quod est uniuersale: cui respondet ibi, ea potius uniuersalia sunt antehac, posthac, antea, postea, hactenus, de cętero, amplius, ulterius, deinceps, & similia: ut apud Quintilianū, quid fuerit, ante non quæro, post hac erit amicus, id est, semper & semper post. Et cum negatione idem significabunt quod nunquam, ut hactenus non fuisti amicus, nec post hac eris, id est, nunquam fuisti amicus, nec nunquam eris: quale illud in euangelio: Non lauabis mihi pedes, in seculum siue in æternum, hoc est nunquam lauabis mihi pedes, hæc sunt signa necessariò syllogismo accōmodata. Sunt alia accommodata credibili. Si quis non necessarius est syllogismus siue epicheremati de quibus suo loco dicemus.

*De ui negationis cum signo uniuersali.* Cap. VI.

VEnio nunc ad negationem, in qua omnis ferè quæstionum in quacunque materia cardo uersatur: quæ (si istis credimus) aliā præposita signo, aliam postposita significationē reddit: ut non omni pisce uescitur Iudæus: quod est particulare, perinde ac si diceretur, non ullo siue quodam pisce nō uescitur Iudęus: rursus omni pisce glabro non uescitur Iudęus, quod est uniuersale, non secus ac si dicatur nullo pisce glabro uescitur Iudęus, quorū neutrum est uerum. Et etiam illud prius biparticulare est, non tantum particulare & multum ab illo differens. Non nullo pisce siue quodam pisce non uescitur Iudæus, quia nonnullo uescitur, nonnullo non uescitur: siue quodam uescitur, quodam non uescitur, tacitamque uniuersalitatem habet in duas diuisam partes. Quippe de omni pisce intelligitur quorum partem significamus esse in usu Iudæis, partem non esse. Quare omnis nunquā perdet suam uim uniuersalem. Quod etsi per se planum est, tamē ratione faciamus planius. Ea quorum alterius significatum uerum esse potest, cum alterius sit falsum, non idem significant, ueluti ut exēplum à parte subiecti afferatur: quidam homo non uolat, uera est enunciatio. At non omnis homo uolat, falsa: quia partem hominum uolare affirmo, ergo partim uera, partim falsa, quid ni igitur biparticularis tacitam (ut prius dixi) in se uniuersalitatem

uersalitatem habens? quid quod non solum tacite, sed aliquando aperte, si quid modo interponatur inter negationem & omnis: ut afferam autem è theologia, id est, è græco exempla, & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, id est, nulla: & alibi, ut non glorietur omnis caro. Quid quod aliquãdo idem fit etiam si nihil interponatur, ut: Non mortui laudabunt te domine, neq; omnes qui descendunt in infernum. & alibi: Non delinquent omnes qui sperant in eo: neque refert quod antecedit uerbum, quia idem fit, si sequatur sic. Non mortui neq; omnes qui descendunt in infernum laudabunt te domine: hoc est nulli. Eodem modo in prædicato, ut: Inquirentes dominum non minuentur omni bono. Et iterum: Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Cur autem posterior modus, non probe istis exponitur? non de omni pisce glabro accipiendum est, non uesci illo Iudæum: non eo inficias ita accipiendum, sed non semper: quinimò sępe in sensum priorẽ: ut omni pisce non uescitur Iudæus: nempe quod aliquo uescitur, aliquo non uescitur: cuiusmodi exemplis plena sunt omnia: ut omnes diuites esse nõ possunt, et omnis uolucris non est pennis prædita, perinde est, ac si dicas, nõ omnes diuites esse possunt, et nõ omnis uolucris est pẽnis prędita: quia pars hominũ uolucrumq; talis est, pars nõ est. Paulus Iurisconsultus: Si pluriũ seruorũ nomine, iudicio sistendi, causa una stipulatione promittať, poenam quidem integram committi: licet unus status non sit. Labeo ita ait, quia uerum sit omnes statos non esse, perinde ac si dixisset, quia uerũ sit non omnes statos esse. Quintilianus libro septimo tradi enim omnia quæ ars efficere non potest. & in 12. At cum protinus dicendum est, omnia parari non possunt: huic alteram negationem si addas erit sensus prioris: ut non omni pisce non uescitur Iudæus: perinde ac si diceremus non omni pisce abstinet Iudæus. Ita per aliam ianuam egredimur ad plateam eiusdem significationis: non omni pisce uescitur Iudeus: egredimur autem quasi postico, quoniam è cõtrario dicimus. Ibi enim negabamus Iudęũ uesci omni pisce, hic negamus ab omni abstinere, cum utrobiq; uelimus eum quibusdam piscibus uesci, quibusdã non uesci. Idem quod omnis, efficit quisque & quod duplex uerbum desiderat quisquis, singuli ab hac ambiguitate est liberum: & alia duo, cunctus & uniuersus, nisi pro omnis accipiantur uel pro totus: nam idem totus etiam efficit, in quo exempla afferam, in superioribus inuenienda lectoribus relinquens: nõ totus orbis paruit Alexandro, id est, pars orbis paruit, pars non paruit: ergo enunciatio biparticularis. Item tota Gręcia non paruit Alexandro, idem sensus est nõ secus, ac si diceretur, nõ tota Græcia paruit Alexandro: secus autem tota natio Hispanica, tota Gallica, tota Germanica, tota Britannica non habuit cognitum nomen Alexandri. Non enim sic acciperetur quod harum singularum nationum pars cognitum habuit nomen Alexandri, pars nõ habuit: sed quod nulla (ut fit) anteposita negatione: sic, non tota natio Hispanica, non tota Gallica, non tota Germanica, non tota Britannica, habuit cognitũ nomen Alexandri. Quanquã hoc quoq; possit esse uniuersale (ut diximus) de omnis, sic non nouit Alexãdri nomen tota Hispania, nõ tota Gallia, nõ tota Germania: hoc est nulla pars Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ. Illud admonitione non indiget: nonnunq; pro toto nos dicere omnis, quemadmodũ dixi de cũctis: ut omnis familia, omis populus, omnis Europa, quæ nõ habẽt sua particularia, aliqua familia sed pars familię, nõ quispiã populus, sed portio populi non aliqua Europa, sed pars aliqua Europæ. Cæterũ hæc quę est in totus ambiguitas, nõ ita potest emẽdari ut emẽdať in omis, & in quisq;, quę habent, p cõpositionẽ contraria negatiua: nullus, nemo. & reliqua, ut Iudęus nullo pisce glabro uescitur, & nullo pisce uesciť Iudæus, nisi squamoso: nisi dicimus, nihil pro nulla pars, ut nihil Hispaniæ, nihil Galliæ, nihil Germanię, nihil Britãnię habuit notũ

nomen

nomen Alexandri. Sed hæc ad negationem compositam pertinent, ad quã quia forte quadã deuenimus ipsius iam præcepta tradamus, cuius tradẽdę etiam nunc sequebatur locus.

*De negatione composita signo adiuncta.* Cap. XII.

NEgatio cum signo composita, ubicunque ponatur idem efficit, ut nullus currit, nemo ambulat, nihil mouetur à seipso, neuter parentum te amat, nunquam prodest temeritas, nusquam est uitio locus. Item currit nullus, ambulat nemo, mouetur à seipso nihil, te amat parẽtum neuter, prodest temeritas nunquam, uitio locus est nusquam: quæ duo idem sunt non non alia ratione quàm sit in cæteris nominibus quæ signa non sunt. Quid enim differt impossibile est mutum animal loqui: & mutum animal loqui, est impossibile. Iniquum est diuitias pręponere uirtuti, & præponere diuitias uirtuti est iniquũ: hæc signa si negatiuum rursus aduerbiũ pręponas fiunt ex negatiuis affirmatiua, ex uniuersalibus particularia, nõnullus, nonnihil, nonnunquã quæ pro cõpositis habentur. Nam non nemo non ausim cõpositum dicere: nõ neuter, aures meæ respuũt, non nusquam & non uspiam, quod sciam non repperi: fiunt autem affirmatiua quidem quia addita negatio, priorẽ negat, hoc est, necat, quasi uenenũ perimẽs uenenũ, et latro latronẽ spolians: particularia uero, quia prius erãt particularia, hęc quoque nihil interest præponas ne uerbo, an postponas, sic: nõnullus currit: & currit nonnullus. At siècontrario postponas huic signo negationẽ fiet affirmatiua uniuersalis. Affirmatiua quidem, quia duæ assunt negationes unã facientes affirmationem. Vniuersalis autem quia pręposita negatiua uniuersalis necat sequentem negationẽ, remanetq; qualis erat uniuersalis, ut nullus nõ currit, nemo non ambulat, nihil non à seipso mouetur, nunquã non est uirtuti locus, uerbo ex negatione composito non postponitur aduerbium negatiuũ. Quis enim dicat, nescio non illum? sed pręponitur, ut nõ nescio illum: fitq; eadẽ significatio quæ fuerat ipsius simplicis: non nescio enim idem est quod scio, & non nequeo idem est quod queo, & nõ nolo, idem est quod uolo. Tria enim demum hæc uerba, aperte cõponuntur ex aduerbio negatiuo: quorum unum est proprium patris queo, alterum proprium filij scio, tertium proprium spiritus sancti uolo, quarum personarum singulis singulos huius operis dicaui libros, ut ipsorum primæ literæ testãtur: eas itaq; oro precorq; ut in hoc uelut bello pro ueritate suscepto mihi sint aduersus infandas hostium insidias auxilio. Verum quid est quod Vlpianus differre uult uelle à non nolle inquiẽs: siquidem peculium deducto quod domino debetur, accipitur merx peculiaris, etiam si nihil sit in peculio dominũ tributoria obligat, ita demũ si sciente eo negociabitur. Scientiã hic eam accipimus quæ habet & uolũtatem: sed ut ego puto nõ uoluntatẽ sed patientiã: nõ enim uelle dominus debet, sed non nolle. Si igitur scit & non protestatur & non cõtradicit tenebitur actione tributoria, Non expressit differentiã Vlpianus: neq; hoc semper fit: neq; negationis natura cõtingit sed urebi: quod significat tum propositũ animi, ut uolo soluere debitum, tum cupiditatem & gaudium, ut tibi bene uolo, ex quo fit beneuolentia, unde apud Senecam: Fata uolentem ducunt, nolentem trahunt, cuius etiam compositum non modo significat inscius sum, id est, propositum animi non habeo: ut domino tuo soluisti, nolens, hoc est insciens, sed etiam inuitus sum, & repugno quasi actionem quoq; in se habeat, ut illud ipsum nolentem trahunt. Vlpianus ergo accipit nõ nolle, pro non repugnantem, uelle autem pro gaudẽtem esse. Sed uolens etiam uidetur habere in se actionem, ut illud uolentem ducunt, eritq; idem non nolo & uolo, nec aliter hic redditur ad significatum simplicis uerbi: quàm in signis negatiuis uniuersalibus, ad significatũ simplicium particularium: de quibus post uniuersalia nunc disserendum est.

Differentia

*Differentia ſignorum particularium, ſingulariumq; accepta negatione.* Cap. VIII.

INter quidam igitur & aliquis, ut ab his incipiam quæ inter ſe differũt magis apparet (ut dixi) ex negatione differẽtia. Nam multo eſt aliud, quidã ueſtrum me non uocauit, quàm, aliquis ueſtrum me non uocauit. non ſolum quia ibi ſignifico unum certum, puta, illum aut illum, aut Socratem: hic incertum (ut ſuperius dixi) ſed etiam quod plerunque aliquis cum negatione eſt uniuerſale, ut cæteris particularia: de quo, niſi apud ſtolidos, nulla cõtrouerſia eſt, cum nemo ſic loquatur: Non ſinit me quieſcere quidam ſophiſta: nõ inuenio quẽdam ſenem: de quo ſi conſtat, de hoc quoque conſtare debebit quod ab illo differt. Quod de hoc, idem de cęteris particularibus dico, de quibus ſi conſuetudinẽ loquendi poſtulas, uulgaris hic ſermo eſt. aliquis non eſt me fortunatior, quiſquam nõ eſt te melior, ullus nõ eſt illo modeſtior, id eſt, nemo. Si autoritatem quæris, tot exempla ſunt, quoties hæc uocabula reperimus quæ paſſim reperiuntur. Vergilius:

Non ulli paſtos illis egere diebus.
Flumina Daphni boues ad frigida, nulla neq; amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam. Et in eadem egloga:
Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis,
Vlla dolum meditantur. Idem:
Nonnunquam grauis ære domum mihi dextra redibat. Idem:
De grege non auſim quicquam deponere tecum. Et paulo poſt:
Efficiam poſt hac ne quenquam uoce laceſſas.
Quin age ſi quid habes, in me mora non erit ulla
Nec quenquam fugio. Idem:
Et ſi non aliqua nocuiſſes mortuus eſſes. Et iterum:
Quin tu aliquid potius ſaltem quorum indiget uſus,
Viminibus, mollíq; paras detexere iunco.

Omnia hęc exempla ſunt ex uno libro ſumpta, ubi alia huiuſmodi ſunt plura. Si rationem uis: ea in promptu eſt, quod cum dico aliquis ueſtrum me uocauit, ſignifico quod aut tu qui es aliquis horum, aut tu & alius qui & ipſe es horum aliquis: ſingulis autem hoc dicam me uocaſti. Itaq; cum nego me uocatum eſſe ab aliquo ueſtrum id ſignifico, neque tu, neque tu, & ita deinceps me uocaſti: & hoc nihil aliud eſt, quàm nullus ueſtrum non me uocauit. Si tabulas (ut ita dicam) atque inſtrumẽta, hæc etiam uobis ſuppeditant. Nullus componitur ex negatione & ullus, quod diminutiuum eſt ex unus, ut nullus nihil aliud ſit, quàm ne ullus quidem, quantuluſcunque is ſit quale eſt apud Græcos οὐδεὶς ſiue οὐθεὶς ex unus & negatione compoſitum cuius ſignificationis eſt οὔτις ex negatione & τις quod eſt aliquis: quo nomine Vlyſſes Polyphemum ceterosq; Cyclopas decepit, cum ſe Vtin quod eſt, non aliquem uocari finxiſſet. Ergo idem eſt non ullus, quod non aliquis, idem dico de nequis cui græce reſpondet μηδεὶς & nihilum, quæ unde componantur ſuperius expoſui. Idem de nunquam, nuſquam, & uſpiam, quæ ex negatione & ullus componuntur. Si poſtremo non præiudicia ſed latam de hac ipſa re ſententiam, cur nullus prępoſita negatione fit particulare, niſi quia ipſum ex ullus particulari antepoſita negatione factum erat uniuerſale, & quod de eo, idem de omnibus particularibus ualet. Quæ cum ita ſint palàm eſt non modo differre quidam & aliquis, quod illud ſingulare hoc utique particulare eſt, ſed etiam particularia, accepta negatione fieri uniuerſalia, ullus quidem ſemper cum ſuis deriuatiuis unquam, uſquam, uſpiam, aliquis, plerunq; (ut dixi) quiſquam uero & quiſpiam potius ſemper: non ullus autem & nõnunquam minime. Quorum nullius fortaſſe natura magis conſyderanda eſt, quàm eius unde ſignum uniuerſale componitur nullus, quo non uti non poſſumus.

Id uniuersale semper esse dixi, hoc est, siue præpositum uerbo, ut ullus non est sapiens, siue postpositum, ut non est sapiens ullus: item non peccaui unquam, & unquam non peccaui, usquam uel uspiã. Quæ sanè res habet nonnullam in aliquis differẽtiam. Nam isti nostri dialectici qui nullo nisi aliquis particulari utuntur, uolunt cum hoc postponitur uerbo effici uniuersale, non est beatus aliquis homo, id est, nullus: cum anteponitur particulare: ut aliquis non est beatus. Quę lex utrinque falsa est. Nam illud prius & si sępius est uniuersale, tamen & particulare esse potest, ut si dicam noli contentius pergere, quia sequi nõ poterit hæc anus & aliquæ puellarum, id est, quia aliquæ puellæ erunt quæ sequi non poterunt, hoc posterius & si rarius quàm illud, tamen plerunq; uniuersale est quemadmodum ostendi superius, ut aliquis beatus non est, quæ oratio tametsi potest accipi pro ea quæ est, aliquis est qui non est beatus: tamen frequentius accipitur pro ea quæ est, ullus non est beatus. Quisquam & quispiam siue præponãtur uerbo, siue postponantur cum negatione uix unquam sunt nisi uniuersalia: ut non est beatus quisquam, uel quispiam non est beatus, id est, nullus est beatus: è diuerso nonnullus semper particulare est ubicunque ponatur, ut nonnullus conuiuarum non uenit, & non uenit nonnullus cõuiuarum: quasi medium quiddam (ut dixi) inter quidã & aliquis cęteraq; particularia: quod neque certum, ut quidam significat, neque ut cætera particularia cum negatione fit uniuersale. Sed eius rarior usus est, cæterorum multo frequentior: ideòque dicamus particularia penè semper accepta negatione fieri uniuersalia. Vsque adeo ut non modo ubi adest particulare signum cum negatione fiat oratio uniuersalis, uerumetiam ubi non adest, sed subauditur. Quale est (utar autem quo res sit familiarior uarijs exemplis) ætate Marci Catonis cœpit esse olea in Italia, lauro coronantur triumphantes: hic non de quadam olea, aut de quadam lauro loquor tãquam certa, nec de unaquaq;, nec de specie tota, sed de aliqua arbore, quæcunque ea fuerit oleagina laurinaq;. quæ cum sit (ut suo loco ostendi) particularis enunciatio non singularis, quasi subsit signum particulare aliqua uel quępiam, ut sit aliqua olea, & aliqua laurus: erit cũ negatione utiq; uniuersalis quod per se ipsæ aures agnoscũt, ut Camilli ætate nondũ cœperat esse olea in Italia. Lauro Bacchas ferẽte, nõ coronantur triumphantes: hoc est, ulla olea, & ulla lauro. At si dixero Lucullus in Italiam primũ attulit cerasum. Appius melimelũ, nõ subauditur aliqua sed ipsa illa quasi proprium nomen esset, ut Typhis primus fecit nauim, quasi Typhis fecit illam primam nauim. Nempe sic primus Lucullus attulit cerasum, quasi primam illam cerasum, & Appius primam illam melimelum. Itaque accepta negatione non deserit singularitatem: ut Pompeius non attulit primus oleam, cerasum, melimelum, id est, illam primã oleam, cerasum, melimelum. Habet autem aliquis non nihil commune cum nullus quia sicut illud solet geminari quale nostrum exemplum fuit, aliquo pisce uescitur Iudæus, aliquo non uescitur, quo utique modo est particulare: nonnihil commune cum quiddam, quia pro eo nonnũquam ponitur & si perrara huiusmodi exempla ut apud Quintilianum. Neq; id nouũ uitium est cum apud Liuiũ inueniam fuisse præceptorem aliquem: qui discipulos obscurare quæ dicerent iuberet, græco uerbo utẽs σκότισον. unde illa egregia laudatio, ne ego quidem intellexi: ideoq; aliquãdo pro quodam tempore reperitur non solum pro aliquotiens, ut aliquando morieris quæ sunt etiã crebriora exempla cui simile est quandoq;, ut quandoq; moriar.

*De differentia compositorum à ne, siue à non & ab in pro non.* Cap. IX.

Dixi de negatione absoluta. Quid de composita sentiamus? nempe aliquid interesse, utrũ cum nomine negatio cõponatur, an cum uerbo, & utrum

eã sit non, siue ne, an in: res nimirũ miranda etenim signum particulare iunctum cum nomine composito ab utrauis harum negationum semper remanet particulare, cum uerbo secus: ut aliquis est ignarus, inscius, immemor mortis, & aliquis est nescius mortis particularis est enunciatio. Item cum uerbo composito ab in, ut aliquis ignorat mortem & aliquis inficiatur debitũ, & hæc particularis enunciatio est. At aliquis nescit mortẽ sępius uniuersalis præsertim (si dialecticis credimus) anteposito uerbo, sic nescit aliquis mortem. Item nollet aliquis uitam sine uoluptate, nequit aliquis uiuere sine molestia, potius ac sæpius uniuersalis, hoc est, quod nemo scit mortẽ, nemo nollet uitã sine uoluptate, nullus quit uiuere sine molestia. Aliquis autem (ut sic dicam) nescit mortem, particularis esset sicut ignorat. Sed de uoce quæ nusquam reperitur disputare non licet. Certe inficior, quod est, non faciam palàm quod postulor, & quasi non fateor, particularem efficit enunciationem, ut inficiatur aliquis furtum, cui cum sit simile nego, ut negat aliquis ueritatem quod est particulare, signum est nõ esse compositum ex aduerbio negatiuo, unde fit enũciatio uniuersalis duntaxat in subiecto. Nam & in prædicato quæ res & ipsa miraculo non caret: facit uniuersalem, utique intercedente infinito, ut negas aliquem esse beatum, quod fit euidentius per ullus, ut negas ullum inueniri bonum, ut apud M. Tullium: Nuper negabat M. Crassus ullam satis magnam pecuniã esse: cui similia sunt ueto, prohibeoq́, & si qua sunt alia, ut ueto ullum intrare prohibeoq́ quenquam loqui. Nam in subiecto ullus cum negat sine negatione non iũgitur, ut fit cum tribus alijs, de quibus loquor uerbis. In quibus eo mirandum est magis, quod participium nõ habet hãc quam suum uerbum differentiam. Vt aliquis est nesciens mortem, & aliquis est nolẽs uitam cum molestia & ut hoc participio utar, aliquis est nequiens uiuere sine uoluptate, uel è diuerso, nesciens mortẽ, nolens uitã cum molestia, nequiens uiuere sine uoluptate est aliquis, enunciatio particularis est. Neq; uero in particularibus hoc fit tantũ, uerum etiam in uniuersalibus, ut ignorant omnes homines, uel omnes homines ignorant mensurã orbis terrarũ, uniuersalis hæc: At nesciũt omnes homines, uel omnes homines nesciunt mensurã orbis terrarũ: nunc uniuersalis est, nũc particularis, perinde ac si negatio nõ foret cõposita, sic nõ sciunt omnes homines, uel omnes homines nõ sciunt mensuram orbis terrarũ: de cuius negationis nõ compositæ natura superius disputauimus. Neque id in subiecto solum quale fuit quod subieci modo exemplum, sed etiam in prædicato, ut apud Terentium, is solus nescit omnia, uel quia nihil scit uel quia non omnia, quod differt ab illo, is solus ignorat omnia. Secus in nomine & participio ut omnis homo est inscius siue nescius mortis. Item omnis homo est nesciens, est nolens mortem, uniuersalis est enunciatio. Quo magis crescere nobis debet admiratio quod aduerbium negatiuum cum uerbo cõpositum si applicetur signo particulari efficit enunciationem uniuersalem, ut nescit aliquis homo mortem, id est, nullus scit: si applicetur uniuersali, efficit particularem, ut nescit omnis homo mortem: hoc est, quidam scit, quidam nescit. Item nollet aliquis homo uitam sine uoluptate: & nequit aliquis homo uiuere sine molestia, id est, quod nemo uult, & quod nemo potest talem uitam, & nollet omnis homo uitã cum uoluptate, aut nequit omnis homo uiuere sine molestia, idem est quod quidã nollent, & nequeunt, quidã etiam uellent et queunt, econtrario. In, cõpositum cum uerbo, si applicetur signo particulari, conseruat particularitatem, sicut ostendimus: si signo uniuersali, conseruat uniuersalitatem, quasi nunc plus uirium habeat ad negandum quàm ipsum aduerbium negatiuum: harum dubitationum (sunt enim duæ) singularum rationem reddam, quarum una est, cur ignoro & & nescio si qua sunt alia, differunt, id fit, quia prępositio in, cum nequeat seiungi

à dictione

à dictione cum qua componitur(quoniam seiuncta non eãdem significationem imò nullam obtinet ) quandam facit negando affirmationem sicut abest : quod etsi idem est quod non adest:tamen affirmat: ideoq́ ignoro non recipit illud particulare ullus quod negatione gaudet. Nemo enim dicat, hanc rem ullus ignorat,ut dicimus,hanc rem ullus nescit, & quemadmodum in Sicilia mulieris quæ ritu latino nubit dos, ita cum bonis mariti miscetur ut sint omnes facultates pro indiuiso, unumq́ faciant corpus.Ita præpositio hæc cum alteri dictioni(ut sic dicam)nubit indiuidua fit & unum corpus facit affirmationis. Aduerbialis autem negatio composita quasi græco ritu nubens,semper significationem suam,uelu ti dotem seiunctam habet aut pro seiuncta intelligi uult. nam resolui ab eo cum quo copulatur solet ut dixi de nullus. Altera dubitatio cur nescius nesciens nolens differant à nolo & nescio.Id fit quia in nomine et participio,signum nõ spectat ad negationem,quoniam ipsum est in subiecto illa in prędicato,aliquis homo uel omnis homo est nesciens mortem, uel nescius mortis : perinde est ac si dicatur, aliquis homo uel omnis homo est is, siue est talis qui nescit mortem: eritq́ negatio illic,unde adest signum siue particulare siue uniuersale.Nam cum singulari ambiguitas hęc nulla est ut quidã ignorat diem mortis, & quidam nescit diem mortis,aut cum signum abest. Plato ignorat linguam latinam, & Plato nescit linguam latinam : quidam Plato nescit uerum bonum,siueest nesciens uerum bonum, uel nesciens ueri boni quæ idem sunt. De infinita si quid præcipiendum erat satis per ea quæ superius diximus intelligi potest. Ex his quæ disputauimus, constat id de quo in principio huius libri me promisi disputaturum non resolui uerbum in suum participium cum uerbo substantiuo,nõ enim quisquam uel ullus nescit diem mortis, resoluitur in illud, quisquã uel ullus est nesciens diem mortis,& ita in cęteris similibus:quoniam significatio uniuersalis resolui non potest in particularem, sicut è contrario in signo uniuersali nescit omnis homo diem mortis,perinde ac si diceres,nõ omnis homo scit diem mortis,hæc enunciatio nequit in illam resolui, omnis homo est nesciens diem mortis,quæ est uniuersalis cum illa sit particularis.

### *Quot sint signa particularia, quot singularia.* Cap. X.

NOn desunt quæ de his etiam differamus,sed hæc ipsa ne excesserint modũ uereor. Quæ tamẽ exequendi necessitatem imposuit mihi imperitia aliorum, de hac re quid dicant, aut quid sentiant nescientium, præcipuè latinorum. Nam Græci uno nomine aliquis & quidam appellant τις, quæ uox communis est masculini generis & fœminini pro quis & quæ, pro quidam & quædam pro aliquis & aliqua,& cæteris particularibus,& in neutro τι pro quid & quod pro quiddam & quoddam pro aliquid & aliquod,& pro nonnihil, cæterisq́ huiusmodi:& si in obliquis accẽtu acuto pronunciat̃, penultima pro quis, quæ,quid: ultima pro aliis,interdum pro aliquantum in neutro, & in plurali per omnia genera pro aliquot quod Gręci propriũ non habent. Adeo uix unquam latini sermonis egestas tãtopere superat gracię ubertatem. Nam pro uno græco nos plurima habemus,non redundantia, sed maximè necessaria,ut ea enumerem, quis, quidam,aliquis,ullus,nonnullus,quisquam uel quispiam. Cuius aduerbium aliquoties non idem prorsus est quod aliquando, & quandoq́ & nonnunquam. Hæc si Græci è linguę inopia non distinguunt, idcirco nos distinguere negligemus,& hoc quod apud illos nõ est animaduertere,nullam penè orationem esse utrinque particularem,id est,affirmando & negando,multiplicem utrinq́ singularem etiam citra propria nomina, non quidam quidam, non aliquot aliquot,

non aliquanti aliquanti, non pars pars, non alter alter, non alius alius, nõnullus nonnullus non, & aduerbia nonnunquam, nonnũquam non, & quæ sunt id genus, & in neutro genere quiddam quiddam non, nonnihil, nonnihil non: cæteraq; quæ neutra quoties non adest genitiuus sic exponuntur, quædam res, nonnulla res: quoties adest quale est quiddam boni, non nihil mali: sic quædam pars boni, nonnulla portio mali: quemadmodũ fit in similibus, ut aliquid gratię, multum honoris, plurimum pecuniarũ, plus uoluptatis. Quæ ita exponuntur aliqua pars gratiæ, multa pars honoris, plurima pars pecuniarũ, maior portio uoluptatis. Dixi nonnullus, & nonnihil: & nonnunquam esse singularia: quia sunt media quædã inter singularia & pluralia, ut superius docui, & à particularibus differunt, quia uera particularia sunt ex parte negatiua uniuersalia. Simile quiddã accidit in quilibet & quilibet non, in uterlibet & uterlibet non, in quiuis & quiuis non, in uteruis & uteruis non, in alteruter & alteruter nõ, & si qua sunt alia, quæ uix discernas singularia sint an particularia, tamẽ quia cũ negatione nunq; sunt uniuersalia, quod est propriũ particulariũ, inter singularia potius collocẽtur.

*De stultitia male utentium negatione, & de ipsius negationis probatissimo usu.* Cap. XI.

SVnt tamen qui applicent sibi negationẽ ubi hærere non potest, ut non quidam legit, quod dictu absurdum est. At ego ne sic quidem loqui ausim non aliquis, non ullus, nõ quispiã legit, nisi in carmine, ubi traiectio est permissa uerborum, dicẽdum enim est aliquis non legit, siue non legit aliquis, ullus, uel quispiam. Sic quidam non legit, siue non legit quidam. Nonnulli quod deformius est, addunt superfluas ineptè sanè & sophisticè. Cuius cauillationis fons græcus est, à nemine latinorũ ueterũ quod sciam probatus, nisi ab uno Boëtio, qui cum in Romana grauitate ac seueritate natus eloquens uideri uoluerit, miror admodum cur has nugas sectari maluerit. Nam de alijs minus miror qui post eum extiterunt, quorum nemo ferè primis saltem labris latinę linguæ proprietatem degustauit, aut extremis digitis attigit, non quidam non legit, non homo non ambulat, quidam non homo saltat, quidam non homo non saltat. Quis hic sermo est quæso, nisi picarum atq; coruorum, quos quidam (ut inquit Persius) docent nostra uerba conari. Cum dicis quidam hominem certè significas, cum iterum dicis non homo, negas quod ais. Quis nam iste homo est, non homo nisi tu qui cum sis homo picarum coruorumq; effundis uerba nõ hominis. Non ioco equidem sed serio & cum stomacho loquor, picina coruinaq; nõ humana uox est, & si in illo tergiuersaris, non homo legit, quod perinde sit ac si diceres aliquid non ens homo legit, quod longissimè abest à uero. Nam cum dicis aliquid non homo, fateor tunc subaudiri ens. At nunc uis subaudiri & ens, & aliquid, quod fieri nequit. Iam quid sibi uult negationum tanta perturbatio, tanta congeries futilis & barbara, quidam homo nõ homo legit, nõ quidam homo ambulat, omnis est homo non iustus, non est non iustus non Socrates: monstra sermonis nõ uerba, quæ uerba ut idem Persius ait: Nõ sani esse hominis, non sanus iuret Orestes. Adeóne deest alibi nugãdi materia ut in disciplina ueritatis, sicuti iactatis (nam omnis disciplina de uero quærit) mendacissimi ioculatores uelitis inueniri? nobis quidem ad normam grammatices loquendum est, nec tam grãmaticè quàm latinè loquendum, hoc est, non tam ad præcepta artis quàm ad consuetudinem eruditorum atq; elegantium, quæ optima ars est. Nam quis nescit maximam loquendi partem autoritate niti & consuetudine, de qua ita ait Quintilianus: Consuetudo est certissima loquendi magistra, utendumq; planè sermone, ut nummo cui publica forma est. At enim ratio est, inquiunt, cur ita loqui liceat, si uelimus,

utinam,

utinã esset, ut eos probare potius quàm improbare possemus. Nam quod Græcus, Hebræus, Latinus, Afer, Dalmata, cæteræq́ linguæ ipsas uoces figura loquendi discordant, usu fit non ratione, nisi in paucis. Nec magis de grammatica ratio reddi potest (quod quidam nugatores faciũt, ut hi qui de modis significandi scribũt) quàm cur alijs uocibus aliæ nationes utãtur. At ne de alijs rebus agã, sed de sola negatione quæ apud grammaticos uerbo postponitur, quale esset uolo non. Quid causæ est cur in lingua græca, præter ea quæ exposui dicitur, nõ audiui nihil, uel nihil à nullo audiui? cum quis nihil audisse, uel nihil ab aliquo se audisse ait, & nec non pro non. Quid de Græcis loquor? nonne apud nos idem intellectus est: nec amare nec odisse te possum, & non possum te nec amare, nec odisse, cum hic duplex negatio sit, ibi triplex. Cicero: Nolo, inquit, nec hæc quidem humana ignoret, ne quidẽ, idem est, quod nec etiam: muta nolo in uolo, sic: uolo ne hæc quidem humana ignoret, muta ne in ut, sic: nolo ut etiam hæc humana ignoret. Deinde ne, ut, sic & nolo ne etiã hæc humana ignoret, adijce utrunque, sic: ne hæc quidem humana, uel nolo ut nec etiam humana, uel ut neq; hæc humana ignoret, his tot uarietatibus sentẽtia tamen perstabit eadẽ. Quid? quod neq; cum sit compositum ex negatione ne, & coniunctione q; quod per apocopen fit nec: & idem ualeat quod & non tamen emendate loquar ad hunc modũ: neque dormio neq; non dromio, non autem sic, & non dromio, & non non dormio. Quid? quod sine neq;, seu nec possumus emendate efferre non non, dum aliquid interponamus, sic: contemnis gloriam non tamen non uereris infamiam? quod si quis ita extulisset, tamen non uereris infamiam: merito ab omnibus rideretur. Item non sum non fortunatus, non tu non felix es latine dicimus, tolle è medio negationum interiectam dictionem, iam erit barbarismus. Quintilianus ut appareat non utiq; non narrare eum qui negat, sed illud ipsum narrare quod negat, ideo interposuit illud utiq; ne duę negationes indecẽter coirent. Idem fit in ne pro ut non. Quale apud Lucanum: Ne non semel omnia Cæsar acciperet, ac si dicas, pro illo, ne non sileres imperaui, lapides ut uidearis loqui, ut Plautus ait. At ego consuetudine quadã auriũ pro illo nullus non currit, nemo non ambulat, nihil non mouetur à semetipso: non ausim dicere non currit nullus, nõ ambulat nemo, nõ mouetur à semetipso nihil. Quid quod in eadem oratione non idem semper est sensus, sed penè contrarius, & quasi hic affirmatiuus ille negatiuus, ut uir malus, nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedit. Vir bonus nulla lacessitus iniuria ab amicitia recedet, uel recedat, & fortassis etiam recedit, hic eadem uerba & malo de uiro dicuntur, & de bono, sed malus recedere ab amicitia intelligiẽ, bonus non recedere, & ille non lacessitus, hic lacessitus: cuius rei quid causę est, nisi consuetudo? à qua si quis desciuerit non secus à choro literatorum explodendus quàm legum morumq́ contemptor è ciuitate expellendus est. & ut sunt uarij mores uariæq́ leges nationum ac populorũ, ita uarię naturæ linguarum apud suos unaquaque intemerata & sancta, itaque consuetudine tanquam quodam iure ciuili standum est.

*Nihil differre esse quid iniustum, & esse non iustum, & ita in similibus.* Cap. XII.

IN nonnullis tamen quidam arguti homines publicos mores ac leges emendare conantur ostentandi ingenij gratia (si ingeniosum est falsum loqui) tradentes aliud esse in cum adiectiuo compositũ, & idem adiectiuum simplex cum aduerbio negatiuo, ut omnis homo est iniustus & omnis homo nõ est iustus. Socrates est iniustus & Socrates est non iustus. In quo se aut ignorare usum loquendi indicant, aut illum uelle corrũpere. Quippe cum hæc duo sint nõ modo significationis sed penè uocis eiusdẽ. Nam quid differt homo innocens et homo non

nocens? Vir illiteratus & nō literatus? Mulier impudica & mulier non pudica? hoc est impossibile & hoc est non possibile? res est incerta, & res est non certa? profecto nihil. Ita non differt homo est iniustus, & homo est nō iustus. At enim equus truncus, lapis, est non iustus, nec tamen est iniustus, ergo in homine fateris non esse aliud iniustum esse & non iustum? Quid si ibi aliud non est, nec alibi aliud erit? nec inficias eo non semper hęc idem esse, sed id factum esse casu in paucis quibusdam, qualia sunt credulus laboratus'que, quorum alterum in affirmando & negando uitij est, alterum uirtutis, præter aliorum naturam. Credulus enim is est, qui iusto pronior est ad credendum, incredulus autem, qui nimis tardus ad credēdum, penè nunquam credens. Laboratum opus dicitur, quod cum cura & studio effectum est: illaboratum est, quod sine labore, id est, difficultate factum uidetur. At non credulum esse uirtutis est, non laboratū uero uitij, quod uidelicet negligenter factum est. Docilis quoque is est, qui facile docetur, nō docilis qui nō facile: indocilis autem, qui nullo modo quasi indocibilis, quia ipsum indocibilis non reperitur: id in alijs uix reperias. Itaq; si equus non potest dici iniustus, profecto nec dici poterit non iustus, quia hæc non differunt quemadmodum fit in cęteris. Quid enim interest hic equus, hic truncus, hic lapis, hic ager, hic locus est non doctus, & est indoctus, est nō literatus, & est illiteratus, est non domitus, & est indomitus, est non politus, & est impolitus, est non noxius, & est innnoxius, est non stabilis, & est instabilis, est non aratus, & est inaratus, est non cultus, & est incultus, est non rationalis, & est irrationalis, est nō mortalis, & est immortalis? omnino (ut dixi) nihil. Nam eis respondere quid attinet, qui aiunt iniustum esse eum, qui agit iniuste: non iustum uero, qui agere iuste non potest, & item in similibus, quo dicto nullum unquam audiui absurdius: cuius rei si inter infinita è contrario exempla uel unum reperiant quod secum faciat, mecum nullum facere cōfitebor. Quid ergo? dicemus lapidem iniustum, ut dicimus non iustum, quasi uelimus lapidem esse malum? Vt taceam, me nūquam audisse lapidem non iustum, quia fortasse subaudiēdum esset hominem, certe dicam lapidem iniustum nec tamē intelligar de eo peccāte loqui, quod ne in homine quidem intelligeretur, nisi quia nihil medium est inter hominē bene & male agentem, cum ad legem ueritatis loquimur, ut libro superiore dixi. Itaq; cum dico tu es iniustus, non tam dicitur, quàm consequens est te esse malū. Ergo lapis est iniustus, nil aliud est quàm, lapis est non iustus, & ita in cæteris: si modo hic sermo in aliquem prudentem cadit, qui adeò non cadit, ut uix unquam quispiam sic loquatur, hic homo est iniustus, & hic ager est incultus, sed ita, hic homo non est iustus, & hic ager non est cultus, quia idem sensus est. Erit autem aliquid fortasse differētiæ, quia uerbum inter negationem & adiectiuum interuenit, etiam quando subauditur, ut in illis, homo non iustus displicet cæteris, & ager non cultus displicet oculis, subauditur ens, id est, non ens iustus, & non ens cultus. Quę ratio facit, ut in cōparatione sit apertior hæc differentia. Quoniam prior est, uir altero iniustior, quàm altero non iustior, & iniquissimus quàm non æquissimus. Item peior est ager incultior altero, quàm non cultior, & incultissimus quàm non cultissimus. Sed hæc hactenus, iam consequens est ut de negatione quæ inest cōtrarijs, subcontrarijs, contradictorijs, subalternis, enunciationibus dispiciendū sit.

*De oppositione enunciationum.* Cap. XIII.

OMnes ferme qui contrarietatem affirmationis & negationis tradiderunt, in quatuor eam species partiti sunt: Vnā cum uniuersalia sibi opponerentur, ut omnis elephas est niger, nullus elephas est niger: & hæc contrarias appellauerunt. Alterā cum particularia: ut, quidam elephas est niger, quidam elephas non est niger, & hæc quia maiora cōtraria sunt, subcontrarias nominarunt. Alię duæ

duæ ex istarum commixtione fiunt, quoties una contrariarum uni subcontrariarum opponitur, si non suæ particulari singulari'ue, contradictorias, sin suæ, subalternas uocauerũt. Exemplum prioris, quæ eadem est tertia, omnis elephas est niger, quidam elephas non est niger, hic uniuersalis affirmatiua opponitur, particulari negatiuæ, & è diuerso: nam contradictoriæ & subalternæ duplices sunt, quia ex utraq; primorum constant, nullus elephas est niger, quidam elephas est niger. Exemplum sequẽtis quæ eadem est quarta, omnis elephas est niger, quidam elephas est niger. Malui afferre exempla per elephas, quàm uulgato more cæterorum per homo, ne in calumniam caderem indoctorum, qui (ut ait M. Fabius) dum aliorum inscitiam insectari uolunt, suam cõfitentur: horum ineptiam operæprecium est cognoscere. Aiunt emendandos esse superiores qui hæc contraria fecerunt. Omnis homo est animal, & nullus homo est animal, & hæc contradictoria, omnis homo est animal, & quidã homo non est animal: quia omnis ad utrũq; sexum, nullus & quidam ad alterum tantum pertinet, hoc opinor non ignorabat Boëtius, & si qui alij ueteres ita dixerunt, sed ad literam transferre uoluerunt. Nam græcè dicitur omnis homo. At quomodo id isti emẽdant Aristarchi nostri atque censores, nempe omnis homo, & quodlibet quod non est homo, & nullus homo, non intelligentes se quodlibet pro quilibet ponere, prætera hoc signum nequaquam esse uniuersale, ut superius probauimus: quasi uero difficile sit illum errorem si error dicendus est (Nam Focas uult homo esse generis masculini) aliter emẽdare, mutando uel signum sic omnis homo & nemo. Item quisq; homo & nullus homo, uel terminum, sic omnis uir & nullus uir, uel exemplum, ut ego feci, sic, omnis equus, nullus equus, siue ut eis placeam, omnis asinus nullus asinus. Sed ad id quod instituimus reuertamur.

### *De contrarijs.* Cap. XIIII.

CONtrariarũ enunciationum hæc ab omnibus dialecticis esse natura traditur, ut non possunt esse ambæ ueræ, possunt tamẽ esse ambæ falsæ. Sed qui fieri potest ut duo falsa sint, inuicem contraria? profecto non magis quàm duo uera. Verum falso, & falsum uero, contrarium est, non falsum falso, quia nec uerum uero. Quod ita esse & alijs locis & hoc ipso deprehendimus, nam hæc duo quæ dicuntur falsa, habent singula in se parem ueri cum falso mixtam: ut, omnis equus albus est, nullus equus albus est, in his non falsitas alterius partis mutuo repugnat falsitati alterius sed ueritati, quemadmodũ in superiori exemplo. Altera pars omnino falsa, & omnino uera altera, faciebant contrarietatem, omnis elephas niger est, nullus elephas niger est. Communi tamen consuetudine eam orationem falsam uocamus, ubi aliquid falsi inest, quam nos etiam consuetudinem hic sequamur, dum sciamus non esse ambas planè falsas sed non ueras, & si partem ueri habeãt, quia eam dicimus utiq; ueram orationem, quæ omni ex parte est uera. Quod quid momenti habeat postea apparebit. Prius ostendamus quando hæc diuersitas sit, ut nunc una sit uera, falsa altera, nunc ambæ falsæ, in substantia quidẽ & in qualitate perpetua, hoc est, quæ aut semper adest, aut nunquam adest, ut elephanti semper adest nigritia, nũquam albor, aut latratura, aut alia huiusmodi, & in actione perpetua, una pars alteram perimit, scilicet uera falsam, modo ab affirmatione, modo à negatione, ut omnis elephas est animal, nullus elephas est animal. Affirmatio est uera, negatio falsa. Item omnis elephas est homo, nullus elephas est homo. Affirmatio falsa, negatio uera, hoc in substãtia. Omnis elephas est niger, nullus elephas est niger. Item omnis elephas est albus, nullus elephas est albus. Hic quoque in qualitate nunc affirmatio uera omnino est, nũc negatio. In actione hoc sit exemplum: omnis flamma urit quod uerum, nulla flamma urit quod falsum est. Item omnis lapis in altũ tendit, quod falsum,

nullus lapis in altum tendit quod omnino uerum est. At in nō perpetua & qualitate & actione, plerunque neutra pars alteram perimit: sed utraque alteram uulnerat, quasi dextra utri usque gladio armata amputat sinistram alterius scuto carentem. Videlicet ueritas quæ est in hac parte, amputat falsitatem quæ est in illa, ambæ mutilę ac truncæ, nō tamen mortuæ sunt, hoc est, neutra prorsus uera, aut prorsus falsa, quasi nec mortua, nec sana sed ægrota, licet utriq; nomen mortuæ imponatur, id est, falsæ. Exemplū tale est omnis elephas pinguis est & ambulat, nullus elephas pinguis est uel ambulat, utrobiq; ueritas, utrobique falsitas est in affirmatione & negatione, quoniā ut hominū ita elephantū, alius pinguis, alius non pinguis est, hic ambulat, ille non ambulat. Sed pro falsis ambæ habeantur, quādoquidem ita uocantur, cum sint potius non ueræ (ut dixi) quàm falsę: ideo autem plerunque tale esse dixi, quia potest afferri casus & hæ sunt alterutro ueræ uel falsæ, ut si transcendat nunc alpes Annibal, dicaturq;, omnis elephas Annibalis macer est, & laborem uix detrectat, nullus elephas Annibalis macer est, & laborem uix detrectat. Nam nihil impedit quin aut affirmator uerum dicat, aut negator. Hæc de uniuersalibus quibus indefinitas esse simillimas dixi, Boëtius tamen quosdam ueterum græcorum sequutus, eas nihil distare à particularibus uult, esseq; semper utrinq; ueras, & id hoc probare exemplo, homo grammaticus est, si quis dicat de Donato uerum est: item homo grammaticus nō est, si quis dicat de Catone etiam uerum est. Boëtij, pace minime est hęc prudentis oratio, primum quod posset utrunque falsum esse. Si ille qui dicit homo grammaticus est de Catone, & hic qui negat de Donato loquatur: aut unum uerum, alterū falsum, si ille qui affirmat sentiat de Donato, hic qui negat de Seruio, aut è cōtrario, deinde quod hęc oratio nō est indefinita, sed finita & singularis, cum is qui loquitur de certo homine sentiat uel Donato uel Catone, & forte uniuersalis aut certe cęca. Nam siue ad te respiciendum est, qui loquens de singulari & de finito homine sentis, uel Donato uel Catone, siue ad audientes de uniuersis hominibus loqui putaberis, ueluti si diceres homo est animal rationale, aut quid loquaris tecum erit. Postremo non est sermonis usitati apud ignaros de quo loquamur homine, dicere, homo grammaticus non est. Sed quemadmodum superius demonstraui de quo mentio habita est, & de quo agi audientes intelligunt. Ita ut subintelligatur ille quem scitis, quod declarat illud (homo) quēadmodum de cæteris rebus fit, ut inuentus est liber, salua res, id est, is liber quem scitis, & ea res de qua agebatur, quod ab alio nisi ab eo cui antea negotium cognitū erat nō intelligitur. Itaque illa Boëtij oratio non fuit digna quæ à Boëtio proferretur. hactenus de contrarijs.

### *De subcontrarijs.* Cap. XV.

SVbcontrarias aiunt è particularibus fieri: easq; tum simul ueras esse, tum alterutra parte ueras, nunquā utrinq; falsas, ab istis ego quemadmodū in contrarijs quæsiui quomodo cōtrariæ inter se poterant esse ambæ falsæ, nunc & quidem iustius possum quærere, cur appellant subcontrarias quæ sint ambæ ueræ. Nam quibusdam posset uideri minus aduersari uerum uero, quàm falsum falso. Quod si dicas, dum altera uera est, altera falsa tunc subcontrarias appellari: respondebo uicissim dum utraque est uera non posse dici subcōtrarias. Verū si altius inspiciamus non in nomine, sed in formula uestra uitium est, qui uultis has esse subcontrarias. Quidam homo currit, quidam homo non currit, & utranque esse ueram, quod falsum est nisi etiam harum utraque uera est, Plato currit, Plato non currit, quod fieri non potest. At enim si de diuersis hominibus intelligi ais, cum dicitur quidam, & quidam: possent ista ratione ambæ falsæ esse,

si uterque falsum loquatur, nam uterque mentiri potest, quemadmodum superius dixi de Catone & Donato, si is qui dicit, quidam homo grammaticus est, sentiat de Catone, uel de aliquo agricola: is qui dicit homo grammaticus non est, sentiat de Donato, uel Seruio: hoc pluribus confirmarem, nisi ipsius Boëtij uerbis constaret, dicentis: Sed ista nunc diuidunt inter se uerum & falsum, id est, una pars est uera, altera falsa, cum idem subiectum, idem tempus, idem prædicatum sit. Subditque de subiecto exemplum, inquiens, quod autem dico tale est si æquiuocum subiectum fuerit, non diuidunt uerum & falsum. Si quis enim dicat, Cato se Vticæ occidit, & respondeatur, Cato se Vticæ non occidit, utræque ueræ sunt. Nam Cato minor se Vticæ peremit, & Cato Censorius se Vticæ non occidit. Ex his Boëtij uerbis liquet non esse diuersum in subcontrarijs subiectum, & cum ita sit, necessario esse alteram ueram, alteram falsam, non utranque: cum una res non possit affirmari uere, & negari, & tunc demum has uocari debere subcontrarias, si (ne ab eodem exemplo recedam) uterque loquens de eodem Catone sentiat. Quod exemplum cum nihil differat à superiore, ubi quis sentiens de Donato dicit, homo grammaticus est, & alter sentiens de Catone dicit homo grammaticus non est, miror cur illas uelit esse subcontrarias, cum has & quidem merito nolit esse. Nihil enim differt an homo grãmaticus est, an Cato se Vticæ occidit. Si utrumque ambiguum est de quo is qui loquitur sentiat. Ne ibi quidem Boëtius uult esse subcontrarietatem (ut dixi) ubi non est aut idem tempus, aut idem prædicatum. Exemplum temporis, Socrates ambulat. Socrates non ambulat, ego de tẽpore quo ambulat, ego de tempore quo non ambulat. Exemplum prædicati, siquis dicat in nocte lucet, in nocte non lucet, utræque ueræ fieri possunt: Nam in nocte lucerna lucet, & sol lucere non potest. Hoc ipse Boëtius uiderit quomodo non sit idem tempus in utraque, cum utraque tempus præsens dicat: aut quomodo lucerna & sol in oratione subintelligi possint. Præterea non est hic ambiguitas in prædicato, ut ille uult, sed in subiecto quod est lucerna & sol, quale fuit exẽplum superius, ut, enim ibi alter loquebatur de Catone, alter de Donato quæ sunt duo subiecta, ita hic alter de lucerna loquitur, alter de sole. Quanquam non est, absoluta diuisio per idem subiectum, per idem tempus, per idem prædicatum, facienda, potius per eandem substantiam, per eandem qualitatẽ, per eandem actionem, siue in subiecto, siue in uerbo, siue in prædicato, siue in dictione indeclinabili. Hæc magis causa confutandi aliena, quàm tradendi nostra, longius exequuti sumus, quam enim disciplinam requirit, ut scias cum duo dicant ediuerso, Plato uiuit, Plato non uiuit: alterum utique uerum, alterum loqui falsum, siue per pronomina, iste est bonus, iste non est bonus, non sum loquutus per quidam ut cæteri fecerunt, quia uix recipit hoc signum subcontrarietatem. Nam si me dicente, quidam est sapiens, dicas tu ediuerso me impugnans, quidam non est sapiens, nequaquam impugnes. Quia si de alio quàm de quo ego homine sentis, nihil ad me, sin de eodem stulte loqueris, cum sic impugnare debueris, iste quidam de quo loqueris quod sapiens sit, non est sapiens. Idem efficit nonnullus, quod (ut dixi) est pene signum singulare, ut si dicas, nonnullus homo est sapiens, ego ut negem quod ait, necesse habeo repetere idem signũ cum pronomine aliquo demõstratiuo, ut modo dicebam de iste, sic iste uel ille nõnullus quẽ ais sapientẽ esse, nõ est sapiẽs, & ediuerso dicẽte, nõnullus homo nõ est sapiẽs, sic impugnabo, iste nõnullus quẽ negas sapientem esse, sapiẽs est, ut apud Cic. de legib. cum dixisset Titus Põponius Atticus: Et à nõnullis ueritas postulatur: Q. subijcit: Nonnulli isti Tite faciunt imperite non tantũ respondit, nonnulli Tite faciunt imperitè quia alij nõnulli intellige-

rentur reprehēdi quam quos Quintus reprehensos uolebat, ne per aliquis quidem fit subcontrarietas, nam hoc in loco cum negatione aliquis semper est uniuersale, ut aliquis homo currit, aliquis nō currit, quia negat ullum esse qui currat. Quo circa propria & pene sola subcōtrarietas est in pronominibus ac proprijs nominibus, nunquam (ut dixi) utraq; parte uera. Quo magis illorum confutatur opinio quibus placuit duas aliquando subcontrarias simul esse falsas, ubi eorum prædicatis adest signum uniuersale, ut Plato est omne animal, Plato est nullum animal. Neq; enim sunt ueræ subcontrariæ quarum secunda non negat quod prior affirmat: habet itaque illa affirmatiua, Plato est omne animal suam negatiuam, Plato non est omne animal: & hæc negatiua suam affirmatiuam, Plato est aliquod animal quia ullum nunc dicere non possumus. At plus negatur in hac, quàm in altera affirmatur, id fit natura particularium quę accepta negatione fiunt uniuersalia. Nec interest quod uidetur ab istis uerbo postposita, negatio, cum in resoluendo præponatur sic, Plato nō est ullum animal, id est, aliquod animal, cuius subcontraria est illa quam dixi, Plato est aliquod animal, non autē omne animal, in illis interest, quale est, hic est non iustus, cuius subcontraria erit hic non est nō iustus. Non autem illa hic nō est iustus: quę habet suam hanc, hic est iustus: eodem modo Socrates est iniustus nō habet, illam subcontrariā, Socrates est iustus, sed hanc Socrates non est iniustus, neque uerò dissimulandum est illas, Plato est aliquod animal & Plato non est aliquod siue nullum animal, non subcōtrarias à prædicato dicendas esse, sed contradictorias de quibus nunc ordo est ut disseramus.

*De contradictorijs.* Cap. XVI.

IDem in contradictorijs quod in cæteris usu uenit, ut ex altera parte sint ueræ ex altera falsę, siue in substantia, siue in qualitate, siue in actione. Nec refert an contrariarum sit altera falsa, ut omnis equus est animal, nullus equus est animal: an utraq;, ut omnis equus est albus, nullus equus est albus, nisi ad discernendum utra ex parte sit, uel uera uel falsa contradictoria. Nam si utraq; contradictoriarum est falsa, erunt ab utraq; particulari contradictorię ueræ: ut, quidam equus est albus: quę cōtradicit illi uniuersali nullus equus est albus: & quidam equus nō est albus, quę contradicit illi uniuersali omnis equus est albus. Quod ideo fit quia uniuersales cum sint ambę falsæ, habent (ut superius dixi) aliquid ueri, quod nunc ipsarum particulares assumunt. At si altera contrariarū hoc est, uniuersalium est falsa, ut nullus equus est animal, eius particularis erit falsa, facietq; à se cōtradictoriam falsam, ut quidā equus non est animal quę opponitur illi omnis equus est animal, & ediuerso alia particularis, quidā equus est animal quia nascitur à fonte uerę uniuersalis, faciet à se uerā contradictoriam, impugnabit illam, nullus equus est animal, ideoq; parum robusta est dialecticorum ratio dicentiū, ad cognoscendā falsitatem uniuersalis, facere ueritatem suæ contradictorię, quia ediuerso potius contrarię quæ sunt uniuersales, probant cuiusmodi sint subcōtrarię, nec indigent adiumēto inferiorū, clare ipsę per se et suapte luce, notę atq; illustres eos sequutus Boëtius, ita inquit: Si particularis quidā homo iustus est, falsa fuerit, uniuersalis etiā omnis homo iustus est, falsa erit. Nā si quidam homo iustus est falsa fuerit, uera erit, nullus homo iustus est, falsa igitur particulari, falsa erit uniuersalis. Item negatiue, si negatiua particularis falsa fuerit, quę est, quidā homo iustus nō est, falsa etiā erit, nullus homo iustus est: nā si falsa est, quidā homo nō est iustus, uera est illa, omnis homo est iustus, falsa igitur particulari, falsa erit etiā uniuersalis, sed nō conuertunt. Hęc Boëtij oratio ad subalternas quoq; respicit, de quibus an recte dixerit mox uidebimus. Boëti (ut absentem alloquar et mortuū) uehementer tuā uel eruditionē, uel diligentiā desidero.

Adcóne

Adeône ad magistratum respexisti ut naturam sequi desineres: ita græcos ascivisti, ut à latinis desciſceres, & mores linguæ alienę, quàm nostratis apud nos ualere malles? Consule priscorum libros, publicam consuetudinem interroga, temetipsum in consilium adhibe, & comperies istud quod loqueris, ab illorum imo à tuarum aurium iudicio discrepare, quidam homo iustus est, puta me de Catilina loqui, certe hęc particularis falsa est. Nunquid uniuersalis eius contradictoria, nullus homo iustus est uera erit? Num Cicero qui Catilinam omnia uastare ac delere cupientem, iustitia sua & urbe eiecit? Num Cato qui coniuratos morte afficiendos censuit? Num illi qui salutiferas optimas'que sentẽtias dixere in senatu? num cæteri ciues? Item: Num si de Cicerone sentiens dicam, quidam homo non est iustus, profecto mentiar, nunquid idcirco illa erit uera, omnis homo iustus est, Catilina, Lentulus, Gabinius, Cethegus cæteręq; reipublicę pestes? At enim cũ de singulari aliquo loquimur singularis est enunciatio, ut Catilina iustus est, Cicero iustus non est, ego de particulari, inquies, non de singulari ago. Non particulare est Boëti quidam, sed singulare, etsi singulare est idem particulare, ut iterum dixi. Sed uidelicet ad magistrum græcum respexisti, non ad tuę linguæ naturam, pro aliquis dicens quidam. Non enim si quidam homo iustus est, falsa fuerit, protinus uera erit, nullus homo iustus est, sed si aliquis. Verum tunc non erunt contradictoriæ. Nam negare aliquem hominem esse iustum, quid aliud est quàm dicere nullum hominem esse iustum. Sed quia nonnunquam aliquis & forte, quisquam & quispiam (nam ullus nunquam cum negatione remanet particulare) cõcedamus ipsum posse facere contradictoriã oppositam illi uniuersali, omnis homo est iustus, nam de altera contradictoria non ambigitur, quæ est, aliquis homo est iustus, siue aliquis equus est albus, opposita illi, nullus homo est iustus, siue nullus equus est albus. Veræ autem contradictoriæ, siue consuetę & certę, sunt per quidam & nonnullus, & siquid est tale: ut non omnis homo est iustus, uel non omnis equus est albus, quę opponitur uniuersali, omnis homo est iustus, uel omnis equus est albus. Contradictoriæ ab Aristotele ἀντιφατικαὶ dicuntur. Sed cur hæ magis contradictoriæ quàm contrarię, ac subcontrariæ: num ipsæ uerbo, illę facto inuicẽ aduersantur? simile quiddã in nomine subalternę desidero de quibus restat dicendũ.

### *De subalternis.* Cap. XVII.

SVbalternus cum à sub (quod est subter) componatur, particulares quę subsunt uniuersalibus, uidentur recte uocari subalternę non autem uniuersales quę non subsunt, ut omnis equus est albus, quidam equus est albus. Item nullus equus est albus, quidam equus nõ est albus, quę cum nihil inter se pugnent, non uideo, cur inter repugnantes numerentur, nisi quia in uero & falso significando discrepant. Etenim Boëtius (ut modo ostendebamus) dicebat falsa particulari talem esse uniuersalem, sed hoc non conuerti ut falsa uniuersali sit protinus talis & particularis. Sęcus esse de uero, quoniam uera particulari non protinus eiusmodi sit uniuersalis. Sed econtrario quia uera uniuersali particularis quoq; eiusmodi est, non satis quadrata mihi uidetur hęc formula, ut in falso dominetur particularis, uniuersalem suam faciens falsam, in uero dominetur uniuersalis, particularem suam faciens ueram: cum præsertim non addatur, an hæc particularis faciat uniuersalem omnino falsam, an ex parte. Nam si fuerit particularis falsa: ut aliquis equus est alatus, facit falsam omnino uniuersalem, quę est, omnis equus est alatus. Si uerò singularis Bucephalus uel hic uel quidã equus est albus, facit ex parte uniuersalem, quę est, omnis equus est albus. Verũ nõ est causa in particulari singulariq;, cur talis sit uniuersalis, sed indiciũ. Causa potiꝰ est in uniuersali, cur talis sit particularis singularisq;. Nã si fuerit usq; quaq;

aut uera aut falsa, efficit ueram falsamq; qualis ipsa est particularem suam singularemq;. Sin mixta ex uero & falso, dat particulari partem ueram quæ falsam dare non potest, quia non habet in sua potestate, sed uniuersalis inimica, quod apud ipsam falsum est, id apud illam est uerum. Particulari inquam dat non singulari, quia cum incertum sit ubi ipsa uera sit, ubi falsa, non potest singulari quę certa est imperare. Itaq; omnis equus est albus quæ semiuera est, facit ut aliquis equus sit albus, non autem ut Bucephalus, aut hic aut quidam equus sit albus. Item negatiua ut nullus equus est albus, quę & ipsa semiuera est, facit ut aliquis equus sit non albus, non tamen ne Bucephalus, aut ne hic, aut ne quidam equus sit albus: dixi aliquis equus sit non albus pro eo quod est aliquis equus nō sit albus, quod feci ne uniuersalis potius quàm particularis uideretur. Sed iam finem faciamus trāseamusq; ad alterā quam faciunt quadrifariā oppositionem.

*Non esse quadruplicem oppositionem.* Cap. XVIII.

NAm unam uocant ad aliquid, ut duplum dimidio, pater filio. Quę non uideo quid habeant oppositionis potius quàm appositionis, amicus enim amico, frater fratri, coniunx coniugi, pater filio, cognatum quiddam potius habent quàm contrapositum. Ita enim græce uocantur ἀντικείμενα. Alteram contraria siue aduersa ἐναντία ut bonum malo, hęc utiq; habet oppositionem longe differens à superiore, sed nihil à sequenti quæ est tertia quam uocant secundum priuationem & habitum κατὰ στέρησιν καὶ ἕξιν ut cæcus uidenti, nam & malum est priuatio boni, bonumq; habitus, & cæcitas aduersa uisui, uisusq; cæcitati. Cæcum appello quicunq; caret uisu, siue illum habuit siue non habuit, sicut malum eum qui uel nunquam fuit bonus, uel ex bono factus est malus, ἀντίφασιν quartam, quam Boëtius Ciceronē reprehendens, cōtradictoriam appellat, ille ideo aientia & negantia appellauit, quia Aristoteles ait eam fieri per affirmationem & negationem, ut sedet non sedet, bonus non bonus. Ego omnem negationem sentio esse priuationem quandam, & duas superiores oppositiones frequenter ab hac nihil differre: nam ut in quibusdam oppositis est medium sicut libro primo ostendi, ut inter dormire & uigilare, inter bonnm & malum, quasi commune amborum, ita in plerisq; non est. Quid enim differt literatus & nō idiota, rursus idiota & non literatus, ebrius & non sobrius, sobrius & nō ebrius. Item in rebus inanimatis sacer & non prophanus, prophanus & non sacer, priuatus et nō publicus, publicus & non priuatus.

*Non esse enunciationes modales, & quo tendat omnis probatio & per quid.* Cap. XIX.

HActenus de enunciatione, quam de inesse barbare quidē tamen sic uocāt, quia græce sic dicitur ὑπάρχει. alteram uocāt modalem ubi aliquis sex modorum, ita enim nominant, nuncupatur. Possibilę contingens, impossibile necessarium, uerum, falsum. Quæ partitio uidetur mihi redundare numero, & uerbis magis locuples esse quàm rebus. Quid enim dicit necessarium & impossibile? aut quo in loco hoc uti possumus, in quo uti illo non possumus? adiecta demptáq; negatione, uerbi causa, necesse est hominem uulneratum cor habentem cito mori: & impossibile est hominem sic affectum non cito mori: Item necesse est hominē talē diu uiuere: similiter in his quæ istis econtrario respondent, possibile et cōtingens. Nam si illa unū sunt: quid ni, & hęc unū sunt? quod ex negationis appositione palā est. Si quidē nō possibile idē est quod impossibile, & nō cōtingens idē quod necessariū. Etenim possibile id dicimus, quod aliquādo cōtinget, quia nisi qd simile aliquādo cōtigisset, nescio q̄ pacto possibile diceremus &

mus & contingens, quod potest non autem necesse est hodie aut cras contingere. Duæ postremę sunt uerum & falsum, ubi maior quàm in superioribus error est, quasi falsitas ad probationem faciat quæ uera utique debet esse. Quod si quis dicat falsum esse, fueritq; id falsum, nimirum id quod dico uerum est. Quemadmodum ediuerso, si quid dicam uerum esse quod non sit, oratio mea falsa erit, ideóq; nihil probabit, quoniam è falso non fit probatio. Tres igitur ex his modis eligimus, possibile, impossibile: uerum, non reijcientes cæteros, quibus sicubi opus erit utemur, gratia aut commoditatis aut uenustatis. Nam necesse aptius aliquando uocabulum est (utpote) simplex, quàm impossibile, & sine uoce falsum, uix de uero loqui possumus. Amputaui è numero senario, tanquam nimio dimidiam partem. Nunc contra consyderanti mihi diligentius uidetur hic numerus esse, etiam iusto minor. Nam quid causæ est, cur his paucis dictionibus retentis, reijciamus cæteras, quas in omni sermone occupamus atque usurpare oportet, siue utilitatem spectes, siue dignitatem, qualia sunt, facile, difficile, certum, incertum, consuetum, insuetum, utile, inutile, iucundum, iniucundum, decorum, indecorum, & alia huiusmodi? An non iniurium atq; crudele tot & tam nobilia uocabula quasi capitis damnare, aut certe in exilium mittere, ac totam penè deformare ciuitatem? Quid enim si dicam honestũ est ciuem pugnare pro patria, nunquid sub aliquo illorum modorum hæc erit enunciatio? minime. Vnum pro multis in re apertissima suffecerit exemplum. Quapropter ita sentio, nihil esse enunciationem modalem, tantundemq; momenti, quantum illa sex habent, habere cætera, quę dixi nomina seu uerba: sed necessitatem ac possibilitatem in conclusione esse, sicut ueritatem in omnibus partibus argumentationis. Omnia enim sint uera oportet, siue dicat necesse est, siue possibile, siue facile, siue honestum, siue cætera omnia. Idem autem est hoc loco uerum quod certũ, quia nihil attinet esse quid uerum nisi fuerit certum atq; confessum. Sed ueritas duarum priorum syllogismi argumentationisq; partiũ pro certa atq; confessa ponitur, in ultima autem, id est, in conclusione extorquetur, ideóq; necessitas inest, siue tanquam necessitas, ut ne ab eodem recedã exemplo. Honestum est quencunq; ciuem pugnare pro patria, hoc uerum certumq; est, quod omnes confitentur. Item minor confessa, Cato est ciuis Romanus, tum conclusio, ergo debet pugnare pro Roma, quę est ipsius patria. At quoties ratio non planè uera planèque certa sed semiuera & semicerta est, tum conclusio non est necessaria, sed seminecessaria quę cum multum habuerit uirium uocabitur uerisimilis, siue credibilis, hoc est ualde possibilis: cum paulum uocabitur possibilis, id est, aliquantulum uerisimilis atq; credibilis, ut hoc exemplo, mater amat filium, hęc enunciatio non est plane uera, sed semiuera: quia de omni matre non est certum, eóq; non apponimus signum uniuersale unaquæq; siue omnis. Sed quia non apponendo tamen subintelligitur, quoniam indefinita uim habet ferè semper uniuersalis, negariq; poterit esse uera, apponemus signum non uniuersale, non particulare, non singulare, quod igitur? nempe semiuniuersale: nam cur non & semiuniuersale sit signum, quod nullum illorum est, & proxime ad uniuersale accedit. Quod autem hoc erit? Quid ni, pleraque mater amat filium. Iam hæc enunciatio facta est plane uera atq; certa: tum assumemus Clytemnestra est mater Orestis: hæc item uera est certáque: tum conclusio non necessaria, sed uerisimilis siue credibilis, ergo uerisimile, siue credibile siue ualde possibile est Clytemnestram amare Orestem, quando est conclusio solum possibilis siue aliquantum uerisimilis aliquantumque credibilis hoc modo. Sæpe uel nonnunquam siue nonnullæ matres odio maritorum occiderunt filios, hæc uera est, tum assumemus de Clytemnestra sic, Orestis

mater odio Agamemnonem habet uirum suũ patremq́ʒ huius, concludemusq́ʒ non necessario, neque uerisimiliter, sed possibiliter, ergo possibile est fore ut occidat Orestem, siue aliquantulum uerisimile est, aliquantulumq́ʒ credibile. Atqʒ sicuti signa uniuersalia sunt in necessaria argumentatione omnis, quisque semper & alia quæ enumerauimus, ita in ea quæ est uerisimilis, atqʒ possibilis, pro uniuersalibus, sunt plerunqʒ ferè, pro ferè semper, sæpe, nõnunquam, raro, siue consuetum rarum, frequens, infrequens, & quæ sunt huiusmodi. Sed ut in summam omnia redigamus signa, tria faciemus capita per totidem aduerbia, semper plerunqʒ nonnunquam. Nam nihil aliud est, omnis mater amat filium, quam semper mater amat filium, ita in necessaria argumentatione pro signo erit semper, cuius contrarium est nunquam. Incredibili plerunque, cui loco negatiuæ apponetur raro, impossibili nonnunquam siue aliquando cui pro negatiua aduersabitur rarissime. Sed hæ duę posteriores sunt inter se similiores & penè idem, quia utraqʒ credibiliter probat, ideóqʒ non immerito maximi autores (quorum sunt Cicero & Quintilianus) duas tantum partes fecerunt siue species probationum ut alię sint necessariæ, alię non repugnantes siue credibiles: quarum prior ad logicos, utraqʒ ad oratores pertinet: illa caret comparatione hæc non caret. Nam omne uerisimile est alio, aut maius aut minus. Necessariũ non est aliud alio maius minus'ue ad legem ueritatis, sed ad uulgarem forte consuetudinem. Verum non nuncupabuntur comparatiua, aut quæcunqʒ alia similia in conclusione nisi eadem, aut quæ uim parem habẽt nuncupentur in propositione sic: frequentius mater amat filium, hæc huius mater est, ergo credibilius est eam diligere hunc, uel rarius siue rarior mater odit filium quam diligit. Clytemnestra mater ęst Orestis, ergo minus uerisimile est eam odisse Orestem quàm diligere. Item impossibilius est hominem conuerti in asinum quàm uolare. Apuleius dicitur in asinum fuisse conuersus, Dædalus uolasse, hæc duo uera sunt, tum sequitur tertia ueritas necessaria, hoc est, expressa & coacta, ergo impossibilius est, quod de Apuleio quàm quod de Dędalo dicitur. Loquutus sum per impossibile potius quàm, per necessarium, quod hoc erat illo commodius sicuti multis in locis usu uenit, in quibus non possis uti necesse. Quale est, necesse est deum nosse uẽtura, necessario deus est, necesse est pluere dum pluit, & alia similia quod minime est uerum. Nam nihil aliud est necesse esse quàm cogi & ui fieri, necessitatéqʒ constringi, quod impium est de deo uel sentire uel dicere. Atqui pie ita loquimur, impossibile est deum non esse, impossibile est deum non nosse uentura. Sed necesse est pluere quia pluit, & me loqui, quia loquor, & deum esse, quia est, & nosse uentura, quia nouit, ista nulla ratio est, quæ pro ratione affertur, alia res aliã probat, nõ una eadẽq́ʒ seipsam: et aliud est quod cõfirmat, aliud quod confirmatur, nec quicquam sibi ipsi causa est. Quod mihi uidetur ipsi quoqʒ cõfiteri cum dicũt dum pluit possibiliter pluere, & dum quis loquitur possibiliter loqui, quia posset nec pluere nec loqui. Quod si ita est nõ ergo necessarium, quod possibile est aliter habere. Quanquam ego nõ tam dixerim possibiliter pluere, quia pluit, et hominẽ possibiliter loqui quia loquitur, quàm econtrario ideo pluere quia possibile est pluere, & hominem loqui, quia hoc homini possibile est. Dixi possibiliter, isti frequentius aiunt contingenter, quod uocabulũ mihi uidetur è rure sumptũ potius quàm ex urbe ideóqʒ scabrũ quiddã præ se ferre, hoc placet eisdem esse necessario oppositũ, ut quicquid nõ necessario fit, id fiat cõtingenter. Et quod non contingenter, id fiat necessario, quod falsum est, nam ego nũc neqʒ necessario, neqʒ cõtingẽter scribo, sed uoluntario atqʒ iudicio: & deus hominẽ facit uolũtate & gratia nõ necessitate et cõtingẽter. Sed ut ad ꝓpositũ redeamus, et omnia quę disputauimꝰ breuiter cõplectamur,

mur, probatio omnis fit per uera, quę certa sunt, facitq́ per hæc ipsa ueritas, aliud quoddam uerum uideri certum, quod erat incertum, idq́ uel necessario uel uerisimiliter. Est autem uerum incertum triplici uia, quia ut maximis quibusdam autoribus placuit tripliciter dubitamus, aut an quidpiam sit, aut quid illud quidpiam siue aliquid sit, aut quale sit ipsum aliquid. In primo huiusmodi sunt quæstiones an atomorum concursu mundus sit effectus? an prouidentia regatur, an sit aliquando casurus? Item an parricidium cōmiserit Roscius, an regnū affectarit Manlius, an recte Verrem sit accusaturus Q. Cæcilius? In secundo, huiusmodi quid sit deus, quid sit Rhetorice: an qui sacrum è priuato sustulit, sacrilegus sit an fur? an coiens cum aliena uxore in lupanari adulter sit? In tertio, huiusmodi, an immortalis anima, an humana specie deus, quatenus deus sol: an unus mundus? & alia quę à Quintiliano traduntur. Ex quibus omnis quæstio, siue in iure, siue extra ius, siue in philosophia, siue extra philosophiam pendet meliore distributione quàm illa ueterū (ut uerbis Boëtij utar) omnis quæstio constat aut ex ratione differendi, aut ex naturali, aut ex morali. Ex differendi ratione hoc modo, an affirmatio & negatio species sint enunciationis. Ex naturali ita, an cœlum rotundum sit. Ex morali sic, an uirtus ad beatitudinem sola sufficiat? Nam in morali de natura ingeniorum quærimus. Et in rationali de natura uerborum atque orationis: & in natura magis materia quàm genus quæstionum est. Præterea in singulis rationali, morali, naturali, & si qua sunt alia, quærere solemus an sit, quid sit, quale sit, ut propemodum ex Quintiliani uerbis palàm est.

*Transitus ad locos argumentorum ex Quintiliano sumptos.*

Cap. XX.

CRedo iam expectari ut qualis esse syllogismus debeat, atq́ omnis argumentatio disseramus. Verum id fiet multo cōmodius si prius quæ sint argumenta (unde conficiuntur argumentationes) cognoscamus. De qua re cum nihil ego noui excogitare possim, ero nimirum pręceptis Quintiliani contentus. Cui uiro tantum tribuo, ut is unus sit cuius dictis aut addere quid, aut detrahere, aut ex his mutare uel minimum nec alios posse arbitrer, & me id expertū sæpe, nihil tamen potuisse profitear, parum dico. Quo eius opera magis altius uerso, hoc mihi admirationis hic autor, plus ac stuporis infundit, ut eò opinionis iam uenerim, persuasumq́ mihi sit, neminem, neq́ ea ingenij ui, neq́ ea eloquentia posse quicquam dicere, nisi deus aliquis (ut sic dicam) foret, qua Quintilianus dixit. Et cum ita sublimiter de rebus scripsisse ut pro cōperto habeā, nullam me illius uirtutem assequuturū, me inquam nō male de memetipso sentientem, quippe qui nullum scriptorū (quos autores uocamus) nō ausim aliqua in parte corrigere. Quare eius ad literā præcepta huius rei subijciamus necessario simul ac libēter, tanquā Achillis armaturā nostro operi induentes, nō modo inuiolabilē uerum etiā speciosissimā. Sumpta autē hæc sunt ex quinto illius libro. QVINTILIANI laus supprema

*De probatione artificiali.* Cap. XXI.

PArs altera probationum quę est tota in arte constatq́ rebus ad faciendam fidem appositis, plęrunq́ aut omnino negligitur, aut leuissime attingitur ab his qui argumenta uelut horrida & confragosa uitantes, amœnioribus locis desident, neque aliter quàm hi qui traduntur à poëtis gustu cuiusdam apud Lotophagos graminis, & Syrenum cantu deliniti uoluptatē saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem persequuntur, ipsa propter quam dicitur uictoria cedunt. Atqui cætera quę continuo magis orationis tractu decurrunt, in auxiliū atq́ ornamentū argumētorum cōparantur, neruis illis quibus causa cōtinetur, adijciunt inducti super corporis speciē, ut si forte quid factū uel ira uel metu, uel

cupiditate

cupiditate dicatur, latius quę cuiusq; affectus natura sit prosequemur, Iisdem laudamus, incusamus, augemus, minuimus, describimus, deterremus, querimur, consolamur, hortamur. Sed horum esse opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum uerò in cõmouendis affectibus. Sed hæc ipsa plus ualent, cum se didicisse iudex putat, quod cõsequi nisi argumentatione aliáq; omni fide rerum nõ possumus. Quorum prius quam partiar species, indicandum est, esse quędam in omni probationum genere cõmunia. Nam neq; ulla quæstio est, quę non sit aut in re, aut in persona, neq; esse argumentorum loci possunt, nisi in quæ rebus aut personis accidunt, eáq; aut per se inspici solent, aut ad aliud referri, neq; ulla confirmatio nisi aut ex antecedentibus aut ex consequentibus, aut ex pugnantibus, & hæc necesse est, aut ex præterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex sequenti petere, nec ulla res probari nisi ex alia potest, eáque sit oportet aut maior, aut par aut minor. Argumenta uerò reperiuntur aut in quæstionibus, quæ etiam separatę à complexu rerum personarúmq; spectari per se possunt, aut in ipsa causa, cum inuenitur aliquid in ea, non ex communi ratione ductum, sed eius iudicij de quo cognoscitur proprium. Probationum præterea omnium alię sunt necessarię, aliæ credibiles, alię non repugnantes: adhuc omnium probationũ quadruplex ratio est, ut uel quia aliquid est, aliud non sit: ut, quia dies est, nox nõ est: uel, quia est aliquid, & aliud sit: ut, quia sol est super terram, dies est, uel quia aliquid non est, aliud sit: ut, quia nox non est, dies est, uel quia aliquid non est, nec aliud sit: ut, quia non est rationale, nec homo est. His in uniuersum prædictis partes subijciam.

## *De signis.* Cap. XXII.

OMnis igitur probatio artificialis cõstat aut signis, aut argumentis, aut exẽplis, nec ignoro plerisq; uideri signa partem argumentorum, quę mihi separandi ratio hæc fuit, prima quod sunt penè ex illis in artificialibus. Cruenta enim uestis & clamor, & liuor, talia sunt instrumenta, qualia sunt tabulę, rumores, testes, nec inueniuntur ab oratore sed ad eum cum ipsa causa deferuntur. Altera quod signa siue indubitata sint, non sunt argumenta, quia ubi illa sunt quęstio non est, argumentis autem nisi in re controuersa, locus esse non potest, siue dubia nõ sunt argumenta, sed ipsa argumentis egent. Diuiduntur autem in has primas duas species, quod eorum alia sunt (ut dixi) necessaria, quæ aliter se habere non possunt, Græci τεκμήρια uocant: quę sunt, ἄλυτα σημεῖα quæ mihi uix pertinere ad pręcepta artis uidentur. Nam ubi est signũ insolubile ibi ne lis quidem est, id autem accidit cum quid aut necesse est fieri factum'ue esse, aut certè omnino non potest fieri uel esse factum, quo in causis posito nõ est lis nisi facti. Hoc genus per omnia tẽpora perpendi solet. Nam & coisse eam cum uiro quæ peperit quod est præteriti, et fluctus esse cum magna uis uenti in mare incubuit; quod coniuncti, & eum mori cuius cor est uulneratum quod futuri necesse est, nec fieri potest ut ibi messis sit ubi satum non est, ut quis Romę sit cum est Athenis, ut sit ferro uulneratus qui sine cicatrice est. Sed quędam & retrorsus idem ualent, ut uiuere hominem qui spirat, & spirare qui uiuit. Quędam in contrariis non recurrunt, nec enim quia mouetur qui ingreditur, etiã ingreditur qui mouetur. Quare potest & coisse cum uiro quę non peperit, & non esse uentus in mari cum esset fluctus, nec utiq; cor eius uulneratum esse qui perit, ac similiter satum fuisse potest ubi non fuit messis, nec fuisse Romę qui non fuit Athenis, nec fuisse ferro uulneratum, qui habet cicatricem. Alia sunt signa non necessaria, quæ εἰκότα græci uocant, quæ etiam si ad tollendam dubitationem sola non sufficiũt; tamen adiuncta cæteris plurimum ualent. Signum uocãt (ut dixi) σημεῖον quanquam

quam id quidam indicium, quidam uestigium nominauerunt per quod alia res intelligitur, ut per sanguinem cædes. At quia sanguis uel ex hostia respersisse uestē potest, uel ex naribus profluxisse. Non utiq; qui uestem cruentā habuerit homicidium fecerit. Sed ut per se non sufficit ita alijs adiunctum testimonij loco ducitur, si inimicus, si ante minatus, si eodem loco fuit, quibus signum cum accessit efficit, uel quę suspecta erant, certa uideantur. Alioqui sunt quædam signa utriq; parti communia, ut liuores, tumores, nam uideri possunt, & ueneficij, & cruditatis, & uulnus in pectore sua manu, & aliena perisse dicentibus in quo est: hæc perinde firma habentur atq; extrinsecus adiuuantur, eorum autem quæ signa sunt quidem, sed non necessaria, genus Hermagoras putat, non uirginem esse Athalantam quia cum iuuenibus per syluas uagetur. Quod si receperimus uereor ne omnia quę ex facto ducuntur signa faciamus, eadem tamen ratione qua signa tractantur. Nec mihi uidentur Ariopagitę cum damnarunt puerum coturnicum oculos eruentem aliud indicasse quàm id signum esse perniciosissimæ mentis, multisq; malo futurę si adoleuisset. Vnde Sp. Melij, Marcique Manlij popularitas, signum affectati regni fuit existimatum. Sed uereor ne longe nimis nos ducat hæc uia. Nam si est signum adulteræ, lauari cum uiris, erit & cōuiuere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicuius amicitia uti, aut fortasse corpus uulsum, fractum incessum, uestem muliebrem dixerit mollis et parum uiri signa. Sicuti enim cum signum id proprie sit quod ex eo, de quo quæritur natum sub oculos uenit, ut sanguis è cæde, ita illa ex impudicitia fluere uideantur, ea quoq; quæ quia plerunq; obseruata sunt, uulgo signa creduntur ut prognostica. Vento semper rubet aurea Phœbe, & cornix rauca pluuiam uocat improba uoce, si causas ex qualitate cœli trahunt sanè ita appellentur. Nā si uento rubet luna signum uenti est rubor, & si ut idem poëta colligit densatus & laxatus aër facit, ut sit inde ille auium concentus idem sentimus. Sunt autem signa etiam parua magnorum ut hæc ipsa cornix, nam maiora minorum esse nemo miratur.

*De argumentis.* Cap. XXIII.

NVnc de argumentis, hoc enim nomine complectimur omnia, quę græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις uocant, quanquam apud illos est aliqua horum nominū differentia, etiam si uis eodem ferè tendit. Nam ἐνθύμημα quod nos commentum sane aut cōmentationem interpretemur, quia aliter non possumus græco melius usuri: unum intellectum habet quo omnia mente cōcepta significat. Sed nunc non de eo loquimur. Alterum quo sententiam cum ratione. Tertium quod certam quandam argumenti conclusionem, uel ex consequentibus, uel ex repugnantibus, quanquam de hoc parum conuenit. Sunt enim qui illud prius ἐπιχείρημα dicant, pluresq; inuenias in illa opinione: ut id demū quo pugna cōstat ἐνθύμημα accipi uelint, & ideo illud Cornificius contrariū appellat, hoc alij rhetoricum syllogismum, alij imperfectum syllogismum uocauerunt, quia nec distinctis nec totidem partibus concluderetur, quod sane non utique ab oratore desyderatur. ἐπιχείρημα Valgius aggressionem uocat, Celsus autem indicat nō nostram administrationem, sed ipsam rem quam aggredimur, id est, argumentum quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum uerbis explanatū, iam tamen mente conceptum ἐπιχείρημα dici. Alijs uidetur non destinatam uel inchoatam sed perfectam orationem hoc nomen accipere, & ultimam speciem: ideóq; propria eius appellatione et maximo in usu posita significatur certa quędam sententię comprehensio quæ ex tribus partibus cōstat. Quidam ἐπιχείρημα rationem appellauerunt. Cicero melius ratiocinatiuum, quanquam & ille nomen hoc dixisse magis à syllogismo uidetur: Nam & statim syllogisticum ra-

tiocinatiuum appellat exemplisq; utitur philosophorum: & quoniam est quædam inter syllogismum & ἐπιχείρημα uicinitas potest uideri hoc nomine recte abusus. ἀπόδειξις est euidens probatio: ideóq; apud geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur, hanc ab epicheremate Cæcilius putat differre solo genere conclusionis & esse apodixin imperfectum epicherema, eadem causa qua diximus enthymema syllogismo distare. Nam epicherema syllogismi pars est. Quidam inesse epicheremati apodixin putant & esse partem eius confirmantem, utrunq; autem quanquam diuersi autores eodem modo finiunt, ut sit oratio per ea quæ certa sunt, fidem dubijs faciens, quę natura est omnium argumentorum. Neq; enim certa incertis declarantur, hæc omnia generaliter πίστεις appellant, quod et si propria interpretatione dicere fidem possumus. Apertius tamen argumentũ interpretabimur, sed argumentum quoq; plura significat. Nam & fabulę ad actus scænarum cõpositę, argumenta dicuntur, & orationũ Ciceronis uelut thema ipse exponens Pedianus inquit, argumentum tale est, & Cicero ipse, ad Brutum ita scribit. Veriti fortasse ne nos Catonem nostrum transferremus, illic aliquid, etsi argumentum simile non erat. Quo apparet omnẽ ad scribendum destinatã materiam ita appellari. Nec mirũ cum iam inter opifices quoq; uulgatũ sit. Vnde Verg. argumentũ ingens: uulgo quoq; paulo numerosius opus dicitur argumentosum. Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod probationem, indicium, fidem, aggressionem eiusdem rei nomina facit, parum distincte, ut arbitror. Nam probatio & fides effici non tantum per hæc quę sunt rationis, sed etiam per inartificialia solet. Signum autẽ quod ille indiciũ uocat ab argumẽtis iam separaui, ergo cum sit argumentum ratio probationem præstans, qua colligitur aliquid per aliud: &, quæ quod est dubium, per id quod dubium non est confirmat, necesse est aliquid esse in causa quod probatione non egeat, alioquin nihil erit quod probemus, nisi fuerit, quod aut sit uerum, aut uideatur, ex quo dubijs fides fiat. Pro certis autem habemus primus quæ sensibus percipiuntur, ut quæ uidemus, audimus, qualia sunt signa, deinde ea in quæ communi opinione consensum est, deos esse præstandam pietatem, parentibus. Præterea quę legibus cauta sunt, quæ persuasione etiam si non omnium eius tamen ciuitatis aut gentis in qua res agitur, in mores recepta sunt, ut plæraque in iure non legibus, sed moribus constant. Si quid inter utranque partem conuenit, si quid probatum est, denique cuicunq; aduersarius homo contradicit. Sic enim fiet argumentum cum prouidentia mundus regatur, prouidè administranda est respublica, ut administranda respublica sit, si liquebit mundum prouidentia regi. Debet etiam nota esse rectè argumenta tractaturo, uis & natura omnium rerum, & quid quæque earum plerunque efficiat. Hinc enim sunt quæ εἰκότα dicuntur. Credibilium autem genera sunt tria. unum firmissimum quia ferè accidit ut liberos à parentibus amari: alterum uelut propensius, eum qui recte ualeat in crastinum peruenturum: tertium tantum non repugnans in domo furtum factum ab eo qui domi fuit, ideóque Aristoteles in secundo de arte rhetorica libro diligentissime est exequutus, quid cuiq; rei, & quid cuique homini soleat accidere, & quas res, quosque homines, quibus rebus aut hominibus uel conciliasset, uel alienasset ipsa natura, ut diuitias quis sequatur, aut ambitum, aut superstitionem, quid boni probẽt, quid mali petant, quid milites, quid rustici, quoq; modo res uitari uel appeti soleat, uerum hæc exequi mitto, non enim longum tantum, sed etiam impossibile aut potius infinitum est, præterea positum in communi omnium intellectu, si quis tamen desiderauerit à quo peteret ostendi. Omnia autem credibilia in quibus pars maxima consistit argumentationis ex huiusmodi fontibus fluunt, an credibile sit à filio patrem occi-

sum, incestum cum filia commissum, & contra ueneficium in nouerca, adulterium in luxurioso. Illa quoque an scelus palàm factum, an falsum dixerit propter exiguam summã, quia suos quisq; eorum uelut mores habet, plerunq; tamen non semper, alioqui indubitata essent, non argumenta. Excutiamus nunc argumentorum locos quanquam quibusdam hi quoq; de quibus supra dixi uidentur. Locos appello non ut uulgo nunc intelliguntur, in luxuriam, & adulterium, & similia, sed sedes argumentorum in quibus latent, & ex quibus sunt petenda. Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec auem aut feram reperias ubiq; nasci, aut quæq; morari soleat ignarus, & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis regionibus, etiam littoribus, quædam discreta sunt. Nec helopen nostro mari, aut scarum ducas, ita non omne argumentum undique uenit. Ideóq; non passim quærendum est, multus alioqui error est, & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus inuenire, nisi casu, at si sciuerimus ubi quidq; nascatur, cum ad locum uentum erit, facile quod in eo est peruidebimus. Imprimis igitur argumenta sæpe à persona deducenda sunt, cum sit (ut dixi) diuisio ut omnia in hæc duo partiamur, res atque personas: ut causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus, & cætera rerum sunt accidentia. Personis autem non quicquid accidit, exequendum, mihi uidetur, ut plærīq; fecerunt: sed unde argumenta sumi possunt, ea porro sunt genus. Nam similes parentibus ac maioribus suis filij plerunq; creduntur, & nonnunquam ad honeste turpiterq; uiuendum inde causę fluũt. Natio, nam & gentibus proprij mores sunt, nec idem in Barbaro, Romano, Græco credibile uel probabile est. Patria quia similiter etiam ciuitatum leges, instituta, opiniones, habent differentiam. Sexus ut latrocinium facilius in uiro, ueneficium in fœmina credas. Aetas quia aliud, alijs annis magis conuenit. Educatio & disciplina, quoniam refert à quibus, uel à quo, & quo quisq; modo sit institutus. Habitus corporis, ducitur enim frequenter in argumentum, species libidinis, robur petulantię, his contraria in diuersum. Fortuna nec enim idem credibile est in diuite ac paupere, propinquis, amicis, clientibus, abundante, & his omnibus destituto. Conditionis etiam distãtia est, nam clarus an obscurus, magistratus an priuatus, pater an filius ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an celebs, parens liberorũ an orbus, plurimũ distat. Animi natura etenim auaritia, iracundia, misericordia, seueritas, crudelitas, aliáq; his similia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt: ut uictus luxuriosus an frugi, an sordibus quęritur. Studia quoq; nam rusticus, forensis, negociator, miles, nauigator, medicus, aliud atq; aliud efficiunt. Intuendum etiam quid affectet quisq;, locuples uideri an disertus, iustus an potens. Spectantur ante acta dictáq;: ex præteritis enim æstimari solent præsentia, his adijciunt quidam commotionem, hanc accipi uolunt temporarium animi motum, sicut iram, pauorem. Consilia autem & præsentis & pręteriti & futuri temporis, quę mihi etiam si personis accidunt per se referenda tamen ad eam partẽ argumentorum uidentur quam ex causis ducimus. Sicut habitus quidam animi quo tractatur amicus an inimicus, ponũt in persona & nomen quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit, nisi cum aut ex causa datum est, ut sapiens, magnus, plenus, aut & ipsum alicuius cogitationis attulit causam, ut Lentulo coniurationis quod libris Sybillinis Aruspicumq; responsis dominatio dari tribus Cornelijs dicebatur, seq; eum tertium esse credebat post Syllam, Cinnamq;, quia & ipse Cornelius erat. Nã & illud extat apud Euripidẽ, frigidũ sanè quod nomẽ Polynices ut argumentũ morũ frater incessit. Iocorũ tamen ex eo freques materia qua Cic. in Verrẽ nõ semel usus est, hęc uerò circa personas sunt aut his similia, nec enim cõplecti omnia uel hac in parte, uel in cæteris

 possumus,

possumus, contenti rationem plura quęsituris ostendere. Nunc ad res transeo in quibus maxime personis sunt iuncta quę agimus, ideoq; prima tractanda. In omnibus porro quę fiunt, quęritur, aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quę facta sunt. Ducuntur igitur argumenta ex causis factorum, uel futurorũ, quorum materiam quam ὕλην, alij δύναμιν alij nominauerunt in duo genera sed quaternas utriusq; diuidunt species. Nam ferè uersatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementum, conseruationem, usum aut malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuersionem: quę & in liberando plurimum ualent. Sed has causas habent recta consilia, praua contra ex falsis opinionibus ueniunt, nam est his initium ex his quę creduntur bona aut mala, inde errores existunt & pessimi affectus, in quibus sunt, ira, odium, inuidia, cupiditas, spes, ambitus, audacia, metus, & cætera eiusdem generis. Accedunt aliquando fortuna, ebrietas, ignorantia, quę interim ad ueniam ualent, interim ad probationem criminum, ut si quis dum alij insidiatur alium dicitur interemisse. Causę porro non ad conuincendum modo quod obijcitur sed ad defendendum quoq; excuti solent, cum quis se recte fecisse, id est, honesta causa contendit. Qua de re latius in tertio libro dictum est. Finitionis quoque quæstiones ex causis interim pendent, an tyrannicida qui tyrannum (à quo deprehensus fuerat) in adulterio occidit, an sacrilegus, qui ut hostes urbe expelleret arma templo affixa detraxit. Ducuntur argumenta & ex loco, spectatur enim ad finem probationis, montanus, an planus, maritimus, an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus cõsilijs an aduersus, quam partẽ uidemus uehemẽtissime pro Milone tractasse Ciceronem, & hęc quidem & similia ad coniecturã frequentius pertinent. Sed interim ad ius quoq; priuatus an publicus, sacer an prophanus, noster an alienus, ut in persona magistratus, pater, peregrinus, hinc enim quæstiones oriuntur: priuatam pecuniam sustulisti, uerum quia de templo non furtũ sed sacrilegium est, occidisti adulterum, quod lex permittit, sed quia in lupanari cedes est, iniuriam fecisti, sed quia magistratui maiestatis actio est, uel cõtra licuit, quia pater eram, quia magistratus. Sed circa facti controuersiam argumenta, præstant, circa iuris lites materiam quæstionum. Ad qualitatem quoq; frequẽter pertinet locus, neq; enim ubiq; idem aut licet aut decorum est, quinetiam in qua quidq; ciuitate quæratur interest: moribus enim & legibus distant. Ad commendationem quoq; & inuidiam ualet. Nam & Aiax apud Ouidium inquit: Ante rates agimus causam, & mecum confertur Vlysses. Et Miloni inter cætera obiectum est, quod Clodius in monumentis ab eo maiorum suorum esset occisus. Ad suadendi quoq; momenta ualet sicut tempus cuius tractatum subiungam. Eius autem (ut alio loco iam dixi) duplex significatio est, generaliter enim & specialiter accipitur. Prius illud est, nam olim sub Alexandro, cum apud Ilion pugnatum est, deniq; præteritum, instans, futurum. Hoc sequens habet, & constituta discrimina, æstate, hyeme, noctu, interdiu, & fortuita in pestilentia, in bello, in conuiuio. Latinorum quidam satis significari putauerunt: si illud generale, tempus: hoc speciale, tempora uocarent. Quorum utrorunq; ratio & in consilijs quidem, & in illo demonstratiuo genere uersatur, sed in iudicijs frequentissima est. Nam & iuris quæstiones facit, & qualitatem distinguit, & ad coniecturam plurimum confert, ut quæ interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt dicatur (ut supra posui) signator qui ante diem tabularũ decessit, aut commisisse aliquid uel cum infans esset, uel cum omnino natus non esset. Præter id quod omnia ferè argumẽta, aut ex his quę ante rem facta sunt aut ex cõiunctis rei aut ex cõsequentibus ducuntur. Ex antecedẽtibus mortẽ minatus es, noctu

existi, proficiscentem antecessisti. Causæ quoque factorum præteriti sunt temporis. Secundum tempus subtilius quidam quàm necesse erat diuiserunt, ut esset functi, sonus auditus est: adhærentis, clamor sublatus est, insequentis sunt illa: Latuisti, profugisti, liuores, & tumores apparuerunt. Iisdem temporum gradibus defensor utetur ad detrahendam ei quod obijcitur fidem, in his omnis factorum dictorumque ratio uersatur sed dupliciter. Nam fiunt quædam quia aliud futurum est, quędam quia aliud ante factũ est. Vt cum obijcitur reo lenocinij speciosę marito, quod adulterij damnatam quandam emerit, aut parricidij reo luxurioso, quod dixerit patri non me amplius obiurgabis. Nam & ille non quia emit leno est, sed quia leno erat emit, nec hic quia sic erat loquutus occidit, sed quia erat occisurus sic loquutus est. Casus autem qui & ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex insequẽtibus, sed quadam proprietate distinguitur, ut si dicam melior dux Scipio quàm Annibal, uicit enim Annibalem, bonus gubernator nunquam fecit naufragium: bonus agricola magnos sustulit fructus. Et contra sumptuosus fuit, patrimonium exhausit, turpiter uixit, ab omnibus inuisus est, intuendę sunt pręcipuéque in coniecturis, & facultates. Credibilius est enim occisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à uigilãtibus dormientes, à præparatis inopinantes, quorum contraria in diuersum ualent. Hæc & in deliberando intuemur, & in iudicijs ad duas res solemus referre, an uoluerit quis, an potuerit: nam & uoluntatem spes facit, hinc illa apud Ciceronẽ coniectura: Insidiatus est Clodius Miloni nõ Milo Clodio, Ille cum seruis robustis hic cum mulierum comitatu, ille equis, hic rheda, ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati autem licet instrumentum coniungere, sunt enim in parte facultatis & copię, sed ex instrumẽto aliquando etiam signa nascuntur, ut spiculum in corpore inuentum. His adijcitur modus, quem τρόπον dicunt, quo quæritur quemadmodum quid sit factum. Idque tum ad qualitatem scriptumque pertinet, ut si negemus adulterum ueneno licuisse occidere. Tum ad coniecturas quoque, ut si dicam, bona mente factum ideóque palàm: mala, ideo ex insidijs noctu in solitudine. In rebus autem omnibus de quarum ui aut natura quæritur, quasque citra complexum personarum cæterorumque ex quibus fit causa per se intueri possumus, tria sine dubio rursus spectãda sunt, an sit, quid sit, quale sit. Sed quia sunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, diuidi hęc tria genera nõ possunt, ideóque locis ut quisque incurrerit, subijcienda sunt. Ducuntur etiam argumenta ex finitione seu fine, nam utroque modo traditur. Eius duplex ratio, aut enim simpliciter quæritur, sit ne hęc uirtus, aut antecedente finitione, quid sit uirtus. Ita aut in uniuersum uim uerbis complectimur: ut rhetorice est benedicendi scientia, aut per partes, ut rhetorice est recte inueniendi & disponendi, & eloquendi cum firma memoria & cum dignitate actions scientia. Præterea finimus aut ui sicut superiora, aut etymologia ut assiduum ab asse, id est, ære dando, & locupletem à locorum, pecuniosum à pecorum copia, finitioni subiecta maxime uidentur, genus, species, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam speciem minimum ualet, plurimum ad refellendam: itaque non quia est arbor, platanus est, aut quod non est arbor, utique platanus non est: quod non est uirtus, non utique potest esse iustitia. Itaque à genere perueniendum est, ad ultimam speciem, ut homo est animal, non est satis: id enim genus est, mortale, etiamsi species est, cum alijs tamen cõmunis finitio, rationale nihil supererit ad demonstrandũ quod uelis. Contra species firmam probationem habet generis, infirmã refutationem. Nam quod iustitia est, utique uirtus est, quod nõ est iustitia potest esse uirtus, ut si est fortitudo, cõstantia, cõtinentia, nunquam itaque tolletur à specie genus, nisi omnes species quę generi

subiectę sunt, remoueantur, hoc modo: quod nec immortale est, nec mortale, animal non est: his adijciunt propria & differentia, proprijs confirmatur finitio, differentibus soluitur. Proprium autem est, aut quod soli accidit ut homini sermo, risus, aut quod utiq; accidit, sed non soli, ut igni calefacere & sunt eiusdem rei plura propria, ut ipsius ignis lucere, calere. Itaq; quodcunq; proprium deerit soluet finitionem: non utique quodcunque erit confirmabit. Sæpissime autem quid sit proprium cuiusq; quæritur, ut si per etymologiam dicitur, tyrannicidæ proprium est tyrannum occidere, negabimus: non enim si traditũ eum sibi carnifex occiderit tyrannicida dicatur: nec si imprudens uel inuitus. Quod autem proprium non erit, differens erit: ut aliud est seruum esse, aliud seruire, qualis esse in addictis quæstio solet qui seruus est, si manumittatur fit libertinus, non itidem addictus & plura, de quibus alio loco. Illud quoque differens uocatur, cum genere in speciem diducto species ipsa discernitur. Animal genus, mortale species, terrenum uel bipes differens, nondum enim proprium est, sed iam differt à marino uel à quadrupede, quod nõ tam ad argumentũ pertinet, quàm ad diligentem finitionis comprehensionem. Cicero genus & speciem quam eandem formam uocat à finitione diducit, & his quæ ad aliquid sunt subijcit. Vt si is cui argentum omne legatum est, petat signatum quoque, utatur genere. At si quis cum legatum sit ei, quę iure mater familias esset, neget deberi ei, quæ in manum non conuenerit specie, quoniam duę sunt formę matrimoniorum. Diuisione autem adiuuari finitionem docet, eamq; differre à partitione: quod hæc sit totius in partes, illa generis in formas, partes incertas esse ut quibus constet res publica, formas certas, ut quot sint species rerum publicarum (quas tres accepimus) quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur, & ille quidem non his exemplis utitur, quia scribens ad Trebatium è iure ducere ea maluit, ego apertiora posui, propria uero quoq; ad coniecturæ pertinet partem, ut proprium boni est recte facere, iracundi uerbis excandescere: aut contra quædam in quibusdam utique non sunt & ratio, quamuis ex diuerso tamen eadem est. Diuisio & ad probandum simili uia ualet, & ad refellendũ probanti interim satis est unum habere, hoc modo: ut sit ciuis, aut natus sit oportet, aut factus: neganti utrunque tollendum est, nec natus, nec factus est. fit hoc & multiplex idq; est argumentorum genus ex remotione, quo modo efficitur totum falsum, modo id quod relinquitur, uerum. Totum falsum est, hoc modo, pecuniam credidisse te dicis, aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut inuenisti, aut ab aliquo subripuisti, si neque domi habuisti, nec ab aliquo accepisti, & cætera non credidisti. Reliquum fit uerum sic, hic seruus quem tibi uendicas, aut uerna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus. Deinde remotis prioribus, supererit alienus, periculosum & cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoq; tota res soluitur. Tutius quod Cicero pro Cæcina facit, cum interrogat, si hæc actio non sit quæ sit, simul enim remouentur omnia: uel cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat, quale Ciceronis est. Vnum quidem certe nemo erit tam inimicus Cluentio qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum, si doceo non ab Habito, uinco ab Oppianico, si ostendo ab Oppianico, purgo Habitum. Fit etiam ex duobus, quorũ necesse est alterũ esse uerum, alterutrũ eligendi aduersario potestas: ut utrũ elegerit, noceat. Facit hoc Cice. pro Oppio, utrũ cum Cottã appetisset, an cũ ipse sese conaretur occidere, telũ ei è manib. ereptũ est? Et pro Varrone, Optio uobis datur utrũ uelitis, casu illo itinere Varenũ usum esse, an huius persuasu & inductum,

ctu. deinde utraque facit accusatori contraria. Interim duo ita proponuntur ut utrumlibet electum idem efficiat quale est philosophandũ est, etiamsi nõ est philosophandũ: & illud uulgatũ quo schema si intelligitur? quo si non intelligitur? & mentietur in tormẽtis qui dolorẽ pati potest: mentietur qui nõ potest, ut sunt autẽ tria tẽpora, ita ordo rerũ tribus momentis cõsertus est, habent enim omnia initium, incrementum, summã, ut iurgium, deinde cædes & strages. Est ergo hic argumentorũ quoq; locus inuicẽ probantium. Nam & ex initijs summa colligitur, quale est: nõ possum togã prętextam sperare cum exordiũ pullum uideã & contrà, non Dominationis causa Syllã arma sumpsisse, argumentũ est dictatura deposita, similiter ex incremẽto in utranq; partẽ ducitur ratio rei, tum in cõiectura, tum etiã in tractatu æquitatis ad initiũ summa referenda sit, id est, an ei cædes imputãda sit à quo iurgiũ occœperit. Est argumentorũ locus ex similibus, si continentia uirtus, utiq; & abstinẽtia, si fidem debet tutor, & procurator utiq;, hoc est ex eo genere quod græci uocant ἐπαγωγὴν Cicero inductionẽ. Ex dissimilibus, nõ si lætitia bonũ & uoluptas, nõ quod pupillo idẽ mulieri, ex cõtrarijs frugalitas bonũ luxuria enim malum, si malorũ causa bellum est, erit emendatio pax, si ueniã meretur qui imprudens nocuit: præmiũ merebitur qui prudens profuit. Ex repugnantibus, qui est sapiens stultus nõ est. Ex consequẽtibus siue adiunctis, si est bonum iustitia, est recte iudicandum. Si malum perfidia, nõ est fallendũ. Idem retrorsum nec sunt his dissimilia, ideóq; huic loco subijcienda, cũ et ipsa naturaliter cõgruant quod quis nõ habuit, nõ perdidit, quẽ quis amat, sciẽs non lędit, quem quis hæredem suũ esse uoluit charũ habuit, habet, habebit. Sed cum sint indubitata uim habẽt penè signorũ immutabiliũ. Sed hæc cõsequentia uoco ἀκόλουθα, est enim cõsequens sapientię bonitas, illa sequẽtia ἐπαγόμενα, quæ postea facta sunt aut futura. Nec sum de omnibus anxius uocet quisq; ut uoluerit, dum uis rerũ ipsa manifesta sit, appareatq; hoc tẽporis illud esse naturę. Itaq; non dubito hęc quoq; cõsequentia, quamuis sex prioribus dent argumentũ ad ea quę cõsequuntur. Quorum quidã duas species esse uoluerũt, actionis ut pro Oppio, quos educere in prouinciã inuitos non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Temporis, in Verrẽ, si finem prætoris edicto afferunt Kalendę Ianuarię, Cur nõ initiũ quoq; edicti nascatur à Kalendis Ianuarijs? Quod utrunq; exemplũ tale est ut idẽ in diuersum, si retro agas, ualeat. Consequens est enim eos qui inuiti duci nõ potuerunt, inuitos non potuisse detineri. Illa quoq; quę ex rebus mutuã confirmationem præstantibus ducuntur, quę proprij generis uideri quidam uolũt & uocant ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα Cicero ex rebus sub eandẽ rationem uenientibus, fortiter cõsequentibus iunxerim. Si portoriũ Rhodijs locare honestũ est, & Hermocreonti cõducere, & quod discere honestum & docere. Vnde illa non hac ratione dicta sed efficiens idem, Domitij Afri sentẽtia est pulchra, ego accusaui, uos damnastis, est inuicem consequens: & quod ex diuersis idẽ ostendit, ut qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum & deficere significat, quia deficit omne quod nascitur. Simillima est his argumentatio qua colligi solent ex his quæ faciunt ea quæ efficiuntur, aut contrà, quod genus à causis uocãt: hæc interim necessario fiũt, interim plerũq; sed non necessario, nã corpus in lumine utiq; umbram facit, & umbra ubicunq; est, ibi corpus esse ostendit. Alia sunt (ut dixi) non necessaria uel utrinq;, uel ex altera parte. Sol colorat non utiq; qui est coloratus à sole est. Iter puluerulentum facit, sed nec omne iter puluerem mouet, nec quisquis est puluerulentus, ex itinere est. Quæ utiq; fiunt, talia sunt: Si sapientiã bonum uirum facit, bonus uir est utiq; sapiens, ideóq; boni est honeste facere, mali turpiter, & qui honeste faciunt boni, qui turpiter mali recte iudicantur. At exercitatio plerunque robustum corpus facit, sed nõ quisquis est robustus, exercitatus,

citatus, nec quisquis exercitatus robustus est. Nec quia fortitudo præstat, ne mortem timeamus, quisquis mortem non timuerit uir fortis erit existimandus, nec si capitis dolorem facit inutilis hominibus sol est, & hæc ad hortatiuum maxime genus pertinent. Virtus facit laudem, sequenda igitur: at uoluptas infamiam, fugienda igitur: recte autem monemur causas non utique ab ultimo esse repetendas: ut Medea, utinam ne in nemore Pelio: quasi uerò id eam fecerit miseram aut nocentem, quod illic ceciderint abiegnæ ad terram trabes & Philocteta Paridi, si impetrasses tibi ego non essem miser. Quomodo peruenire quodlibet retro causas agentibus licet, his illud adijcere ridiculum putarem ni eo Cicero uteretur, quod coniugatum uocant, ut eos qui rem iustam faciunt iuste facere, quod certe non eget probatione quod compascuum est compascere licere. Quidam hæc quæ uel ex causis uel ex efficientibus diximus, alio nomine uocant ἐκβάσεις, id est, exitus. Nam nec hic aliud tractatur quàm quid ex quoque eueniat. Apposita uel comparatiua dicuntur, quæ maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Confirmatur coniectura ex maiore, si quis sacrilegium fecit faciet & furtum: ex minore, qui facile & palàm mentitur, peierabit: ex pari, qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, idem ob dicendum falsum testimonium accipiet. Iuris confirmatio est huiusmodi. Ex maiore, si adulterum occidere licet & loris cædere: ex minore, si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? ex pari, quæ pœna aduersus interfectorem patris iusta est, eadem aduersus matris. Quorum omnium tractatus uersatur in syllogismis, illa magis finitionibus aut qualitatibus prosunt, si robur corporis bonum non est minus sanitas. Si furtum scelus, magis sacrilegium, si abstinentia uirtus & continentia. Si mundus prouidentia regitur, eadem administranda est res publica: si domus ædificari sine ratione non potest, quid agendum in naualium cura & armorum. Ac mihi sufficeret hoc genus, sed in species secatur. Nam ex pluribus ad unum, et ex uno ad plura, unde est (quod semel & sæpius) & ex parte ad totum, & ex genere ad speciem, & ex eo quod continet ad id quod continetur, & ex difficilioribus ad faciliora & ex longe positis ad propiora & ad omnia quæ contra hæc sunt, eadem ratione argumenta ducuntur: sunt enim & hæc maiora, & minora, aut certe uim similem obtinent, quæ si persequamur, nullus erit ea concidendi modus. Infinita est enim rerum comparatio, iucundiora, grauiora, magis necessaria, honestiora, utiliora. Sed mittamus plura ne in eam ipsam quam uito loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus est numerus, sed paucissima attingam. Ex maiore pro Cecinna qui exercitus armatos mouet, is aduocatione togatorum non uidebitur mouisse. Ex faciliore, in Clodium & Curionem, ac uide, an facile fieri tu potueris cum is factus non sit, cui tu concessisti. Ex difficiliore. Vide quæso Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligarij audeam confiteri, & ibi, an sperandi Ligario causa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi. Ex minore pro Cecinna, itá ne uero scire esse armatos sat est, ut uim factam probes, in manus eorum incidere non est satis. Ergo ut breuiter contraham summam, ducuntur argumenta à personis, causis, locis, tempore (cuius tres partes dicimus præcedens, coniunctum, insequens) facultatibus (quibus instrumentum subiecimus) modo, id est ut quicquid sit factum, finitione, genere, specie, differentibus, proprijs, remotione, diuisione, initio, incremento, summa, similibus, dissimilibus pugnantibus, consequentibus, efficientibus, effectis, euentis, iugatis, cõparatione, quę in plures diducitur species. Illud adijciendũ uidetur, duci argumenta, nõ à confessis tantũ, sed etiã à fictione, quam græci καθ᾽ ὑπόθεσιν uocãt, & quidẽ ex omnibus ijsdẽ locis quibus superiora, quia totidem

species

species esse possunt fictæ, quot ueræ. Nam fingere hoc loco, est proponere aliquid, quod si uerum sit, aut soluat quæstionẽ aut adiuuet, deinde id de quo quæritur facere illi simile id quo facilius accipiant iuuenes nondũ scholam egressi, primo familiaribus magis usitatis exemplis ostendam. Lex est qui parẽtes nõ aluerit uinciatur, nõ alit quis & uincula nihilominus recusat, utitur fictione, si miles, si infans sit, si reipublicæ causa absit: & illa contra optionem fortium, si tyrannidem petat, si templorum euersionem, plurimumq́ꝫ ea res uirium habet cõtra scriptum. Vtitur his Cicero pro Cæcinna, unde tu aut familia, aut procurator tuus, si me uillicus tuus solus deiecisset, si uero ne habeas quidem seruum, præter eum qui me deiecerit, & alia in eodem libro plurima, uerũ eodẽ fictio ualet & ad qualitates. Si Catilina cum suo cõsilio nephariorũ hominũ, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, condemnares L. Murenam. Et ad amplicationem, si hoc tibi inter cœnam in illis immanibus poculis tuis accidisset, sic &, si respublica uocem haberet. Has ferè sedes accepimus probationum in uniuersum, quas nec generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorũ copia oriatur, nec per singulas species exequis patiatur natura rerũ quod qui sunt facere conati, duo pariter subierũt incõmoda, ut & nimium dicerent (nec tamen totum) unde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnẽ etiam quem ex ingenio suo poterant habere conatum, uelut astrictis certis legum uinculis perdiderunt, & magistrum respicientes naturam ducem sequi desierunt. Nam ut per se nõ sufficit scire omnes probationes aut à personis, aut à rebus peti, quia utrunque in plura diuiditur: ita ex antecedentibus iunctis & in sequentibus trahẽda esse argumẽta qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaꝫ causa dicendum sit, ex his sciat præsertim cum plurimæ probationes in ipso causarum complexu reperiantur: ita ut sint cum alia lite nulla communes, eæq́ꝫ sint, & potẽtissimæ & minime obuiæ, quia communibus præceptis propria inuenienda sunt. Hoc genus argumentorum sanè dicamus ex circũstantia quia περίστασιν dicere aliter nõ possumus: uel ex his quæ cuiusꝫ causæ propria sunt, ut in illo adultero sacerdote, qui lege qua unius seruandi potestatẽ habebat, se ipse seruare uoluit. Proprium controuersiæ est dicere, non unum nocentem seruabis, quia te dimisso adultero adulterã occidere non licebit, hoc enim argumentũ lex facit: quæ prohibet adulterã sine adultero occidere, & illa in qua lata lex est ut argentarij dimidiũ ex eo quod debebant soluerent, creditum suum totum exigerent. Argentarius ab argentario solidum petit. Proprium ex materia argumentum est creditoris, idcirco adiectum esse in lege, ut argentarius totum exigeret. Aduersus enim alios non opus fuisse lege, cum omnes præterquam ab argentarijs totum exigendi ius haberent. Cum multa autem nouantur in omni genere materiæ, tum præcipuè in his quæstionibus quæ scripto cõstant, quia uocum est in singulis ambiguitas frequens, adhuc in cõiunctis magis, & hæc ipsa plurium legum aliorum'ue scriptorum uel congruentium uel uariantium, uel repugnantium cõplexu uariẽtur, necesse est, cum res rei, aut ius iuris quasi signum est, non debui tibi pecuniam, nunquã me appellasti, usuram non accepisti, ultro à me mutuatus es. Lex est qui patri proditionis reo nõ affuerit, exhæres sit, negat, si pater absolutus sit. Quid signi? Lex altera, proditionis damnatus cum aduocato exulet, uix enim uidetur posse fieri, ut pœna filio in eodem patre & si affuerit, & si non affuerit constituta sit. Cicero pro Cluentio P. Popilium & Tyberium Guttam dicit nõ iudicij corrupti, sed ambitus esse dãnatos. Quid signi, quod accusatores eorũ, qui erant & ipsi ambitus damnati, e lege sint post hanc uictoriã restituti, erat enim lex ut damnatus de ambitu si alterũ de simili crimine dãnauerit restituat. Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendũ & quomodo sit

quod propofueris probandũ,hic ſi non inuentionis uis maior,certe prior. Nam ut tela ſuperuacua ſunt neſcienti quid petat,ſic argumenta niſi præuideris cui rei adhibenda ſint,hoc eſt quod cõprehendi arte non poſſit. Ideoq́ꝫ cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum ſimilibus utẽtur, alijs tamen alio plura,quibus utatur inueniet: ſit exempli gratia propoſita cõtrouerſia, quæ minime cõmunes cum alijs quæſtiones habet: cum Thebas euertiſſet Alexãder inuenit tabulas quibus centũ talenta mutuo Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur,has quia erat uſus cõmilitio Theſſalorũ,donauit ijs ultro. Poſtea reſtituti à Caſſandro Thebani repoſcunt Theſſalos, apud Amphyctionas agitur. Centum talenta crediſſe eos cõſtat & non recepiſſe, lis omnis ex eo quod Alexander ea Theſſalis donaſſe dicitur pendet. Conſtat illud quoq́ꝫ non eſſe his ab Alexandro pecuniam datam. Quæritur ergo an perinde ſit quod datum eſt,ac ſi pecuniam dederit. Quid proderũt argumentorũ loci,niſi hæc prius uidero,nihil eum egiſſe donando,non potuiſſe donare non donaſſe,& prima quidẽ actio facilis & fauorabilis repetentium iure quod ui ſit ablatum. Sed hinc aſpera & uehemens quæſtio exoritur de iure belli,dicentibus Theſſalis,hoc regna, populos,fines gentium,ac urbiũ cõtineri. Inueniendũ eſt quo diſtet hæc cauſa à cęteris quę in poteſtatem uictoris uenirent,nec circa probationem res heret ſed circa propoſitionem. Dicamus primũ in eo quod in iudiciũ deduci poteſt, nil ualere ius belli,nec armis erepta niſi armis poſſe retineri : ita ubi illa ualeant non eſſe iudicem, ubi iudex ſit,illa nihil ualere,hoc inueniẽdum eſt, ut adhiberi poſſit argumentũ, ideo captiuos ſi in patriam ſuam redierint liberos eſſe,quia bello parta, non niſi eadem ui poſſideantur. Proprium & illud cauſæ quod Amphyctiones iudicant, ut alia apud centumuiros, alia apud priuatum iudicem in eiſdem quæſtionibus ratio ſit. Secundo gradu non potuiſſe donari à uictore ius,quia id demum ſit eius quod teneat. Ius quod ſit incorporale apprehendi manu non poſſe,hoc reperire difficilius,quàm cum inueneris,argumentis adiuuare, ut alia ſit cõditio hæredis, alia uictoris quia ad illum ius, ad hunc res tranſeat : propriũ deinde materiæ,ius publici crediti tranſire ad uictorem non potuiſſe,quia quod populus crediderit omnibus debeatur, & quãdiu quilibet unus ſuperfuerit, eſſe unũ totius ſummæ creditorẽ,Thebanos autẽ non omnes in Alexandri manu fuiſſe hoc non extrinſecus probatᷓ,quę uis eſt argumenti,ſed ipſum per ſe ualet. Tertij loci pars prior magis uulgaris non in tabulis eſſe ius itaque multis argumentis defendi poteſt. Mens quoq́ꝫ Alexandri duci debet in dubium, honorarit eos an deceperit. Illud eſſe rurſus materiæ propriũ & uelut nouę cõtrouerſię quod reſtitutione recepiſſe ius,etiã ſi quod amiſerint, Thebani uidẽtur. hinc & quid Caſſander uelit quęritur. Sed uel potentiſſima apud Amphyctionas æqui tractatio eſt,hæc nõ idcirco dico quod inutilem horum locorũ ex quibus argumenta ducuntur cognitionem putem alioquin nec tradidiſſem. Sed ne ſiqui cognouerint iſta ſi cætera negligant perfectos ſe protinus atque conſummatos putent, & niſi in cæteris quæ mox præcipienda elaborauerint,mutam quandam ſcientiã conſequutos intelligant. Nec enim artibus editis factũ eſt,ut argumẽta inueniremus, ſed dicta ſunt omnia ante,quàm pręciperentur, mox ita ſcriptores obſeruata & collecta ediderunt,cui rei probatio eſt quod exemplis eorum ueteribus utuntur,& ab oratoribus ea repetunt,ipſi enim nullum nouum quod dictum non ſit inueniunt. Artifices ergo illi qui dixerunt. Sed habenda his quoq́ꝫ gratia eſt,per quos labor nobis detractus eſt. Nam quę priores beneficio ingenij ſingula inuenerũt, nobis & non ſunt requirẽda & nota omnia, ſed non magis hoc ſat eſt q̃ palęſtrã didiciſſe niſi corpus exercitatione,cõtinentia,cibis ante omnia natura iuuetur. Sicut contrà,ne illa quidẽ ſatis ſine arte profuerint. Illud quoq́ꝫ ſtudioſi eloquẽtię cogitẽt,

neq́ꝫ

neq; omnibus in causis ea quę demõstrauimus cũcta posse reperiri: neq; cũ proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula & uelut hostiatim pulsanda, ut sciant an ad probandũ id quod intendimus, forte respondeant nisi cum discũt & adhuc usu carẽt. Infinitam enim faciat ipsa res dicẽdi tarditatem, si semper sit necesse ut tentantes unumquodq; eorum quid sit aptum atq; conueniens experiendo noscamus, nescio an etiam impedimẽto futura sint, nisi & animi quædam ingenita natura & studio exercitata uelocitas, recta nos ad ea quę conueniunt causæ ferant. Nam ut cantus uocis plurimum iuuat sociata neruorum concordia, si tamen tardior manus nisi inspectis dimẽsisq; singulis (quibus quæq; uox fidibus iungenda sit) dubitet potius fuerit esse contentũ, eo quod simplex natura canendum tulerit. Ita huiusmodi præceptis debet quidem apta esse & cytharæ modo intenta ratio doctrinæ. Sed hoc exercitatione multa consequendum. Vt quemadmodum illorum artificium etiam si alio spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graues, acutos, mediosq; horum sonos fertur: sic oratores cogitationem nihil moretur hæc uarietas argumẽtorum & copia: sed quasi offerat se & occurrat, & ut literæ syllabæq; scribentiũ cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

# LAVRENTII VALLAE DIALECTICARVM DISPVTATIONUM Liber tertius.

SAtis superq; mihi uideor studiosis nostri operis (si qui erũt) præstitisse, cum in alijs quibusdam tum uero in hoc quod eos à laqueis uindico captionibus sophistarum. Qui noua quædã uocabula ad perniciem aduersariorum confinxerunt, relicta ueterum consuetudine loquendi, nõ alia malignitate quàm illi qui in prælijs spicula ueneno tingunt, aut forte etiam maiore. Non enim hostes inter nos sumus cum disputamus, ut illi cum pugnãt, sed sub eodem imperatore, quæ est ueritas militamus utriq;. Itaque quisquis uerum loquẽti contradicit, is à suo imperatore deficit, & ad hostes transit, relinquens sapientiæ castra, & ad spineta ignorantiæ se conferens, ut quantum in ipso est lumen tenebrę occupent, & malitia uirtutem de possessione deijciat, & mors enecet uitam, hãc pœnã ante omnia facti sui luens, quod lucrũ suum hoc ipso quod ignorat amittit. Qui enim disputando ratione uincitur, is quia discit, lucrum facit. Sed hoc lucrum animorum peruersitate non animaduertimus, nec ueritatis (cuius auspicia nos sequi dicimus) gloriam, sed nostram ipsorum optamus, quasi ulla sit gloria nisi uero parta. Ergo uincere non possumus nisi ueritas uincat. Proinde nolint post hac dialectici illi atque philosophantes in suorum quorundam uocabulorum inscitia perseuerare, sed ad naturalem & à doctis tritum sermonem se conuertere, cum præsertim nihil sint (si aliter faciant) profecturi, patefacta per me plurimorum uerborum in quibus maxime errabatur ueritate, ut deinceps etiam patefiet, hoc tamen an facere uelint ipsi uiderint. Certe qui illius sectæ non sunt per me arma habent, quibus ueritatis hostes ac potius per fugas non modo à castris sapientiæ arcere, sed etiam omnibus finibus exterminare, capere, in uincula conijcere queant: nam interimere eos qui uicti sunt, non nostrum, sed illorũ est, qui quos uincere nequeunt interemptos malunt, quàm captos, nunc ad orationem syllogisticam transeamus.

*Vnde dicatur dialectica logicaq́ue, & quid syllogismus, ex quibus constet. Quid item sit propositio.* Cap. I.

QVæ hactenus tradidimus ea ferè sunt dialecticis cõmunia cũ cęteris omnibus, quæ uero sequenter hæc sibi tanquam peculiaria dialectici siue logici uendicant. Ideoq́ue hoc potissimũ loco explicemus unde dicatur, & quid sit dialectica, ac logica: quorũ utrunque à λέγω quod est dico, ortum est, sed dialectica antiquius uocabulum. Quã quidam definierũt scientiam sermocinantem, qua definitione (ne scrupulosius inquiramus) cõtenti sumus, omisso publico propè errore dicentiũ eam dici à δία quod est duo & λόγος quod est sermo, quòd sit duorũ sermo, uel à λέξις quod est ratio, ut sit duorũ ratio, quod adeò stultum dictu est, ut etiam hanc absurditatẽ reprehẽdere pigeat. Qualis illa quorundã recentũ, Metaphysica dici è meta quod est trans, & physis quod est scientia, ut ea sit scientia scientiarũ, quasi non satis fuerit dialecticã ea laude afficere, ut appelletur ars artiũ, ac scientia scientiarũ. Et metaphysica non sint quatuor saltem dictiones, hoc est ea quæ sunt naturalia τὰ μετὰ φυσικά. Logica uidetur uocabulũ ab Aristotele impositum, & si à dicẽdo dictũ est, tamẽ pro rationali frequẽtius usurpatur, eaq́ue ut ipsam breuiter & usitato modo definiamus, potest dici rationalis scientia. Ratio definitur probabile inuentũ, à quibusdam nimium dure & aspere, ut sit medium inferens conclusionem, id quale sit posterius liquebit, eadem penè est Ciceronis definitio argumẽti in partitionibus dicentis. Argumentum est probabile inuentum ad faciendam fidem. Alibi ipsum argumentum eisdem quibus postea Boëtius uerbis Aristotelem sequens, definit. Argumentum est ratio, quæ rei dubię faciat fidem. Ex quo apparet argumentum in re dubia locum habere. Rationem ubique, alioqui nihil intererunt ratio & argumentum. Et qualis quidem logica siue dialectica sit in argumento, uidimus. Nunc qualis sit in argumentatione, uideamus. Argumẽtationem definiunt argumenti eloquutionem, quam proprie dicunt esse syllogismum, & epicherema, quorum hic necessario, illud autem uerisimiliter concludit de quo suo loco posterius. Syllogismum Aristoteles sic definit, ut sit oratio in qua positis aliquibus necesse est aliud euenire per ea quæ posita sint. In hac definitione non fit mentio partium syllogismi. Ego saltem ut ab enthymemate (de quo posterius ubi etiam de inductione disseremus) differat dixissem, Syllogismus est necessarię probationis siue necessarij argumẽti per tres partes elocutio, quę sunt propositio, assumptio, cõclusio: ut omnis homo est animal, hoc est homo, ergo animal. Præpositionem ferè sic definiunt: Propositio est oratio uerum falsumq́ue significans. Melior illa, propositio est oratio aliquid esse uel non esse significans. Sed hæc definitio enunciationis propria est, de qua proximo libro diximus, illa superior: aut hoc idem indicare uult, aut illud quod absurdum est. Propositio est oratio uera uel falsa, cum debeat utique uera esse propositio, quæ tendit ad ueritatem. Optime igitur Quintilianus inquit: Mihi autem uidetur propositio omnis confirmationis initium. Quare nos de syllogistica propositione loquentes, dicamus, Propositio est syllogismi initiũ, uel prima enunciatio syllogismi. Est enim enunciatio genus ad propositionem, assumptionem, conclusionem. Quo magis miror, cur primas syllogismi partes appellent maiorem & minorem propositionem: quidam etiam & tertiam. Nam Boëtius non sine ueterũ autoritate inquit, Cõclusio est argumentis approbata propositio. Qui enim fieri potest ut cõclusio quæ est (ut sic dicam) cauda syllogismi quæ græcè dicitur πρόβασις fortassis transferẽda potius præpositio, quàm propositio, cum ab eadem præpositione componitur à qua πρόθεσις, id est prępositio. Præterea cur argumẽtis dicat, nõ uideo. Argumenti enim elocutio syllogismus est, nõ argumentorũ. Et in singulis syllogismis singula sunt argumẽta, nõ plura.

Et conclusio

Et conclusio quidem certum utiq; locum habet, duarum uero priorum partium utra debeat uocari propositio, hoc est utra prior debeat esse, utra posterior dispiciendum est: dum prius aliquid de ipsarum trium partium natura disseruerimus.

*De ordine partium syllogismi.* *Cap.* II.

VT tria syllogismi membra sunt, ita tres in eo diuersæ res, duæ quidem pro materia, tertia autem pro adiumento, una quæ probat, altera quæ probatur, Vltima inquam probatio descendit pro materia. Primæ duæ eo modo sunt, quo in faciendo pane (ut hac comparatione utar) farina & aqua. Ex quibus solis panis fit, sed non sine ministerio manus, quæ farinam aqua dilutam subigat, & duo diuersa conuertat in unum corpus. Hæc tanquam manus conclusio est, quæ duas superiores enunciationes cōmiscet & in unum redigit. Maior probat ut omnis homo, siue unusquisque homo est animal, minor probatur, hoc est homo, id est, aliquid siue unus ex quibusque hominibus. Quo descendit probatio? nempe in hoc, ergo hoc est animal. Nisi malumus dicere duas priores esse tanquam parentes, tertiam esse illorum prolem. Sed horum parentum uter erit pater, utra mater, id est, inter præcedere debebit? Inquient Peripatetici, eam quę dicitur maior esse patrem, & proinde debere præcedere. Ego nescio an potius maior sit dicenda mater, quæ quodammodo conceptam in utero habet, deinde parit, sed omissis imaginibus quę solent esse fallaces quid causæ est cur non sic possimus facere syllogismū, Socrates est homo, omnis autē homo est animal, ergo Socrates est animal, quasi quibusdam gradibus ascendētes. Socrates indiuiduū, homo, species, animal, genus: ut si dicamus Ascanius ortum ducit ab Anchisa, potius, quàm Aeneas ortum ducit ab Anchisa. Ascanius autem ab Aenea, ergo ducit ortum ab Anchisa. Neque uero opinor hunc colligendi modum illos aut non uidisse, qui ultro offert se oculis, aut non probasse, quem nulla ratio improbat, sed natura atq; usus * cōprobauit. At enim alter est consuetior. Vos eum fecistis cōsuetiorem, non natura. Sed esto qualem uultis quo nullus sit perfectior. Num protinus hic imperfectus est & malus. An nō nisi una uia est recte loquendi? cum non sit una scribendi, nisi uolumus nostra ipsorum tantummodo probare. Improbent Græci Latiniq; & Dalmatæ, & si qui alij sunt, à sinistro scribentes in dextrum. Eos qui secus faciunt Hebræos, Penos, Aegyptios, Syros, & quicunque sunt alij, aut illi inuicem hos improbent. Nónne si hoc faciunt ipsam dicendi sunt improbare naturam, quæ nobis tantam suppeditauit facultatem neq; id scribendo tantum, sed omnibus penè in rebus. An non in saltando quasdam choreas in dextrum, quasdam in sinistrum agimus? Quid? non quędam nationes sagittam arcui à sinistra manu ut nos: quidam à dextra, ut pleriq; Asiani imponunt? & dextram quæ sagittam tenet aliter hi, aliter illi complicant, quidam utroque modo dirigere sagittas edocti sunt. Quid? non terebellum apud quosdam populos in sinistrum uersatur apud quosdam in dextrum? ego fabros nonnullos uidi utrunque terebelli genus in usu habentes, & in dolandis poliendis'ue tabulis instrumentum illud dolandi poliendi'ue nunc extrorsum nunc introrsum conuersum trahere. Quid? in carne super mensam incidenda, nónne cultellus ab Italis ultro, ab Hispanis citro ducitur, & item à sutoribus atque alijs quibusdam fit in corijs alutis'que incidendis. Iam uero infantium cunas aliæ nutrices in rectum, aliæ in obliquum agitant, & nos bombicinam tunicam, nunc à iugulo ad uentrem, nunc à uentre ad iugulum induimus. Ita argumentando nihil interest ab hac, an ab illa parte incipias, & an horsum an illorsum tendas. An hoc non multi fecerunt ut apud Senecam omne peccatum est actio, omnis actio uoluntaria, ergo omne peccatum est uoluntarium. Quid quod aliquando fas est tertio modo argumentari, ueluti si quis deorsum uersum scribat, ut

* alias cōparauit.

nonnunquam

nonnunquam in lapidibus uidemus factũ & ipsi in librorũ marginibus facimus. Sit hoc exemplum, Peregrine, ascendisti murum, capite puniendus es. Lex enim est, ut peregrinus qui murum ascenderit, capite puniatur. Sed hos duos posteriores modos, ne dialecticos nimiũ onerare uideamur, rhetoricæ relinquamus. Secundum modũ nisi admittant dialectici caueant, ne dicam ideo eos nolle admittere, quia non ita est ad captiunculas oportunus, etenim ut de infinitis exemplis unum ponam. Interrogabis me. Quod amisisti habes'ne? nõ habeo dicã. Quid quod non amisisti? id uero dicam habeo, ibi tu, regnum Persidis non amisisti, habes igitur. At si ita incepisses, regnum Persidis non amisisti, non fuisset fallaciæ locus. Ne quis tamen in hoc genere syllogismi affectatorem me, & ambitiosum putet, nihil de eo præcipiam, tantum significasse contentus, nobis licere illo uti, qui à Peripatetico nihil differt, nisi primarum partium ordine: atque ita apud M. Tullium argumentatio quæ traditur in secundo libro artis ad Herennium scriptæ, differt ab ea quæ traditur in secundo rhetoricorum, & si ipse uoluit esse quinque partitam deq; hac re contra dissentientes disputat. Quod Quintilianus confutat, probans esse ut ueteres quoque uoluere tripartitam. In quo quod est subiectum maioris, id erit prædicatum minoris, ipsa autem, subiectum minoris & prædicatum maioris, eundem locum in cõclusione obtinebunt, quemadmodum superiori constat exemplo, unusquisq; homo est animal, Socrates est homo, ergo Socrates est animal, cuius syllogismi cognoscẽdi tanta facilitas est, ut uix de illo componendi debuerit ars tradi, siue quod traditum est ars uocari. Vnusquisque enim homo idem est, quod unusquisque hominũ. Item Socrates est homo, idem est quod Socrates unus est ex omnibus hominibus. Nónne cum feci hunc unum ex uniuersis hominibus, hoc etiã feci, cum uniuersis animal esse? quid ergo: quasi per se non constaret nec aperte probatum esse hunc eiusdem naturæ esse cuius sunt cæteri tanquam fratres, tantopere fuit referenda conclusio, ideoq; raro qui naturaliter loquuntur ueluti oratores syllogismo utuntur, cuius facilitas nõ modo cognoscendi, sed etiam componendi tanta est, ut etiam in pueris inter se colloquentibus eum deprehendamus, sed plerunque omissa conclusione. De ueris loquor syllogismis nam eorum maior pars contra naturam atq; omnium usum traditur, de quibus iam præcepta & aliorum referamus & nostra tradamus, duabus omnino figuris contenti. Quoniam tertiam penitus repudiamus, ut suo loco monstrabimus.

*De quatuor modis primæ figuræ.* Cap. III.

PRima syllogismi forma, quam recentiores in ponendis nominibus delectati, barbara uocant: Sicut & Græci post Aristotelem suis nominibus uocauerunt, constat è duabus enunciationibus, una maiori, altera minori, utraque uniuersali, utraque affirmatiua, conclusione affirmatiua, minorem uniuersalem colligente. ut omne pecus est quadrupes, omnis caballus est pecus ergo omnis caballus est quadrupes. Eandẽ uim habet hoc signũ uniuersale in singulari numero q; in plurali. Nihil enim differt an dicamus omnis homo, an omnes homines, nisi quod in plurali solet accipi pro uniuersis siue pro cunctis, quod in singulari non fit, sed pro unoquoq; siue pro singulis. Ideoq; nõnulli talibus syllogismis cauillantur, sic colligentes, omnes sapientes fuerunt septem, Cleobolus & Periandes fuerũt sapientes, ergo fuerunt septem. Assumptio enim falsa est quæ perinde est, ac si diceretur fuerũt quidã sapientes. At quidam dici nequit nisi cum omnis significat unumquenque, & omnes significat singulos, non cum significat uniuersos uel cunctos, ut in illo: omne pecus est quadrupes, omnis caballus est pecus, ergo quadrupes, nempe aliqua quadrupes & aliquod pecus. Secunda forma est quàm uocant Darij, quæ constat ex utraque affirmatiua maiori uniuersali

sali, minori particulari, cõclusione affirmatiua, particulare colligente, ut omnis caballus est pecus, Bucephalus est caballus, ergo pecus. Et hæ quidem affirmatiuę. totidem è diuerso negatiuę, quarum prior constat è duabus enũciationibus uniuersalibus, maiori negatiua, minori affirmatiua, conclusione negatiua, minorem uniuersalem colligẽte, ut nullum pecus est bipes, omnis caballus est pecus, ergo nullus caballus est bipes. Altera quę eadẽ quarta est, cõstat è duabus enunciationibus, maiori quidem uniuersali & negatiua, minori autem particulari & affirmatiua, cõclusione uero particulari negatiuam colligente, ut nullum pecus est bipes, bucephalus est pecus, ergo bucephalus nõ est bipes, illam superiorem uocãt Celarent, hanc inferiorem Ferio. Quatuor enim uocales hanc uim hoc loco adipiscũtur ut A & E significẽt uniuersaliter, I & A particulariter, O & I affirmatiue, E & O negatiue. Trium terminorum qui sunt in syllogismo, singuli geminãtur, ut caballus pecus quadrupes. Et singuli à certa prohibentur sede, unus à maiore qui est minimus, ut caballus, unus à minore qui est maximus, ut quadrupes, unus à conclusione qui est medius, ut pecus. Verũ non quemadmodum totus syllogismus est affirmatiuus, ita & negatiuus dũtaxat cathegoricus: quanquam possit hic eiusmodi uideri, ut omnis nesciens deum nescit uirtutem, Socrates nescit deum, ergo nescit uirtutem, ubi male assumptum per nescit, cum deberet assumi per nesciens, Socrates est nesciens deum, quod iam affirmatiuum est, quia nũc non negatur uerbum. Secus autem si incipiamus à uerbo sic, qui nescit uirtutem. Socrates nescit deum, ergo nescit uirtutem. Qui syllogismus totus negatiuus est hypotethicus, de quo suo loco dicemus.

### *Dum signum applicatur prædicato, dumq; abest à toto syllogismo signum.* Cap. IIII.

HActenus loquuti sumus cũ signũ uniuersale applicatur subiecto: quid, cũ applicatur prædicato? certe pari ratione quę exẽpla breuiter subnectã. Tu amas omnes tuos ciues, hi autẽ omnes sunt ciues tui, ergo tu amas hos omnes, hoc uniuersaliter. Particulariter uero, si assumas: hic est ciuis tuus, concludasq; ergo tu amas hunc. Siue diuerso exemplo deus est ubiq;, id est, in omni loco, tartarus est locus, ergo deus est in tartaro, hoc affirmatiue. Negatiue sic, tu nullũ ciuem tuum, siue nullos ciues tuos amas, hi omnes sunt ciues tui, ergo neminẽ, uel nullum horum amas. uel ergo hos omnes non amas. Item in nullo loco scelerato est deus, tartarus talis est, ergo non est in eo deus. Exẽpla quę attuli per signa uniuersalia, si tollamus signa, eandem uim habebunt redacta ad infinita, ut superiore libro probaui: ut, deus nõ est in loco scelerato siue in locis sceleratis, subauditur enim ullo siue ullis. Tu non amas ciues tuos, subintelligitur omnes, idem fit in superioribus exemplis ac cæteris omnibus.

### *De syllogismo usquequaq; particulari siue singulari.* Cap. V.

ET hi quidẽ syllogismi aut sunt usquequaq; uniuersales, aut partim uniuersales, partim particulares. Nulli usquequaq; particulares, hoc enim negatur fieri posse. Sed cur negatur? Sempronius unicus huius defuncti filius ab hoc institutus hęres omnium bonorũ, ego autem sum Sempronius unicus huius defuncti filius, ergo ego sum ab hoc omnium bonorum hęres institutus: hoc affirmatiue, negatiue sic, Scæuola primigenius huius defuncti non est hæres institutus, tu es Scæuola primigenius huius defuncti, ergo non es institutus hæres. Addam alia exempla mutando subiectum in prędicatum quæ tametsi possunt uideri cedere in secundam figuram tamen hoc loco ponãtur. Homerus est summus poëtarum, hic est summus poëtarum, ergo est Homerus. Pater meus non est iuuenis nec flauo crine nec longa statura: hic talis est, ergo non est pater meus.

*Syllogismi per totum & partem.* Cap. VI.

SImilis ratio in toto & parte, quæ in genere & specie. Quæ exempla breuissime subiūgam. Prima forma erit hæc: Tota Italia est in Europa, tota Campania est in Italia, ergo tota Campania est in Europa. Altera quę huius particularis est, hæc erit, Tota Campania est in Italia, Neapolis est pars Campaniæ, ergo est in Italia. Tertia negatiua hæc: Nihil Italiæ est in Asia, tota Cāpania est Italiæ, ergo nihil Campaniæ est in Asia. Quarta quę huius particularis est hæc. Nihil Aegypti est in Africa, Alexandria est aliquid Aegypti, siue pars, siue pars quædam Aegypti, ergo non est in Africa, nam nihil idem est, quod non aliquid siue non quiddam, id est, non ulla res, siue nō quędam res, quemadmodum superius docui sicut omne & omnia substantiuum, id est, omnis uel omnes res. Quando abest prædicato signum hæc quoq; sint exempla: Totū corpus anima nutrit, toti ungues sunt pars corporis, ergo totos ungues anima nutrit. Vel assumendo particulariter quæ est secunda forma, hic unguis est pars corporis ergo hunc unguem anima nutrit. Itē negatiue nihil corporis, anima negligit, toti ungues sunt aliquid uel pars corporis, siue hic unguis est aliquid, uel pars quędam corporis, ergo nihil unguium aut non hunc unguem anima negligit.

*De quinq; postremis modis primæ figuræ omnibus improbandis.* Cap. VII.

HAec quæ ego addidi (si qua addidi) ueriora sunt atq; utiliora multo, quàm hi quinq; modi quos Theophrastus atq; Eudemus addendos putauerūt, quosque Porphyrius (quem egregie sensisse Boëtius ait) ipseq; Boëtius ac ceteri quos legi omnes probant, mea sententia non tam probandos quàm non addendos, quorū primum uocant Baralipton is est huiusmodi, ut ipsorū ponam exempla: omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo quædam substantia est homo. Non possum me hoc loco continere, quin in hos sophistas exclamem. O Theophraste, ô Eudeme, ô Porphyri ac Boëti, cur non potius cōcludebatis, quidam homo est substantia, ubi nec opus erat conuersione & plus ueritatis inerat. Quin hanc colligendi formam (qua ego sum usus) inter præcepta retulistis? & item in cæteris quatuor, nam idem in cæteris facere possum, nempe quia particularis conclusio nequit descendere ex uniuersali assumptione, ideo enim quid assumitur ut concludatur: dura ergo uiolentaq; erit huiusmodi conclusio, nūc quis ferat eam fieri cōuersionem duriorē, magisq; uiolentā. At enim per conuersionem uenitur ad formā rectā, quę conuersio uocatur per accidens, en quare putastis hos modos addendos, ut uobis liceret indirecte loqui. Primum quomodo cōuerti potest quod in medium non affertur. Prius enim fuit afferendum illud, quidam homo est substantia, ut in hoc conuerteretur quædam substātia est homo. Deinde quid stultius, quàm ob idipsum uelle à uia aberrare? Quanto satius erat rectam tenere, quę & cōpendiosior est, & facilior & gratior, & utilior. Prętereà qua mihi uos ratione reditis in uiam? profecto non secus atq; ille qui alienos fundos peragrans calcatis messibus, stratis uitibus, intercisis sepibus, ad uiam redit, à qua uel aberrauerat, uel spōte discesserat. Postremo si ne illud licet quidem cōcludere, ergo quidā homo est substātia (ut ostendi) multo minus licebit concludere hoc, quod est ex illo conuersum ergo quędam substantia est homo. Nam illud ad reprehensionem tantum latinorum pertinet quod pro aliqua dictum est quędam. Quoniam in illo omne animal est substantia, subauditur aliqua non quædam: ut in illo, omnis homo est animal, subauditur aliquod non quoddam. Itaq; illud, aliqua substantia, non fuit mutandum, in quædam substantia. Secūdum est celantes nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus lapis est homo. Peccatum hoc aliquanto minus quàm superius, quia conclusio uniuersalis ut assumptio est. Sed quę peruersitas inuertere cōclusionē quę

erat, ergo nullus homo est lapis, nam & si hęc duo conuertuntur, nullus homo est lapis, & nullus lapis est homo (ut proximo libro ostendi) tamen cõuersio nequit fieri, nisi prius quod cõuertendum est proferatur, quod cum protuleris conuertereq́ue uolueris, iam à tuis colligendi formulis recessisti. Tertium huic simile est particulariter assumens concludensq́ue, quod uocant dabitis, omne animal est substantia, quidã homo est animal, ergo quędam substantia est homo. Vera conclusio erat, ergo quidã homo est substantia: quam isti inuerse ac prępostere proferũt, similes pueris, qui per lusum retrorsum incedũtur, similes scænicis quibusdam, qui pedibus tanquã manibus ludicri gratia ipsis manibus ambulãt, similes mulieribus quę pręposteros partus edunt quod genus pariendi monstrosum habetur plerunq́ue Pœnarũ. Vnde qui sic nascerentur Agrippæ sunt dicti, uel quod ęgre, id est, difficulter pariuntur, ut quibusdã placet uel ab ægritudine & pedibus qui priores capite prodeũt. Etenim tales syllogismi difficile æduntur, & apud audientes simile quiddam monstri proferũt. Nam nemo intelligat tale probãdi genus duce natura, sed exhorreat. At Boëtius & hi quos Boëtius laudat sic loquentes, uidentur mihi Agrippinos partus existimare speciosos. Quid aliud credas, quàm ipsos eodẽ modo natos esse, ut erat Nero ex Agrippina, & (si hic iocis locus est) ut editi sunt ita delectari in loquendo pręposterè: dignos profecto (pergam iocari) qui fœminę sint & hoc potius quàm consueto illo naturaliq́ue pariant modo. Quarum Fapesmo, omne animal est substãtia, nullus lapis est animal, ergo quędam substantia nõ est lapis. Hoc tanquam simile esset primo per accidẽs uolunt & ipsum conuerti non Agrippa sed abortiuus, & in ipso pariendi nixu extinctus. Quintum huic par omnium monstrosissimum quod uocant, at Frisesomorum, eo quod aiunt cõuerti per transpositionem & alijs modis. Quoddam animal est substantia, nullus lapis est animal, ergo quędam substantia non est lapis. Centum amplius modos ego reperiam indirecte colligendi atq́ue oblique, si uelim uti ista licentia reducendi atq́ue cõuertendi, aut citra istam licentiam quod uel eo manifestum est, quod ex his quinq́ue modis primi duo nisi habeant inuersam conclusionem reddent tolerabiliores syllogismos, quàm ab istis Agrippeis dialecticis traduntur. Quo magis Boëtium miror qui hæc Romanis auribus tradens non expugnarit aliquatenus atq́ue castigarit, quæ apud neminem opinor ueterum latinorum duntaxat magnorum eum inuenisse laudata.

*De totidem modis secundæ figuræ quot primæ, & in secundam posse primam conuerti.* Cap. VIII.

Secunda figura totidem modos quot prima habet, omnes concludentes negatiue, quorum qui habet propositionem negatiuam, is assumptionem affirmatiuam: è diuerso qui affirmatiuam proposionem, is negatiuã assumptionem habet. Quorumq́ue duo toti uniuersales, totidem mixti. Ex particularibus etiam posse fieri puto, quę superius posui exempla. Sed nescio cur uelint hanc figuram reduci ad primam, quasi non possit & illa in hanc reduci. Primus modus uòcatur ab istis Cæsare, nihil insensibile est animal, omnis homo est animal, ergo nemo est insensibilis. Secundus Camestres omnis homo est animal, nihil insensibile est animal, ergo nihil insensibile est homo. Hos ego duos modos pro uno sed duplici accipio. Ideoq́ue utranq́ue cõclusionem utrobiq́ue conuenire reor, neq́ue enim distinctæ sunt propositio & assumptio, ut altera maior sit, altera minor, sed quodammodo pares, ideoq́ue sicut neutra uendicat sibi primum aut secũdum locum, ita utraq́ue ius habet in utraq́ue conclusione. Verum istis placuit, ut id quod secũdo loco poneretur, uendicaret sibi conclusionem, quod uerum esset nisi semper gemina esset conclusio. Sed earum dicamus alterã ad id quod primo loco, alteram ad id quod secundo loco positum est referri. Idem cõtingit in reliquis duobus,

qui tamen sunt magis distincti, quorũ prior, qui est idem tertius, uocatur Festino quanquam debebat esse ordine quartus, ut in prima figura Ferio & Baroco (qui numeratur inter hos quartus) debebat præcedere ut in prima figura Darij. Eius autem exemplum tale est, nihil insensibile est animal, Bucephalus est animal, ergo Bucephalus non est insensibilis. Alterius, quem dixi uocari baroco, hoc est exemplum, omnis ursus est animal, arctos non est animal, ergo non est arctos ursa. Quid obstat quo minus hic in superioribus dupliciter possimus concludere? ergo nihil insensibile est bucephalus, & nulla ursa est arctos. Imò quid obstat quin possumus sic incipere? Arctos non est animal, omnis autem ursus animal, ergo nullus ursus, siue nulla ursa est arctos. Item Bucephalus est animal, nihil autem insensibile est animal, ergo nihil insensibile est Bucephalus. siue, ergo Bucephalus nõ insensibilis & ergo arctos nõ est ulla ursa uel ullus ursus. An quia incipiendum est potius ab uniuersalibus & maioribus, at nõ sunt istæ particulares illarum, & minores quàm ut eis hanc reuerentiã debeant, ut loco cedant & priorem sedem semper habere patiantur. Itaq; nihil intererit an particulariter an uniuersaliter, hic uel incipiamus uel concludamus, tolerabilius tamen est ut à particularibus incipiamus, quàm ut ab uniuersalibus concludamus. Quomodo autẽ hæc figura conuertatur in primam dicere quo attinet? an non prima conuerti potest in hanc, ut in Celarẽt & Ferio, si pro nullum pecus est bipes, diceremus nihil bipes est pecus. Illud potius attinet tradere huius figuræ esse, quotiens quẽpiam ex suis ipsius uerbis cõfutere uolumus, ut omnem ignem ais alimento egere. At omnes siderei ignes alimento non indigent, ergo non omnis ignis eget alimento, siue ergo non uerum ais, omnem ignem egere alimento. Ediuerso. Nullum ignem uis carere humoris alimento, at omnes ignes siderei alimento carent, ergo nonnulli ignes carent alimento, siue ergo falsum sentis nullum ignem carere alimento: hi modi usq; quaq; sunt uniuersales, illi particularibus mixti, omnis Germanus est (ut ais) albus, hic Germanus nõ est albus, ergo nõ omnis Germanus (ut ais) est albus. Item ais nullum Germanum esse atrum, hic autem Germanus talis est, ergo nõnullus Germanus, quod tu negas est ater. Fas hic est, et à minore incipere. Variabo exempla tollendi fastigij gratia. Ais Periandrum Corinthi Tyrannũ fuisse sapientem, at nemo tyrannus est sapiens, siue at nemo sapiẽs est tyrannus, ergo non fuit Periander tyrannus & idem sapiens. Item negant Periandrum suorum ciuium amatorem, at qui sapiẽtes (de quorũ numero hic fuit) sunt suorum ciuium amatores, ergo falso eum negant suorum ciuium fuisse amatorem. Potest etiam in hoc genere totus esse syllogismus particularis, ut patrem tuum ais fuisse procera statura, atqui Socrates non fuit procera statura, ergo Socrates non fuit pater tuus, siue, ergo non fuit pater tuus Socrates. Sed de hoc genere colligendi, & si usitato & uenusto, ideo superiores non fecerũt (ut opinor) mentionem, quia maluerunt, hoc per hypoteticum syllogismum explicare, cuius tractatũ nunc subiungerem, nisi tertiam figuram cõfutare nunc haberemus. Illud tamen non omittentes, per totum & partem, in secunda quoque figura fieri syllogismos quorum exempla ne uerbosiores uideamur, quoniam facillima factu sunt ipsis legentibus facienda relinquamus.

### *Tertiam figuram omnino improbandam.* Cap. IX.

Tertia quæ ab istis constituitur figura nihil in se habet sanitatis, sed tota plane insana est, ut pudeat me uicem eorũ qui uel inuenerunt eam uel probandam putauerunt. Et quo sit turpius sexquipartitam faciunt, cum aliæ sint quadripartitæ, id est, maiorem cæteris. Cuius primus modus est, ut eorũ utar exemplis quem uocãt Darapti, omnis homo est substantia, omnis homo est animal, ergo quoddã animal est substantia. Secundus quem uocant Felapton. Nullus homo

eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal nō lapis. Tertius quem quem uocant Diſamis: quidam homo eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt ſubſtantia. Quartus quem uocant Datiſi, omnis homo eſt ſubſtantia, quidam homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt ſubſtantia. Quintus quē uocant Bocardo, quidam homo non eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal non eſt lapis. Sextus quem uocant Feriſon, Nullus homo eſt lapis, quidam homo eſt animal, ergo quoddam animal non eſt lapis. Nec hic quidem poſſum me cōtinere, quo minus exclamem: O Polypheme nugator, ô nugarum amatrix Peripatetica familia. O natio inſaniens, quē unquam ita argumentantem audiſtis? imò quis ueſtrum ita argumentari auſus eſt? quis ita argumentantem admitteret? pateretur? intelligeret? Quo mihi argumētandi artificium? perinde ac ſi uelletis inuenire alias literas nō quæ noſtram linguā ad eam * expromendā adiuuarent, ſed aliā facerent, ſiquis aliam lingua facere uellet. An nō intelligitis in omnibus eſſe naturā ducē? cur enim illos modos quos approbaui, approbāt omnes? quia natura duce omnes utuntur, etiam ruſticani, etiam fœminę, etiam pueri, quorū in ore licet omnes illos modos annotare, nullum autem illorū ſex, aut illorum quinq;: ideo cum hos audiunt, non agnoſcunt in ſe ſed admirantur ueluti prodigia reformidantq; cōtingere, quod ſi uolebant colligere, quoddam animal aut eſſe ſubſtantiam aut non eſſe lapidem, nam hæc duo tantum his ſex modis colligere uolunt, an non poterāt ita colligere? omne corpus eſt ſubſtantia, quoddam animal eſt corpus, ergo quoddā animal eſt ſubſtantia. Item nullum corpus animatū eſt lapis, quoddam animal eſt corpus animatum, ergo quoddam animal non eſt lapis. At enim licet hos modos ad illos primę figurę redigere, per conuerſionem, per accidens, per contrapoſitionē, per impoſſibile: iſta remedia ſunt, atq; medicinæ ægrotorum ſyllogiſmorū, ſed quo mihi ſyllogiſmos ægrotos? Argumentari uelut præliari eſt, quis ergo in prælio uelit milites ægrotos? aut ſi ægroti non ſunt, certe arma inuerſa ac præpoſtere geſtant, & illis magis impediti ſunt quàm muniti, & tāquam ueſtibus non amicti, ſed inuoluti atq; impliciti. Aurelius priſcis temporibus pictor alioqui bonus ac celebris ſemper amore alicuius mulieris flagrans, nunquam non ferè deas pingebat, ſed in quibus amicarum ſuarū effigies redderentur: ut neſciret an ex deabus faceret ſcorta, an ex ſcortis deas. Huic ſimilis iſtarum argumentandi formarum adumbrator & pictor, quiſquis is fuit, qui nimio ſuo delectatus ingenio ac ſtudio, & ſecundam figuram quaſi mala ſit, & tertiam quaſi bona eſſe poſſit, ad primam reduci docuit: nullum diſcrimen inter tam diuerſa faciens, nec minus illudere hominum auribus, quàm ille pictor oculis. Ruſticanum credo exiſtimās aliorum more loqui, nihil admirans niſi inſolitum & à natura abhorrēs. Quemadmodum impudicas mulierculas magis bleſè cum amatoribus, quàm puro ſermone loqui delectat, & ut peruerſitati cumulus accederet, tāquam geometriam & arithmeticā traderet, literis potius quàm ueris exemplis eſt uſus, nō alia meo iudicio fraude quam hi qui de mercibus ſuis nō optime ſentientes dant operā ut eas mercari uolētes in opaco cernāt, & matres filias deformiores quas uiris locare uolūt noctu ad lumen lucernæ citius quàm interdiu & ad lucē oſtendūt, ſperāt enim iſti carius uenditum iri ſua pręcepta ſi minime obuia & expoſita fuerint, ut quæ multiplici ſera obſignata ſunt, precioſiora creduntur. Sed quid attinebat rebus per ſe obſcuris addere tenebras, & cibis per ſeſe auſteris & faſtidium nauſeamq; mouentibus, pro condimento felleam quandam adhibere amaritudinem. Verum fortaſſe nimium euagatus ſum, in reprehendendo, redeo igitur in uiam. Hactenus de cathegorico ſyllogiſmo.

* alias exprimendam.

*De hypothetico syllogismo.* Cap. X.

HYpotheticam Boëtius cōditionalem propositionē uocat, quod cum quadam conditione denunciet esse aliquid, si aliud fuerit. Categoricam uero prædicatiuā, in qua aliquid de aliquo prædicatur. Est igitur categorica simplex quædam enunciatio. Enūciationem malo dicere, ut superius sum testatus quàm propositionem. Hypothetica uero duplex aut multiplex enunciatio, & ut ipsa uox indicat suppositiua: de qua nihil conscriptum esse ab Aristotele idem Boëtius ait: tametsi cum alibi, tum in Analyticis quos se trāstulisse ipse Boëtius fatetur, de hypotheticis syllogismis differatur. Sed Theophrastus (ut eiusdē uerbis utar) uir omnis doctrinæ capax, rerum tantū summas exequitur. Eudemus uero latiorem dicendi graditur uiam, sed ita ut ueluti quædā seminaria sparsisse, nullum tamen frugis uideatur extulisse prouentum. Ac de seipso pergit dicere, nos igitur quantum ingenij uiribus & amicitiæ tuæ studio sufficimus, quæ ab illis dicta breuiter, uel emissa funditus sunt, elucidāda dilígēter, & subtiliter persequenda suscepimus. An persoluerit Boëtius quod promiserit ipse uiderit. Ego certe eius formulis argumētari nō ausim quippe quas neminem uideo usurpasse, nec tam longa præceptione res indiget, ut ille fecit, licet pluribus modis quàm ab eo collectis hypotheticus fiat syllogismus. Per si uel per quando, per ubi, per relatiuum, per comparatiua, & alia huiusmodi. ac totidem modis hic quot categoricus fit, atq; pluribus, ut in prima figura, quicquid est pecus, est quadrupes, omnis caballus uel Bucephalus est pecus. Item quicquid est pecus non est bipes. Quia talis enunciatio est indefinita, uim habens uniuersalis, frequentissime tamen loquimur per si, ut si peperit cum uiro cōcubuit, peperit autem, ergo cōcubuit cum uiro. Sed nescio cur Boëtius dixerit categorico fieri posse hypotheticū, sed non è diuerso. Nam quid causæ est cur is qui è categorico factus est, hypotheticus, non possit rursus in primā restitui formam, quasi glacies quæ liquefacta est, non possit redire in glaciem, aut aqua nequeat glaciari ac rursus liquescere: quod si qui fuerint hypothetici qui non possunt redigi in categoricos, sat est aliquos redigi posse, ut quæcunque fœmina peperit, cum uiro concubuit, redigam in categoricum sic: omnis enixa, omnis puerpera, omnis mater, omnis aborta cum uiro concubuit, quæ ratio loquendi facilior est in græca lingua quæ habet participia in omnibus temporibus actiua & passiua. Ita uix illi erunt qui redigi nō possint. Est autem hypotheticus, ut superius ostendi, totus negatiuus: ut quisquis deum non colit, is non colit uirtutem, nemo gentilis colit, siue tu non colis deū, ergo nemo gentilis colit uirtutem, siue ergo tu non colis uirtutem. In secunda figura hæc sint exempla. Quicquid est insensibile, id non est animal, omnis homo est animal, siue ego sum animal, ergo nemo est insensibilis, siue, ergo ego nō sum insensibilis. Verum si introspiciamus altius hanc secundam figuram reperiemus ad resellendum esse natam. Si enim dicā, hæc fœmina si peperit, cum aliquo concubuit, peperit autem ergo cōcubuit cum aliquo. Videor uelle probare hanc fœminam esse corruptam. Sin assumam per secundam figuram non concubuit autem, cōcludamq; ergo non peperit, uideor uelle refellere, quod alter affirmarat: ideoq; in tali sermonis genere accommodatior est subiunctiuus modus sic, si peperisset cum aliquo concubuisset, non concubuit, ergo non peperit. Item per negationem ista fœmina si cum nullo concubuit, non peperit, cum nullo autē concubuit, ergo non peperit. Est prima figura uel probandi, uel confutandi gratia dictū, ut si ita assumas, concubuit autem cum uiro, imò si ad rem apertius intelligendā per subiunctiuū loquaris, sic, ista fœmina, si cum nullo cōcubuisset nō peperisset, nunc peperit, ergo cum aliquo concubuit. Vtiq; loqui uideris, gratia refellendi illum, qui istam cum aliquo concubuisse negauerat, quam differentiam

primæ

primæ & secundæ figuræ declarant uerba Ciceronis in libro secundo de diuinatione dicentis: Cum magis properant concludere solent, si dij sunt est diuinatio, sunt autem dij est ergo diuinatio. Multo probabilius est, nō est autem diuinatio, ergo nō dij, hæc secunda assumptio non illos decebat quid eos esse defendebāt, sed hos qui illorum opinionem refellere uolebant, quod fuisset apertius si ita inciperent. Si dij essent, esset diuinatio: diuinatio autem nō est, ergo neque dij. Et licet subiūctiuus modus hic plus competat, tamen crebrius per indicatiuum sunt autores loquuti, ut apud Quintilianum: Si non sunt apes meæ, ne id quidē quod his efficitur meum est. Alius dixisset si non essent meę apes, ne id quidem quod his efficitur, meum esset, quod autem his efficitur meū est, ergo & apes meæ. Vides ut aliquando propositione affirmatiua assumimus cōcludimusq́; negatiue: aliquando propositione negatiua assumimus concludimusq́; affirmatiue, quod etiam secus fieri potest, ut sit assumptio negatiua, affirmatiua conclusio, propositio anceps, ut si non essent apes meæ, id quod apes faciunt alienum esset. Atqui non est alienum quod apes faciunt, ergo apes sunt meæ, habet ergo usum in syllogismo etiam alius modus, quàm indicatiuus, ut nūc apparet è subiunctiuo, cuius unum sumam è Cicerone exemplum, ideo longius repetitum quod nonnihil in eo desidero. Is ita in rhetoricis scribit. Cum autem his concessis complexio ex his non conficietur hæc erunt consideranda num aliud conficiatur aliud dicatur hoc modo: Si cum aliquis dicat se profectum ad exercitum. Contra eum qui uelit uti hac argumētatione, si uenisses ad exercitum à tribunis militaribus uisus esses, non es autem ab his uisus, nō es igitur ad exercitū profectus: hic cum concesseris propositionem & assumptionē, complexio est infirmanda. Aliud enim quàm quod cogebatur illatum est. Ac nunc quidem quo res facilius cognosceretur, perspicuo & grandi uitio præditū posuimus exemplum, equidem ego nullum uitium hic uideo, nedum perspicuū & grande, nisi forte de mutatione uerbi uenisti in profectus es, quod nec sensum mutat & ad rem pertinet. Alter enim profectum se ad exercitum dicebat, nos cum refellimus non fuisse profectum illuc, ergo perinde est ac si incepissemus, si ad exercitū profectus esses, nam nihil est aliud ire, siue uenire ad exercitum quā illuc proficisci. Cur igitur aliud, quàm quod cogebat̄ illatū est: hæcq́; breuissime atq́; apertissime potui de hypothesi.

*Quædam uerba reddere numerosum ac multiplicem syllogismum.* Cap. XI.

QVorundam natura uocabulorum facit, ut duplici ac multiplici assumptione & conclusione utamur, nullum animal præter hominem religionis est capax, phœnix non est homo, ergo nō est religionis capax: quod est exemplum primę figuræ, perinde ac si diceres phœnix est animal. Præter hominē nemo nisi bonus felix, Plato bonus, ergo felix, uel Plato non bonus ergo non felix, hoc in prima. In secunda sic: Plato felix, ergo bonus, uel Plato non felix, ergo nō bonus. Soli pygmei ex hominibus non erubescunt, Hi sunt pygmei ergo non erubescunt, hi non sunt pygmei, ergo erubescunt, hi erubescunt ergo non sunt pygmei, hi non erubescunt ergo sunt pygmei. Vinum phalernum est omniū optimum, hoc est phalernum, ergo omnium optimum, uel hoc est optimum omnium, ergo phalernum. Tale est apud Ciceronem de natura deorum libro primo: Quod ratione utitur, id melius est quàm id quod ratione non utitur, nihil autem melius mundo, ratione igitur mundus utitur. Simillimum huic est apud Quintilianum, sed (ut reor) aliunde sumptū, omnia animalia meliora sunt quàm inanima, nihil autem melius mundo, ergo mundus animal. neque uero de uniuersorum uocabulorum natura singillatim præcipere possumus, nōnihil tamen in posterioribus attingemus. Interim hoc addimus nonnunquam recedi à forma syllogismi, sed tamen ui uerborum fieri syllogismum, ut philosophia est uirtus, So-

crates est philosophus, ergo prçditus uirtute. Itẽ uirtus est summũ bonũ, philosophus amat hãc, ergo amat summũ bonũ. Nam illis perinde est ac si dixissem, omnis philosophus est uirtute præditus, Socrates est philosophus, ergo uirtute præditus. Et hic perinde ac si dixissem qui amat uirtutem, amat summum bonũ, philosophus amat hanc, igitur amat summum bonum. Tale est illud Ciceronis in Topicis, A definitione, ita enim hoc genus argumenti uel argumẽtationis appellant. Ius ciuile est æquitas constituta his qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas, eius autem æquitatis utilis cognitio est, utilis ergo iuris ciuilis scientia, hic syllogismus est ad eam formam quam ego docui non minus naturalem quam illam peripateticorũ, secundum quam ita fiet syllogismus, cognitio æquitatis quæ constituta est, his qui eiusdem sunt ciuitatis, est utilis: Ius ciuile est talis cognitio, ergo utile est ius ciuile, siue ut ille colligit utilis est iuris ciuilis scientia.

*De coaceruatione.* *Cap.* XII.

MEdiam quãdam uiam inter has duas argumentandi formas tenet coaceruatio syllogismorum (quem Græci σωρὸν uocant) cum alius ab alio deinceps excipitur: ut, quod ego uolo idem mater, quod mater idem Themistocles, quod Themistocles idem populus Atheniẽsis: igitur quod ego uolo, idem uult populus Atheniensis. Quod perinde est ac si diceremus, quod est laurus, est arbor, quod est arbor, est corpus, igitur quod est laurus est corpus: siue qui ortũ ducit ab Ascanio, ortũ ducit ab Aenea, qui ab Aenea idẽ ab Anchisa, igitur qui ab Ascanio idem ab Anchisa ortum ducit. Peripatetico autem more, quod uult mater idem uult pater, quod uult pater idem populus, quod autem ego uolo idem uult mater. Igitur quod ego uolo idem uult populus, itaque nihil hoc aliud est, quàm repetitio syllogismorũ, ut nihil attineat hic aliud separatim præcipere, nisi ut caueamus ne trãsitus ipse nos fallat, cum prçsertim multæ sunt huiusmodi species, de quibus plusculis dicam, ut euidentius appareat animaduertendũ esse uerborum naturam. Est enim dissimile si quis dicat Roma est pulcherrima urbium, regio hæc Romæ regionum est pulcherrima: hæc domus, huius regionis domorum est pulcherrima: igitur hæc domus pulcherrima est domorum omnium urbium. Ante omnia cum dico pulcherrima urbium sic accipi debet quòd domos quàm cçteræ urbes habet pulchriores. Aliter nihil sequitur, idem de regione dico pulcherrima, & tamen cum ita sit, non est consequens domũ hanc præstare cçteris, non modo aliarũ urbium sed ne Romanæ quidem, quoniã aliqua aliarũ regionum domos, potest superare meam. Neq; enim regio pulcherrima est, quod unam pulcherrimã habeat domum, sed quod plures cæteris pulchras. Idem dico de urbe quod frequẽter uidemus in uico non pulchro, & in urbe non pulcherrima ædificia habente, esse longe pulchriorem domũ quã ulla sit in pulchriore uel uico, uel oppido, huic simile est illud apud Macrobium, optimos omnium pisces producit Italia, optimos in Italia Tyberis, optimi ex Tyberi sunt lupi, optimi ex lupis sunt hi qui inter duos capiuntur pontes, igitur ibidem sunt omniũ piscium optimi. In huiusmodi materia spectandũ est, sicut in cçteris, sed aliquanto attẽtius, quid sequatur, quid repugnet. Nam ut hic fortasse cõsequentia non stabit, & item si colligere uelis de diuitijs hominũ, de nobilitate, de uiribus, de pulchritudine, de scientia, ita stabit, si de calore, de frigore, de ubertate, de proceritate corporũ, de distantia urbium atq; terrarũ. Idem efficit, si non repetamus proximum quidq;, sed aliud atq; aliud simile, sed aliquanto minus subijciamus, præsertim interrogando. Quod simile quiddã habet inductioni: de qua (ut dixi) posterius loquemur, ut si quis neget se malle pisciculũ esse quàm solem, sic eum percunctabimur, nũquid malles esse etiam quàm luna, inquiet, mallem quid quàm stella, quid quàm mare, quid quàm flumen, quid quàm riuus, quid quàm fonticulus,

culus, quid quàm ſtilla aquę? certè ultimũ aut ultima negabit, tunc eadem retrorſum relegamus dicẽtes, ſi non mallet eſſe ſtilla, quàm piſciculus, ergo nec quàm fonticulus, nec quàm riuus, nec quàm flumen, nec quàm mare, nec quàm ſtella, nec quàm luna, nec quàm ſol. Nec hinc abeſt procul cum ſæpius idem repetẽtes in ſumma colligimus, ut ſi nemo debet offerre ſe morti pro unius, aut alterius ciuis uita, nec pro trium, quia quod duo non effecerũt, id nec tertius efficiet, ſi neq; hic tertius, profectò nec quartus, ſi nõ pro quatuor ciuium certe nec pro quinq; nec pro ſex, & ita deinceps, ergo nec pro tota ciuitate, hoc totũ loco erit propoſitionis: deinde aſſumetur, nemo autẽ debet ſe morti offerre pro unius aut alterius ciuis uita: ſiue Curtius autẽ nõ debuit ſe morti offerre pro uno aut altero ciue, ergo nec pro tota ciuitate. Idem contrà ualet hoc modo, ſi quis pro decem milibus hominũ, ex quibus ciuitas conſtat, ſalute, debet ſubire mortẽ, quid ni? etiã ſi uno minus decẽ milibus ciuitas cõſtaret. Si uno dempto quid ni? & altero? ſi duobus demptis quid ni, & tribus? ſi tribus certè & quatuor, atq; ita ſingulis demendis ad unũ uſq; deueniam, deinde aſſumam in ſecunda figura. Nam ſuperius aſſumpſi in prima. Atqui pro unius ciuis ſalute quis mortẽ ſubire non debet, ergo nec pro totius ciuitatis. Sed euidentior huiuſce argumentationis fuerit intellectus, ſi loquamur per ſubiunctiuũ, ſic: ſi quis pro totius ciuitatis ſalute mortẽ ſubire deberet, & reliqua, ſed in utroq; exemplo negatiue loquuti ſumus. Cur non etiam loquamur affirmatiue? idem ſufficiet exemplũ. Si aſſumemus affirmatiue. Chriſtus autem ſubiſſet mortẽ pro hominũ ſalute etiam ſi uno pauciores fuiſſent, ergo pro unius ſi unus fuiſſet. Cuius hæc cõmodior fuiſſet propoſitio. Si quis pro omniũ hominũ ſalute ſubijt mortẽ, etiam ſi uno pauciores eſſent, ſubijſſet. Item ſi timenti tibi orationem habere ad populum dicam. Si tibi habenda eſſet oratio apud quatuor, timeres ne? minime inquã reſponderes timerem, quid apud quinque? nec iſtos timerem, quid ſex? & ita gradatim perueniam ad populum cõcludamq; (nam ſuperior mea rogatio & tua cõfeſſio locum habet aſſumptionis) ergo nec apud populum timere debes habere orationẽ, fietq; uerũ fortaſſe quod Cicero ait ineptum eſſe, quos ſingulos cõtemnimus, tanquam barbaros putare uniuerſos eſſe aliquid. Ideo dixi fortaſſe, quia nõ ſolum aliam uocem, alium geſtum, aliã orationẽ uniuerſi poſtulant quàm pauci, ſed etiam quod ipſa uniuerſitas multũ facit & (ut dixi) in principio coaceruatio, ſiue in contrariũ acerui imminutio. Etenim hac ratione Abrahã aggreſſus eſt deum ad imperandã miſericordiã Sodomitis & Gomorritis, cũ ſubinde interrogaret, quid ſi illic quinquaginta fuerint iuſti? quid ſi minus quinquaginta iuſtis quinq; fuerint? quid ſi quadraginta? quid ſi triginta? quid ſi uiginti? quid ſi decem? Nec ad minorem numerũ deſcẽdere eſt auſus, ſciens non idem in diuerſis numeris eſſe momenti, & plus in decem quàm in quinq;, & in uiginti quàm in decem, & in triginta quàm in paucioribus, & item plus in quadraginta plus quoq; in quadragintaquinq;, & his in quinquaginta, & ita deinceps in infinitũ. Quo minus Horatianũ illud probauerim ubi colligere uult autoritatẽ libris non acquiri numero annorũ, cũ ait ad Auguſtũ ſcribẽs. Vtar permiſſo caudæq; pilus ut equinę. Paulatim uello & demo, unũ demo, & item unũ. Vnus inquit annus non dat adimit'ue libris autoritatẽ, quod non totã ſolidãq; fateor quod nullam nego, in quo probãdo tribus ſimilitudinibus eſt uſus una de cauda equi, altera de aceruo, tertia de uino, quę omnes contra ipſum faciunt. Nam unus pilus caudæ equinæ ademptus tametſi non det euidẽs ſignum, uacui tamen aliquid relinquit, & equũ ſi non tota cauda, tamen illius parte priuauit. & qui unum pilum equinæ caudæ dempſit, ſi nõ abſtulit caudam equo certè abſtulit pilum caudæ, quę à pilis conſtat, qui ſi pergat alterũ, tertium, quartũ, pilum ac deinceps demere: ut ſenex ille à Sertorio iuſſus fecit, cau-

da in nihilum recidet. Cui simile est illud apud Aesopum de fasce uirgarum à patre filijs ad frangendũ dato, quē cum nullus eorũ posset frangere, iterũ iussi uirgatim, facillime fregerũt. Igitur unus annus dat adimitq; libris autoritatem, sicut unus pilus caudę equinę & una uirga fasci. Et duo anni ut duo pili ac duę uirgę, & centũ milleq; anni, ut centũ ac mille pili totidemq; uirgę. Sicut etiã (quę secunda similitudo est) unum granum dat aceruo aliquid adimitq;: quod sæpius repetitum & facit aceruũ & destruit. Siquidem formicæ singula gestantes grana & nostrum aceruum destruunt, & suum construunt. Mustum quoq; ipsa die purgatur plusq; habet ut sic loquar dignitatis hodie quàm heri habuit, ac plus cras atque perendie habebit, donec per singulos dies in cõparanda sibi dignitate proficiens desinit esse mustũ, mereturq; autoritatem potionis nomenq; ueri uini, ergo contra eum faciunt (ut dixi) similitudines suæ, contra quem ego quoque audacius dixerim, quod ipsius argumentatio non magis facit ad autoritatem librorũ quàm ad ætatis longitudinem. Quis enim centenarius non sit senex aliquem audiat ita colligentem? quid si centenarius sit minus uno anno erit ne senex? quid si item altero? siue, quid si uno mense minus uel uno die? quid si duobus? quid si tribus? & ita deinceps. Nonne hæc argumẽtatio eo perueniet, ut centenarius sit idẽ anniculus: & e diuerso sursum uersum eũdo anniculus sit cẽtenarius, hoc est decrepitus, sicut decrepitus erit idẽ infans. Quod genus probationis à quolibet prolatum Horatius ipse satyrico supercilio dãnaret, idem de cæteris rebus dici posset. Vnde Cicero in Academicis, inquit: Verũ natura nullam dedit nobis cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus ne hoc in aceruo tritici solum unde nomen est, sed nulla omnino in re minutatim interrogati, diues, pauper, clarus, obscurus sit: multa pauca, magna parua, longa breuia, lata angusta, quanto aut addito aut dempto certũ respondeamus nõ habemus.

*De dilemmate antistrephonteq; siue conuersione.* Cap. XIII.

VT autem hoc proximũ ex pluribus partibus constat. Ita illud quod Gręci dilemma uocant, tantũ ex duabus qualia fuerunt superiore libro Quintiliani exempla, & quale illud apud Ciceronẽ: Si bonus cur accusas? si malus cur uteris? de quo ideo pauciora dico, quod de eo satis in eo loco est à Quintiliano præceptum. Quomodo autem è cõtrario respondeatur, solet à rhetoribus tradi quod Græci Antistrephõ, Cicero cõuersionem uocat. Quorum dum refello traditionem (nam ab eis dissentio) uolo mihi ueniã datam si aliquantisper oratorie loquar (nam ab oratoribus siue rhetoribus hoc præcipuè traditur) atq; euagatus fuero, non admodũ ingrata doctioribus (ut spero) futura oratione, & ab A. Gellio potissimũ reprehensionẽ exordiar cuius uerba hæc sunt: Euathlus adulescẽs diues eloquẽtiæ discendæ causarumq; orandarum cupidus fuit. Is in disciplinam Prothagoræ sese dedit, daturumq; promisit mercedem grandem pecuniã, quantam Prothagoras petiuerat, dimidiumq; eius dedit iam tunc statim prius q̃ disceret, pepigitq; ut reliquũ dimidiũ daret, quo primũ die causam apud iudices uicisset, postea cum diutule auditor assectator Prothagorę fuisset, in studioq; facũdię abũde promouisset, causas tamẽ nõ reciperet, tẽpusq; longũ iam trãscurreret, et facere id uideret ne reliquũ mercedis daret, capit consilium Prothagoras ut ipse existimabat astutũ. petere instituit ex pacto mercedem, litem cum Euathlo cõtestatur, & cũ ad iudices cõijciendę cõsistendæq; causæ gratia uenissent, tum Prothagoras sic orsus est: Disce inquit stultissime adulescens, utroque id modo fore uti reddas quod peto, siue contra te pronunciatũ fuerit siue pro te. Nam si cõtra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego uicero, si uero secundum te iudicatum erit, ex pacto debebitur quia tu uiceris. Ad ea respõdit Euathlus, Potui, inquit, tam ancipiti tuæ captioni isse obuiam si uerba ipsa nõ facerem

ſed alio patrono uterer. Sed magis mihi in iſta uictoria proludium eſt, cum te nō in cauſa tantum ſed in argumento quoq; iſto uincam. Diſce igitur tu quoque magiſter ſapientiſſime, utroq; modo fieri, uti non reddam quod petis, ſiue contra me pronunciatum fuerit ſiue pro me. Nam ſi iudices pro cauſa mea ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego uicero. Sin contra me nihil tibi ex pacto debebo, quia ego nō uicero. Tum iudices dubioſum hoc inexplicabileq; eſſe, quod utrinq; dicebatur: rati, ne ſentētia ſua utrācunq; in partē dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet rem iniudicatā reliquerūt, cauſamq; in diem longiſſimū diſtulerūt. Sic ab adoleſcēte diſcipulo magiſter eloquētię inclytus ſuo ſibi argumēto cōfutatus eſt, & captionis uerſutę, excogitatęq; fruſtratus eſt. Sunt qui nō Prothagorā & Euathlū hęc dixiſſe uelint quæ A. Gel. ait, ſed Coracē et Tyſiā, et ipſius rhetoricę alterū magiſtrum, alterū diſcipulū, ut illi duo ſuperiores eosq; à iudicio ſummotos fuiſſe cū illo elogio, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, idem, mali corui, malū ouū. Corax enim græce coruus dicitur: ſed noſtra nihil intereſt, an Prothagoras & Euathlus, an Corax & Thyſias fuerint: tamē quia in A. Gelliū locuturi ſumus: id quod ab eo narratur uerius putemus: cōtra quem priuſquā diſputo, libet caſtigare factū iudicum, qui propter reſpōſionē diſcipuli, ſe nō poſſe ſententiā ferre putauerūt. Quid em̄ periculi erat ne ſentētia ſeipſa reſcinderet: ſiue contra magiſtrū lata ex ui pactionis, ſiue cōtra diſcipulū ex æquo & bono: cū ille dolo malo nollet agere cauſas. Non aliter quàm id quod eſt apud Lactantium. Referā enim & illud quia ad rē pertinet, & cui Lactant. ipſe uidetur aſſentiri, ueluti inexpugnabili. Quidā inquit ſomniauit admoneri ſe à quodā, ne ſomnijs crederet, ſi non credit ſomnijs, credit ſomnijs, quia huic ipſi ſomnio credit. Sin credit ſomnijs, nō credit ſomnijs, quia huic nō credit: id falſum eſt ut oſtendā quanquā hoc quod Lactantius refert, philoſophantiū comenticium ſomniū non uocat calumnię. Neq; enim de illo genere ſomniorū eſt, quibus quis aſſentiri queat, aut nō aſſentiri, quoties rerū euentus cum ipſa ſomnij prædictione aut admonitione concordat: ueluti ſi quis in ſomnis me admoneret theſauri alicuius defoſſi, quem theſaurū ſi eodē loco reperero, quem ille ſomniāti mihi aut oſtendit, aut narrauit, credā ei ſomnio, ſi minus nō credam. Nam quomodo poſſum cuipiā credere, niſi cōſtet eum uera loqui, hic autē an uera loquatur mihi nō conſtat. Stultū ſit igitur ei credere. Quid enim, ſi ille dicat ſe eſſe Homerū, aut Heſiodū, nunquid credā? Adeo omnia ſomnia talia ſunt, quoniā quicquid uidemus in ſomnijs, tale præſertim quod poſſumus agnoſcere ideo uidetē ſe offerre ut uerū credamus. Nec refert an ad oculos an ad aures id ſeſe magis accōmodet, nec in theſauro inueniendo, uerbis an imaginibus admoneamur. Ergo huiuſmodi ſomnia nullā habent autoritatē, ideóq; ſi non credā ſomnijs, nō ideo nō credam, quia huic uni fidē habeam, ſed quia deprehēdi illa ferè eſſe fallacia. Sin credā, nō ideo credā, quia hunc admonitorē uanū fuiſſe putē, qui uerū dixit, ſed hoc ſomnium in neutram partem habebit momentum. Non ſecus ac ſi ſomniaſſem duos me ediuerſo admonentes, unum quidem ut credam, alterum ueto ne credam ſomnijs, quorum neutrius ſequar autoritatem, quia quædam credam eſſe uera, quædam non uera. Neque enim ita dicendus eſt quis credere ſomnijs, quod omnibus credat, ut Lactantius conſtituere uidetur. Credam igitur aliquibus ſomnijs, omnibus non credam, fiet'que quod ille impoſſibile putat ut ſomnijs credam, & non credam, hoc ſomnio nequaquam meum tardante iudicium quo minus liberè ſentiam. Ita calumnioſa diſcipuli reſponſio, nihil impedire debuit iudicū mentes, ne ſecundum leges pronunciarent. Vt redeam ad A. Gelliū qui nō cauſę, ſed argutię inter magiſtrū atq; diſcipulum ſe iudicem faciens ſecundū diſcipulū litem dat, quod Prothagoras fuerit ab Euathlo confu-

tatus. Quod an uerum sit discutere uolo & uelut in re præsenti personam Protagoræ assumere & apud iudices ita habere orationem. Quid quæso agitis iudices? aut quæ tandem ista iustitia est, in tam longam diem differre causam? & ne de ea iudicari unquam possit efficere? non ferendo sententiam aduersus me sententiam fertis, quam utinam ingenue ferretis. Multo enim plus damni facimus ex uestra dilatione, quàm si litem secundum aduersarium daretis, faceremus. Quinimo posco ac postulo, ut secundum eum, cum mea bona gratia litem detis, neque ad nostras respicere uelitis argutias, quæ neq; ad uos pertinēt: qui iurati secundum tabulas atq; documenta iudicare debetis, neque uobis sunt dicta, sed aduersario. Ego hunc inscitia arguere uolui, hic me uicissim inscitiæ redarguere: neuter aut uos admonens, aut causam defendens, sed tanquam extra iudicium loquens, quorum uter uerum dicat, aut uter loquatur argutius, iudicare non est uestræ religionis, de lite uos, non de litigatoribus disceptatis, & de lite quam contestati sumus, non de altercantiū conuitijs. Quid amplius quæritis? putate me nihil dixisse, & ex consequenti hunc nihil contradixisse. Ego quod dixi reuoco, ita & quod hic contradixit pro non dicto habebit. Quod si quid apud uos nostra uerba ponderis habēt, quam id inane sit, mecū quæso recognoscite. Dixi huic si lis contra te data erit, merces mihi ex sententia debebitur, hoc in honorem huius loci atque iudiciorum dictum sit, id quod secundo loco dixi. Si uerò secundum te iudicatum erit merces mihi ex pacto debebitur, non id pertinet ad contumeliam uestram atq; iudiciorum quasi sententia contra me pro illo lata nihil ei prosit: proderit quidem illi, sed multo plus mihi. Nam reportabit hinc uictoriam quod ego capto, & ad quod ego tendo, ut posteaquam iste semel uicerit, agam iterum in eum non quod à uobis appellem (quod absit) sed quia apud uos de integro agere potero, neque uerò est ut timeatis, ne sententia seipsa rescindat: quod audire intra uos loquentes uideor. Damnamus Euathlum? aut absoluimus, quia non soluet reliquum mercedis ut pepigit, cum nullam dum uicerit causam. Absoluimus? at damnamus, quia soluet reliquum mercedis ex pacto, cum iam aliquam causam uicerit, ita uictus uictor, & uictor uictus erit. Is nanque uictus est, qui per sententiam iudicum soluit quod ab eo petebatur. Is rursum uictor qui non soluit: atque hac ratione sententia nostra sese ipsa rescindet, pace uestra, longe id abest optimi iudices. Nam Euathlum si damnatis non absoluitis: quasi non sit soluturus, si non ex pacto, certe ex aliqua ratione damnaretis? Minime, sed de dolo malo, soluet igitur si damnabitur. Sin uerò absoluitis quod potius reor, non damnatis quasi sit soluturus quod petebatur. Quis enim cogit inuictum soluere? profecto nemo. Euathlum absoluimus? condemnabunt eum secundi iudices, nec magis eum quàm nos condemnabunt. Minime iudices: sed ob uestram sententiam, propter quam hic aliquam obtinuerit causam, Euathlumq; cogent ex pacto mihi reliquum mercedis persoluere. Ite nunc & timete ne uestra sese rescindat sententia, quia nec aduersa rescindi possit. Atque quo magis animaduertatis nullam subesse dubitandi causam, inspiciamus ipsa uerba quæ dubitationem facere uidentur. Ego iudices dicebam, si contra te lis data erit, mercedem mihi ex sententia debebis, hic è contrario loquens negat se debiturum ex pacto, uidelicet negat quod nemo ait, ego enim concedo, fateor, assentior eum, non debere ex pacto, si ex sententia. Rursus dicebam si erit iudicatum secundum te, mercedem mihi ex pacto debebis, quia tu uiceris: hic negat debere se ex sententia. Quid tu adolescens & in præceptorem ingratissime, & in iudices contumeliosissime, cum de sententia te conuenio, de pacto facis mentionem, cum de pacto non de pacto, sed de sententia loqueris? non ego te utraque ratione

debere

debere dico, sed alterutra uel ex pacto, uel ex sententia, ex horum utro debere te negas, nam neutro licet impudentissimus sis, dicere non potes. Vtrocunque ergo negaueris, altero certe debere confiteberis, finge iam pronunciatum, si uis, secundum me: nónne debebis ex sententia? finge pronunciatum secundum te: nónne ex pacto debebis? At enim non debebis tunc ex sententia. Audio. Fateor. neque enim ex duabus causis peto, sed ex altera, quia nec patrimonium habes, & testamento & ab intestato, datur tibi optio: elige utrum uelis, aut pro te sententiam ferri aut contra te, utrolibet modo soluturus quod peto, si contra te ex ipsa sententia, sin contra me, ex sequentium iudicum sententia. Quid ais? si contra te isti pronunciabunt nihil mihi debebis, quia non ex pacto? ergo horũ sententia pro nihilo erit? horum omnium iudicium friuolum putabis? horum autoritatem aspernabere? non sentis improbe, non sentis te iniuriam facere his apud quos reus es? At enim alio emendas capite, quod si pro te iudices senserint, nihil mihi ex sententia debebis. Non debebis tu quidem ex sententia, sed tamen propter sententiam, quoniam sententia hæc præstabit, ut alio iudicio seu apud hos, seu apud alios iudices uictus, mihi reliquum pecuniæ reddas ex pacto. Quid tibi est cum ista tergiuersatione, non artificiosa, sed arti repugnante, non ingeniosa, sed rudi, non utili, sed impudenti. Quicquid ais contra me, id omne ego tibi concedo, tribuo, fateor, non debere te mihi reliquum mercedis ex sententia, si ex pacto, neque ex pacto, si ex sententia: sed ita ut tu inuicem fateare mihi hoc rationi meæ obstare: ut autem ad uos iudices reuertar, non eo inficias uos secundum me ex pacto litem dare non posse, si summo iure agere uelitis. At si ex æquo & bono, atque ut inter præceptorem ac discipulum decet, præsertim contra dolum & fraudem, profecto secundum me iudicium dabitis, debebitque Euathlus mihi reliquum mercedis & ex pacto & ex sententia. Quod si forte noluerítis, etiam atque etiam rogo, ut pro hoc potius quàm pro neutro litem detis, quo nomine ego contra quem pronunciabitis habebo uobis uel maximas gratias, quas nisi iste quoque se habere confitebitur, erit in uos sicut in præceptorem ingratissimus. Hæc Prothagoras si pro se dixisset, opinor iudices ad pronunciandum fortasse pro se, aut certe (quod ipse uolebat) contra se induxisset. Sed hanc argutiam siue Euathli, siue Tysiæ, siue alterius, si quis his prior fuit quidã, ut uafram solertemque admirantur, quorum est Aristoteles, qui secundo rhetoricorum libro tradit id præceptum subito hoc exemplo. Socrates non sinebat filium habere orationes inquiens: Si iusta loqueris hominibus eris inuisus, sin iniusta dijs. Imò oportet orationes habere. Nam si iusta loquor dij me diligent, sin iniusta homines. Num ista ratione refutare posses optime præceptor orationem meam tibi dicentis. Noli fretum Siciliæ transmittere, ne si plus ad dextram declinaueris periculum tibi sit à Scylla, à Carybdi autem, si plus ad sinistram: dicas, ut, uolo transmittere fretum Siciliæ, quia si ad dextram declinabo non erit mihi periculum à charybdi, nec à scylla si ad sinistram. Qua confutatione quid stultius? nam istud quod ais in mea inerat oratione, quasi cõsequens. At enim Cicero ait si complexio uera erit, nunquam reprehendetur. Et quis aut quo pacto iudicabit an uera sit, profecto cum iudicatum fuerit esse falsam complexionem, iam superuacuum fuerit cõuertere, & quasi cum uicto captoque hoste uelle pugnare. Sed qua ratione dignoscatur falsa complexio ac uera, nos ipse præceptor non docet, cum in duobus hanc rem tractet operibus, cuius hæc uerba sunt in rhetoricis. Quæ uerò sicuti necessaria inducentur, ea si forte mutabuntur, modo necessaria argumentatione, neque erunt huiusmodi, sic reprehendentur. Primum complexio, quæ utrunque concesserit debet tollere, si uera est nunquam reprehendetur, sin falsa, duobus modis aut conuersione, aut

alterius

alterius partis infirmatione. Conuersione hoc modo: nam si uerettur, quid eum accuses, qui est improbus? sin inuerecundum animi ingeniũ possidet, quid eum accuses, qui id parui auditum existimet. Hic si uereri siue non uereri dixeris concedendum hoc putat, ut neges accusandum, quod conuersione sic reprehenditur. Imò accusandus est, nam si ueretur accuses, non enim parui auditum existimabit. Sin inuerecundum animi ingenium possidet, tamen accuses, nõ est enim probus. Alterius autem partis infirmatione hoc modo reprehendetur. Verum si ueretur accusatione tua correctus ab errato recedet. Superius autem tanquã uerae complexionis exemplũ posuerat Cicero inquiens: Complexio est in qua utrum concesseris reprehendetur ad hunc modum, Si improbus est cur uteris? si probus cur accusas? In libris ad Herennium haec eius sunt uerba: utuntur igitur studiosi in confirmanda ratione duplici conclusione, hoc modo: iniuria abs te afficior indigna pater, nam si improbum esse * Thresponté existimabas, cur me huius locabas nuptijs? si probus est, cur talem inuitam, inuitum cogis linquere? Quae hoc modo concludentur, aut ex contrario cõuertentur, aut ex simplici parte reprehendentur. Ex contrario hoc modo: nulla te indigna nata afficio iniuria. Si probus est collocaui, sin improbus diuortio liberabo te incommodis. Ex simplici parte conuertentur, si ex duplici conclusione alterutra pars diluetur hoc modo: Nam si improbum esse Thresponté existimabas, cur me huius locabas nuptijs? duxi probum, erraui, post cognoui & fugio cognitum. Igitur reprehensio huius conclusionis duplex est, acutior illa superior, facilior haec posterior ad excogitandum, cur dicat Cicero faciliorem hanc, & illam acutiorem non uideo: nullius enim negotij est, uti conuersione, nisi forte uelimus uti etiam peruersione uerborum quod non licet ut ipse facit. Nam cum dixisset filia, si improbũ esse Threspontem existimabas, ipse uertit, si improbus est. Aliquo ut dissentire audeam facit quod in libris ab eo sanè compositis de arte oratoria, nullam uideo huius praecepti factam mentionem, ut magis haec è scholis rhetorum quàm ex usu orandi sumpserit. Ideóque huiusmodi responsionem nulla in oratione quantum equidem ipse legi, usurpauit, meritóque Quintilianus huius friuolae confutationis silentium egit, tacite eam damnans, quasi indignam quae ab ipso reprehenderetur per sese damnatam & explosam: filia enim patrem incusat: si improbum esse Threspontem existimabas, cur me me huius collocabas nuptijs? pater respõdit, si improbus est, diuortij liberabo te incõmodis. Non cur me nunc ab illo separes pater queror, sed cur me illi collocaueris, si improbus erat. Item incusanti si probus est collocaui. Me miseram non quod probo collocaueris queror pater, sed quod seiungas, si probus est ab inuito inuitam, fac filiam haec duo non coniunctim dicere, afficior incommodis diuortio, si est probus. Quid alteri cur illam à probo seiungat inuitam ab inuito? certe non hoc, collocaui si probus est. Qui ergo fieri potest, ut quae rationes separatim dictae, nihil efficiunt atque adeo uesanae sunt, eaedem coniunctae ualeant saneque sint? Item in altero exemplo. Si ueretur quid eum accusas qui est probus: Quis adeo demens est qui sic occurrat, imò accusem qui id nõ parui auditũ existimabat. Et cum dixero si inuerecundũ animi ingeniũ possidet, quid eũ accusas, qui id parui auditũ existimet, sic cõtra dicat, imò accuses qui nõ est probus. Vides ut non est utendũ conuersione, nec rationũ peruersione, quasi quis obijcienté in ipsum manus uelit repellere transuersis manibus, ut dextrã apponat alterius dextrae, & sinistram sinistrae, & nõ potius recta brachia opponat rectis alterius brachijs, atque ita refellat: si uereẽ et si probus sit, tamẽ accuses, ut quod sua probitate nõ faciebat, id tua accusatione correptus faciat. Sin inuerecundum animi ingeniũ possidet, tamẽ accuses qa forte nõ parui faciet se accusari, aut si faciat praesta hoc famae

tuae,

filiis Cresponta

tuę, ne per te stetisse homines putent, quominus corrigeretur, ne particeps illi in speccando uideare, & multa alia quę dici possunt. Hæc sunt quæ ostendunt falsam fuisse complexionem, quo ostenso, quis dicat opus esse amplius conuersione, etiam si quid haberet momenti? Illam autem superiorem qua filia in patrem usa est complexionem, non ausim confutare quia iusta est, nisi forte dicat pater & si improbus erat tamen ei te nuptũ dedi, quia tyrannus me coëgit, quia ab eo insidias timebam, quia sperabam & mihi & tibi commodum. & quę sunt id genus. Nunc autem iam liber à tyranno, ab insidijs, eum à quo nihil spero, quem & mihi & tibi incommodum expertus sum, repudio. At illa Ciceronis confutatio transuersa & obliqua, quid possit habere uirium? cum etiam directa & simplex nihil proficiat aduersus ualidam filię complexionem, duxi probum erraui, post cognoui & fugio cognitum. Reprehendit ne hac responsione pater filię rationem, an confirmat, an purgat factum suum, an potius damnat? certe damnat, se peccasse confitens, quod duxerit probum, qui esset improbus. Hæc cum ita sint, tamen Ciceronis modestiam licet cognoscere, qui & neminẽ conuersione non utentem carpit, & non omnem complexionem uoluit posse conuerti: qualis est illa, Si improbus cur uteris? si probus cur accusas? At Aulus Gellius uidetur sentire semper debere conuerti complexionem, ideóq; Plinium carpit quod complexionem quandam non uiderit posse conuerti. Nam quum de hac re in quinto libro disputasset iterum (ut est in materijs dissipatus) in octauo sic inquit: Plinius secũdus existimatus est esse ætatis suę doctissimus. Is libros reliquit quos studiorũ inscripsit, haud medius fidius usquequaq; aspernandos. In his libris multa & ad uaria oblectandas eruditorum hominum aures ponit, refert etiam plerasque sententias, quas in declamandis controuersijs lepide argutéq; dictas putat. Sicuti hanc quoq; sententiam ponit, ex huiusmodi controuersia. Vir fortis præmio quod optauerit donetur, qui fortiter fecerat, petijt alterius uxorem in matrimonium & accepit. Is deinde cuius ea uxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem, contradicitur. Eleganter igitur & prouerbialiter ex parte posterioris uiri fortis, uxorem sibi reddi postulantis, hoc dictũ est, Si placet lex redde, si non placet redde. Fugit autem Plinium sententiolam istam quam putauit esse argutissimam, uitio non carere quod græce λῆμμα dicitur, & est uitium insidiosum & sub falsa laudis specie latens. Nihilo enim minus conuerti ex contrario idipsum, aduersus eundem potest, atq; à priore illo uiro forti dici, si placet lex, non reddo, si non placet, non reddo. Hæc Aulus Gellius qui nullam in referendo dilemmate exceptionem adhibet, iniustéq; Pliniũ reprehendit, prior uir uxoris de qua agitur inquit, ei qui suam optauit uxorem ais tibi placere legem, cur ergo non permittis me quoq; optare ex lege? ais non placere, cur tu ex lege optasti? inquis, si placet lex non reddo. Istud non est, si placet lex dicere, sed si placet uxor. Placere enim legem aut non placere, est illam seruandam, aut non seruandam putare, idq; ab utraq; parte non quatenus dat tibi potestatem optandi alienam uxorem esse seruandam, quatenus dat mihi non seruandam. Nam quod respondes non minus ineptum est, quàm cauillosum, si placet non reddo, si non placet non reddo, responde placet ne tibi lex? quod in dubium uocas uoluntatem tuam, certe aut placet tibi lex, aut non placet, fac ut quid tibi placeat, aut non placeat, non ignoremus, quin de animo ac de sensu tuo respondes? Esto ut placeat seruare legẽ, optare potero tuam uxorem ex lege, esto ut non placeat non potuisti ex lege quę tibi non placet optare uxorẽ meam: falsò igitur A. Gellius Plinium reprehendit, nec ut dignũ erat illa eruditione sensit de antistrephonte siue conuersione: neq; id solum, sed etiam in cognoscendis causis exercitatus, non boni iudicis officio functus est, qui nec

debitam præceptori mercedem reddi uelit, nec ereptam uiro uxorem, neq; uerò dissimulauerim nonnulla rationis specie inductos, qui antistrephon posuere in præceptis. Siquidem quędam huiusmodi exempla faciem quandam pręferunt argutę uenustæq; reprehensionis, quale illud est: Philosophus quidam adijt regem atq; adorauit: deinde illi assedit, dixitq;, Si deus es adorare te debeo, si non deus sed homo non debeo adorare. Hunc rex ita reprehendit, si deus sum, assidere mihi non debes, sin homo, non deus, nec adorare. Grauis & digna uel rege uel sapiente uox. Ac ne philosophi quidem indigna se oratio, cur igitur eam reprehendit rex ac iure reprehendit idq; per antistrephon? Non reprehēdit rex orationem philosophi, sed factum, nec uerba confutauit, ideo nec antistrephonte est usus. Cuius rei hæc probatio est, quod si ille nec assedisset regi nec adorasset, sed dubitans quid sibi agendum esset, illa uerba dixisset: haud dubie ab rege reprehensus non fuisset: fuisset autem si illa duo inter se contraria nulla adiecta oratione fecisset. Est ergo regis sermo perinde ac si philosophus nihil fuisset loquutus, & dilemmate non antistrephonte usus est, ut si dixisset, Aut homo sum aut deus. Si homo, cur me adorasti? sin deus cur mihi assedisti? Neque enim interest in dilemmate an interrogatione utaris an non. Nonnunquam tamen orationem utiq; conuertere alterius uideamur, ut si quis neget asperitatem cæli timendam, hac ratione, quoniam si fuerit hyems, non æstuabimus: sin æstas non algebimus: ita eum repellas antistrephonte, Imò timenda est nobis asperitas cæli: quoniam si fuerit hyems algebimus, sin æstas æstuabimus. Hic nō refellimus alterius rationes, sed tanquam dimidiatas atq; inexpletas explemus: ut propemodum est respondendū hoc modo, Fateor isthuc non alsuros nos si erit æstas, nec æstuaturos si erit hyems, uere hoc quidem dixisti sed imperfecte, & de toto dimidium attigisti. Nam si erit æstas, nónne æstuabimus? sin hyems, nónne algebimus? Quomodo igitur reprehendi potest fallò loqui, quem aduersarius uerum dixisse confitetur, aut quomodo utitur conuersione qui rationes aduersarij non conuertit, sed explet atq; supplet.

*Magnopere uerborū consideranda pondera.* *Cap.* XIIII.

HAec persequutus sum longius, ut ostenderē maximos etiā uiros per incuriam loquendi esse lapsos. Vt ineptū sit uelle cōplecti omnia, à quibus caueamus, aut ambiguis, aut obscuris, aut fallacibus. Acuto est ingenio opus, eruditóq; ac subacto. Nam illa non docere, quale est non esse Aethiopem planè nigrum, quia habeat dentes albos, sed dici posse album longe stultissimū est: Niger enim & albus homo uocatur à cute nigra, albá ue, ut equus à pilo, & auis à penna, non autē à dentibus, quia nec rubicundus, aut rubidus, aut ruber dicitur à lingua, hoc ineptum, illud ineruditū, quod è discipulo fit præceptor, nō autem statua, sed statua fit ex ære, quasi pręceptor non sit factus ex patre, ut statua ex ære, nec statua fiat ex lebete, & præceptor è discipulo, quanquam in illis superioribus pręceptor & statua sunt suppositum, in his uerò appositum: quod æs fit ex lebete statua & quispiam fit ex discipulo præceptor. Nam illud calumnia non uacat, licet reprehensu facile, ut dicenti mihi præter phœnicem me omnem auem uidisse, sic contradicas, hanc auem quam sub pallio teneo, non uidisti, ergo nō omnem auē, quasi ego de indiuiduis auibus, & non speciebus earum fuerim loquutus, et non ad meā qui loquor uoluntatē, sensumq; potius sit respiciendum, quam ad tuā interpretationē calūniari uolentis, dum ego ad consuetudinē doctorū loquar, reprehendi nō possum. Quē si tu captionib. adorieris, leges loquendi ac mores tanquā iura quędā ciuilia appellabo. In iure eñ ciuili captionibus locus non est, & si quid dolo malo gestū est, id rescindi iubetur & irritū esse. Verum ut captionibus obuiā ire debemus, ita subtiliter inquirere & uerborum

pondera

pondera examinare debemus: ut hostis uidit aut intrauit urbē recte dicitur, etiā si ex parte uidit aut intrauit. At hostis cepit urbem, nō nisi aut totam, aut ex maxima parte. Nam urbem cepisse Sabini non dicuntur, qui capitolium, nec Porsena qui ianiculum, & partem transtyberinam cepit. Sed Gothi, qui totam urbem & Galli qui præter capitolium totam cœperunt. Itaq; si quis in hoc errauerit ab usu cōmuni recedens, eum iure optimo notabimus, quale est illud, quod alicubi est, in loco est, & quod in loco est alicubi est: hic uidetur sibi aliquid dicere cū nihil dicat, perinde ac si diceret, quod usquā est, alicubi est, nam alicubi, nihil est aliud quàm aliquo in loco & usquā non aliud quàm alicubi: nisi quod solœcismus sit dicere, quod alicubi est, usquā est, ut proximo libro ostēdi. Quid ergo dicit, qui hoc dicit, quod in aliquo loco est, in loco est, & quod in loco est, in aliquo loco est? Profecto nihil pro diuersis ponens quę diuersa non sunt. Ac ne quis ista obesse nō putet, hac ex re magnū illic flagitium admissum est, ubi de tēpore disputatur, ut uerbis Boëtij utar. Tempus aut habet originem aut nō, si tēpus habet originē, non fuit semper tēpus, habet autē originē, fuit igitur quid quando non fuit tempus. Sed fuisse temporis significatio est, fuit igitur tempus quando nō fuit tempus, quod fieri nō potest. Non igitur ullum principiū temporis, reditur itaq; ad alterā partem quod origine careat. Quis huic proponenti cōcedat, si tempus habet originē non fuisse semper tēpus, cum semper & in omni tempore idem sit? Quid enim absurdius quàm dicere tēpus non fuit omni tempore, siue fuit tempus quo nō fuit tempus. Nam quando idem est quod quo tempore. Sed quid de quęstione dicemus? utrū habuerit tempus originē an nō? dicam de hoc, & si non plurimum ad rem facit. Si de æternitate dei loquimur, non habet originem tempus illud æternitatis, quia nunquam ortum est, origo enim ab oriendo dicta est. Sin de mundi æuo habebit originem tempus, tempus inquam uniuersum, & ut sic loquar totum temporis corpus, cuius origo tempus est, id est, pars uniuersi temporis, sed pars prima, ut in cæteris rebus fit, origo fluminis flumen atq; principium uiæ uia est, principium uitę uita est. Principiū terrę, maris, ignis, solis, lunæ, cæli, aliarumq; rerum non aliud sunt quàm terra, mare, aër, ignis, sol, cælum, & item cætera. Neque audiendi quidam qui uolunt duo illa uerba incipit & desinit habere tempus ante se, ac post se. Nam actiones nostræ, ut nauigare, militare, disputare, scribere, loqui, ac cæterę huiusmodi, habent illæ quidē tempus, & priusquam incipiunt, & posteaquā desinūt, & tempus earum habet aliud ante se tempus, & aliud post se, siue suum ante & suū post. At ipsum tempus uniuersale & (ut dixi) ipsum temporis corpus, siue illud æternum, siue hoc mundanum non habet ullum uel ante se, uel post se tempus. Alioqui totum tempus non foret, sicut cælo nullus est ulterior locus, sed ipsum à se incipit & in se desinit. At enim dicimus ante tempus quid erat. Quid mirum? At non etiam dicimus supra cælum quid est. Id fit consuetudine sermonis humani, qui non nihil etiam rationis habet. Nam supra cælum putamus aquid esse, quoniam ut à sanctis literis habemus non unum cælum est, & corpus Christi supra cælos ascendit, etiam ultra hoc mundanum tempus, quo intelligimus est illud æternum ulterius, quod nos diuinamus quodammodo ac suspicamur. Quia de tempore & cælo dixi, non omittam illud quod quidam aiunt, non placere mihi, nos metiri magnitudine motus, tempus, & magnitudine temporis motum, quod quomodo fiat non uideo. Plurima sunt huiusmodi, quibus se passim philosophi exercent in omni philosophię parte, plerunq; in uocabulis occupati, ut nōnunquā ad grammaticā mihi descendisse, imò in media grammatica uersari & ædificia sua uerbis, tanquam columnis fulsisse uideantur. Verum in hoc istos facile patior. Quid enim melius q̃ arte grāmatica uti, pręsertim

usu

usu cōfirmata. Quo minus illos tolerare possum qui etiam ab arte, & ab usu deficientes, uolunt esse diuersa, uideo Platonem, & Platonem uideo, mundus fuit ab æterno, & ab æterno fuit mundus, possibile est sedentem currere, & sedentem possibile est currere: quasi hoc Aristoteles tradat, quod nunquam ille sensit, nec qui eum interpretantur græci sic interpretantur. Et sanè quis unquā post homines natos, aut in scriptis aut in uerbis alicuius hoc obseruauit quod isti nescio qui philosophi præcipiunt nescientes necessaria, consectantes inania. Sed ne solos philosophos uelle sugillare uidear, (quanquā hoc nunquam feci) sugillabo Ciceronem in libris de oratore, ubi uult quendam fuisse omnium iurisperitorum eloquentissimum & omnium eloquentium iurisperitissimum. Vtar autem dilemmate, ut usu quoq; comprobem, quod præcepit tradidi. Si distincti iurisperiti atq; eloquentes & alij hi atq; illi, quomodo potest quis esse eloquentissimus inter iurisperitos, quorum nemo nisi hic est eloquens? aut iurisperitissimus inter eloquentes, quorum nemo præter hunc est iurisperitus. Sin indistincti, sed utriq; sunt iurisperiti simul et eloquentes, qua ratione hic sit tantum alterorum eloquentissimus, alterorum iurisperitissimus, & non omnium eloquentissimus, & idem iurisperitissimus? Atqui talem Cicero non sentit, sed mediocrem & iurisperitos antecellere eloquentia, & eloquentes iurisperitia, uidelicet quia ab aliquo iurisperito superetur eloquentia, & ab aliquo eloquenti iurisperitia. Sed quis erit iurisperitus non eloquens? cum dicatur omnium iurisperitorum eloquentissimus, aut eloquens non iurisperitus, cum dicatur omnium eloquentium iurisperitissimus? sed id sentit non id quod sentit loquitur, quoniam per superlatiuū (qui ad ea quę sunt eiusdem generis refertur) loqui non debuit. Etenim si quis faber tignarius atq; idem structor, cōparatus ad eos qui sunt aut fabri tignarij tantum, aut structores, nō dicetur fabrorum tignariorum eminentissimus, quia structores illi fabri non sunt, quinetiam nec fabrorum eminentissimus faber, nec structorum structor eminentissimus, quia talis non est. Quod si illi fuerint, ut hic & fabri & structores? certe non dicetur eminentissimus structorum faber tignarius, & fabrorum tignariorū eminentissimus structor, etiam si illorum pars minus belle struat, & pars minus belle opus fabrile faciat: Quoniam utriq; utroq; artificij nomine nuncupantur, & inter diuersa non habet locum cōparatio superlationis. Idem alio in opere ait: Tales igitur amicitię sunt remissione usus eleuandæ, & ut Catonem dicere audiui, dissuendę magis quàm discindendæ (ut Catonis utar metaphora) Amicitia est duorum quasi pannorū consutio. Qua igitur ratione possunt hi panni separari, nisi qua copulantur, id est, dissuendo? Nam si pannum unum alterum'ue scindas, tamen consutio manet. Melius si diceretur, filum amicitię quod utrunq; pannum nectit, dissuendū quàm scindendum potius esse, non autē duos pannos dissuendos potius quàm discindendos. Atq; hæc hactenus. libuit enim aliquantulum euagari in fine disputationis syllogisticæ. Iam consequens est ut de inductione, sed non ita multis uerbis disseramus. Nam ueteres omnem probandi rationem in syllogismum & inductionem diuiserunt.

*De exemplis præcepta ex Quintiliano.* *Cap.* XV.

EA quoniam ab exemplis originem trahit, quemadmodum ex Quintiliano de argumētis unde syllogismis origo est, præcepta repetiuimus. Ita hic quoq; ex parte faciamus, sic autē post illa quę proximo libro repetiuimus persequitur hic autor. Tertium est genus ex his, quæ ex intrinsecus adducuntur in causam graci παράδειγμα uocant, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & specialiter in his quę rerum gestarum autoritate nituntur. Nostri ferè similitudinem uocare maluerunt, quod ab illis παραβολὴ dicitur

hoc

[redacted]

FINIS.

# LAVRENTII VALLAE PRO SE ET CONTRA CALVMNIATORES, ad Eugenium IIII. Pont. Max. Apologia.

Erat æquius, summus Põtifex, ac mihi quidem multo optatius, me uel in illo superiore iudicio, si iudicium dicẽdum est iudiciũ conspiratio, obiectis respondere, uel postea iudice te causam dicere, quàm absentem scribere defensionem: quem etsi tua fide, quam dederas, tutum esse oportebat, tamen experta mihi inimicorũ malignitas fecit, ut portu, in quo eram, nihil importunius esse censerẽ. Nũc aũt postq̃ uitæ, qua periclitabar, cõsului, pudori meo, quod secundũ est, sed nõ minoris faciendũ, cõsulere debeo, ne criminibus à me non purgatis, plus liceat mẽdacio q̃ ueritati, calũnia q̃ innocẽtiæ, inuidiæ q̃ uirtuti, neue quod per iustissimũ ac sapiẽtissimũ regem accusatores non obtinuerunt, id per te sanctissimũ patrem, quod sit indignius, obtineant. Satis est quod semel incautum nouo scelere circũuenerunt, quod summũ in discrimẽ adduxerũt, populo in me incitato atq; armato, quod extrema infamia conspergere conati sunt. In quo

persancte eos, perq́ pie fecisse confitear, nisi scelerate, nisi nefarie, nisi impie fecerunt. Nam per immortalem deum, quando unquam fando est cognitum, ut qui iudices fuerunt, ijdem accusatores fuerint: qui accusatores, ijdē testes: qui testes, ijdem inimici? qui me reuellere obiecta uolentem uetuerunt, qui orātem uel audire aspernati sunt, qui lamentantem terruerunt: si loqui perseuerassem, me non modo sensisse hæreticè, sed esse pertinacē in hæresi continuò se pronunciaturos, ac per ipsum populum qui aderat, lapidaturos, quum etiam ius in me inquirendi non haberēt. Quod genus hoc hominum, quæ'ue hunc tam barbara morē permitit patria? hospitio prohibemur harenæ. Licet enim mihi de immanitate hominum Vergilianis uersibus queri. Facta fuit per se dicendi potestas Miloni homicidæ, facta Verri sacrilego, facta Catilinæ parricidæ. Quum primū plures, dicentibus testibus, qui cædi nobilissimi hominis interfuissent, arguerent: alterū Sicilia tota, tertium plerique Romanorum. Orestes quoque quum sua manu matrem necauisset, tamen in defensione non facti, sed iuris auditus est. Vnde nūc hęc nouitas, & perniciosum sanè humanis rebus exemplum introducitur, iudiciorū tollere alteram partem? hoc si permittitur, iudiciorum omnis ratio intercidit. Quid enim opus est iudicijs, ubi absolutio esse non potest? carnifex potius adhibēdus est quàm iudex. Proinde si fateri uolumus, carnifices in me illi, quantum in ipsis fuit, omnes extiterunt. Danda est, danda etiam manifesti criminis reis defendendi facultas, uel ob hoc ut grauiori pœna digni per ipsam obstinationem esse uideantur. At ea quæ mihi obiecta sunt, tantum abest ut manifesta crimina putentur, ut etiam eximiam quandam uel præstantis eruditionis, uel optime de Christiana religione sentiētis, speciem præ se ferant. Quanquā ô bone Iesu, uideor me uobis errare? uos ipsos appello accusatores, indicate errorem, docete culpam, & peccati mei aperite rationem. Nam quum confessionem à me extorquetis, non sententiam mutare, cur enim mutem quum meliorem non uideam? sed mendaciū loqui cogitis, & secus ac sentio dicere: quo quid aliud declaratis, nisi uos hominem perditū malle quàm seruatū? Et postea clamant me relapsum esse, quum ita me in lubrico posuerint, ut aut iacendum mihi semper, aut ad primum quenque gradum sit collabendum. Etenim scripsi de grammatica, lingua Latina, logica, rhetorica, iure ciuili, philosophia, alijsq́ nonnullis, examinans proxima secula, & uiuentium plurimos. Isti quū neque disputando uincere me possent, nec aduersus libros meos scribere auderent, per causam earum rerum, quæ ad religionem pertinere uidebantur, etiam illa quæ ab religione longissime abhorrebant, condemnarunt: ne quando contra eos hiscere auderem, imò ne uerbum quidem ullum facere. Nam quî fieri potest, ut de studijs aut taceā semper aut aliter dicam quàm sentio? Atque ut uesaniæ eorū cumulus accederet, adactus sum iusiurādum interponere, quod illa ex animi mei sententia, quod fieri non poterat, cōficerer. Neque hac de me pœna cōtenti, exitiū meum, quod sibi futurū utique promiserant, auidi expectabant. Magnus est, summe Pontifex, magnus inuidiæ stimulus, magna indignatio, superari cū à cæteris, tum uero à iunioribus: magnū odiū in eos, qui singulari peritia freti, traditis aperte simpliciterq́ præceptis bonis, imperitos necessario reprehendūt ac damnant: & quemadmodum ad magnorū generoso animo canum, aliarum'ue nobilium ferarum transitū, cęterorum undique plebeiorum canū progressus atque adlatratus, ita in me inimici mei, & si magni potētesq́ uiri sint, tamen uelut catuli in ursum inuaserunt. Mihi crede pro tua fide, summe Pontifex non amore religionis, cuius hostes sunt, non uirtutis reuerentia, quam nunquam degustarunt, non decoris nomine, quem in alijs quoque euerterunt, ad opprimendum me incubuerunt, sed inuidia, sed dolore, sed maliuolentia. Quid enim

enim mihi tanquam male sentiēti de fide possint obijcere? quum ipse queam ex uitæ meæ actibus eam ostendere, illi nequeant ex sua: quorū non uita modo turpissima est, uerumetiam fama, ut taceam quosdam eorū cerebrosos esse, ac prorsus insanos. Quæras fortasse, quæ nam me res ab impendenti iam infandæ mortis periculo subtraxerit? Nō mea fuga, non amicorum preces, non casus aliquis, sed deo hanc mentē inspirante, rex optimus, qui ubi Iudaicū in me iudiciū resciuit, adeò ægre tum iniuriā meam, tum crudelitatē illorū, tum pessimū exemplum tulit, ut nunquā in omni uita, uir ingenio placidissimo, uisus fuerit iratior. Mentior, nisi hæc per proceres domus regiæ domesticos, in tota ciuitate uulgatū est: uocatosq; coniuratos, non modo ut iniquos iudices, sed etiam ut falsos accusatores & testes, uehemēter increpuit. Nō pudebit me referre in defensionem capitis & famæ, quod de laude mea rex sapientissimus dixit. Nec est mēdacijs locus, nō modo multis alijs, qui audierunt, & ad me detulerunt testibus, sed ipsis quoq; inimicis non negaturis: quanquam quid mirandum de hac laude? quum multo maiorem mihi tribuerit ijs literis bulla aurea munitis, in quibus me tantus princeps omnibus penè scientijs atq; poëtica uel fecit insignem, uel esse testatus est. Quid igitur dixit? Vos uero pessimi mortaliū, estis inuidia atq; odio, non fidei cōtemplatione aggressi hominem, non modo multo synceriorem uobis, uerumetiam doctiorem, & doctiorem uobis uniuersis, cum quo pugnare ueriti, insidias ei tetendistis. Nam si in questionibus, quas disputādas proposuerat, male sentiebat, eum conuincere debuistis, non furtiuo iudicio circumuenire. Itaq; & iudiciū uestrum damno, eo quidē magis, quod in eum qui uobis è domo incerta est, inquirendi potestas non fuit, & ipsarum questionum me iudicem facio. Præsto mihi sitis igitur ad tertium diem. Is autem tertius dies, beatissime pater, ut nullus esset, ab illis causæ suæ iterum ut ante diffidentibus, cum precando, tum causando effectū est, semperq; postea ut à me uicti uulgo cōspecti sunt, et propè dixerim triumphāti. Quod cum ita sit, quę tandem peruersitas est, ne dicā rabies, tunc illorum quosdam abs te postulare, ut quem nocentem probare, sapientissimo rege exercere iudicium uolente, cōfisi non sunt, eum tu nocentem sine probationibus statuas? & cui sapientissimus princeps, uel dedit, uel superuacuam duxit absolutionem, ei tu clementissimus pater inaudito arroges pœnam? Hoc si tibi, ut est, indignum uidetur, illud profecto plusquam dignissimum postulatū est, ut mihi nec illorum iudicium, quod pharisaicum fuit, obsit, nec sapientissimi regis siue præiudicium, siue iudicium prosit, tuq; sanctissimus iudex hāc causam tanquam ab initio cognoscas. Omissa itaq; rei gestę narratione, quam tibi ut in istis tot tantarumq; rerum occupationibus audire uacuum non est, ab re ipsa incipiam, quęstionum ut quęq; posita est, ordinem sequens. Primum, super opere de uero bono, quas dixerunt philosophi uirtutes, exceptis Epicureis, non fuisse propter se expetendas. Quid hoc quęso, sanctissime pater, ad hæresim facit? Nunquid sequi insequiue philosophos, hæreticum tegit aut retegit? Quid si de philosophia certamen proposui, nónne pręter legem certaminis est aggredi me Theologię armis, idq; à tergo, non à fronte? Finge enim me hac opinione falli, nunquid de re religione Christiana non sentio, ut debeo? quasi unius Epicuri sententia sit damnata, aliorumue probata? in quo planè indicāt isti calūniatores imperitiam suā, qui neq; sectā Epicuri, nec uoluptatis nomē quid significet intelligūt. Malus'ne uir Epicurus fuit, gulæ uenteriq; deditus? Imò uero quis eo parcior, quis cōtinentior, quis modestior? et quidē in nullo philosophorū omniū minus inuenio fuisse uitiorū: plurimiq; honesti uiri, cū Gręcorū, tum Romanorū, Epicurei fuerūt. At laudauit ille uoluptatē, differo paulisper de uocabulo dicere, laudauit ille quidē uoluptatē, sed quā ab omnibus laudatā inuenerat: & ut taceam

¶ sup opere de vero bnó

exteros

cæteros infinitos, à Platone plurimis in libris, qui eam uoluptatem animi à corporis uoluptate secernit, quod uult etiã Epicurus, & quidẽ ut Lactantius ait, bonum ipsum in sola animi uoluptate cõstituens, sicut Aristippus magister eius in corporis. Ab Aristotele, qui ne multis moror, inter alia, quæ ab eo de uoluptatis laude dicuntur, quodam loco ait dubitare se, nunquid felicitas propter uoluptatem, an uoluptas propter felicitatẽ expetenda sit. A Xenophonte imprimis eximio nostra sententia & philosopho & oratore, qui quum regem optimũ in persona Cyri institutũ ad uoluptatem ostendit omnia referri, & uirtutes nõ expeti, sed subijci, non sua causa: quippe cũ sit actio, non finis: labor, non quies: iter, non sedes: sed uoluptatis. In quo ergo differt Epicurus à cęteris, dicat aliquis. Primũ nõ à cæteris ille, sed à paucissimis differt, deinde ab ijs qui partim dicunt nõ summum, partim nõ solum, sed unum quoddam bonum esse uoluptatem, quam hic solum bonum cõstituit: cuius quidem multæ sunt species, tam animi, quàm corporis: sed in ijs expetendis tantum peccatur, si minores maioribus præponantur, ut si quis ægrotans, præsertim suauitate potionis securam negligat incolumitatem: quales illi fuerũt, quos Homerus apud Lothophagos subsedisse inducit, nolentes in patriã reuerti illius graminis gustata dulcedine, aut quos Circes poculo, aut quos cantu Syrenum fuisse delinitos, quorũ alteri in belluas conuersi, alteri sunt in mare demersi: & alia multa quæ sapientissimus Poëta, & omni philosopho maior, figuris obũbrauit, longe remotus ab illa sententia, ut diceret uirtutem esse ad quem tendimus finem, sed cum alia, tum uero gloriam: quem imitatus, eius, ut sic dicam, discipulus Vergilius, Latinorũ poëtarũ magister & princeps, inquit: Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus Omnibus est uitæ: sed famam extendere factis, Hoc uirtutis opus. cũ quo Latini penè consentiunt omnes. Cicero certè, qui in philosophia Academicus erat, idem modo hanc, modo illam opinionem asserens, dum extra mentionẽ philosophiæ loquitur, sic ait in oratione quadam: Nullam enim uirtus aliam mercedem laborũ periculorumq; desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid est quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, tam breui, tãtis nos in laboribus exerceamus? Aut ut altius uela tollam, & omnis medio in mari impleã sinus, dicam aliquid de Theologia. Nunquid nos ieiunia, nuditatem, contemptum, egestatẽ, uerbera, uulnera patimur? num pericula, & quod summũ putatur, mortem subimus, ipsarum duntaxat amore uirtutum? an ad finem uitæ æternę, præponentes futura bona præsentibus, ut multo maiora atque meliora, alioquin non relicturi hæc, nisi pro ipsis alia redderentur? Quod si dicant benefaciendum esse, etiam si nulla remuneratio præponatur, quia deus propter se amandus est, audio, licet de hoc etiam posterius: sed aliud est amare deum, aliud amare uirtutẽ, quæ laboriosa est, quos labores ferre propter amorem dei dicimur, nõ amare: & hæc tolerantia uirtus est, & benefacere suapte causa nequaquã expetendũ. Vnde Paulus, Si in hac uita, inquit, tantũ in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si uirtus per se expetenda est, cur miseros facit, nisi sequatur remuneratio? at sequitur utiq;, Ergo remuneratio ipsa expetenda est, nõ uirtus, sed per uirtutem. Nec enim duo hæc bona sunt, sed unũ, quod nemo negat: tametsi uirtus bona dicitur non per se, sed propter finem, ad quem tendit: ut ægrotãtibus amara potio, adustio, sectio, quæ propter finem uocari bona, non propter se, uel ex hoc palàm est, quod nemo non mallet dulcibus medicamentis, quàm his atrocibus, molestisq; sanari. Et ipse benignius mecũ ac melius agi putarem, si ad eandem beatitudinem sine cruciatibus quàm per cruciatus uirtutum peruenirem, diceremq; cum domino: Si fieri potest, trãseat ab me calix iste. At diceret, fieri non potest, iustitia dei recusante, fateor. Sed ô ridiculos homines, qui quũ nolint esse

præmia sine tolerãtia, uelint tolerantiam esse sine præmijs. Quid tergiuersamur, quod de Theologia Philosophi efficimur? Cur uero uerba dei contempsimus? qui ad Cain inquit: Nónne si benefeceris, accipies: si autem male, peccatũ statim in foribus aderit? Et ad Abraham: Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Dixitq́ꝫ Abrahã: Domine deus quid dabis mihi? quod congruit cum Euangelio: Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid erit nobis? deinde respondit dominus quæ sit futura remuneratio, nequaquam significans amore uirtutum laborandum, aliter hos ita sciscitantes arguisset. Nónne idem inquit: Memento fili quod accepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala? nisi quod nonnihil habet boni, hoc est uoluptatis, spes futurorum, uelut obliqua illa radiorum super tecta tendentiũ in opaco claritas, & quasi lucis nuncia. Nam ipsa uera lux est præsens, ipsa uoluptas ac beatitudo, eoq́ꝫ poëtæ & alij quidem uirtutum pręmia apud campos Elysios describunt, nihil aliud profecto quàm uoluptates: sic & è cõtrario tormenta uitiorũ, quę sunt uoluptatibus contraria, qualia nobis tum præmia, tum supplicia sacræ literæ per figuras ostendũt. Suspicor iamdudum reluctari aduersarios, & nunc propè reclamare, quod gaudia illa æterna appellem uoluptates. Reddẽda est igitur, quam promisi, ratio nominis, aperiẽdusq́ꝫ error eorum qui de gręco uocabulo disputare audent, quum latinum ignorent. Quid dicitis? uoluptatem in medio positam? ut alia infinita, delectationem, amorem, uoluptatem, dolorem, gaudiũ, quo & bene & male affectu esse possumus: an utique uitiosam? Si superiore sensu intelligatis, nullus est reprehensionis locus. Bonã enim sequendam dico uoluptatem, non malam, hoc est ubiq́ꝫ minori maiorem, ut posteriorem mauultis interpretari: eo quod Epicurum, qui eam tantopere laudat, repudiandũ putatis, omnesq́ꝫ unà, qui illum tuentur, & præcipue si sint Christiani, apud quos hoc nomẽ explosum damnatumq́ꝫ est, ut ibi: Nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri. Primum uobis pro Epicuro, hoc est pro greco, deinde pro latinis, postremo de Christiana cõsuetudine respondebo. Et quod ad Epicurũ attinet, uidemini mihi ubiq́ꝫ uestri similes esse, quum illo tam magno errore ducamini, existimantes aliud nomen apud Epicurum uoluptatem, aliud apud Aristotelem esse lætitiam, sic nanque uobis barbari transtulerunt. Quod si Aristoteles non omnem lætitiam damnat, non dico amplius, causa uicta est: quàm lætitiam probat, is ne uoluptatem quidem improbat: quoniam duo hæc unum sunt duntaxat, apud illum. Nam apud nos differunt ut genus & species. At dicitis: Apud latinũ improbũ uocabulũ est. Improbior qui mẽtitur, & falsò accusat. Nam quis uos istud docuit? Vt omittam cęteros testes, Cicero nomen illud apud Aristotelem Platonemq́ꝫ, ac reliquos, semper trãsfert uoluptatẽ, & quid hoc atq́ꝫ illud significet ut sciatis, ita definit: Nullum uerbum quod magis declarat ἡδονὴν, quàm uoluptas. Huic uerbo omnes, qui ubiq́ꝫ sunt, qui latinè loqui sciũt, duas res subijciũt, læticiã in animo cõmotione suauem, delectationẽ in corpore. An uero delectatio, quũ gloriamur ob liberalitatẽ, ob misericordiã, ob opus aliquod egregie absolutũ, ob fugam periculi, iacturę, morbi, cęteraq́ꝫ huiusmodi, uoluptas nõ erit? quę duo nomina quid distent uix reperio: qui hoc negat, is profecto illiteratus est: sin ait, nimirum & uita æterna uoluptas erit. At non decet, inquiũt, istud nomen loquẽtes Christiane: quod magis decet, fruitio est, quod pro illo substituitis, quasi frui non minus accipi in turpem sensum & possit & soleat, & fruitio non sit nomen insolens, & tanq́ꝫ insuaue pomũ, quod nõ modo nusquã in syluis eruditorũ, sed ne in hortis quidẽ noui testamẽti ueterisq́ꝫ reperitur, quũ reperiatur uoluptas, & quidem frequenter atq́ꝫ in amœnissimo inter arbores loco. Afferam testimonium non falsum, ut uos facitis, qui ex uolũtate carnis dicitis pro uoluptate. In principio statim Geneseos legimus:

Plantauerat

Plantauerat autem deus ab initio paradisum uoluptatis. qui locus postquàm repetitus est, nō multò post paradisus dei uocatur. Eamus nunc, & uoluptatis uel nomen uel dignitatem criminemur: cui unquam rei tantum dignitatis tantumq; honoris tributum est? profectò nulli, non scientiæ, non uirtuti, nō potentiæ, non cæteris, quæ laudari & expeti solent: quid aliud censenda nisi beatitudo, quā qui insectantur, quid eis aliud præterquam ut illa nunquam potiantur, & suam portionem, si quam merētur, mihi relinquant? Transeo quod Dauid inquit: Ex torrente uoluptatis tuæ potabis eos. & Ezechiel de paradiso loquens nominat poma uoluptatis. Cur ergo, dicat quispiam, ad laudādum eam tibi hic assumpsisti? quid credas aliud nisi quod fluens ac solutus sum, & mea omnis uita ac studium propensum est ad corporis uoluptates? hoc ne inimici quidem mei, quū me destructū cuperent (loquar necessitatis, non iactātiæ gratia) dicere in me ausi sunt, quod feci ego potius in eos. Ego uero sanctissime pater, ut in opere ipso testatus sum, nō laboro de nomine: appellet quisq; ut uolet, siue uoluptas, siue fruitio, siue delectatio, siue gaudiū, siue felicitas ac beatitudo, dum res ipsa manifesta sit, appareatq; id quod probare statueram, nullam esse ueram uirtutem, nisi deo seruire: ne insultare nobis amatores gētilium possint, qui uolunt in his hominibus ueras fuisse uirtutes, qui nec acceptas uero deo referebāt animas, nec ab eo præmia ulla suppliciáue credebant, aut uiuis esse aut mortuis fore meritorium. Vbi sunt qui me sentire dicunt male de fide? qui assidue pro illa pugnaui, & hoc tempore, si uera loqui licet, pugno, ut ipsi criminatores mei dicendi sint fidei oppugnatores, ego propugnator. Quo soluitur secūda quæstio, uirtutes ancillas esse uoluptatis, eamq; illarum reginam esse, & omnem uoluptatem bonam, et solum hominis bonū, sed à deo procedere. Quū enim uoluptas siue delectatio à rerum conditore creata sit, non est malum appellandū, ut dulcedo aquę in febri, sed mala electio atq; animi imbecillitas: adeoq; falsum est dulcedinē culpari posse, modo minus offutura fuerit, quàm si amara extitisset. Qualitate enim nocuit, non sapore: quo sapore si quis se deceptum dicat, hic dum ebrius est, in excusationem culpæ, suauitatem uini causetur. Sed hæc satis. Sequitur tertia, Prudētiam non distare à malitia. quia tātum est cognitio boni & mali. De hac sanctissime iudex paucis agendū est, utpote aperta. Si prudentia est cognitio boni & mali, quomodo cōtraria erit malitiæ, quę in male agendo uersatur? erit actiua, non cōtemplatiua, & ob id contraria iustitię, nihilq; differens ab iniustitia. Si in male cogitando, hoc est, in male uolendo, in idem recidet. Iustitia enim atq; iniusticia ex animi inclinatione, nō ex corporis actione perpēditur. Si in cognitione rerū malarum, quod est cōtemplationis, quo pacto reprehēdatur, quū haud dubie malum non sit mala nosse, sed uelle? Quocirca relinquitur malitiā aut inane nomē, aut idem quod prudentiā uel iniustitiā esse. quod minus mirabitur, qui cogitabit prudentiæ sine iusticia nō solere tribui laudē: quoniā laus est in boni uoluntate, nō in boni scientia, & in hominē optima scientem cadere potest uoluntas pessimorum. Quod cū ita sit, quid prudens à malitioso differat nō intelligo. Ideoq; ut aliquid de Theologia perstringā, dicitur, prudētes sunt ut faciant mala, & filij seculi prudētiores sunt filijs lucis, & uillicus iniquitatis sapiēter fecisse iudicatus est: & alia loca multa, ubi prudētia siue sapiētia, nam idē gręcè in ijs locis sunt, etiā malis attribuit. Quarta quęstio mihi breuiter trāsigenda est. Nihil amari propter aliud, nec etiā propter se. Qui à me dissentiūt, nō intelligūt amorē finē esse, nō autē tendere ad finē. unde triū sororū postrema est charitas, & inter ordines angelorum summus est Seraphin, hoc est plenitudo amoris. Neq; enim, quod uulgo aiunt, amamus potētes propter spem, quū spes, ut demōstraui, amore sit prior, sed colimus, suspicimus, obseruamus, & hoc frequēter nō amātes. Si uero quempiā ama-

mus,

mus, efficiens causa, non finalis amorẽ peperit, quod is liberauit nos, quod auxit honoribus, quod opibus affecit, quod uidelicet amauit atq; amat: Itẽ quod amat quis fœminam aliquã, ut Iacob Rachel, non id fit potiũdi cupiditate, nam ea potius torquet, sed ex ijs quæ antecesserũt, quod uenustatẽ oris aspexit, quod suauitatem uocis sermonisq; audiuit, quod probum ingeniũ modestosq; mores annotauit. Ita in deo amamus illud, quod omnipotẽs, quod sapiẽtissimus, quod optimus, quod creator nostri, quod redẽptor, quod æternæ uitæ largitor. Atq; ita sentio, colimus eum, adoramus, obseruamus, propter se quidem, ut perfectissimum rerum omniũ, & autorem nostri boni, quæ est efficiẽs causa: propter nos autẽ, ut percepturos uitã æternã, quæ est causa finalis. Amare uero nec illum possemus, uel ob ulteriorẽ finem, quia ipse finis est, siue in ipso finis, uel ob seipsum, nisi ut effectorem, neq; nostrã felicitatem, quia amatio ipsa est nostra felicitas, donũ spiritus sancti, & ut dixi, uita æterna, quæ uocatur eadẽ delectatio, seu uoluptas, seu fruitio. Nam nihil differre ab amore delectationẽ, tum ex ijs liquet, quæ disputatu facile quisq;, qui ad iudicium animi sui referet, intelliget, simulq; illam penè ultimam quæstionem ueram esse, charitatem, uoluptatẽ, uirtutem, uerum bonum, idem esse, sed proprie uirtutes molestas, charitatẽ uero iucũdam. Quomodo autem charitas in aduersis fortunæ posita, sit uirtus quæ dicit̃ fortitudo, si locus hic magnopere desideraret, repeterem ex ipso modo opere probationes: sed ociosum fuerit, quãdoquidem nihil subest suspicionis hæreticę. Ex ijs autem quæ sequuntur, dissimulari non potest, eos inuidia atq; odio mei ad accusandũ descendisse, ut quẽ iusto bello superare nõ possent, ex insidijs caperẽt: imò adeò quem armatum armati totiens experti non expugnarint, ueneno tollendum curarent. An hęc ad hęresim pertinent super repastinatione philosophiæ? Tria esse prædicamenta, non decem, tria esse elementa, non quatuor: nam ignis nisi sidereus, supra nos nullus est. Tres sensus interiores esse, nõ quinq;. Nulla esse pura elementa, nisi, quæ cernimus tãgimusq;. Non esse mare altius terra: unum esse transcendens, non sex, idq; esse res: album & albedo similiaq; non differre, frustra uocari concretũ & abstractum. Me nolle esse deum, qualem fecit Aristoteles, quem sic cœlo affixit ut Ixion est affixus in rota. Ex undeuiginti modis syllogismorum octo demum esse commodos, cęteros uero insanos. Quidam signum singulare, aliquis particulare, & illud cũ negatione singulare, hoc uero uniuersale: subcontraria male esse introducta: nihil in nominibus proprijs, & pronominibus nõ autem in aliquis & quidam, easq; non posse simul esse ueras. Male dici propositiones modales, easq; sex, quum sint propè infinitæ: conclusionem uero syllogismi esse aut necessariam, aut possibilem siue credibilem: deniq; maximã partem logicæ latinæ falsam esse, uueramq; esse logicam Laurentianã: oratorẽ esse uirũ sapientem, quãtum in hominem cadit: hoc est, plus esse quàm philosophũ & sophon. Super opere de elegantia: Catholiconem Huguitionemq;, & similes, nullam uocabulũ recte exposuisse, nisi quod aut expositũ inuenerunt, aut de quo nemo dubitat, præterea barbariem loquẽdi docere, nõ linguam latinã. Priscianũ quidem solem grãmaticæ, sed aliquãdo passum esse eclipsim: qualia hęc sunt, hęc domus est mei. Quę dicũtur inchoatiua, meditatiua, desideratiua, significare id quod nomina ipsa indicãt: supinũ in tu esse nomẽ: quę falsa sunt, sed stultius dicere grãmaticos, uenio lectu, & huiusmodi infinita. Omnia quæ dixere grãmatici post Priscianũ, contra grammaticã esse, nisi paucissima ex sacris libris. Hæc ego beatissime pater pluribus defenderem, si defensionẽ requirerẽt. Venio igitur ad ea quæ restant super opere de libero arbitrio: Clarum esse præscientiã dei non obstare arbitrij libertati: & de hoc Boëtium male quæstionem mouisse, ac penè soluisse,

& penè

& pene contra Paulum ac deū dixisse. Nunquid hoc dixisse hæreticū est? quasi uero Boëtius is sit, quem nephas sit impugnare. Ego in libro illo Paulum sequi malim, qui ex ore dei loquebatur, quàm Boëtiū, qui philosophiam Stoicam inducit loquentē, quasi nobis illa uerū bonum & ostendat, & prebeat. De hoc opere sanctissime pater, non plura dicam, nisi quod multi etiā post accusationem, illud ut pientissimū opus inscripserunt, ut sileam laudē, quā ei scriptis ad me literis doctissimi homines impartiunt: ne hoc non testimonij loco referre uidear, sed gloriæ, iustū agere, & iuste agere, idem esse: quā loco suo cōprobo quantū inter eruditos intersit apparet. Sed quoniam hæc cōtrouersia de recte loquendo est, non de recte uiuendo, ad questionem professionis transeamus: Falsò eos credere, magis se mereri propter professionē quàm cæteros. Et quid summe pōtifex. nónne id eos dicere, cum cæteris presbyteris pontificibusq; contumeliosos est esse, tum præcipue tibi? quasi præstantius sit probè obedire, nam inobediēdo illi à reliquis sancte uiuentibus differunt, quàm probè præsidere, & qui tales instituere cōuentus, minus ipsi quàm fratres monachiq; meruerūt: quū ij obtemperent, illi præceperint, ut hoc tēpore, qui in locū illorū successerūt, omnes obediētiæ immunes. Atq; inquiunt: quemadmodū plus admittimus culpæ, quoties promissa rescindimus, quàm qui alligati non sunt: sic plus meriti penes nos sit necesse est, si nō rescindamus. Multa à me in hāc rem, ut moris scribentiū est, disputata sunt, uno tamen hic argumento contentus sum. Professionem suam sacramentū appellant. Sacramentū quoq; est matrimonium duorum hominum, quorum alter maritus sit, alter cœlebs: da ut uterq; fornicetur, uter magis deliquerit? Nempe is qui uiolat sacramentū. Da ut ne penes utrum laus amplior fuerit? certe penes cœlibem. Ita fortassis in professis & non professis. Quo magis mihi libet arguere eos, uideo ingratos qui mihi pro beneficio malam gratiam reddiderunt, siquidem ipsi inter primos exhibuerunt negocium. Memini nanque in libro illo scripsisse me, uitam illorū non ceteris meliorem quidem esse, nisi forte quibusdam concedendum est. Nónne benignior in eos fui quàm debui? Etenim uia à Christo tradita nulla est tutior, sicut nec melior, in qua nulla professio nobis iniungitur. At uita ipsorum, inquiunt, ab illa Christi nō discreptat. Sanè uerò, sed [illegible]liorū quidem, nec enim in solis cucullatis uita Christi custoditur. Et uestri duces, atque autores istius disciplinæ, sapienter illi quidē existimarūt, tutius esse uti baculo, sed lapsantibus, & medicina, sed ægrotantibus, & ad tutelam confœdere castrorum, sed in aciem prodire metuētibus. Quod si in itinere faciendo non labor, quid opus est est baculo? quem ferre & quo uti molestū est. Si recte ualeo, quid opus est medicina? qua non modo palatum, stomachus, sed etiam sanitas læditur? Si strenuus sum, cur non in aciem prodeo, potius quàm in castra desideo? Referam sanctissime pater, quod per eosdē dies hic cōtigit, ut liqueat professos nec prærogatiua, nec tutiore genere uitæ ceteris utiq; omnibus antecellere. Fuerunt in eadē domo duo, mihi sanè familiares, eodē modo laborātes: quorū alter quū secandus esset medici præcepto, & ipsius uoluntate, à quatuor socijs cōprehensus est, ne inter curationē fortè resiliret, hunc uix quatuor illi quū secaretur, retinere potuerunt repugnantem reclamantemq;: Alter uero exprobrata prioris ignauia, nec teneri uoluit, & citra motū gemitumq; pertulit curationem. uterq; eorum sanatus est, unus amborum effectus fructus finis. Quod si prior magis laudari se postulet, quod retineri uoluerit, non audiatur. Si autem fecisse tutius dicat, fortassis audiatur, sed non protinus ut magis laudandum sit. Nam ut eius consilium fuerit prudentius, fortitudo certe extitit in altero maior: quanquam quomodo minus consilij in hoc fuit, qui sibi tutissimus erat, qui roboris sui sibi conscius, uirtuti q̄

necessitati

necessitati salutem suam debere malebat. Quapropter quando professi contenti non sunt debita laude, non etiam aliquantulũ plus debita, nam eis plus impartieram laudis quàm iure poteram, sic accipiãt: Si mihi offeratur electio utras malim actiones, professi an nõ professi, quæ modo eædẽ sint, quoad possunt eædẽ esse, me non professi electurum. Quæ si uera sunt, illud quoq; sua sponte probatum iam est, non proprio nomine eos appellandos esse religiosos, tanquam alij religiosi nõ sint. An uere tu summe pontifex, tu religionis caput, religiosus non es? an potius & tu imprimis & cęteri religiosi sunt, à quibus pie uiuit, ut legitur in epistola Iacobi, non habitu eos, sed fide & opere discernente? Reliquum est, ut de ultima quæstione dicatur, quæ tãtas apud furiosos tragœdias excitauit, abstinebo ab eis nominandis, ut ne quis mihi, & si succensere uelit, non tamen possit irasci, nisi qui crimen, quod insimulo, ad se pertinere fateatur. Malo enim uitia notare quàm homines, & emẽdare eos quàm infamare. Symbolum non factum esse ab apostolis per particulas. Hoc ego nõ proposuissem beatissime pater, nec cæteras questiones, nisi quidam, ut toti ciuitati notum est, me coëgisset, quem in cubiculo suo sine arbitris fueram sciscitatus quis id traderet. Siquidem hoc ille in prædicando, ut est promptissimus lingua uernacula, conuocatus pueris & iucclamantibus quotidie decantabat, cum risu cęterorum. Is quia satisfacere mihi non posset percunctanti, negantiq; apud doctos inueniri, iratus proximis diebus tres quatuor'ue prædicationes in me totas euomuit, ut erat furens in cõcionando, & alternis bracchijs uerberans, atq; ita semper elatrans, ut nonnunquam in clamitando raucesceret. At quàm improbũ fuit, hoc ab illo sciscitari, quod & ab alijs postea, & nunc ab omnibus sciscitor: nec modo id quod in quæstione proposui, uerũetiam quis omnino tradat ab Apostolis symbolum cõditum. Quod si quis me doceat, permagnas ei, ut in cæteris quoq;, gratias agam & habebo: quando conditum, ubi, & à quibus memoriæ traditum. Aiunt, à quibusdam, ut aperte loquar, minutis plebeisq; scriptoribus, qui nullius ueterũ autoritate nituntur, præter Gratianum, qui nititur Hisidoro. Quæro te, ait'ne per particulas conditũ? minime: iam liberatus sum. Ita mihi gratulor, quod praua agnoscit in me disceptatio prædicantis. Quid porrò ait Gratianus, ab Apostolis'ne cõditum? itáne? Ac præceptor eius Hisidorus non ait, ergo scriptura Gratiani corrupta est. Hic me illi uociferãtur hæreticum esse, qui decreta damnem, qui dicta patrũ infringam, qui ius pontificium omne conuellam. Et ego uicissim ipsorum, & meo iure, siue insaniam siue impatientiã imitabor, uociferaborq;. Si ob id hereticus sum, quod hoc falsò dixi, & uos heretici eritis, si idem falsò negastis: nisi in me forte de ea re falsò sentire, hæreticũ erit, in uobis hæreticum nõ erit: quid si uobis sumitis, quid si de Iudęorum numero estis, qui hæretici esse non possunt? Ego uero clemẽtissime pater dico, nõ posse aliter legi apud Gratianũ quàm apud Hisiodorũ, ne alterũ illorũ mẽdacem faciamus, & presertim fontẽ, qui si corruptus est, riuus certe sanus nõ erit. Apud Hisiodorum igitur legimus: In cõcilio Niceno, post apostolos secũdo, hoc est, quod fuit secundũ ab illo uero apostolico cõcilio, in quo Petrus & Iacobus decreti formulã acceperũt, trecẽti decẽ & octo patres Symbolũ tradiderunt, cui nõnihil additũ est in cõcilio Cõstantinopolitano. Apud Gratianum scriptũ est: In cõcilio Niceno post apostolos secundũ symbolũ tradiderũt. Vter ergo sanctissime iudex corrũpit patrũ dicta? Laurentius, an Laurentij accusator? ab utra parte stat ueritas? ab utra hæresis: si hęresim hic locus habet. Hic nõ plura disputabo. Ostẽdite autoritatẽ uel Hilarij, qui circa illa tẽpora fuit, uel Ambrosij, uel Hieronymi, uel August. uel Gregorij, & uiceritis. An minus, ego meos testes citabo, quorum magna copia. Sed nõ est illis opus, quia de scriptura corrupta

corrupta nunc loquimur. An hoc dicere hæreticum sit? At inquiunt: non est disputandum, propter quod piæ aures offendi possint. Itáne? Nō ergo iuste me accusastis, non uera contra me protulistis. Sed nihil aliud, nisi ne piæ aures offenderentur: à uobisne? à quibus per aures omnium hæc fabula dissipata est: an à me, qui hominem in cubiculo percunctatus sum, non debent piæ aures offendi? Cur ergo me non admonebatis, quod Christus iubet? cur cōtestim ad sanguinē proximi decurristis? Nempe, quia odio, non beneuolentia affecti eratis. Non debēt piæ aures offendi, & quæ tandem sunt quæso piæ aures? an hæ quæ uerum audire nesciunt? quæ doceri recusant? quæ ad uerā gloriam aliorū uerberantur? hæ sunt uestræ illæ, si fateri uolumus. piæ aures: hoc est, quæ Iudaicæ ueritatē audire nō sustinent. Nam per deum & hominē Iesum, qui idem ueritas est, quomodo rerū natura fiet, ut patefacta ueritas cum aliis uirtutibus inimica sit, tum uero pietati in deum? Multa mihi ad inuehendum in truculentissimos Calumniatores, quū suppeditet oratio iustissime iudex, tamē defensionis mei causam terminabo. Itaq; ut ad curriculi perueniam metam, nihil equidem censeo peccatum à me post accusationē illam, in qua nihil me loqui, nihil rationis ab illis audire fas fuit. Si quid autem in iis quæ disputaui, erratū est, non modo non respuam à te sapientissimo atq; optimo medico curationē, sed patiēter etiam libenterq; admittā ulcera mea rescindentem, adeò sine tua medicina sospes esse nequeo. Si enim à me peccatū est, ulcera rescindes: sin ab aliis, ulcera sanabis. Nā illa quæ de spiritusancto obiecerunt, respondi mentiri eos, qui me affirmasse aliquid cōtra ecclesiā criminarentur, sed aliqua uel ante conciliū Florentinū, uel ipsius concilii tempore, ut armatior pro latinis essem, disseruisse confessus sum. Neq; de hac re post accusationē illam, uel ipsi inimici mei dixerūt me quippiam protulisse. Audio præterea illos, quid enim non audeant homines & mali & inimici? audio inquam illos, quum superioribus diebus me apud te accusauerūt, crimini etiam dedisse, quod aduersus tuam dignitatem ad Basiliense Concilium scripsissem, quod illinc beneficia impetrassem: quæ pater beatissime, quia nō in causam fidei ueniūt, da mihi quæso hanc ueniam ut in alteram orationem reseruentur: uel ob hoc, ne qui iudex in causa aliena es, tu iudicaueris esse iudex in tua. In illa dabit mihi latissimus campus de innocentia mea, de inimicorum meorum forte perfidia, quorum permulti & tui fuerunt, de tuis laudibus. Hac enim ratione, si tuas laudes, non dicā exequar, sed attingam, uidebor cōtumeliam facere causæ meæ. Volo nanq; non modo ab adulandi suspitione abesse, sed omnino à deprecandi. Nisi hoc unum, ut si nihil peccaui, in pristinum statum me famamq; restituas, id quod optimus rex fecit pro sua felicitate: sin peccaui, primum errorē edoceas, deinde quæ tua clementia est, mitiorem quàm pro culpa exigas pœnam, quum præsertim satis iam dederim, abundeq; pœnarum. Pro qua tua misericordia, polliceor tuam sanctitatem ex me aliquid, non dico utilitatis, nam id supra uires est, nō gloriæ, nam tua gloria nec augeri laudibus, nec minui detractionibus potest, sed uoluptatis ob mea studia capturam.

Apologiæ contra calumniatores finis.